








BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita
cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS SEPTIMUS
complectens DUOS LIBROS PARALIPOMENON.







VENETIIS
MDCCXLVIII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

LIBER PRIMUS PARALIPOMENON, HEBRAICE DIBRE HAIAMIM.



Ibri duo Paralipomenon *unum efficiunt apud Hebræos, teste Hieronymo: ab iis vocatur* דברי הימים Verba dierum, *isque propter magnitudinem apud nos in duos Libros divisus est.* Verba dierum *appellant quasi* Annales, *ac videtur esse velut epitome illius operis, quod in Regum libris identidem citatur, quo nimirum gesta Regum Iuda continebantur. Nam Liber, qui* Verba dierum Regum Israel *inscriptus erat, periit omnino. Auctor quippe lectorem ad hos Annales, seu ad verba dierum Regum Iuda & Israel identidem mittit, ac sæpius quæ proferuntur in Libris Regum gesta, in Libris Paralipomenon non occurrunt. Libri Annalium multo erant ampliores. Liber posterior Paralipomenon recentior est Libris Regum, sed tamen vetustior est Libro Nehemiæ: in Nehemia quippe, cap. XII. vers. 23. & seq. citatur Liber* Verborum dierum; *ibique Levi Genealogia ita pertexitur, ut Lib. I. Paral. cap. IX. occurrit. Lib. II. Paral. cap. V. vers. 9. arcam fuisse in templo usque in præsentem diem legimus. Complura alia iisdem verbis relata persuadent hæc ad verbum expressa fuisse e vetustioribus & sacris monumentis, cum Iudæi suæ regionis adhuc erant possessores. Illud Auctori sacro fuit propositum, ut suæ gentis historiam, atque illius seriem ex hominum animis pene deletam in memoriam eorum revocaret, quo suæ quique originis essent memores. Genealogiæ primis capitibus comprehensæ conveniunt cum iis quæ Lib. I. Esdræ capitibus II. VIII. & X. continentur. Dictus est Liber* Paralipomenon, Παραλειπομένων, *seu* Derelictorum, *quod suppleat quæ desunt in Libris Regum. Unde Hieronymus in Præfat. testatur omnem eruditionem Scripturarum in hoc libro contineri, & historias, quæ vel prætermissæ sunt in suis locis, vel perstrictæ leviter, hic per quædam verborum compendia explicari. Sed eodem in loco difficultates*

quæ occurrunt in propriis hominum & locorum nominibus, non dissimulat. Ita Græcis & Latinis codicibus hunc nominum librum vitiosum esse, ut non tam Hebræa, quam Barbara quædam & Sarmatica nomina coniecta arbitrandum sit. Nec hoc LXX. Interpretibus qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerant transtulerant, sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scripserant, & sæpe tria nomina subtractis e medio syllabis in unum vocabulum cogunt, vel e regione unum nomen propter latitudinem suam in duo, vel tria vocabula dividunt.

Finis libri secundi initio Esdræ repetitur, cuius initii Auctor incertus est, cum Darii Histaspis ætatem viderit. Cum autem in libris Regum & Paralipomenon hæc verba sæpe occurrant: Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Iuda? *his significantur acta diurna accurate ab Hebræis condita, unde librorum Regum & Paralipomenon sumpta est materia.*

Quod autem hi libri genuini habiti sint ab ætatibus proxime sequentibus, vel ex eo liquet, quod in Canonem Hebræorum relati fuerint, & a LXX. Græce translati.

Hos libros vetustiores esse quam nobis videantur, hinc probare conatur Hobbesius, quod Lib. I. cap. v. Arca in templum a Salomone illata dicatur usque in præsentem diem: sed verisimile est libros Regum & Paralipomenon ex variis & diversis historiis esse conscriptos, adeo ut interdum verba ipsa repetita fuerint. Unde illud admodum probabile est, hoc testimonium ex libro antiquiore depromptum libris Regum & Paralipomenon insertum fuisse, ut optime respondet illustrissimus Huetius qui & cavillationes Theologo politici *dissolvit, cum pleræque difficultates ex depravatis codicibus, & ex variis lectionibus oriantur. Atque id unum tantummodo his cavillis extorqueri potest, luxatum esse in nominibus quibusdam propriis, ubi proclivis est error, cum describuntur, aut in arithmeticis aliquibus notis Scripturæ textum vitiatum, quod interpretes nonnulli dare non renuunt. At potissimum inquiunt in libros Paralipomenon hæc calamitas incubuit: quamquam illud quoque fatendum est, mutata esse urbium & locorum nomina temporum lapsu.*

Singula capita leviter decurremus, quod pars magna rerum, quæ gestæ narrantur, iam fuerit in libris Regum exposita. Novem priora capita genealogias continent.

C A P U T P R I M U M.

Genealogia Adam usque ad Abraham, & generationes filiorum Abrahæ una cum filiis ac posteris Esau, & regibus ac ducibus terræ Edom, antequam essent Reges super filios Israel.

1. ADam, Seth, Enos, 2. Cainan, Malaleel, Iared, 3. Henoch, Mathusale, Lamech, 4. Noe, Sem, Cham, & Iapheth, 5. Filii Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iavan, Thubal, Mosoch, Thiras. 6. Porro filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. 7. Filii autem Iavan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim. 8. Filii Cham: Chus, & Mesraim, & Phut, & Chanaan. 9. Filii autem Chus: Saba, & Hevila, Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Porro filii Regma: Saba, & Dadan. 10. Chus autem genuit (*a*) Nemrod: iste cœpit esse potens in terra. 11. Mesraim vero genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim, 12. Phetrusim quoque & Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim. 13. Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum quoque, 14. & Iebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum, 15. Hevæumque & Aracæum, & Sinæum; 16. Aradium quoque, & Samaræum, & Hamathæum. 17. Filii (*b*) Sem: AElam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether, & Mosoch. 18. Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipse genuit Heber. 19. Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus eius divisa est terra; & nomen fratris eius Iectan. 20. Iectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, & Iare, 21. Adoram quoque, & Huzal, & Decla, 22. Hebal etiam, & Abimael, & Saba, nec non 23. & Ophir, & Hevila, & Iobab: omnes isti filii Iectan. 24. Sem, Arphaxad, Sale, 25. Heber, Phaleg, Ragau, 26. Serug, Nachor, Thare, 27. Abram, iste est Abraham. 28. Filii (*c*) autem Abraham, Isaac & Ismahel. 29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus (*d*) Ismahelis, Nabaioth, & Cedar, & Abdeel, & Mabsam, 30. & Masma, & Duma, Massa, Hadad, & Thema, 31. *Ietur, Naphis, Cedma: hi sunt filii Ismahelis. 32. Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamran, Iecsan, Madan, Madian, Iesboc, & Sue. Porro filii Iecsan, Saba, & Dadan. *† Filii autem Dadan: Assurim, & Latussim, & Laomim. 33. Filii (*e*) autem Madian: Epha, & Epher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi, filii Ceturæ. 34. Genuit (*f*) autem Abraham Isaac: cuius fuerunt filii, Esau & Israel. 35. Filii (*g*) Esau: Eliphaz, Rahuel, Iehus, Ihelom, & Core. 36. Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna, Amalec. 37. Filii Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza. 38. Filii Seir: Lotan, Sobal, *Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. 39. Filii Lotan: Hori, Homam. Soror autem Lotan fuit Thamna. 40 Filii Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filii Sebeon: Aia & Ana. Filii Ana: Dison. 41. Filii Dison: Hamram, & Eseban, & Iethran, & Charan. 42. Filii Eser: Balaan, & Zavan, & Iacan. Filii Disan: Hus & Aran. 43. Isti sunt Reges, qui imperaverunt in Terra Edom, antequam esset Rex super filios Israel:

rael: Bale filius Beor: & nomen civitatis eius, Denaba. 44. Mortuus est autem
Bale, & regnavit pro eo Iobab filius Zare de Bosra. 45. Cumque & Iobab fuis-
set mortuus, regnavit pro eo Husam de Terra Themanorum. 46. Obiit quoque
& Husam, & regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in Ter-
ra Moab: & nomen civitatis eius Avith. 47. Cumque & Adad fuisset mortuus,
regnavit pro eo Semla de Masreca. 48. Sed & Semla mortuus est, & regnavit
pro eo Saul de Roboth, quæ iuxta amnem sita est. 49. Mortuo quoque Saul,
regnavit pro eo Balanan filius Achobor. 50. Sed & hic mortuus est, & regna.
vit pro eo Adad: cuius urbis nomen fuit Phau, & appellata est uxor eius Mee-
tabel filia Matred filiæ Mezaab. 51. Adad autem mortuo, duces pro Regibus in
Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva, dux Ietheth, 52. dux Ooliba.
ma, dux Ela, dux Phinon, 53. dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 54.
dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom.

(*a*) Genes. II. 15. IV. 23. V. 16. (*b*) Genes. x. 8. (*c*) Genes. x. 22. XI. 10. (*d*) Genes. XI. 26. (*e*) Genes. XXV. 12. (*f*) Genes. XXV. 3. (*g*) Genes. XXV. 18. (*h*) Genes. XXXVI. 12.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 31. *Ietur*, *Naphis*, *Cedma*. Quidam male scribunt *Iachur*, pro *Ietur*.

V. 32. *Filii autem Dadan*, *Assurim*, *&* *Latussim*, *&* *Laomim*. Censuerunt Romani Patres versiculum hunc non esse omittendum, tametsi a multis omittatur: qua de re agunt nostræ Notationes.

V. 38. *Sebeon*, *Ana*, *Dison*. Corrupte a quibusdam scribitur *Ava* pro *Ana*, idest *v* pro *n*.

Lectionum Varietas.

V. 32. *Filii autem Dadan*, *Assurim*, *Latussim*, *&* *Laomim*. Hic versiculus omittitur a multis Latinis manuscriptis, conformiter Hebræo, & Græco Regiorum Bibliorum textui, prout ex Notationibus nostris constat.

N o t a t i o.

V. 32. Catalogo filiorum Cethuræ codices quidam filios Dadan annumerant his verbis: *Filii autem Dadan*, *Assurim*, *&* *Latussim*, *&* *Laomim*. Sic nimirum Genesi cap. XXV. vers. 3. Paralipomena respondent. Verum libri plurimi filios Dadan prætereunt. Parisiensium quatuor, Di. •. l. Ge. o. l.; Hentenii quatuor, in quibus Attrebatensis Collegii uterque credo numeratur; Hunnæi septem E. H. I. L. M. O. Q.; Societatis Iesu unus ruber; Plantini duo, angustus, & medius; Brugensis Ecclesiæ unus, Abbatiæ Leodiensis S. Iacobi unus, quamquam consueto more depravator egerit; Collegii Busidiani unus; denique post Complutensem Regius. Sed & Abulensis Interpres prætermittit. Hebræi codices etiam, & Græci editionis Regiæ minime legunt. Merito igitur notavit legendum Epanorthotes, *Saba & Dadan. Filii autem Madian*, nec interponendum quidquam, quamquam cum Aldino Germanorum Græca antigrapha habeant σάβα ϗ δαιδὰν (a) δύο. ϗ ὑιοὶ δαιδὰν, ῥαγουὴλ, ϗ ναβδεὴλ, ϗ ἀσσουελὶμ, ϗ λαταισιεὶλ, πέντε. ϗ ὑιοὶ μαδιάν. ubi præterea duo filii Dadan recensentur, quos cum Hebræis Latini non agnoscunt: nam Græcorum iidem illi codices etiam in Genesi addunt.

(a) Compl. R.

C O M M E N T A R I A

S A.

PARALIPOMENON, id est *derelictorum*, seu prætermissorum, scilicet in Libris Regum. Videntur hi libri esse epitome eius qui sæpe citatur in Regum libris. Auctorem quidam Esdram putant. Vide Hieron. in I. Paralip. cap. VII.

V. 4. SEM, CHAM, IAPHETH. Isti tres filii Noe, a quorum posteris habita-

ta Asia, Africa, & Europa.

V. 5. GOMER, a quo Galatæ. MAGOG, a quo Scythæ. MADAI, a quo Medi. IAVAN, a quo Iones, seu Græci. THUBAL, a quo Hispani, seu Iberi. MOSOCH, a quo Cappadoces. THIRAS, a quo Thraces.

V. 6. ASCENEZ, a quo Sarmatæ, seu Germani. RIPHATH, a quo Paphlagones. THOGORMA, a quo Phryges, scilicet Turcæ.

V. 7. ELISA, a quo AEoles. THARSIS, a quo Cilices. CETHIM, a quo Cyprii. DODANIM, a quo Rhodii.

V. 8. CHUS, a quo AEthiopes. MESRAIM, a quo AEgyptii. PHUT, a quo Afri. CHANAAN, a quo Chananæi.

V. 9. SABA, a quo Arabes Sabæi. Ita quidam; at potius Sabæi AEthiopiæ, quia per ס *s* scribitur. Vide III. Reg. cap. x. HEVILA, a quo Getuli. SABATHA, a quo Sabathæni. SABA, a quo Saba civitas AEthiopiæ. Ita quidam; potius a quo Sabæi Arabes, quia per ש *sc* scribitur. Vide III. Reg. cap. x. DADAN, a quo AEthiopes quidam.

V. 10. POTENS, id est tyrannus. Hic Babel seu Babylonis conditor.

V. 11. LUDIM, a quo Lydii, & Libyci.

V. 17. ASSUR, a quo Assyrii, & Ninive condita. LUD, a quo Lydi. ARAM. a quo Syri, quorum metropolis Damascus. HUS, a quo qui inter Cœlesyriam & Iudæam. HUL, a quo Armeni.

V. 19. IECTAN, a quo Indi.

V. 29. NABAIOTH filius est Ismael, & qui sequuntur.

V. 32. CONCUBINAE, id est uxoris minus principalis. Hæ ducebantur sine solemni apparatu, & dote.

V. 36. THAMNA, AMALEC. Genes. XXXVI. dicitur Thamna mater Amalec, & forte idem hic sensus est; quasi dicat: Thamnæ Amalec, scilicet filius. Vel idem fuit diversorum nomen, ut fit.

V. 38. SEIR, scilicet Horræi, qui ante Esau Idumæam tenuit.

V. 43. IMPERAVERUNT, scilicet cum diademate. Hi, & qui sequuntur duces, a quibusdam dicuntur fuisse Esau posteri. Dicerem potius duces solos esse ex Esau. Vide Gen. cap. XXXVI.

V. 54. DUCES, scilicet absque diademate Regum insigni.

ESTII.

HUnc Librum, qui unus est apud Hebræos, Hieronymus sub finem Lib. I. contra Pelag. vocat *Librum dierum*. Et sic intitulatur in Hebræo, *Dibre haiamim*. Unde quæri potest an significetur hic Liber, quoties in libris Regum dicitur: *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iuda?* Sed videtur quod non, quia huius Libri historia longius extenditur quam librorum Regum. Pertingit enim usque ad Cyrum Regem Persarum. Immo videtur liber Regum citari in hoc, scilicet Lib. II. cap. XVI. dum dicitur de Rege Asa, quod opera eius scripta sunt in Libro Regum Iuda, & Israel. Unde & hic Liber tamquam posterior appellatur Græce *Paralipomenon*, id est *derelictorum*. Quod autem in libris Regum aliquando dicitur, *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel*, aut *Iuda*, alii libri significantur, qui modo non exstant.

Vers. 18. ARPHAXAD AUTEM GENUIT SALE, &c. In præcedentibus ab Adam usque ad Noe nullam generationem fuisse prætermissam tum hic, tum in Genesi, concors est omnium sententia. At a Noe usque ad Abraham sitne prætermissa aliqua, non constat. Atque interim de Cainan, qui tam hic, quam in Genesi apud Septuaginta inter Arphaxad & Sale interponitur, anceps hæret quæstio, eo quod idem Cainan Lucæ III. quoque interponatur.

V. 19. PORRO HEBER DUO NATI SUNT FILII. Occasione huius Heber quæritur unde dicti sint Hebræi, an ab hoc Heber, an vero ab Abraham? Quidam, inter quos D. Aug. Lib. I. de Consens. Evang. cap. XIV. putant ab Abraham sic dictos, quasi Abræos. Sed id retractat idem Aug. Lib. II. cap. XVI. docens, magis esse verisimile ut sic dicti sint ab hoc Heber. Idem habet Lib. de Civit. cap. XIV. Nos magis eorum sententiæ accedendum putamus, qui ob neutram istarum rationum putant sic appellatos. Non ab Abraham, tum quia ille ipse Gen. XIV. cum

cum adiectione vocatur Abraham Hebræus; tum quia Abraham apud Hebræos primam litteram habet Aleph, nomen autem quod Hebræum significat, primam habet Ain. Et similiter non ab Heber, quia inter Abraham, & Heber quinque generationes intercedunt, hoc est anni circiter ducenti, & nulli tamen nomen Hebræi attributum legitur ante Abrahamum dicto loco Gen. XIV. continuatum deinde in eius posteris. Dicimus itaque Abrahamum appelatum fuisse Hebræum a vocabulo Eber quod significat trans vel ultro: quia videlicet Abraham de transfluvium Euphratem, venit in terram Chanaan. Unde incolis illius loci vocatus est Ebræus, id est transfluvialis, vel potius, Ultraneus, quia de ultra flumen ad ipsos transisset, sicut nunc alii vocantur transmarini, alii transmontani. Et hæc ratio indicatur Iosue XXIV. ubi habetur: *Transfluvium habitaverunt patres vestri*, &c. Ubi in Hebræo habetur, de Heber fluvii, id est de transfluvium. Eamdemque interpretationem tradit Euseb. Lib. II. de Præpar. Evang. cap. IV. & Bernardus in Epist. ad fratres de monte. Vide nostrum Comment. II. Corinth. XI. & argumento Epist. ad Hebr.

V. 51. ADAD AUTEM MORTUO, DUCES PRO REGIBUS IN EDOM ESSE COEPERUNT. Non significatur, statum populi illius tunc factum deteriorem sed potius meliorem. Scilicet quando non sunt amplius permissi, qui præerant, pleno imperio regere (quod Regum est) sed potestate certis ac præscriptis legibus, & conditionibus adstricta, ut propter hoc iam non Reges, sed duces vocarentur: quomodo & status populi Israelitici, teste Scriptura Lib. I. Regum cap. VIII. sub Iudicibus per se melior fuit, quam sub Regibus. Vide eo loco.

MARIANAE.

PARALIPOMENON, id est *derelictorum* Liber, sic dictus, quia hic supplentur quæ desunt in libris Regum. Hebræi vocant *Dibre haiamim*, id est *Verba dierum*, quasi dicamus *Annales*. Epitome libri maioris sæpe in libris Regum citati, quo continebantur actiones Regum Iuda. Nam alter, quo Regum Israel actiones explicabantur, penitus periit, ne epitome quidem residua. Olim unus liber erat, teste Hieronymo Prologo priori ad Domnionem, quod Hebræi retinent. At nunc in linguis certe Græca & Latina, in duos dissectus est. Auctor Esdras, vel eo argumento, quod finis huius libri, & Esdræ initium eadem verba habent. Sic inter Hebr. Isaac Harama in Præfatione Cantic.

V. 1. ADAM, SETH, ENOS. Suppleri potest genuit, sic: *Adam*, genuit *Seth*, *Seth* genuit *Enos*. Aut sic: *Adam Seth* filius, *Enos* nepos, & deinceps.

V. 4. NOE, SEM, CHAM, ET IAPHETH. Hic genuit supple, sic: *Noe* genuit *Sem*, *Cham*, & *Iapheth*. An Sem fuerit duobus maior, in Gen. VII. 13. & X. 21. dictum est.

V. 6. RIPHATH. Hebr. *Diphath*. Verum cum in Gen. sit *Riphath*, & hic in Sept. & Hieronymo, suspicari libet Hebraica vitiata esse, facili mutatione litterarum Res in Dalerh, quæ figura sunt simillimæ. Itaque in Lib. Massoreth invenio etiam *Riphath* substitui pro *Diphath*. Idem dixerim versu proximo, pro *Dodanim*, quæ vox Gen. X. 4. etiam ponitur, fortasse legendum *Rodanim*, quoniam Sept. in Genes. pro ea voce *Rhodios* posuerunt. Tum Hieronymus, & Isidorus ab eo *Rhodios* deducunt.

V. 9. FILII AUTEM CHUS: SABA. *Saba* per Samech, quæ est in Arabia felici, unde Sabæi. Sed altera Saba, quæ proxime ponitur per Sin, est in Africa, AEthiopiæ pars, unde Regina Saba, de qua III. Reg. X. 1. Nemrod.

V. 10. COEPIT ESSE POTENS IN TERRA. Antea omnes æquo iure vivebant, nullus subditi imperio. Nemrod primus in alios imperium occupavit, tyrannus effectus. Sic turrim ædificare tentavit, id est arcem, ubi se muniret, subditis quasi compedes iniiceret. Timet qui terret.

V. 19. IN DIEBUS EIUS DIVISA EST TERRA, id est in diebus Phalegi, quæ vox *divisionem* significat. Noe posteri in varias regiones sunt dissipati. Tentatæ turris Babylonicæ ædificationis ea merces. Sic plerique omnes hunc locum intelligunt. Hebræus ad vitæ brevitatem refert, quam Deus minatus Gen. VI. 3. Phaleg tempore induxit: quippe tum ille, tum posteri multo pauciores annos quam priores vixerunt, donec ad præfixum

xum 120. annorum numerum ventum est.

V. 24. SEM ARPHAXAD, &c. Repetitio posterorum Sem usque ad Abraham compendio facta.

V. 33. OMNES HI, FILII CETURAE. *Ceturam* fuisse *Agar*, Hieronymus in Tradit. affirmat. Sed refellitur ex Gen. xxv. 6. ubi ait, *Filiis autem concubinarum*. Ergo Abraham plures concubinas habuit. Porro Cetura vers. 32. concubina Abraham esse dicitur, quia uxor secundaria sine dote & solemni apparatu sumpta. Sola primaria אשה *isah* Hebr. *uxor* Latine vocabatur.

V. 36. THAMNA, AMALEC. Gotth, *De Thamna concubina*, *Amalec*, nempe genuit: scilicet Eliphaz ex ea concubina genuit Amalec: sic dicitur Genes. xxxvi. 12. unde hic locus explicatur. Verum Hebr. hic, & Græc. legitur, *Et Thamna, Amalec*: quod sententiam alioqui veram turbare videtur.

V. 38. FILII SEIR. Hic non est Esau, sed ex alia gente Horræus, Gen. xxxvi. 20. cuius genealogiam describit, ut Thamnæ genus intelligatur matris Amalec.

V. 42. FILII DISAN: HUS ET ARAN. *Hus* in Trachonitide principatum tenuit, Palæstinam inter & Cœlesyriam, quæ & *terra Hus* Iob cap. 1. vocatur. Fuit enim Iob e posteris Esau, & Hus: neque idem qui, Iobab de quo proxime fit mentio: quod Hebraicæ litteræ satis ostendunt.

V. 43. ISTI SUNT REGES: scilicet qui mox sequuntur, ii & diadema gestabant, & fuerunt ante Esau. At ex eius posteris duces sine diademate, scilicet qui vers. 15. commemorantur: sed ut intelligatur illos esse ex posteris Esau, Genes. xxxvi. 40. dicitur: *Hæc ergo nomina ducum Esau*. Sed & hoc loco ubi nos, DUCES PRO REGIBUS IN EDOM ESSE COEPERUNT, Hebr. *Et fuerunt duces Edom*, id est Esau posteri. Sic etiam Sept quod cum Gen. verbis magis consentit. Hieronymus in Tradit. prius fuisse duces Edom, deinde Reges, licet Reges prius ponantur.

V. 48. DE ROHOBOTH, QUAE IUXTA AMNEM SITA EST. Hebr. *De Rohoboth flumine*, sive *fluminis*: utroque etiam modo verba Græca Sept. verti possunt. Hieronymus posterius secutus est, prius Pagn. ut videtur ex Genes. xxxvi. vers. 37. Ita *Rohoboth* fluvius erit iuxta Pagninum, non oppidum. Quæ gentes ex singulis his hominibus deductæ sint, qui in hoc capite referuntur, in Gen. cap. x. est dictum, neque hoc loco repeti debet.

MALVENDAE. *

Vers. 1. ADAM, &c. Historiam horum tredecim virorum qui his quatuor primis versibus recensentur, vide a Genes. cap. 11. usque ad x.

V. 5. FILII IAPHETH: GOMER, &c. Nomina istarum gentium, quæ ab hoc 5. versu usque ad 23. inclusive commemorantur, vide latius explicata Genes. cap. x.

V. 6. RIPHATH. In multis Hebraicis codicibus scribitur cum Daleth, *Diphath*; sed Genes. x. 3. diserte dicitur *Riphath*, cum Resch: sic plerumque Daleth, & Resch propter magnam similitudinem facile permutantur, ut videbimus inf. vers. 7. & 41. & 46. & 50. Vide Commentar. in Baruch III. 23.

V. 7. THARSIS. Hebr. *Tharsisah*; sed Genes. x. vers. 4. *Tharsis* dicitur. DODANIM. Pleraque exemplaria Hebraica legunt, cum Resch, *Rodanim*, quod egregie convenit cum Rhodiis; sed Genes. x. 4. Dodanim cum Daleth scribitur.

V. 24. SEM, ARPHAXAD, SALE. De generationibus horum novem virorum qui hoc, & duobus sequentibus versibus describuntur, vide Genes. XI. a vers. 10. usque ad 26. inclusive.

V. 27. ABRAM, ISTE EST ABRAHAM. Pronomen *ipse*, vel *iste* magnam emphasim habet, nedum ob mutatum nomen, Genes. XVII. 5. sed etiam ob inclytam & celebratam viri pietatem & magnitudinem, cuius præclaræ res gestæ narrantur a Genes. XI. 29. usque ad Genes. xxv. 10.

V. 29. PRIMOGENITUS ISMAELIS, NABAIOTH, &c. De hoc versu, & duobus sequentibus, vide Genes. xxv. 12. 13. 14. 15.

V. 32. FILII AUTEM CETURAE &c. De hoc versu, & sequente, vide Genes. xxv. 1. 2. 3. 4.

V. 34. GENUIT AUTEM ABRAHAM ISAAC, &c. De hoc versu vide Genes. xxv. a vers. 19. usque ad 26. inclusive.

V. 35. FILII ESAU: ELIPHAZ, &c. De hoc versu, & sequentibus usque ad finem capitis, vide Genes. XXXVI. a vers. 9. usque ad finem capitis: nam eadem omnia omnino sunt, paucis dumtaxat ibi additis, aut immutatis.

V. 36. SEPHI. Hebr. *Tzephi*. Hic Gen. XXXVI. vers. 11. appellatur *Tzepho*, ob facilem Iod in Vau transmutationem. THAMNA, AMALEC. Heb. *Et Thimnagh, & Ghamalek*. Plerique *Thimnah* non virum aliquem filium Eliphazi accipiunt, cum Genes. XXXVI. vers. 11. nullus Thimnah inter filios Eliphazi recenseatur; sed concubinam uxorem Eliphazi, Genes. XXXVI. 12. quæ fuit soror Lotanis, ibid. vers. 22. & hic infra vers. 39. ex qua Eliphaz genuit Hamalekum, Genes. XXXVI. 12. Unde hunc locum ita accipiunt: *Et ex Thimnah Hamalekus*: quare hunc locum ex illo Genesis esse explicandum monent.

V. 39. HOMAM. Hic Gen. XXXVI. vers. 22. appellatur *Heman*.

V. 40. ALIAN. Hebr. *Ghalian*. Genes. XXXVI. 23. vocatur *Ghalvan*; sed facile Iod & Vau ob similitudinem permutantur. SEPHI. Hic Genes. XXXVI. vers. 23. *Sepho* nuncupatur, ob earumdem litterarum similitudinem.

V. 41. HAMRAN. Hebr. *Chamran*. Genes. XXXVI. 26. appellatur *Chemdan*, ob similitudinem Resch, & Daleth.

V. 42. IACAN. Hebr. *Iaghakan*. Gen. XXXVI. 27. dicitur *Ghakan*.

V. 46. ADAD. Hebr. *Hadad*, & sic vocatur Genes. XXXVI. 35. verum quædam exemplaria Hebraica hic habent *Hadar*: ut Resch, & Daleth facile ob similitudinem invicem substituuntur. AVITH. Hebr. *Ghavith*. Sic etiam nuncupatur Gen. XXXVI. 35. Sed hic nonnulla exemplaria Hebraica legunt *Ghaiith*, ut sunt Vau, & Iod consimiles litteræ.

V. 50. ADAD. Hebr. *Hadad*. Genes. XXXVI. 39. *Hadar* scribitur, ob facilem transitum Daleth in Resch. PHAU. Hebr. *Phaghi*. Genes. XXXVI. 39. *Phaghu* dicitur, ob similitudinem Vau, & Iod.

V. 51. THAMNA. Hebr. *Thimnah*. Hic nomen viri; at supra vers. 36. nomen mulieris. ALVA. Hebr. *Ghaliah*, qui tamen Genes. XXXVI. vers. 40. dicitur *Ghalvah*, ex similitudine litterarum Vau, & Iod, ut superius in aliis nominibus vidimus.

* 18. Februarii MDCXXIV.

MENOCHII.

Vers. 1. ADAM SETH, ENOS, &c. subintelligendum est genuit. *Adam* genuit *Seth*, *Seth* autem genuit *Enos*, &c.

V. 3. NOE, SEM, CHAM, ET IAPHETH, subaudi genuit.

V. 5. GOMER, &c. Vide dicta Genes. X. 2. & deinceps.

V. 10. NEMROD. Vide dicta Genes. X. numero 8. & deinceps.

V. 13. HETHAEUM, &c. Vide dicta eodem cap. X. num. 16. & deinceps.

V. 19. PHALEG. Vide dicta Gen. X. num. 25.

V. 24. SEM, ARPHAXAD, SALE, &c. subintelligendum est genuit.

V. 27. ISTE EST ABRAHAM; quasi dicat: Hic est qui postea nomine aliquantulum mutato dictus est Abraham, cum prius diceretur Abram. Vide Gen. XVII. 5. & XI. 26.

V. 32. CONCUBINAE, uxoris legitimæ, sed secundariæ, & minus principalis.

V. 38. FILII SEIR. *Seir*, cuius hic mentio fit, non est Esau, qui etiam dictus est Seir, id est pilosus; sed est alius Seir pater Horræorum, qui ante Esau habitavit in Idumæa. Vide Gen. XXXVI. 20.

V. 43. IMPERAVERUNT, scilicet cum diademate, & regiis insignibus. Vide dicta Genes. XXXVI. num. 15. IN TERRA EDOM, in Idumæa. BALE FILIUS BEOR. Non est hic Balaam ariolus, cuius mentio est Numer. XXII. 5. licet nomen patris conveniat: nam Bale, cuius hic mentio fit, erat Idumæus; ariolus vero ille erat ex Mesopotamia, ut patet ex Deuteron. XXIII. 4.

V. 44. IOBAB. Hunc plerique putant esse Iob virum illum patientissimum. Vide Pinedam cap. 1. Iob ad versiculum primum, & Bonfrerium Genes. XXXVI. DE BOSRA, quæ erat ex præcipuis Idumææ urbibus. Vide Adrichomium in tribu Manasse num. 23. & Pinedam loco citato.

V. 45. DE TERRA THEMANORUM. Theman erat metropolis Idumææ. Vide Adrichomium in Pharan num. 103.

V. 46.

V. 46. PERCUSSIT MADIAN. Vel Madianitas intelligit, vel urbem Madian, ut vult Abulensis, & Glossa ordinaria. De Madian civitate Adrichomius in Pharan num. 56.

V. 48. SAUL DE ROHOBOTH, QUAE IUXTA AMNEM SITA EST. Gen. XXXVI. 37. dicitur *Saul de fluvio Rohoboth*. Fortasse idem nomen urbi fuit, & fluvio. Aliqui *Rohoboth* putant esse nomen appellativum, quod planities, sive latitudines significat, & interpretantur de planitie aliqua, quæ amni esset vicina. Vide dicta Gen. x. 11.

V. 50. APPELLATA EST UXOR EIUS, &c. Nomen uxoris, & matris uxoris, & aviæ memoratur, quod in aliis Regibus proxime numeratis factum non est. Oportuit aliquid eximium in his mulieribus fuisse. Vide quæ sequuntur. FILIAE MEZAAB. Si vocem Hebraicam interpreteris, idem est ac *filiæ cuius est aurum*. Itaque putat Lyranus divitem admodum fuisse mulierem hanc, ideoque eius mentionem factam. Quidam Rabbini apud Abulensem existimant ideo vocatam *Mezaab*, id est *cuius est aurum*, quod prima invenerit artem aurum in fila ducendi. Simplicius & verius est nomen esse proprium.

V. 51. DUCES PRO REGIBUS. Vide dicta Genes. XXXVI. 15. DUX THAMNA, &c. Videntur esse locorum nomina, in quibus imperaverint, ut sentiunt aliqui apud Lyranum, & Abulensem.

TIRINI.

Vers. 4. NOE, supple genuit, SEM, CHAM, ET IAPHETH. Nota ex sancto Hieronymo, Iosepho, Oleastro, Aria, Cornelio a Lapide, Emanuele Sa, & aliis, a Iaphethi primogenito GOMER prognatos Comaros sive Cimbros, qui nunc Dani & Holsatii dicuntur. A MAGOG, Getas & Massagetas. A MADAI, Medos. A IAVAN, Ionas & reliquos Græcos. A THUBAL, Iberos, seu Tiberos, qui in Asia sunt iuxta Pontum Euxinum: ex quibus orti, & colonia traducta propagati sunt Iberi Europæi, seu Hispani. Ex MOSOCH sunt Mosci. Ex THIRAS, Thraces.

V. 6. Ex ASCENEZ, orti sunt Ascanii seu Tuiscones, id est Germani. Ex RIPHATH, Riphæi & Paphlagones. Ex THOGORMA, Phryges, seu Turcæ.

V. 7. Ex ELISA, AEoles. Ex THARSIS, Cilices: & etiamnum Ciliciæ metropolis Tharsus vocatur, patria Apostoli Pauli. Ex CETHIM, Cyprii & Cretenses. Ex DODANIM, Dodonæi in Chaonia, regione Epiri, ubi olim Iovis Dodonæi oraculum fuit omnium apud Græcos vetustissimum. Sed forte legendum *Rodanim*, a quo Rhodii processerint, & ita vertunt Septuaginta *a*, & explicant Hieronymus, & Isidorus.

V. 8. Ex CHUS, AEthyopes. Ex MESRAIM, AEgyptii. Ex PHUT, Afri. Ex CHANAAM, Chananæi.

V. 9. Ex SABA, per samech, Sabæi in Arabia Felici. Ex *Saba*, per scin, Sabæi AEthyopiæ. Ex HEVILA, Indi. Ex SABATHA, Sabatheni: & sic de ceteris. Has omnes generationes ordine digestas habes in nostro Chronico cap. XLVI.

V. 10. De NEMROD, vide dicta Gen. x. 8. Porro

V. 19. IN DIEBUS *Thaleg* (quod divisionem significat) DIVISA EST TERRA. Præviderat enim sanctus parens eius *Heber*, tempore filii sui *Phaleg*, divisum iri linguas, & gentes. Unde non ait Scriptura, divisionem hanc factam in ortu *Phaleg*, sed in diebus eius, seu in decursu vitæ illius, nempe regnante, & turrim Babel moliente Nemrodo. Ita S. Augustinus, Diodorus Tarsensis, Lyranus, Pererius, & alii.

V. 32. CETURAE CONCUBINAE ABRAHAM; id est, uxoris legitimæ quidem, sed minus principalis. Hæ ducebantur sine solemni apparatu, & dote: neque ad illas spectabat administratio familiæ, neque ius hereditatis competebat illarum filiis, ut dixi Genes. XXV. vers. 6.

V. 36. THAMNA AMALEC. *Thamna* genitivi casus est: quia Genes. XXVI. 12. dicitur, *Eliphaz de Thamna concubina sua genuisse Amalec*.

V. 38. SEIR. Non est hic Esau (licet etiam ipse hoc nomine vocatus fuerit) neque filius Isaaci: sed ex alia gente Horræus, quia ante Esau Idumæam tenuit: cuius genealogia describitur Genes. XXXVI. vers. 20. Et hic mentio fit illius, tantum ut innotescat Thamnæ genus, ex qua processit Amalec.

V. 43. ISTI qui sequuntur, SUNT RE-

Reges qui imperaverunt in terra Edom, cum titulo & diademate regio, antequam esset Rex super filios Israel; id est, antequam in Israele constitutus esset aliquis cum titulo Regis: nempe diu ante tempora Saulis. Sicut enim inter Israelitas primum fuerunt Duces seu Iudices usque ad Saulem: dein Reges a Saule, usque ad captivitatem Babylonicam: exinde rursus Duces, a Zorobabele usque ad Machabæos, ita etiam in Idumæa republica, ut constat ex Genes. xxxvi. primum fuerunt Duces, usque ad Bale: dein Reges, a Bale usque ad mortem secundi Adad: tum rursus, mutata reipublicæ forma, Duces successerunt.

V. 44. Pro Bale, primo Idumæorum Rege, regnavit Iobab, seu Iob, filius Zare: non ergo hereditaria regni successione, sed vel electitia, vel iure belli parta. Porro hunc Iobab eumdem esse cum Iobo illo patientiæ typo, docui Genes. xxxvi. 4. Licet ergo Esau non Rex, sed dux solummodo fuerit, pronepos tamen illius, Iob (qui erat filius Zaræ, filii Raguel, filii Esau) regiam dignitatem obtinuit.

(a) Septuaginta in Gen. x. vers. 4. & alii ibid.

GORDONI.

Vers. 43. Fit mentio Regum qui regnarunt in Edom antequam esset Rex super Israel, seu ante tempora Saulis. An vero Esau ipse Idumæorum parens (& a quo nomen illi impositum est provinciæ) fuerit ibi ut Rex, incertum est.

V. 44. Regnavit pro eo Iobab. Aliqui hunc putant esse Iob. Alii putant Iob ortum ex Nachor, & cognatum proinde Abrahami. Ita Hieronymus in Tradit. Sed de Iobi tempore, vide ad initium libri Iob. Ceterum Iobab, de quo in præsentia, pronepos fuit Esau, unde apparet fuisse Idumæum quidem, sed diu ante Mosen.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Adam, scilicet genuit Seth, & hic genuit Enos. In his etiam qui insequuntur, idem intellige.

V. 5. & 24. De his vide Genes. x.

V. 27. Iste est Abraham. Emphasis.

V. 32. Concubinae, uxoris secundariæ.

V. 38. Seir. Hic ante Esau habitavit in Edom. Est hoc probabilius.

V. 44. Bosra urbs Idumææ in tribu Manasse, ex Adrichomio.

V. 45. Theman, metropolis Idumææ.



CAPUT II.

Genealogia Iudæ Patriarchæ usque ad Isai patrem David, fratrumque ac sororum eius.

1. Filii (a) autem Israel: Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar, & Zabulon. 2. Dan, Ioseph, Beniamin, Nephthali, Gad, & Aser. 3. Filii (b) Iuda: Her, Onan, & Sela: * hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autem Her primogenitus Iuda, malus coram Domino, & occidit eum. 4. Thamar autem nurus eius peperit ei Phares & Zara: omnes ergo filii Iuda, quinque. 5. Filii autem Phares: Hesron & Hamul. 6. Filii quoque Zaræ: Zamri, & Ethan, & Eman, * Chalchal quoque, & Dara, simul quinque. 7. Filii (c) Charmi: Achar,

Achar, qui turbavit Israel, & peccavit in furto anathematis. 8. Filii Ethan: Azarias. 9. Filii (*d*) autem Hesron qui nati sunt ei: Ieramcel, & Ram, & Calubi. 10. Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Iuda. 11. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz. 12. Booz vero genuit Obed, qui & ipse genuit Isai. 13. (*e*) Isai autem genuit primogenitum Eliab, * secundum Abinadab, tertium Simmaa, 14. quartum Nathanael, quintum Raddai, 15. sextum Asom, septimum David, 16. quorum sorores fuerunt, Saruia, & Abigail. Filii Saruiæ: Abisai, Ioab, & Asael, tres. 17. Abigail autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismahelites. 18. Caleb vero filius Hesron accepit uxorem nomine Azuba, de qua genuit Ierioth: fueruntque filii eius, Iaser, & Sobab, & Ardon. 19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata: quæ peperit ei Hur. 20. Porro Hur genuit Uri: & Uri genuit Bezeleel. 21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub. 22. Sed & Segub genuit Iair, & possedit viginti tres civitates in terra Galaad. 23. Cepitque Gessur, & Aram, oppida Iair; & Canath, & viculos eius sexaginta civitatum: omnes isti, filii Machir patris Galaad. 24. Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata. Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ. 25. Nati sunt autem filii Ieramcel primogeniti Hesron, Ram primogenitus eius, & Buna, & Aram, & Asom, & Achia. 26. Duxit quoque uxorem alteram Ieramcel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam. 27. Sed & filii Ram primogeniti Ieramcel, fuerunt Moos, Iamin, & Achar. 28. Onam autem habuit filios, Semei, & Iada. Filii autem Semei: Nadab, & Abisur. 29. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, & Molid. 30. Filii autem Nadab fuerunt, Saled, & Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis. 31. Filius vero Apphaim, Iesi: qui Iesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai. 32. Filii autem Iada fratris Semei: Iether, & Ionathan. Sed & Iether mortuus est absque liberis. 33. Porro Ionathan genuit Phaleth, & Ziza. Isti fuerunt filii Ieramcel. 34. Sesan autem non habuit filios, sed filias; & servum AEgyptium nomine Ieraa. 35. Deditque ei filiam suam uxorem: quæ peperit ei Ethei. 36. Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad. 37. Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed, 38. Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariam, 39. Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa, 40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, 41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama. 42. Filii autem Caleb fratris Ieramcel: Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph: & filii Maresa patris Hebron. 43. Porro filii Hebron, Core, & Taphua; & Recem, & Samma. 44. Samma autem genuit Raham, patrem Iercaam, & Recem genuit Sammai. 45. Filius Sammai, Maon: & Maon pater Bethsur. 46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Gezez. Porro Haran genuit Gezez. 47. Filii autem Iahaddai, Regom, & Ioathan, & Gesan, & Phalet, & Epha, & Saaph. 48 Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana. 49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia vero Caleb, fuit Achsa. 50. Hi erant filii Caleb, filii Hur, primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathiarim, 51 Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader. 52. Fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum. 53. Et de cognatione Cariathia-

iarim, Iethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, & Esthaolitæ. 54. Filii Salma, Bethlehem, & Netophathi, Coronæ domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai. 55. Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, Canentes atque Resonantes, & In tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

(a) Genes. xxix. 32. xxx. 5. 35. (b) Genes. xxxviii. 3. xlvi. 12. Inf. iv. 1. Matth. 1. 3. (c) Iosu. vii. 1. (d) Ruth iv. 19. (e) I. Reg. xvi. 10. xvii. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *His tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide.* Scribendus est sextus casus *Chananitide*, non secundus *Chananitidis*.

V. 6. *Chalchal quoque, & Dara.* Vocem quadrilitteram *Dara*, non augeas *d* quinta littera, *Darda*.

V. 15. *Secundum Abinadab.* Non scribas *Aminadab*, pro *Abinadab*, id est *m* liquidam pro *b* muta.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 3. SUE. Nomen est viri.

Vers. 7. CHARMI. Vide Iosue VII.

V. 9. RAM. Matth. 1. dicitur *Aram*. CALUBI: dicitur alias *Caleb*.

V. 15. SEPTIMUM. Habuit & octavum, sed adoptivum.

V. 17. ISMAHELITES, scilicet habitatione, vel origine. Vide II. Reg. XVII. 18.

V. 18. ACCEPIT, &c. Hebr. indicatur genuisse Azuba mulierem, & Ierioth virum. LXX. vero, accepisse duas uxores, scilicet Azuba, & Ierioth. FUERUNTQUE, scilicet præter Ierioth, si tamen id est viri nomen. EIUS, scilicet Azubæ, seu uxoris, ut patet ex Hebr.

V. 21. PATRIS GALAAD, id est principis regionis Galaad.

V. 22. POSSEDIT, scilicet Iair, de quo Iudic. X.

V. 23. CIVITATUM, pro civitates, seu oppida. ISTI, scilicet vici. FILII, pro filiorum, id est nepotum. Ita quidam: at LXX. dicunt, istos fuisse filios Machir, ut Noster. Est quidem hic versus, & sequens Hebr. aliquanto aliter quam Noster vertit, secutus LXX.

V. 24. PATREM THECUAE, id est eius urbis principem.

V. 34. NON HABUIT FILIOS: scilicet mortui fuerant patre vivente, nam supra dicitur eius filius Oholai, nisi forte id est nomen feminæ.

V. 41. PATER, id est princeps, sic inf. ET FILII MARESA; pro, & filiorum Maresa, scilicet princeps.

V. 52. QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. Hieron. I. cont. Pelag. ait prophetasse ex dimidio, id est non perfecte. Hebr. *Roeh Chatsi Menuchoth*: quæ secundum LXX. sunt nomina propria.

V. 53. EGRESSI, scilicet generatione, scilicet geniti, vel colonia deducta.

V. 54. CORONAE; quasi dicat, Principes. Hebr. *Areroth*, quod LXX. acceperunt ut nomen proprium, ut & sequentia, scilicet *Beth Ioab Chatsi Manachti Atsorhi*.

V. 55. SCRIBARUM, id est iurisperitorum. CANENTES, &c. Hebr. *Tirbathim*, *Scimhatim*, *Suchatim*, quæ LXX. accipiunt ut nomina propria. CALORE PATRIS. Hebr. & LXX. *Hemath patre*. DOMUS, id est familiæ. RECHAB, id est Rechabitarum. Vide Ierem. XXXV.

ESTII.

Vers. 13. ISAI AUTEM GENUIT PRIMOGENITUM ELIAB, SECUNDUM ABINADAB .... SEPTIMUM DAVID. Legimus I. Reg. XVI. quod Isai adduxerit septem filios suos coram

ram Samuele, & tunc dixerit Samuel ad Isai: *Non elegit Dominus ex istis*: videlicet quia David non erat ex septem illis, ut qui postea fuerit adductus. Itemque cap. XVII. diserte dicitur, Isai habuisse octo filios. Quæritur ergo quomodo hic tantum numerentur septem filii Isai, & septimus inter eos David? Hanc apparentem repugnantiam tollunt Hebræi, & alii eos sequentes, quod Isai tantum habuerit septem filios naturales, & ex ipso immediate genitos, quorum ultimus sit David. At vero quando octo esse dicuntur eius filii computari inter eos etiam Ionadab filium Samma fratris David, quem Isai in filium suum adoptaverit. Nec incongruum videtur etiam hunc ab Isai Samueli ad regnum oblatum fuisse. Nam idem II. Reg. XIII. vocatur vir prudens valde. Unde Isai suspicari potuit eum ad regnum fore idoneum, ut propterea eum quoque cum ceteris filiis adduxerit.

V. 18. CALEB VERO FILIUS HESRON, &c. Fuit hic Caleb diversus a Caleb filio Iephone, de quo sæpius in libris Numerorum, Iosue, & Iudicum, de quo etiam infra cap. IV. huius libri. Atque adeo Caleb, de quo hic sermo est, vocatur etiam Calubi, seu Calubai, hoc eodem capite paulo superius. Vide quoque Annot. Exodi XXXI.

V. 52. FUERUNT AUTEM FILII SOBAL PATRIS CARIATHIARIM, QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. Quædam exemplaria habent *dividebat*; sed male: nam & Hebræa, & omnia mss. habent *videbat*. Quidam sic exponunt, ut Sobal vidisse dicatur dimidium requietionum, quia postquam Moyses dedit duabus tribubus, & dimidiæ, suas possessiones ultra Iordanem tunc mortuus est, priusquam ceteræ tribus suas accepissent possessiones, & ita viderit tantum dimidium quietis populi Israel. Sed convenientior videtur aliorum interpretatio, quibus illud *Requietionum* est nomen loci, Hebraice *Manahat*. Et sensus tunc est: Qui videbat, id est superintendebat, seu curam gerebat, princepsque erat dimidii loci, qui vocabatur *Manahat*. Itaque hoc loco videre seu contemplari significabit, esse præfectum seu principem, quia principis est, subditorum suorum mores & vitam contemplari. Unde & rectissime principes Ecclesiæ de quibus dicitur, *Constitues eos principes super omnem terram*, appellantur Græco nomine Episcopi, id est inspectores, quia ad eorum munus pertinet gregis sui vitam, & conversationem diligenter intueri. Interim Hieronym. Lib. I. contra Pelag. capite ultimo hunc locum sic allegat: *Fuerunt filii Sobal, patris Cariathiarim qui prophetabat ex dimidio. Atque illud quod sequitur vers.* 54. *Filii Salma patris Bethlehem & Netophathi, corona domus Ioab, qui prophetabant ex dimidio Zarai*. Ac deinde subiungit: *Similiter utique sancti erant, qui prophetabant, & tamen perfectam non meruerunt accipere prophetiam, nequaquam de futuro secundum tropologiam, sed in præsentiarum iuxta historiam prophetantes*. Sic ille, quasi interpretans quid sit videre seu prophetare ex dimidio. Tamen nec Hebræa, nec Septuaginta habent eam phrasim, prophetare ex dimidio, nisi forte hodie alia sit lectio codicum Septuaginta.

MARIANAE.

Vers. 1. RUBEN, SIMEON. In hoc numero filiorum Iacob videtur sequi ordinem ætatis, nec tamen omni ex parte consentit cum ordine posito Gen. XXXV. vers. 23.

V. 3. FILII IUDA. Hi primo loco ponuntur, quod Reges ex hac posteritate fuerint, tum præsertim Christus Servator. NATI SUNT EI DE FILIA SUE. Pater is uxoris Iudæ. MALUS CORAM DOMINO, id est vehementer: modus loquendi Hebræis familiaris. Quis is? Her Iudæ primogenitus.

V. 7. FILII CHARMI. Quorsum hic *filii Charmi?* nimirum ex Iosue VII. I. *Charmi* fuit filius Zamri, (ut hic scribitur, in Iosue *Zabdi*) nepos Zaræ, pronepos Iudæ. Porro qui in Iosue vocatur *Achan*, hic vocatur *Achar* per Haiim ab effectu, quoniam anathematis contactu turbavit populum. *Hachar*, *turbare* significat. Et hic dicitur *Achar*, qui turbavit Israel.

V. 9. RAM. Hic *Aram* est Matth. I. ET CALUBI. Hic est *Caleb* filius Hesron, nepos Phares.

V. 11. SALMA. In Ruth, & Evangelio, *Salmon*.

V. 13. ISAI AUTEM. Hebr. additur

א *aleph* initio eius vocis, qua additione ait Hebræus significari *virum fortem & nobilem*, quomodo ubi legimus vers. 15. *septimum David*, vox Hebr. significans *septimum*, habet Iod redundans, quod ad Davidis gloriam ostendendam pertinere ait. Porro quare in Libris Regum Isai octo filii tribuantur, hic septem, suo loco est dictum.

V. 16. ABISAI, IOAB. Multa ex hoc Libro intelliguntur, quæ alioqui laterent. Inter alia, Abisai maiorem esse Ioab utrumque ex Davidis sorore Saruia natos. De patre eorum hic nihil.

V. 17. ABIGAIL AUTEM GENUIT AMASA. Hunc Absalom constituit militiæ magistrum II. Reg. XVII. 25. nempe amitinum suum, quia Abigail eius mater fuit, soror Davidis. Pater eius *Iether Ismahelites* hic vocatur, in Lib. Regum *Iesraelita*. Fuit ergo incolatu Ismaelita, non genere.

V. 18. ACCEPIT UXOREM NOMINE AZUBA, scilicet Caleb: sic etiam Sept. locus difficilis. Heb. *Genuit Azubam mulierem*. Sic Pagn. vertit. Vatablus credit *Issach* (id est *mulierem*) esse nomen proprium alterius filiæ Caleb. Mihi Hieronymi, & Sept. versio magis placet, & verbum Hebr. *holid*, quippe ex coniugatione Hiphil, verto sic: *Caleb filius Hesron generare fecit Azubam uxorem*; id est, illi iunctus est. Verum quod sequitur, DE QUA GENUIT IERIOTH, maiori implicatur difficultate. Sept. *Accepit uxorem Azubam & Ierioth*. Sic videntur Ierioth facere nomen alterius uxoris, & simul utramque habuisse. Hebr. tantum est, *Genuit Azubam uxorem & Ieriotb*, & regitur a verbo *holid*; id est, ut nos accipimus, generare fecit, iunctus est illi. Sed Ierioth nullos filios dat, nec eam uxorem vocat: fortasse erat concubina. David Kimhi explicat: Genuit Azubam, & Ierioth, id est ex Azuba, & Ierioth: את *eth* enim pro מן *min* sumit, nec sine exemplo, Exod. IX. 29. & aliis locis. FUERUNTQUE FILII EIUS, scilicet Azubæ, propter affixum femininum Iaser, & Sobab, & Ardon.

V. 19. QUAE PEPERIT EI HUR. Num hic Mariæ sororis Moysis maritus? Hieronymus in Tradit. ait. Ratio temporum non satis consentit, ut Calebi filius duxerit Mariam Moyse natu maiorem: Aut credam potius diversum esse. Tum hic Caleb prior illo fuit qui terram promissionis est ingressus, quando hic fuit filius Hesron, ille Iephone. Et ratio temporum id evincit.

V. 20. URI GENUIT BEZELEEL. *Bezeleel* tabernaculi constructor præcipuus, Uri filius fuit, nepos Hur, Exod. XXXVIII. 22. Verum quomodo potuit is Calebi pronepos esse, ut hic dicitur, certe ex numero colligitur. Vero propius hunc *Bezeleel* diversum ab illo; nec mirum, patrum, & avorum nomina in utroque consentire.

V. 21. PATRIS GALAAD. *Pater* pro principe ponitur sæpe in hoc cap. Machir filius Manasse nepos Ioseph, cui Moyses dedit terram Galaad Numer. XXXII. 40. Unde Iair abnepos eius facultatem habuit possidendi multas ibi urbes, quæ vocatæ sunt Villæ Iair. Inter alias Gessur, & Aram, & Canath.

V. 23. OMNES ISTI, FILII MACHIR. Vel quia Gessur, &c. erant nomina filiorum Machir, a quibus eæ urbes illa acceperunt nomina. Vel, ut Vatablus, dicatur, *Omnes istæ* (scilicet urbes) *filiorum Machir*, quam versionem Hebr. voces admittunt: resistunt versiones Sept. Hieronymi, & Pagnini, qui vertunt, *Omnes isti, filii*.

V. 24. CUM AUTEM MORTUUS ESSET HESRON, INGRESSUS EST CALEB AD EPHRATA. Hoc Hieronymus ex Sept. sumpsit: nam Hebr. tantum est, mortuum esse Hesron in Caleb Ephrata, nomen id urbis, dictæ sic a secunda uxore Caleb, & ab ipso simul. Ratio discriminis, quia pro *be* præpositione, id est *in*, Sept. legerunt *ba*, id est *ingressus est*.

V. 34. SESAN AUTEM NON HABUIT FILIOS, qui a morte eius superessent: nam Oholai, qui filius eius dicitur vers. 31. ante patrem utique obiit.

V. 42. FILII AUTEM CALEB. Iam plures Caleb filios exposuerat, nunc redit ad alios ex alia, ut videtur, uxore præter Azubam, & Ephratam, de quibus superius. PATER ZIPH, id est princeps oppidi sic dicti, fuit Mesa. ET FILII MARESA. Alii vertunt, *Et filiorum Maresa*, id est civium oppidi sic dicti, fuit Mesa princeps. PATRIS HEBRON. Alii, *Pater Hebron*. Si sic, vox *pater* non sumitur

mitur pro principe Hebron oppidi, quoniam mox filii Hebron designantur.

V. 49. PATER MADMENA. *Patrem* alii *Madmena* vertunt, id est principem oppidi sic dicti. Sept. sic habent, & mox sequitur: SUE PATREM MACHBENA, ET PATREM GABAA. Hanc urbem Vatabl. ait esse aliam ab ea quæ erat in tribu Iuda. Unde id? FILIA VERO CALEB, FUIT ACHSA. Hinc suspiceris hunc esse Caleb, qui promissionis terram vidit, sed propius vero, utrumque *Caleb* habuisse filiam eo nomine.

V. 50. FILII CALEB. Abulensis *filios* hic pro nepotibus sumit. Ergo qui sequuntur, posteri sunt Caleb, & filii Hur primogeniti, aut potius unigeniti Caleb ex Ephrata.

V. 52. VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. *Videbat*, pro dominabatur. *Requietionum*, tractus terræ, sic dictus fortasse a fertilitate, cuius dimidium Sobal tenuit, ut hic dicitur.

V. 54. CORONAE DOMUS IOAB; id est, præcipui in illa familia fuere Bethlehem, & Netophathi. DIMIDIUM REQUIETIONIS SARAI; id est, dimidium tractus, cui a requietione nomen, ubi Saraitæ habitabant, ad eorum ius pertinebat, de quibus agit.

V. 55. COGNATIONES QUOQUE SCRIBARUM, Iurisperiti. In Iabes erant publicæ scholæ, ubi dabatur opera litteris. CANENTES ATQUE RESONANTES, ET IN TABERNACULIS COMMORANTES. Alii, ut nomina familiarum propria, ipsa Hebr. verba relinquunt, *Tirahthim*, *Simhatim*, *Suchathim*, scilicet sectæ scribarum tres. Sic etiam posuerunt Sept. VENERUNT DE CALORE PATRIS. Sept. & alii *de Hamath patris*, seu *patre domus Rechab*. Itaque Hamath fuit princeps Rechabitarum. Vox etiam *Calore* quasi nomen proprium littera maiuscula initio scribitur in nostra Vulgata. Porro Rechabitæ a vino abstinebant, & alia multa observabant, Ierem. XXXV. 6.

MALVENDAE.

Vers. 1. FILII AUTEM ISRAEL, RUBEN, &c. Vide Genes. XXXV. 22. & seqq.

V. 3. FILII IUDA, HER, &c. Vide historiam huius, & sequentis versus Gen. XXXVIII. Notant, ab ipso Iehudah, in præcipuam iuris primogeniti partem divinitus assumpto, incipere hic generis Patriarcharum recensionem, propter regiam successionem, & Christi ex eo originem. Vide Genes. XLIX. 8.

V. 4. PEPERIT EI, scilicet *Iehudæ Phares*, vel *Pheretz*, qui Hero in ius primogenitorum successit, veluti a patre Iehudah excitatum semen.

V. 5. FILII AUTEM PHARES, &c. Vide Genes. XLVI. 12.

V. 6. ZAMRI. Hebr. *Zimri*. Hic Iosue VII. 1. appellatur *Zabdi*: hunc proprie filium Zerach fuisse, ex illo loco Iosue statuunt. ET ETHAN, ET EMAN, CHALCHAL QUOQUE, ET DARA. Hos non proprie filios Zerach, sed in posteris eius fuisse autumant, nec proxime ab eo natos: nam dicuntur filii Macholis, I. Reg. IV. 31. Quid si eo loco Machol sit ipse Zerach, utpote binomius? Vide Comm. in eum locum ex I. Reg. *Dara*. Hebr. *Daragh*, I. Reg. IV. 31. vocatur *Dardagh*.

V. 7. FILII CHARMI: ACHAR, &c. Quidam hunc locum ita concipiunt: *Et filii* Zimri, *Charmi*, nepos *Hacar*, &c. nimirum ex Iosue VII. 1. alioqui non hic exprimeretur filius Zimri Charmi, ut revera fuit. *Achar*. Hebr. *Ghachar*. Iosue VII. vocatur *Ghacham*; sed hic mutatur Nun in Resch, ut nomine ipso alludatur ad turbatoris facinus. Vide Iosue VII. 25.

V. 9. RAM. Sic etiam appellatur Ruth IV. 19. sed a LXX. utroque loco, & a Matthæo cap. 1. vers. 3. *Aram* dicitur. CALUBI, vel *Chelubai*. Recte monent, hunc ipsum esse qui inferius vers. 18. appellatur *Caleb* filius Chetzronis, ut etiam hic *Celubai* dicitur filius Chetzronis, atque infra cap. IV. vers. 1. vocatur *Carmi*. De hoc versu, & tribus sequentibus vide quoque Ruth IV. 18. & seqq.

V. 13. SIMMAA. Hebr. *Simghah*, qui I. Samuel. XVI. 9. nuncupatur *Samah*.

V. 17. IETHER. II. Samuel. XVII. 25. nuncupatur *Iithra*. ISMAELITES. Vide II. Samuel. XVII. vers. 25.

V. 18. CALEB VERO FILIUS HESRON. Puerile fuerit monere, hunc Calebum diversum fuisse ab altero illo Calebo filio Churis primi huius Calebi nepote, de quo infra vers. 50. & ab alio illo Iephuneh socio Iehosuæ: nam hic vetustior

 mul-

multo illis fuit, unde primus Caleb appellatur. Observant, hic non institui ex professo recensionem generis huius Calebi primi: nam ea habetur infra vers. 24. sed tamen ostendi quam efficax erat Dei benedictio ad vegetandam in AEgypto senectutem Chetzronis, ac proinde ad Israelitas multiplicandos. ACCEPIT UXOREM NOMINE AZUBA, DE QUA GENUIT IERIOTH. Hebr. *Genuit Hazubah viram*, *& Ieriotb*. Quidam verbum הוליד *bolid* transitive in tertium accipiunt, *generare fecit*; id est, accepit uxorem ex qua liberos procrearet: vel *parere fecit Hazubam uxorem* suam, *& etiam Ieriotham* accepit uxorem, seu parere fecit: quasi duas vel simul, vel successive habuerit uxores, seu concubinas, ex quibus filios sustulerit. Alii reddunt: *Genuerat ex Hazuba uxore*, *& ex Ieriotha*. Nam particulam Hebraicam את *eth* interdum sumi pro מן *min*, *de*, *ex*, *a*, *ab*, Lexica tibi multis exemplis ostendent. Sensum Nostri recte stare posse, non est dubium. *Ieriotb* ambiguum est ad nomen viri, seu mulieris. FUERUNTQUE FILII EIUS. Pronomen *eius* femineum est, unde non ad Calebum, sed ad Hazubam, vel Ierioth referendum: quidam ad proximum antecedens *Ieriotham* referunt, unde reddunt: *Huius filii erant*, *Ieser*, &c. Siquidem filios Hazubæ, seu posteros, recenseri volunt infra vers. 42. & seqq.

V. 19. EPHRATA. Hanc putant dedisse nomen urbi Bethlehem, quæ dicta quoque fuit Ephratha, nimirum ab ista uxore primi Calebi: sed ego potius existimo iam hoc nomen sub patriarcha Iahakobo habuisse, nimirum a copia fructuum, quasi dicas *Carpophoram*. Vide in Genes. XXXV. 19.

V. 20. PORRO HUR GENUIT URI, &c. De hoc vers. vide Exodi XXXI. vers. 2.

V. 21. AD FILIAM MACHIR. Exponunt: Ex qua nimirum Iair filius Segubi, nepos Chetzronis, infra vers. 22. filius quoque Menaseh appellatus est, Numer. XXXII. 41. & ratione hereditatis inter Menassitas accensus. Vide Comment. in eum Numeror. locum. PATRIS GALAAD. Non quod ipse primum vel fundaverit, vel incoluerit montem seu regionem Ghilhadis; sed quod in Ghilhade vir ingens magnarum opum, ac clientelarum fuerit, multas urbes in ea obtinuerit, & quasi instaurator ac princeps totius regionis extiterit. Vide in Genes. XXII. 21. & XXXV. 19. Sic nomen patris accipitur infra vers. 23. 24. 42. 44. 45. 49. 50. 51. & 55.

V. 23. CEPITQUE GESSUR, ET ARAM, OPPIDA IAIR; ET CANATH, ET VICULOS EIUS SEXAGINTA CIVITATUM. Hanc partem Hebraice, ut Latine, ambiguam diverse accipiunt. I. *Cepit vero Gesur*, *& Aram oppida Iair ab eis*, *Cenath*, *& viculos eius*, *sexaginta civitates*; id est, ceperunt Gessuræi, & Aramæi, seu Syri oppida Iairi ab illis, nempe filiis Iairi incolis eorum, &c. quæ postea recepit David, II. Samuel. VIII. II. *Et accepit Geschure*, *& Syro villas Iairis ab eis*: vel, *Nam accepit ab ipsis Geschuræis & Syris villas Iairis*, *cum Kenatha & villis eius sexaginta civitates*. Erat enim Ghilhad pars Geschuris, atque adeo Syriæ. Vide Numer. XXXII. 41. & 42. De Gessur vide Deuter. III. 14. & II. Samuel. III. 3. & XV. 8. De Canath vide Num. XXXII. 42. OMNES ISTI FILII MACHIR, PATRIS GALAAD. Hebr. varie accipiunt. I. *Omnes istæ* sunt urbes *filiorum Machir patris Gilhad*. II. *Hæc omnia ceperunt filii Maciris patris Gilbadis*. Sed sensus Nostri recte constabit, quod Segub, & Iair fuerint dicti filii Machiris, quod ex filio eius prognati, & quod eidem accensi fuerint ob hereditatem. Vide supra vers. 21. & Numer. XXXII. 41.

V. 24. CUM AUTEM MORTUUS ESSET HESRON, INGRESSUS EST CALEB AD EPHRATA. Hebr. *Et post mortem Chetzronis*, *in Caleb-Ephratam*. Volunt *Caleb-Ephrathah* nomen esse unius & eiusdem urbis, quæ a viro simul & uxore dicta sit *Caleb Ephrathah*; ac si dicat: Postquam mortuus est Chetzron in ipsa urbe Caleb Ephratha, videlicet Beth-lehem. Alii: *Etiam post mortem Chetzronis*, *cum Caleb ad Ephratham accessisset*, vel *cum duxisset Caleb Ephratham*. PATREM THECUAE, vel conditorem, vel principem urbis Thekoagh: de qua vide II. Samuel. XIV. 2. Aliqui, *Patrem Thekoæorum*.

V. 25. ET ACHIA. Hebr. sine coniunctione, *Achiiah*. Quidam reddunt, *Ex Achiiah*, ut sit nomen feminæ uxoris Ierachmeelis, quod non displicet, ex versu sequente.

V. 31.

V. 31. PORRO SESAN GENUIT OHOLAI. Hebr. *Et filii Sesanis, Achlai*: volunt *Achlai* nomen esse mulieris filiæ Sesanis, quæ nupserit Iarchaho, inf. vers. 35. Unde hic vertunt, *Et filia Schescbanis, Achlai*. Nam quod Hebr. in plurali masculeo dicitur, *Et filii Sesanis, Achlai*, notant esse synecdochice dictum; quasi dicat: Quidquid habuit liberorum Sesan, unica fuit filia Achlai. Vide infra vers. 35. Alii volunt Achlai filium fuisse.

V. 34. NON HABUIT FILIOS. Exponunt: Quia mortuus fuit Achlai antequam generaret filios. Alii vere non habuisse filios, sed filiam Achlai, accipiunt, quod est rectius. Vide vers. 31. SED FILIAS. Synecdochice dictum, pro *sed* unicam filiam Achlaiam, sup. vers. 31. Sic Genes. XXI. 7. & XLVI. 7.

V. 35. FILIAM SUAM, Achlaiam, de qua supra vers. 31.

V. 36. ZABAD, de quo vide inf. cap. XI. vers. 41.

V. 42. FILII AUTEM CALEB primi, de quo supra vers. 18. qui dictus est Celubai, supra vers. 9. Notant, hic brevitatis causa reticeri filios eius, qui numerati fuerunt supra vers. 18. MESA PRIMOGENITUS EIUS. Intelligunt, primæ uxoris eius Hazubæ filius, sup. vers. 18. IPSE EST PATER ZIPH. De *Ziph*, vide Iosue XV. 24. & 55. Quidam hic reddunt: *Ipse pater fuit Ziphæorum*. PATRIS HEBRON. Ab hoc Hebrone volunt plerique factum nomen celebri urbi Hebroni. Eusebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Chebron primum Arbee, postea a Chebron uno filiorum Caleb sortita vocabulum est. Lege Verba Dierum*. Verum existimant alii, cum huius primi Calebi, ac filiorum, nepotumque eius tempora videantur antecessisse ingressum filiorum Israelis in terram promissam, non fieri verisimile, ab isto Hebrone nepote, ut videtur, primi Calebi, inditum Hebroni urbi nomen: siquidem apparet hunc Hebronem vel in AEgypto, vel in deserto diem suam clausisse, nec umquam vidisse Chanahanæam. Mihi quidem non penitus videtur absurdum, Hebronem pronepotem Chetzronis potuisse ingredi Chanahanæam; sed quod is nomen suum celebratæ urbi dederit, Eusebio, & S. Hieronymo affirmantibus, nec dare, nec derogare fidem ausim. Vide Iosue XIV. 15.

V. 44. PATREM IERCAAM. Hebr. *patrem Iorkegham*. Quidam conditorem, vel principem oppidi Iorkegham, quod in tribu Iudæ fuisse divinant. Alii verum patrem huius filii Iorkeghami intelligunt.

V. 45. PATER BETHSUR. Hebr. *Beth-Tzur*, id est conditor, vel princeps *Beth-Tzuris* oppidi, seu urbis fortis Iehudæ, de quo vide Iosue XV. 58. Quidam, *Pater fuit Beth-Tzuritarum*. Scaliger reddit, *Pater domus*, seu *familiæ Tzuritarum*. De hoc versu, reliquisque huius capitis, si videbitur, lege Scaligerum in Elencho Trihæresii, cap. XXIII. & XXIV. & Serarium Lib. III. Trihæresii, cap. IX. & in Minervali, cap. XVIII. & XIX. ex utriusque enim altercationibus facile aliquod operæ pretium faciet lector: nam nobis hic digladiandi non est otium.

V. 47. FILII AUTEM IAHADDAI: REGHOM, &c. Quidam, quod huius Iachdai generantis nulla ante præcesserit mentio, hic eum non pro patre, sed pro filio accipiunt, & ita partem huius versus infarciunt: *Filii vero* Motzæ *Iohedai*: ex quo *Reghem*, & *Iotham*, &c. subaudiunt, *Motzæ*, quia iam præcedenti versu dictum fuerat de eius maiore fratre: *Et Charan genuit Gazez*.

V. 48. CONCUBINA CALEB MAACHA, PEPERIT SABER, ET THARANA. Verbum ילד *ialad*, quod Noster dixit *peperit*, est masculeum: idcirco videtur feminæ non posse tribui, aut exponi *peperit*, sed *genuit*, de viro dictum. Nisi dicamus eiusmodi hypallages generum non esse insolentes in sacris litteris; & forte tributum mulieri hic verbum masculeum ad indicandum eius virilem, & masculeum animum, & in pariendo robur; unde & nomen eius *Mahacab*, *compressam* significat; seu quia viriles aut generosos filios genuerit. Alii ita distinguunt: *Concubina Calebi* fuit *Mahachah*: *genuit* videlicet Calebus ex ea *Seberum*, & *Thirchanam*. Sed obstat illud Nostri, *Peperit*: sed *parere* dici quoque de viris apud priscos Latinos, disces ex Nonio cap. VI. §. 94. Nonnulli ita reddunt: *Uxore concubina Calebi Mahaca genuit*; pro, ex uxore concubina Mahaca, Caleb genuit *Scheberum*, & *Thirchanam*; ut sit traiectio, qualis Gen. IX. 6.

V. 49. GENUIT AUTEM SAAPH PATER MADMENA, SUE PATREM MACBENA. Verbum *genuit* eſt femineum, unde hic aliqui ſubaudiunt: *Peperit autem uxor Schabaphi patris Madmanæorum*, *Schevam patrem Macbenæorum*, &c. *Pater Madmena*. Hebr. *Madmanah:* de qua urbe vide Ioſue xv. 31. PATREM MACBENA. Hariolantur fuiſſe urbem in tribu Iehudæ; cuius alibi non extat mentio. ET PATREM GABAA. Hebr. *Ghibgha*, cum Aleph in fine: putant eſſe *Ghibghah* cum He in fine, ſortis Iehudæ, Ioſue xv. 17. FILIA VERO CALEB FUIT ACHSA. Hebr. *Ghaceſah*. Hanc quidam *Hachſam primam* appellant, filiam Calebi primi, de quo ſup. verſ. 18. ad diſcrimen alterius Hachſæ filiæ alterius Calebi poſterioris filii Iephunæ, de qua Ioſue xv. 16. & Iudic. I. 12. quam *ſecundam Hachſam* indigitant. Primæ Hachſæ nomen deſinit in Aleph, ſecundæ in He.

V. 50. FILII CALEB, FILII HUR, &c. Iam hic Caleb diverſus eſt ab illo Calebo primo, de quo ſup. verſ. 18. nam hic ſecundus fuit filius Churis, ut hic dicitur, ac nepos fuit primi illius Calebi ex Chure, ut habes ſupra verſ. 19. PATER CHARIATHIARIM. Hebr. *Kiriath-Iegharim*: de qua vide Ioſue IX. 17. & XV. 9.

V. 51. SALMA PATER BETHLEHEM. Exponunt, Princeps ex parte Beth-lehemitarum: nam alius hic eſt a Salma patre Bohazi principis Beth-lehemitarum, de quo ſupra verſ. 11. HARIPH. Hebr. *Chareph*, qui infra cap. IV. verſ. 4. appellatur *Phenuel*. PATER BETHGADER. Forte eſt *Gheder* ſortis Iehudæ, de qua vide in Ioſue XII. 13. Alii exponunt, *Pater*, id eſt princeps, ſeu auctor, *familiæ Ghaderitarum*.

V. 52. QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. Varie hic Hebræa convertunt. I. *Qui contemplabatur*, *aſpiciebat dimidium Hamenuchoth*; id eſt, qui curam gerebat, ſive princeps erat dimidii loci qui dicebatur *Hamenuchoth*, id eſt *requietionum*, forte a fertilitate agri, & amœnitate loci ita dicti. Notant, רואה *roeh* hic ſignificare *principem*, quaſi inſpectorem, ſeu proſpectorem, quia principis eſt curam & inſpectionem ſuorum habere. II. *Haroeh pater incolarum partis Menuchotharum*. Volunt *Haroeh* non eſſe participium *videns*, ſed nomen proprium filii Sobalis, qui infra cap. IV. verſ. 2. eodem pene nomine *Reaiah* nuncupatur, quod mihi ſane probatur. *Menuchotas* vero aiunt eſſe regionem Manachathæ in finibus Iehudæ, Biniaminis, & Danis, ut apparet cum ex hoc loco, tum infra cap. VIII. verſ. 6. Fortaſſe ſit locus ille dictus *Menuchah* Iudicum xx. 40. de quo vide ibi Comment. Illud nimis compertum, Nostrum ſæpius nomina propria Hebraica in latinum convertere, quæ tamen propria queant intelligi: quod deinceps paſſim videbimus.

V. 53. SARAITAE, ET ESTHAOLITAE. Hebr. *Tzarghathæus*, *&* *Eſthaulæus*, ſingularia pro pluralibus, id eſt incolæ Tzarghæ, & Eſthaolis, ex ea parte quæ ad ſortem Iehudæ pertinuit. Vide de Eſthaol, & Tzarghah, Ioſue xv. 33.

V. 54. CORONAE DOMUS IOAB. Exponunt: Id eſt, Filii Salmæ, qui dicebantur Beth-lechem, & Netophati, fuerunt coronæ, hoc eſt principes præcipui, decora, ornamenta familiæ Ioabi. Alii *Ghataroth* nomen proprium eſſe volunt agri ſiti in termino Ephraimi, Biniaminis, & Iehudæ, de quo vide Ioſue XVI. 2. unde reddunt hunc verſum: *Filii Salmæ*, *Beth-lechemitæ*, *&* *Netophathæi*, *Hatarothani e familia Ioabi*; id eſt, qui erant ex agro Hataroth. ET DIMIDIUM REQUIETIONIS SARAI. Hebr. *Et dimidium Manachthæi Tzarghæus*. Quidam, *Et dimidium Manahethorum*, *Sori*. Ordo inverſus; pro, Soræi erant dimidia pars Manahethorum, ab urbe Mana. Vel Haſori erat dimidia pars eorum qui habitabant Manahath. Alii, *Et dimidium Manahitarum Zareitarum*. Nonnulli, *Et pars Manachatharum Tzarhæus*: vel, *Et Tzorhani*, *qui fruebantur parte Menuchotharum*: de quibus vide ſupra verſ. 52.

V. 55. COGNATIONES QUOQUE SCRIBARUM, &c. Aliqui interpretantur iuriſperitorum, doctorum virorum. Alii, Id eſt in ſcripturis & actis publicis exercendis vitam tranſigentium, ut reipublicæ, & ſibi utiles eſſent: quibus alioquin nulla erat attributa hereditas, ſed tantum cum quibus vellent conceſſa habitatio. Notant enim hunc verſum parergōs adiectum fuiſſe: quia etſi hæ familiæ tribum

Ie-

Iehudæ non attigerunt; tamen cum Iehudah habitarunt in deserto Iehudæ, Iudic. I. vers. 16. HABITANTIUM IN IABES. Hebr. *Habitatorum Iaghbetz*. Coniectantur fuisse oppidum in deserto Iehudæ, ubi quondam habitavere Kinæi. Vide Iud. I. 16. Nec desunt qui divinent, fuisse in eo publicas scholas & gymnasia litterarum. CANENTES ATQUE RESONANTES, ET IN TABERNACULIS COMMORANTES. Expressit latine significationes trium Hebraicorum nominum, quæ plerique alii pro propriis nominibus trium familiarum Kinæorum accipiunt, *Thirghathæi*, quidam ex significato Chaldaico, *ostiarios*, *portarios*, *ianitores* exponunt. Noster, & alii, ex Hebraico רוע *ruagh*, *clangentes*, *canentes*. Nonnulli a רעה *raghah*, *pastores*, *socios*, *collegas*, *familiares*. Fortasse erant instar nostrorum Collegiorum. *Simghathæi*, id est *auditores*. Forsan quos nos *auditores causarum* appellamus: forte etiam incolæ urbis Semagh in tribu Iehudæ, Iosue XV. 26. *Suchathæi*, proprie *tabernaculantes*, seu *tabernaculatores*, vel quod in his habitarent, vel quod ea conficerent, ex pellibus, vel alia materia; cuius artis Paulus fuisse dicitur Actor. XVIII. 3. Alii *sepientes*, *septores*, seu *ramificantes* exponunt, hoc est artis construendi sepes & macerias. Fortasse incolæ urbis Socho in sorte Iehudæ, Iosue XV. 35. & 48. Nam & si Kinæi frequentius habitaverint in deserto Iehudæ australi, Iudic. I. XVI. potuere tamen in aliis Iehudæ urbibus sparsim degere. HI SUNT CINAEI. Hebr. *Kinæi*: de quibus vide Iudic. I. 16. Num. XXIV. 21. & Genes. XV. vers. 19. QUI VENERUNT. Heb. *venientes*, id est procedentes, propagati. Alii, *advenæ*: nam revera fuerunt advenæ Madianitæ ex posteris Iithronis cognati Mosis. DE CALORE. Reddidit nomen proprium. Hebr. *De Chamath*. Quidam, *Orti Chamatho*, principe scilicet eorum qui cum tribu Iehudæ habitaverunt: hoc enim discretionis causa additur: qui Chebur Kinæus cum suis ab istis separans se, ad Naphthalitas migrasse legitur, Iudic. IV. vers. 11. PATRIS DOMUS RECHAB. Hebr. *Patre domus Rechabi*, id est auctore, principe, magistro familiæ Rechabi: de qua late vide Ierem. XXXV.

MENOCHII.

Vers. 3. DE FILIA SUE. Vide dicta Gen. XXXVIII. 3. MALUS CORAM DOMINO, ET OCCIDIT EUM. Hoc explicatum est num. 7. cap. XXVIII.

V. 7. ACHAR, QUI TURBAVIT ISRAEL. Vide dicta Iosue VII. I.

V. 10. PRINCIPEM FILIORUM IUDA. Exeuntibus enim ex AEgypto singulis tribubus principes constituti sunt, qui illis præessent in deserto, ut habemus Num. cap. I.

V. 12. BOOZ GENUIT OBED. Vide dicta Ruth IV. 17.

V. 13. PRIMOGENITUM ELIAB, &c. Hic tantum septem Isai filii nominantur, cum tamen ex aliis locis sacræ Scripturæ constet fuisse octo. Vide I. Reg. XVI. 10. ubi dicitur Isai adduxisse septem filios suos coram Samuele, hocque pronuntiante inter eos non esse electum Domini, iussisse vocari Davidem natu minimum, qui pascebat oves. Erat ergo octavus. Cur unus hic prætereatur, divinare non possum. Primus ergo fuit Eliab, I. Reg. XVI. 6. & XVII. 13. Secundus Abinadab, I. Reg. XVI. 8. & XVII. 13. Tertius Samma, I. Reg. XVI. 9. & XVII. 13. Quartus Nathanael, hoc cap. num. 14. Quintus Raddai, hoc eodem cap. num. 14. Sextus Asom, num. 15. Septimi nomen proditum non est. Octavus David.

V. 16. SARUIAE, ET ABIGAIL. Licet Scriptura non soleat per mulieres genealogias texere, hic tamen duæ Davidis sorores, & earum liberi numerantur, qui materno genere clariores fuerunt quam paterno. Nam Ioab, Abisai, & Asael non semel filii Saruiæ appellantur, eorum vero patris, cui Saruia nupsit, nomen nusquam proditur. ABISAI, cuius fortitudo celebratur II. Reg. XXIII. 18. IOAB. Princeps militiæ David, cuius frequentissima mentio II. Lib. Reg. ASAEL, cursor velocissimus, II. Reg. II. 18.

V. 17. AMASA, qui fuit princeps militiæ Absalonis, II. Reg. XVII. 25. & Ioabi successor destinatus a David, II. Reg. XIX. 13. CUIUS PATER FUIT IETHER ISMAELITES. Hic II. Reg. XVII. 25. voca-

vocatur *Ietra*. Dicitur *Ismaelites*, vel quod esset de genere Ismael, sed religione Hebræus, vel quod aliquamdiu inter Ismaelitas habitasset. Ceterum II. Reg. loco citato dicitur fuisse de Iesrahel, quæ est civitas in tribu Iuda.

V. 18. CALEB FILIUS HESRON. Diversus est hic Caleb ab eo qui missus est ad explorandam terram promissam, qui non Hesron filius fuit, sed Iephone. Vide Abulens. in hoc cap. quæst. IX.

V. 20. BEZELEEL. Vide dicta Exodi XXXI. 2.

V. 21. MACHIR, qui fuit nepos Ioseph, id est filius Manasse, ut patet ex Gen. L. 22. PATRIS GALAAD, id est principis. Sic num. 24. *Pater Thecuæ* accipitur pro principe Thecuæ.

V. 22. POSSEDIT VIGINTI TRES CIVITATES IN TERRA GALAAD, de Iair dicitur Num. XXXII. 41. *Occupavit vicos eius* (hoc est terræ Galaad) *quos appellavit Havoth Iair, id est Villas Iair*. OPPIDA IAIR, oppida pertinentia ad tractum illum qui Iair dictus est.

V. 23. CIVITATUM, id ed civitates. OMNES ISTI FILII MACHIR. Sententia est: Omnes hi vici sunt filiorum Machir. PATRIS GALAAD. Vide dicta num. 21.

V. 14. PATREM THECUAE, principem Thecuæ.

V. 26. ONAM. Nomen alterius *Onam*, cuius mentio est hoc cap. numero 3. & fuit filius Iuda, scribitur per litteram Nun in fine, hic autem filius Ierameel scribitur per litteram Mem.

V. 34. SEBAN AUTEM NON HABUIT FILIOS. Supra num. 31. dicitur Sesan genuisse Oholai, quomodo ergo non habuit filios? Respondendum, Oholai, superstite patre, mortuum esse, atque ita patrem filios non habuisse, qui familiam propagarent, & in bona paterna succederent.

V. 35. DEDITQUE EI FILIAM SUAM UXOREM. In quò non peccavit si servus ille AEgyptius Hebræorum religionem suscepit.

V. 42. PATER ZIPH, princeps Ziph. Ziph vero urbs est in monte nemoroso & opaco, dumis, & arboribus infructuosis consito, quæ nomen magno dedit deserto. Ita Adrichomius in tribu Iuda num. 246. apud quem vide plura. ET FILII MARESA PATRIS HEBRON. Vatablus ex Hebræo vertit: *Ipse fuit pater Ziph, & filiorum Maresa, & pater Hebron*, princeps scilicet Ziph, Maresa, & Hebron, quæ sunt civitates in tribu Iuda.

V. 50. HI ERANT FILII CALEB, qui scilicet deinceps enumerantur.

V. 42. FUERUNT AUTEM FILII SOBAL PATRIS CARIATHIARIM. Sententia est, Sobal principem Cariathiarim filios genuisse, ex quibus familiæ, aut gentes, quæ numero sequenti memorantur, natæ sunt. QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. Videntur esse tria nomina propria, quorum interpretationem Vulgatus expressit. Idem factum alibi. Vide dicta II. Reg. XXIII. 8. In Hebræo habemus הראה הצי המנחות *baroch batzi bammenuchoth*. Itaque nomina hæc erunt, *Roch Tsi, & Menuchoth*.

V. 53. DE COGNATIONE CARIATHIARIM; id est, de Cariathiarim quasi coloniæ quædam propagatæ sunt sequentes familiæ, & gentes. SARAITAE, ET ESTHAOLITAE. Saraa, & Esthaol cap. XIII. Iudic. videntur pertinere ad tribum Dan, ex qua erat Samson Danita, qui habitavit inter Saraa & Esthaol. Lyranus has duas urbes assignat tribui Iuda, in quibus tamen Manue habitaverit, qui erat ex tribu Dan. Abulensis quæst. XVIII. geminam facit utramque urbem, & tam in tribu Iuda, quam in tribu Dan collocat Saraa, & Esthaol. Adricomius in tribu Dan num. 23. ait Esthaol prius assignatam fuisse tribui Iuda, deinde vero Danitis tributam, quod idem de Saraa dicendum est.

V. 54. CORONAE DOMUS IOAB, &c. In Hebræo est עטרות *haterot*, quam vocem ut nomen proprium acceperunt Septuaginta, ut & sequentia, *Bet, Ioab, Chatsi, Manachti, Atsorbi*, quorum interpretationem Vulgatus expressit.

V. 55. SCRIBARUM, legis peritorum. CANENTES ... RERSONANTES IN TABERNACULIS COMMORANTES. Septuaginta pro nominibus propriis acceperunt, *Tirbathim, Scimathim, Suchutim*. CALORE PATRIS. Hebr. & LXX. *Hemath patre*. DOMUS RECHAB, id est familia Rechabitarum. Vide dicta IV. Reg. X. 15.

TI-

TIRINI.

Verſ. 3. FUIT HER PRIMOGENITUS IUDA, MALUS CORAM DOMINO, ET OCCIDIT EUM, præmatura morte, in ipſa iuventute, & forte dæmonis interventu, ſicut contigit ſeptenis Saræ maritis, Tobiæ VI. Quale id fuerit ipſius Her ſcelus, Scriptura nuſquam exponit. Sed Rabbini ex maiorum traditione dicunt, Thamaram, quam Her uxorem habebat, forma pulcherrimam fuiſſe, cui ne geſtatio uteri, & dolores partus aliquid detraherent, atque ita minus ipſe Her voluptatis ex defloreſcente uxoris venuſtate caperet, ita cum illa conſueviſſe, ut ex illa conſuetudine non ſequeretur generatio. Ita Caſſianus, & alii Interpretes.

V. 7. ACHAR, id eſt QUI TURBAVIT, ut ibidem additur, ISRAEL, furto ſubducens aliquid de anathemate Iericho, Ioſue VII. ubi *Achan* vocatur. Sic verſ. 9. ponitur hic *Ram*, pro *Aram*, ut eſt Matth. I. & alibi, & *Calubi*, pro *Caleb*. Frequens enim eſt Hebræis partem aliquam nominum propriorum ſeu præſcindere, ſeu mutare.

V. 17. SEPTIMUM DAVID. Quomodo ſeptem hic ſolummodo filii tribuuntur Iſai, cum ex I. Reg. XVI. 10. conſtet, octo habuiſſe? Reſpondet Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, & Rupertus, Iſai præter ſeptem hic numeratos unum habuiſſe filium adoptivum, nempe Ionathan filium Samaa, II. Reg. XXI. 21. id eſt nepotem ſuum ex tertio ſuo filio Samma. Forte etiam dici poſſet, ex octo propriis & naturalibus filiis unum præmatura morte ſublatum in ipſo adoleſcentiæ flore, nulla dum re geſta, quæ memoriæ mandari mereretur: ac proinde ſilentio hic ſuppreſſum fuiſſe.

V. 34. SESAN AUTEM NON HABUIT FILIOS, SED FILIAS. Ergo *Obolai* nomen, quod ſupra verſ. 31. tribuitur proli Seſani, non eſt maſculinum nomen, ſed femininum.

V. 52. QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONIS; id eſt, tamquam propriam poſſidebat, & tam oculis quam pedibus uſurpabat, dimidiam partem regionis, in qua requieverant ſeu quiete habitarant parentes eius: & hanc dimidiam partem hereditatis Sobal tranſcripſit filiis ſuis. Eadem phraſis recurrit iterum poſt duos verſus. Et eadem phraſi dicitur de Iſſachar Gen. XLIX. 15. *Vidit requiem, quod eſſet bona*; id eſt (ut per epexegeſim mox additur) vidit terram requietioni ſeu inhabitationi ſuæ aſſignatam, *quod* eſset *optima*. Pſalmo quoque CXXXI. verſ. 8. *Surge Domine in requiem tuam*, & verſ. 14. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo*. Et alibi frequentiſſime *requies* pro loco habitationis uſurpatur.

V. 54. CORONAE, id eſt gloria & decus, DOMUS IOAB; quaſi dicat, Præcipui familiæ iſtius heroes.

V. 55. CINAEI, de quibus dixi Num. X. & Iud. I. VENERUNT DE CALORE PATRIS DOMUS RECHAB. Hebraice: *Venerunt de Chamath patre familiæ Rechabitarum*. Eſt enim nomen parentis illorum proprium, ideoque & Septuaginta illud retinuerunt; ſed Noſter quid ſignificaret expoſuit, & interpretatus eſt calorem. Sic pro triplici Cinæorum familia habitantium in Iabes, puta *Thirathæorum*, *Simathæorum*, & *Sucothæorum*, ut eſt in Hebræo, Noſter nomina Hebraica explicans vertit, *Canentes*, *Reſonantes*, & *In tabernaculis commorantes*.

GORDONI.

Verſ. 9. CALUBI putatur Caleb nepos Phares, filius Heſron. Porro qui hic vocatur *Ram*, eſt *Aram* Matthæi.

V. 13. ISAI AUTEM GENUIT, &c. Quid eſt quod I. Reg. XVII. 12. numerentur octo filii Iſai; hic autem ſolum ſeptem ponantur? Aliqui unum ex his faciunt adoptivum. Reſpondet Abulenſis I. Reg. cap. XVI. quæſt. XXVII. Scripturam non ſemper ponere completum numerum, præſertim quando numerus completus nihil facit ad hiſtoriam. Iſai binomius fuit ex II. Reg. XVII. 17.

V. 18. & 20. Obſcurum plane eſt quod hic eſt de quibuſdam nominibus propriis: nam an IERIOTH ſit nomen viri, vel mulieris, non ſatis apparet; & ſi mulier, an uxor, concubina, vel filia, propter ea quæ habent Septuaginta. BESELEEL iſte diverſus eſt ab illo de quo Exod. XXXVIII. verſ. 22.

V. 34. SESAN AUTEM NON HABUIT FI-

FILIOS, nempe qui post eius obitum superessent: nam ex versu 31. Oholai filius eius fuit, sed obiit ante patrem.

V. 52. QUI VIDEBAT DIMIDIUM REQUIETIONUM. *Videbat*, est dominabatur. Vatablus *contemplabatur*. *Dimidium requietionum*, hoc est tractus terræ: hinc locus requietionis est habitationis fixæ. Sic in præsentia, qui orti sunt ex Sobal, diviserant inter se regionem quam obtinuerat Sobal.

V. 55. HI SUNT CINAEI. De Cinæis vide I. Reg. cap. XVI. vers. 16. VENERUNT DE CALORE. Nomen proprium est חמת *Chammath*: Interpres vertit *Calorem*, quia aliquoties Scriptura ponit significationem nominis proprii pro ipso nomine, ut iterum vides cap. IV.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. ACHAR. De hoc transgressore vide Iosue VII. vers. 1.

V. 15. Expende hic genealogiam, & nomina in familia David, de quibus passim agitur libro secundo Regum.

V. 21. MACHIR, nepos Ioseph, idest filius Manasse, ex Genes. L. 22. PATRIS GALAAD, in principio, mox vers. 23. de urbibus huius familiæ.

V. 42. PATER ZIPH, id est princeps. Ziph urbs est, & nomen dedit vicino deserto.

V. 53. Sensus est: De Cariathiarim progressæ sunt cognationes insequentes.

V. 54. CORONAE. עטר *hhator*, *diadema*, *corona*, & *hhator*, *coronavit*. Septuaginta accipiunt ut nomen proprium.

CAPUT III.

Generationes David & Regum Iuda ex progenie David, cum filiis, ac filiabus eorum.

1. DAvid (*a*) vero hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron: primogenitum Amnon ex Achinoam Iezrahelitide, secundum Daniel de Abigail Carmelitide, 2. tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai Regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, 3. quintum Saphatiam ex Abital, sextum Iethraham de Egla uxore sua. 4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnavit in Ierusalem. 5. (*b*) Porro in Ierusalem nati sunt ei filii, Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, * quatuor de Bethsabee filia Ammiel, 7. Iebaar quoque, & Elisama, 7. & Eliphaleth, & Noge, & Nepheg, & Iaphia, * nec non Elisama, & Eliada, & Eliphaleth, novem: 9. omnes hi, filii David, absque filiis concubinarum; habueruntque sororem Thamar. 10. Filius autem Salomonis, Roboam: cuius Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Iosaphat, 11. pater Ioram: qui Ioram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas: 12. & huius Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Ioathan 13. procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. 14. Sed & Manasses genuit Amon patrem Iosiæ, 15. Filii autem Iosiæ fuerunt, primogenitus Iohanan, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. 16. (*c*) De Ioakim natus est Iechonias, & Sedecias. 17. Filii Iechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel, 18. Melchiram, Phadaia, Senneser, & Iecemia, Sama, & Nadabia. 19. De Phadaia orti sunt Zorobabel, & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorum: 20. Hasaban

quo-

quoque, & Ohol, & Barachian, & Hasadian, Iosabhesed, quinque. 21. Filius autem Hananiæ, Phaltias pater Ieseiæ, cuius filius Raphaia, huius quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cuius filius fuit Sechenias. 22. Filius Secheniæ Semeia: cuius filii, Hattus, & Iegaal, & Baria, & Naaria, & Saphat, sex numero. 23. Filius Naariæ, Elioenai, & Ezechias, & Ezricam, tres. 23. Filii Elioenai, Oduia, & Eliasub, & Pheleia, & Accub, & Iohanan, & Dalaia, & Anani, septem.

(a) II. Reg. III. 2. (b) II. Reg. v. 14. (c) Matth. I. II.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Quatuor de Bethsabee*. Non scribas *Bersabee*, quod nomen est putei, Gen. XXI. vers. 31. pro *Bethsabee*, quod est nomen uxoris Uriæ.

V. 22. *Et Naaria, & Saphath, sex numero*. Quidam addiderunt *& Sesa* ante *sex*, male, nomen Hebræum appellativum, quod sex significat, accipientes pro proprio.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. CARMELITIDE, scilicet uxore, antea Nabal Carmelitæ.

V. 2. GESSUR erat prope Syriam Damasci.

V. 3. UXORE, scilicet primaria. Quidam putant hanc esse Michol: at Micholi nullus fuit filius.

V. 5. AMMIEL. Hic I. Reg. XI. dicitur *Eliam*: scilicet erat binominis.

V. 8. ELISAMA. Hic, & *Eliphelat* bis repetuntur Hebr. iisdem prorsus litteris, & hic, & versu 6. forte aliis eius nominis fratribus mortuis nati, sic sunt vocati.

V. 9. SOROREM, scilicet ex parte patris: solius enim Absalonis soror uterina.

V. 15. IOHANAN. IV. Reg. XXIII. dicitur *Ioachaz*. Erat quidem minor natu ipso Ioakim, sed dicitur hic primogenitus, quia prior regnavit. SELLUM. Hic omissus IV. Reg. quia non fuit Rex.

V. 16. IECHONIAS, hic dicitur IV. Reg. *Ioachim*: scilicet per כ *caph*, nam pater *Ioakim* per ק *coph*. SEDECIAS. Heb. & LXX. *Sedecias filius eius*, scilicet Iechoniæ.

V. 17. SALATHIEL. Hebr. & LXX. *Salathiel filius eius*, scilicet Asir.

V. 18. MELCHIRAM PHADAIA, &c. Hi filii Salathiel.

V. 19. MOSOLLAM, qui & *Abiud*. EORUM. Apparet fuisse cum iis, eadem etiam matre, non cum sequentibus.

V. 21. PATER IESEIAE, &c. Totus hic versus est secundum LXX. nam Heb. aliter, satis obscure.

V. 22. SAPHAT. Non est Hebr. nec in LXX. Itaque quod sequitur, SEX, intelligendum, numerato etiam patre.

ESTII.

Vers. 1. & 5. DAVID VERO HOS HABUIT FILIOS... PORRO IN IERUSALEM NATI SUNT EI FILII SIMMAA, ET SOBAB, ET NATHAN, ET SALOMON, QUATUOR DE BETHSABEE. Quæritur, quomodo ergo Salomon dicat Prov. IV. se unigenitum fuisse coram matre sua? Respondent nonnulli, reliquos fuisse filios Uriæ prioris mariti Bethsabee, sed adoptatos a Davide. Sed non satisfaciunt, quia hic clare dicitur, *Nati sunt ei*, scilicet Davidi. Deinde quia II. Reg. v. ubi nec Bethsabee, nec Urias nominantur, iidem quatuor recensentur cum aliis, qui Davidi nati fuerunt in Ierusalem. Quocirca verior huiusmodi dissolutio fit ab iis qui verba illa

illa Prov. IV. *Filius unigenitus coram matre mea*, sic interpretantur, Id est filius matri unice dilectus. Ita Vatablus interpretatur, idemque suadet epitheton adiunctum, quo dicit Salomoni se fuisse matri suæ tenellum, id est tenere dilectum. Certe si Nathan non Davidis, sed Uriæ fuit filius natura, Davidis autem tantum adoptione; non recte ex genealogia Christi, quæ est Lucæ III. ostenditur Christum esse primogenitum ex Davide, per Nathan. Neque adoptivum Davidis filium nominare Evangelista debuit in catalogo quo ostendere voluit Christum esse ex progenie David. Hoc autem ostendere omnino tam Lucæ, quam Matthæo in recensenda Christi genealogia fuit propositum.

MARIANAE.

Vers. 1. ACHINOAM, Davidis uxor, mater Amnon, videtur ex prioribus Davidis uxoribus fuisse. IEZRAHELITIDE. Duplex *Iezrahel*: altera in tribu Iuda, Ios. XV. 55. prope montem Gelboe; altera in tribu Manasse, Ios. XVII. 16. ubi occisus Naboth. DANIEL DE ABIGAIL, *Cheleab* vocatus II. Reg. V. vers. 3. binomius. Hic fuit secundus Davidis filius.

V. 2. GESSUR. Non procul Damasco fuit ea urbs. Ex ea fuit mater Absalonis.

V. 3. DE EGLA UXORE SUA. Quare *uxor* vocetur, dictum est II. Reg. III. 5.

V. 5. QUATUOR DE BETHSABEE. Sic Sept. Hebr. *Bethsua*. Et quidem Davidi illa Salomonem tantum genuit. Prov. IV. 3. tres priores Uriæ fuerunt, sed quos David adoptavit. Sic fertur.

V. 6. ELISAMA. Hic II. Reg. V. 16. vocatur *Elisua*.

V. 7. ELIPHALETH, ET NOGE. Hi duo in libris Regum non ponuntur: Hieronymus in Tradit. Sed ut indicetur prætermissos fuisse, additur hic numerus NOVEM: quo in numero primus est *Iebaar*.

V. 15. FILII AUTEM IOSIAE FUERUNT. Hic quatuor filii dantur Iosiæ; at IV. Reg. XXIII. & XXIV. tres tantum commemorantur. Nimirum tres priores regnum tenuerunt. *Sellum*, qui Rex non fuit, explicandi in libris Regum nulla causa. At Ierem. XXII. 11. dicit, Sellum pro Iosia patre suo regnasse. Sic Hieronymus in Tradit. Sed filius pro nepote, pater pro avo accipitur in Ieremia. Aut vide quæ ibi diximus. IOHANAN. Hic IV. Reg. XXIII. 30. vocatur *Ioachaz* minor natu Ioakim, ut patet ex ætate qua cœpit regnare; & hic tamen primogenitus dignitate scilicet dicitur, quia a populo fratribus est prælatus in Regno.

V. 16. IECHONIAS. Hic IV. Reg. XXIV. *Ioachin* per Caph, & Nun vocatur, pater eius *Ioakim* per Coph, & Mem.

V. 19. DE PHADAIA ORTI SUNT ZOROBABEL. *Zorobabel*, qui in genealogia Christi patrem habuit Salathiel. Ergo *Zorobabel* hic positus, patruelis fuit alterius Zorobabelis, nisi velimus eumdem natura fuisse filium Phadaia, adoptione Salathielis. Esdræ Lib. I. cap. III. constanter *Zorobabel* filius *Salathiel* dicitur, & Salathiel præcipuum fuisse inter Iechoniæ filios, indicatur vers. 17. cum dicitur: *Filii Iechoniæ, Asir, Salathiel filius eius*. Sic enim Hebr. & Græce. Vatabl. ex eo colligit, Salathiel non filium fuisse Iechoniæ, sed Asir, & Iechoniæ nepotem, quod non puto. ZOROBABEL GENUIT MOSOLLAM. Aut hic *Zorobabel* fuit alius ab eo qui in Christi genealogia ponitur; aut aliquis ex eius filiis qui hic designantur, vocatur etiam *Abiud*, qui filius eius inter Christi progenitores ponitur. Quidam putant hunc fuisse Hananiam, qui inter filios sex Zorobabel eius solum posteri describuntur hoc loco.

V. 21. PATER IESEIAE, CUIUS FILIUS RAPHAIA: HUIUS QUOQUE FILIUS, ARNAN, DE QUO NATUS EST OBDIA. Totus hic versus ex Sept. sumptus est, ex quibus castiganda Hebraica, quæ perturbata videntur esse.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUI EI NATI SUNT IN HEBRON, &c. de quibus vide II. Samuel. III. 2. 3. 4. & 5. DANIEL. Hic II. Samuel. III. 3. vocatur *Chilab*.

V. 2. TERTIUM ABSALOM. Nomen *Absalom* non est in recto, sed in obliquo dativo, *ipsi Absalomo*; cum tamen alii omnes in recto ponantur, & ipse quoque

que II. Samuel. III. 3. Suspicor quod eius nomen ibi describatur ante parricidium, hic post parricidium, ac proinde indignus qui recte dicatur filius Davidis.

V. 5. IN IERUSALEM NATI SUNT EI FILII, SIMMAA, &c. de quibus vide II. Samuel. v. 14. 15. & 16. Notant, hic sensim, ac non promiscue, ut sequentes Davidis filios ex Bath-Suba recenseri, propter prærogativam regni divinitus attributam Salomoni, inf. cap. XXVIII. vers. 5. ac proinde ex iure & naturæ ordine ad proximum fratrem Nathanem id perventum, intercidente Salomonis posteritate. Inverso autem ordine enumerari hic filios Davidis ex Bath-Suah, quia mox de Selomone, & eius posteris sermo habendus est: Selomoh enim natura primus fuit, II. Samuel. XII. 24. Natan secundus, & sic deinceps. Alii, secuti quosdam Hebræorum, volunt Selomonem solum fuisse filium Davidis ex Bathsuah, quod ipse dicatur unicus matri suæ, Proverb. IV. 3. reliquos vero tres fuisse filios Uriæ, adoptatos a Davide. Sed hic expresse de omnibus quatuor dicitur: *Et isti nati sunt ei in Ierusalem ex Bath-Suah.* Locum Proverbiorum in tempore elucidabimus. SIMMAA. Hebr. *Simgha*. II. Samuel. v. 14. vocatur *Semuagh*. DE BETHSABEE FILIA AMMIEL. Hebr. *Bath-Suagh filia Ghamiel*. II. Samuel. XI. 3. appellatur *Bath-Sebagh filia Eligham*, ut filia, & pater fuerint binomines.

V. 6. ELISAMA. Hebr. *Elisamagh*. II. Samuel. v. 15. dicitur *Elisuagh*.

V. 8. ELIADA. Hebr. *Eliadah*, qui infra cap. XIV. vers. 6. nuncupatur *Begheliadagh*.

V. 9. TAMAR, de qua vide II. Samuel. XIII.

V. 10. FILIUS AUTEM SALOMONIS, ROBOAM, &c. Recensetur deinceps successio Regum Iehudæ e stirpe Salomonis, quam late habes in I. & II. Reg.

V. 15. IOHANAN. Hebr. *Iochanam*, qui II. Reg. XXIII. vers. 30. nuncupatur *Iehoachaz*, & Ierem. XXII. vers. 11. *Sallum*. IOAKIM. Hebr. *Iehoiakim*, qui & *Eliakim*, II. Reg. XXIII. 34. SEDECIAS. Hebr. *Tzidkiiahu*: qui prius vocabatur *Mathaniah*, II. Reg. XXIV. 17.

V. 16. DE IOAKIM NATUS EST IECHONIAS. Hebr. *Iechoniah*, qui Ierem. XXII. vers. 28. dicitur Choniahu, & II. Reg. XXIV. vers. 6. appellatur *Iehoiachin*, ET SEDECIAS. Hebr. *Tzidkiiah filius eius*. Vel hic alter est Tzidkiiah ab illo filio Iosiæ, supra vers. 15. nempe illius ex fratre subnepos, qui tamen numquam regnaverit; vel, si idem est, dicitur filius Iechoniæ, non natura, nam avunculus eius erat; sed iure legalis successionis regni: siquidem ei successit in regno II. Reg. XXIV. 17. qua ratione versu sequente accipiunt.

V. 17. FILII IECHONIAE FUERUNT ASIR, SALATHIEL. Hebr. *Et filii Iechoniah Asir, Sealthiel filius eius*. Pronomen *eius*, quidam non ad Iechoniam, sed ad Asir referunt, ut Sealthiel fuerit filius Asir, & nepos Iechoniæ. Et Matthæi quidem I. vers. 12. scribi, *Iechonias genuit Salathiel*: quod avus dicatur gignere nepotem, quia eius patrem genuit. Alii vero hunc locum ita accipiunt: *Filii autem Ieconiæ vincti, Schealthiel filius eius*: ut אסר *asir*, seu אסור *asur*, non sit nomen proprium filii Ieconiæ, sed Pahul verbi *Asar*, id est Iechoniæ *vincti*, *ligati*, captivi, & in Babyloniam deportati, II. Reg. XXIV. 15. Filios autem Iechoniæ hic intelligunt, non natura (nam sine liberis ex Dei decreto extinctus est, & in eo Selomonis semen, Ierem. XXII. 30.) sed successionis iure, quæ ad Nathanis, filii Davidis, & fratris Salomonis, posteros devolvebatur. Fuit enim Schealthiel filius Neri ex posteris Nathanis, Lucæ III. 27. Alii volunt Iechoniam semen seu filios habuisse, quorum sit mentio Ierem. XXII. 28. sed dici a Ieremia sterilem, quod nemo ex eis regnaverit. Sed sunt hæc non satis comperta. Vide Ierem. XXII. 30.

V. 18. MELCHIRAM, PHADAIA, &c. Notant mancam esse orationem initio huius versus, & subaudiendum: Et filii Sealthielis fuerunt *Malchiram*, *& Pedaiah*, &c. vel & huius, nempe Sealthielis, Et vel: Huius autem filii fuerunt, *Malchiram*, &c. Nam alioqui videretur Phedaiah frater fuisse Salathides, & Zorobabel, qui hic dicitur filius Phedaiah, & Matth. I. 12. filius Salathielis esset duorum fratrum filius.

V. 19. DE PHADAIA ORTI SUNT ZOROBABEL, ET SEMEI. Hebr. *Et filii Phedaiah Zerubbabel & Simghi*. Hic

diserte dicitur Zerubbabel filius Phedaiæ at Matthæi I. 12. *Salathiel genuit Zorobabelem*. Exponunt, per interpositum filium Phedaiam: sic supra vers. 17.

V. 20. HASABAN QUOQUE, ET OHOL, &c. Hos quinque, qui hoc versu enumerantur, filios Zerubbabelis plerique constituunt, ac fratres Mesollami, & Hananiæ, de quibus superiore versu: nam quod ibi dicitur, *Et Salomith soror eorum*, signate dictum volunt, quasi soror fuerit duorum præcedentium, non quinque subsequentium, saltem ex utroque parente: propterea separari eam a reliquis quinque. At alii hos quinque aliter accipiunt, nam non fratres Messolami, sed filios intelligunt, ac nepotes Zerubbabelis: unde exponunt: *Illius vero*, *Chaschuba*, *&* *Ohel*, &c. id est, illius Messullami, filii fuerunt, *Chaschuba*, *&* *Ohel*, &c. quod colligitur ex collatione huius versus cum sequente, in quo enumerantur filii alterius fratris Messullami, nempe Hananiæ.

V. 21. CUIUS FILIUS RAPHAIA, &c. Sensus Nostri, ex LXX. expressus in hoc Raphaia, & sequentibus quatuor usque ad finem versus, perspicuus est. Hebr. tamen quatuor sunt nominativi plurales in regimine: *Filii Raphaiah*, *filii Arnan*, *filii Hobadiah*, *filii Sechaniah*. Quidam notant esse synathroesmum, seu congeriem, qua in genere nominantur familiæ quæ ad stirpem regiam pertinebant, prout exstabant in reversione ex Babylonia; non quod directa successione ex Zorobabele eæ prognatæ sint: alioqui si Esras auctor est huius libri, pervenisset sua enumeratione ad tempora Christi, tam in longum protensa serie genealogiarum.

MENOCHII.

Vers. 1. QUI NATI SUNT EI IN HEBRON, ubi septem annis regnavit post mortem Saulis super tribum Iuda tantum. IEZRAHELITIDE, de civitate Iezrahel, quæ est nobilis civitas in tribu Iuda. CARMELITIDE, quæ prius fuerat uxor Nabal Carmeli, I. Reg. cap. XXV.

V. 2. FILIAE THOLMAI REGIS GESSUR. Vide dicta II. Reg. III. 3. ADONIAM FILIUM AGGITH. Vide dicta ibid. ubi etiam de duobus filiis David, qui sequuntur, hoc est de Saphatia, & Iethraham.

V. 3. DE EGLA. Vide dicta II. Reg. III. 5.

V. 5. BETHSABEE, quæ Uriæ uxor fuerat.

V. 9. OMNES HI FILII DAVID. Operæ pretium hic erit uxores David, eiusque filios ex variis Scripturæ locis recensere. Prima uxor fuit Michol Saulis Regis filia, I. Reg. XVIII. 27. ex qua nullos suscepit liberos. Non desunt tamen qui Michol eamdem faciant cum Egla, de qua paulo post dicemus. Vide dicta II. Reg. III. 5. Secunda uxor fuit Achinoam Iezrahelitis, I. Reg. XXV. 43. ex qua suscepit Amnon primogenitum, ut dicitur hoc cap. num. 1. Tertia fuit Abigail Nabalis vidua, I. Reg. XXV. 42. ex qua suscepit Danielem hoc cap. num. 1. qui II. Reg. III. 3. appellatur Chelcab. Quarta fuit Maacha filia Tolmai Regis Gessur, de qua hoc cap. num. 2. & II. Reg. III. 3. ex hac suscepit Absalom, ut iisdem locis dicitur, & Thamar eiusdem sororem, II. Reg. XIII. 1. Quinta fuit Aggith hoc cap. num. 2. ex qua, ut ibidem dicitur, natus est Adonias, quem Regnum ambientem Salomon iussit interfici III. Reg. II. 13. & deinceps. Sexta fuit Abital, ex eaque ortus Saphatias hoc cap. num. 3. & II. Reg. III. 4. Septima Egla, ex qua Iethraham, quæ peculiariter dicta est uxor Davidis II. Reg. III. 5. Vide ibi dicta. Octava Bethsabee dudum uxor Uriæ, ex qua quinque filios habuit: nimirum parvulum, qui mortuus est II. Reg. XII. 18. Samuam II. Reg. V. 14. sive Simmaam, ut nominatur hoc cap. num. 5. Sobal, Nathan, & Salomonem Regem. Ex aliis uxoribus alii nati. Ierimoth qui II. Paral. XI. 18. appellatur filius David, aliique plures, qui numerantur hoc cap. III. num. 6. & II. Reg. V. 14. nimirum Elisama, Iebaar, Eliphaleth, Noge, Nepheg, Iaphia, Elisama alter, Eliada, Elipheleth. Præter hos alii nati sunt ex concubinis, ut hoc cap. & versiculo dicitur. Notat Emmanuel Sa in Catalogo filiorum David, Elisama, & Eliphaleth bis repeti, ut in textu Hebraico iisdem plane litteris scribi, atque fortasse aliis eius nominis fratribus mortuis natos, & eodem nomine vocatos fuisse.


V. 15. PRIMOGENITUS IOHANAN. Huius mentio non fit in IV. Lib. Reg. cap. XXIII. ubi de morte Iosiæ, & regni successore agitur. Tostatus probabiliter putat, eum mortuum fuisse ante patrem, ideoque primogenituram ad secundogenitum Ioachin transisse. Pradus in cap. XIX. Ezech. & alii antiquiores aiunt, Iohannam primogenitum in bello contra AEgyptios

cum

cum patre occisum fuisse. Alii aliter nodum solvere conantur, sed magnis se difficultatibus implicant. Vide Salian. Tom. IV. anno mundi 3401. num. 2. & 3. SECUNDUS IOAKIM, qui prius dicebatur *Eliacim*, de quo vide dicta IV. Reg. XXIII. 34. Hic etiam appellatus est *Iechonias* Matth. cap. I. num. II. TERTIUS SEDECIAS, qui etiam dictus est *Mahanias*. QUARTUS SELLUM, qui etiam appellatus est *Ioachaz*.

V. 16. NATUS EST IECHONIAS; Uterque tam Eliacim, sive Ioachin filius Iosię, quam huius filius Ioachin, Iechoniæ nomine comprehenditur a S. Matthæo loco citato. Vide Barrad. Tom. I. Lib. V. cap. XVI. §. *Occiso Ioachimo*, &c. Ut tota hæc filiorum genealogia, quæ multis Scripturæ locis explicandis servit, intelligatur, placuit subiectum Schema proponere.

Iosias Rex genuit




Regnarunt hoc ordine. Ioannam præmortuo, ut diximus num. 15. Sellum sive Ioachaz regnum invasit, huic successit Eliacim, Eliacimo vero Ioachin, Ioachino Sedecias.

ET SEDECIAS. Ex quo videtur dicendum, Eliacim, sive Ioacim habuisse fratrem, qui appellatus sit *Sedecias*, & etiam filium eiusdem nominis. Ita Abulensis in hoc capite, quæst. X.

V. 19. ZOROBABEL. Hic Zorobabel dicitur fuisse filius Phadaia, & Matth. cap. I. num. 12. legimus, *Salathiel autem genuit Zorobabel*. Dicendum utroque nomine appellatum Salathiel, quod frequens est in sacris litteris, & patet in filiis Iosiæ, de quorum variis nominibus paulo ante dictum est. Vel dicendum, Salathiel, qui hoc numero recensetur, patrem fuisse Abiud; & etiam Phadaiam fratrem Salathielis filio suo nomen imposuisse Zorobabel, ex quo natus sit Mosollam, &c.

Iechonias



MOSOLLAM, quem Emmanuel Sa putat esse Abiud, de quo dicitur Matth. I. 13. *Zorobabel autem genuit Abiud*.

V. 22. SEX NUMERO, computato etiam patre, alioqui sunt tantum quinque.

TIRINI.

Vers. I. IEZRAHELITIDE. Duplex erat in terra promissionis *Iezrahel*: una in tribu Iuda, Iosue XV. 15. prope montem Gelboe; altera in tribu Manasse, Iosue XVII. 16. ubi occisus Naboth *a*.

V. 3. DE EGLA UXORE SUA, id est etiam uxore sua. Vel dic cum Sanctio, illud, *Uxore sua*, per zeugma, seu adiunctionem, referri ad omnes feminas præcedentes, hoc modo: *De Achinoam* uxore sua: *de de Abigail* uxore sua: *de Maacha* uxore sua.

V. 5.

V. 5. QUATUOR filii DE BETHSABEE. Dices: Proverb. IV. 3. dicit Salomon se *unigenitum* fuisse *coram matre sua*. Quidam respondent: Ex Davide unigenitus fuit: unde & ultimo loco hic numeratur. Nam tres priores susceperat Bethsabee ex priore suo marito Uria Hethæo; sed illos David ad compensandam misellis iniuriam adempti parentis, sibi adoptavit, inquit Mariana. Sed verisimilius Salianus cum pluribus aliis a se citatis, censet, omnes hos quatuor ex Bethsabee & Davide procreatos fuisse: & Salomonem istic vocari *unigenitum*, id est *unice dilectum*, ut ibidem transtulerunt Septuaginta. Alioqui Nathan, ad quem Christi genealogiam Lucas deducit, non fuisset filius Davidis, sed Uriæ. Denique filiolus ex adulterio Bethsabee susceptus, impedit quo minus Salomon absolute dici possit unigenitus fuisse matri suæ, etiam ex Davide. Porro Bethsabee parens, qui hic Ammiel vocatur, II. Reg. VI. 3. dicitur *Eliam*, nempe binomius erat. Ita Emmanuel Sa.

V. 15. PRIMOGENITUS IOSIAE IOHANAN, ad regni solium non ascendit, forte vivo adhuc patre decessit. SECUNDUS IOAKIM ætate; sed in regno præcedit illum qui hic quarto loco numeratur SELLUM, ut patet Ieremiæ XXII. 11. qui alio nomine *Ioachaz* dicebatur, IV. Reg. XXIII. 30. itemque *Iechonias*, Lib. III. Esdræ cap. I. Hic cum toto biennio iunior esset *Ioakimo*, prælatus tamen a populo fuit ob causam quam dixi IV. Reg. XXIII. vers. 30. Nempe 25. *b* ætatis annum agebat Ioakim, cum Ioachaz, seu Sellum, sub idem tempus non ageret nisi 23. *c* Omnium iunior erat Sedecias: nam inchoante regnum Ioachimo iam viginti quinque annorum, ipse non nisi decimum excesserat ætatis annum: nam undecim post annis, cum succederet Ioahimo loco filii illius Ioachini, non erat nisi viginti & unius *c* annorum.

V. 19. DE PHADAIA ORTI SUNT ZOROBABEL, ET SEMEI. Hic *Zorobabel* non est iste qui Matthæi I. recensetur in genealogia Christi, sed patruelis illius: nam iste genitus est ex *Salathiele*, ut ibidem dicitur; hic vero ex *Phadaia* fratre Salathielis. Nisi malis dicere, unum eumdemque natura fuisse filium Phadaiæ, adoptione Salathielis, cuius, eo quod sterilis esset, nulli hic filii recenseantur. Sed tunc consequenter dicendum erit, aliquem filiorum Zorobabel, qui hoc & sequenti versu recensentur, cognomen habuisse *Abiud*: nam hic Matth. I. inter progenitores Christi ponitur filius Zorobabelis. Quod de Hanania suspicatur Mariana, & alii quidam, eo quod inter omnes Zorobabelis filios, huius solius posteri hic recenseantur. Sed malim ego priori sententiæ adhærere, quæ duos Zorobabeles distinguit. Et ita sentit Sanctius.

Petes: Quo modo Iechonias dicitur hic pater fuisse Salathielis, & tot insuper aliorum filiorum, cum Ieremiæ XXII. vers. 30. vocetur *vir sterilis?* Respondeo: Sterilis fuit non respectu omnis prolis aut seminis (nam ibid. vers. 28. dicitur *ipse & semen eius proiecti in terram* Babylonis) sed respectu prolis regiæ & seminis regalis, seu quod regnum obtineat paternum. Sic enim sese explicat ibidem Ieremias, cum dicit ita sterilem futurum, ut *non sit de semine eius futurus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda*.

(*a*) III. Reg. XXI. vers. 1.
(*b*) IV. Reg. XXIII. vers. 36.
(*c*) Ibid. vers. 31
(*d*) IV. Reg. XXIV. vers. 38.

GORDONI.

V. 1. ACHINOAM IESRAHELITIDE. Hæc fuit mater Ammon. Secundus filius *Daniel*, binomius fuit, & *Cheleach* etiam vocatur II. Reg. III. vers. 3. Matrem habuit Abigail, antea uxor Nabal.

V. 4. REGNAVIT SEPTEM ANNIS. De hoc vide II. Reg. cap. III. vers. 13.

V. 5. QUATUOR DE BETHSABEE. Davidi unicum peperit Salomonem, Prov. IV. 3. tres alii erant Uriæ, & forte adoptati a Davide: hinc Salomon unigenitus dictus.

V. 7. & 8. ELIPHALETH, ET NOGE. Hi non numerantur in Libris Regum. Ponit ergo hic expresse *novem*, ut scias ibi fuisse prætermissos.

V. 15. Hic SELLUM recensetur quartus filius Iosiæ; sed IV. Reg. XXIII. & XXIV. omissus esse videtur. Certe omissum est ibi hoc nomen, seu vox *Sellum*: at præterea nihil. Nepos porro Iosiæ dictus est Iechonias iunior, & qui post tres regni menses abductus in Babylonem, numquam rediit. Hinc fit satis variis difficultatibus; & cohærebunt loca hæc tria, IV. Reg.

XXIII.

xxiii. item Ierem. xxii. ii. & demum hic verſ. 15. Nec de nomine debet eſſe ſcrupulus, cum dicat Hieronymus omnes Ioſiæ filios dictos fuiſſe Sellum; nec male: nam hoc nomen ſignificat confuſionem, quam certe magnam dederunt tempora illa. Ergo iam tres ſunt filii Ioſiæ, immo & quatuor ex hoc loco, & Ieremia, ſi nepos (ut ſæpe fit) filius vocetur. Regnatum ab omnibus eſt: & Iechonias iunior eſt ille qui hic *Sellum* vocatur, ordine quartus, ceteris ætate minor. Quo vero ordine regnaverint, vide ad annum 3371. & 3374. & hic II. Paral. cap. ult. in ſynopſi.

V. 19. ZOROBABEL iſte non eſt filius Salathielis illius qui numeratur Matth. i. inter Chriſti progenitores. Inter filios David quomodo Salomon ſit unigenitus, vide Proverb. cap. iv. verſ. 3.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. DAVID. Hic de poſteris ex Davide. *Ieſrabel* civitas in Tribu Iuda. ACHINOAM .... ABIGAIL: de quibus I. Reg. xxv.

V. 2. THOLMAI REGIS GESSUR, II. Reg. iii. verſ. 3.

V. 3. DE EGLA, II. Reg. iii. verſ. 25.

V. 5. QUATUOR EX BETHSABEE; & quintus fuit parvulus, qui obiit, non hic nominatus: quod ſi tres ilii ſuperſtites fuerunt Uriæ, recte Salomon hoc ſenſu dicetur unicus, niſi velis nomine unigeniti ſolum explicari dilectionem ſingularem.

V. 15. Varie ſentiunt Interpretes de Ioſiæ filiis, & regnandi ordine; ſed nihil addendum puto ad locum citatum in opere Chron. & ſynopſin ultimi capitis II. Par.

C A P U T IV.

Rurſus poſteritas Iudæ ac Simeonis, & habitationes eorum: ſtirps Cham deletur a filiis Simeonis, Amalecitæ quoque ab ipſis percutiuntur.

1. FIlii (*a*) Iuda: Phares, Heſron, & Charmi, & Hur, & Sobal.
2. Raia vero filius Sobal genuit Iahath, de quo nati ſunt
Ahumai, & Laad: hæ cognationes Sarathi. 3. Iſta quoque ſtirps
Etam: Iezrahel, & Ieſema, & Iedebos. Nomen quoque ſo-
roris eorum, Aſalelphuni. 4. Phanuel autem pater Gedor,
& Ezer pater Hoſa: iſti ſunt filii Hur primogeniti Ephra-
tha patris Bethlehem. 5. Aſſur vero patri Thecuæ erant
duæ uxores, Halaa, & Naara. 6. Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher,
& Themani, & Ahaſthari: iſti ſunt filii Naara. 7. Porro filii Halaa, * Sereth,
Iſaar, & Ethnam. 8. Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationem
Aharchel filii Arum. 9. Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus ſuis, & mater
eius vocavit nomen illius Iabes, dicens: Quia peperi eum in dolore. 10. Invo-
cavit vero Iabes Deum Iſrael, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dila-
taveris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me a malitia non
opprimi. Et præſtitit Deus quæ precatus eſt. 11. Caleb autem frater Sua ge-
nuit Mahir, qui fuit pater Eſthon. 12. Porro Eſthon genuit Bethrapha, &
Pheſſe, & Tehinna patrem urbis Naas: hi ſunt viri Recha. 13. Filii autem Ce-
nez, Othoniel, & Saraia. Porro filii Othoniel, Hathath, & Maonathi. 14. Maonathi
genuit Ophra, Saraia autem genuit Ioab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices
erant. 15. Filii vero Caleb filii Iephone, Hir, & Ela, & Naham. Filii quoque Ela:
Cenez. 16. Filii quoque Ialeleel: Siph, & Zipha, Thiria, & Aſrael. 17. Et filii
Ezra, Iether, & Mared, & Epher, & Ialon, genuitque Mariam, & Sammai, &
Ieſ-

Ieſba patrem Eſthamo. 18. Uxor quoque eius Iudaia, peperit Iared patrem
Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrem Zanoe: hi autem filii Beth-
iæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mared. 19. Et filii uxoris Odaiæ ſororis
Naham patris Ceila, Garmi, & Eſthamo, qui fuit de Machathi. 20. * Filii
quoque Simon, Amnon, & Rinna filius Hanan, & Thilon. Et filii Ieſi, Zo-
heth, & Benzoheth. 21. Filii (*b*) Sela, filii Iuda: Her pater Lecha, & Laa-
da pater Mareſa, & cognationes domus operantium byſſum in domo iuramen-
ti. 22. Et qui ſtare fecit Solem, virique Mendacii, * & Securus, & Incendens,
qui principes fuerunt in Moab, & qui reverſi ſunt in Lahem: hæc autem ver-
ba vetera. 23. Hi ſunt figuli habitantes in Plantationibus, & in Sepibus, apud
Regem in operibus eius, commoratique ſunt ibi. Filii (*c*) Simeon: Namuel,
& Iamin, Iarib, Zara, Saul. 25. Sellum filius eius, Mapſam filius eius, Maſ-
ma filius eius. 26. Filii Maſma: Hamuel filius eius, Zachur filius eius, Semei
filius eius. 27. Filii Semei ſedecim, & filiæ ſex: fratres autem eius non habue-
runt filios multos, & univerſa cognatio non potuit adæquare ſummam filiorum
Iuda. 28. Habitaverunt autem in Berſabee, & Molada, & Haſarſuhal, 29. & in
Bala, & in Aſom, & in Tholad, 30. & in Bathuel, & in Horma, & in Siceleg,
31. & in Bethmarchaboth, & in Haſarſuſim, & in Bethberai, & in Saarim:
hæ civitates eorum uſque ad Regem David. 32. Villæ quoque eorum: Etam,
& Aen, Remmon, & Thochen, & Aſan, civitates quinque. 33. Et univerſi
viculi eorum per circuitum civitatum iſtarum uſque ad Baal: hæc eſt habitatio
eorum, & ſedium diſtributio. 34. Moſobab quoque, & Iemlech, & Ioſa filius
Amaſiæ, 35. & Ioel, & Iehu filius Ioſabiæ filii Saraiæ filii Aſiel, 36. & Elioe-
nai, & Iacoba, & Iſuhaia, & Aſaia, & Adiel, & Iſmiel, & Banaia. 37. Ziza
quoque filius Sephei filii Allon filii Idaia filii Semri filii Samaia. 38. Iſti ſunt no-
minati principes in cognationibus ſuis, & in domo affinitatum ſuarum multipli-
cati ſunt vehementer. 39. Et profecti ſunt ut ingrederentur in Gador uſque ad
orientem vallis, & ut quærerent paſcua gregibus ſuis. 40. Inveneruntque paſcuas
uberes, & valde bonas, & terram latiſſimam & quietam & fertilem, in qua an-
te habitaverant de ſtirpe Cham. 41. Hi ergo venerunt, quos ſupra deſcripſimus
nominatim, in diebus Ezechiæ Regis Iuda: & percuſſerunt tabernacula eorum,
& habitatores qui inventi fuerant ibi, & deleverunt eos uſque in præſentem
diem; habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas paſcuas ibidem repererunt.
42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes
principes Phalthiam, & Naariam, & Raphaiam, & Oziel filios Ieſi: 43. percuſ-
ſerunt reliquias, quæ evadere potuerant, Amalecitarum, & habitaverunt ibi pro
eis uſque ad diem hanc.

(*a*) Sup. II. 4. Geneſ. XXXVIII. 3. XLVI. 12. (*b*) Geneſ. XXXVIII. 5. (*c*) Geneſ. XLVI. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Sereth*, *Iſaar*, *&* *Ethnan*. Non eſt ſcribendum, omiſſa littera initiali *i*, *Sahar*, pro *Iſaar*.

V. 20. *Filii quoque, Simon, Amnon, & Rinna*, Pro *Amnon* non ſcribas *Ammon*, duplici *m*.

V. 22. *Et Securus, & Incendens*. Cave ſcribas *incedens*, quod eſt ambulans, pro *incendens*, quod inflammans.

Ibidem. *Et qui reverſi ſunt in Lahem*. Pro maſculinis *qui reverſi*, non ſunt ſubſtituenda feminina *quæ reverſæ*: nec omittendum relativum *qui*, vel *quæ*: denique nec mutandum

La-

Lahem, cum *Lehem*, aut *Bethlehem*, tametsi idem forte locus his tribus nominibus significetur.

NOTATIO.

V. 22. *Et qui reversi sunt in Lahem*. Id quod alii habent masculino genere, ut iam produximus, alii feminino scribunt: *Et quæ reversæ sunt*. Hoc modo Hebraicarum quæstionum Auctor legit, & de Noemi, ac Ruth exponit: illo Abulensis Episcopus, *Et de Securo atque Incendente*, idest de Mahacon & Chelion filiis Elimelech, qui in Noemi & Ruth reversi in Bethlehem dicantur, interpretatur. Correctiores nostri codices masculinum genus habent, & Hentenius, ac Parisienses hanc probatam sibi lectionem in textu retulerunt. Ex Hebræo utra sit germana nostri Interpretis scriptura minime liquet. וישבי לחם habetur. ישבי, si a שוב, quod *reverti* significat, deducatur, quemadmodum noster deduxit Interpres, alii tempori non accedit propius quam futuro. In futuro autem Iod in calce dictionis femininis servit; in capite autem masculinis. Sed futurum non est nisi altero Iod mutato legas תשבי, quod loco non conveniret; aut ישבו, quod priori suffragaretur lectioni (quamquam masculina verba quandoque feminis tribuantur) præsertim Vau in præteritum futurum convertente. Quidam a ישב formant, ut participium sit numeri pluralis in regimine positum; sitque sensus, Habitatores Lahem. Alii proprium viri nomen esse intelligunt, Iasubi Lahem. Ambigua certe & difficilis est verborum veterum explicatio. Abulensis nostri Interpretis translationem minus probat, quod Mahalon & Chelion, de quibus intelligendum existimat, non de stirpe Sela, sed de progenie Phares fuisse ex Ruth quarto capite colligi videatur. Notandum est autem, scripta nostra universa uno dempto, servare relativum *qui* aut *quæ*: Abulensem vero omittere (quomodo & in Leodiensi exemplari lectum fuisse inspicienti vix dubium esse potest) ita ut ad præcedentes *Securum & Incendentem* (non enim legendum est, ut multi legunt *Incedens*) referatur. Sane neque Hebræi relativum exprimunt, neque Græci addunt, καὶ ἐπέστρεψεν habent εἰς λεέμ: *Et reversi sunt in Lehem*, nimirum iuxta Hispanicam editionem: nam Aldi, & Germanorum exemplaria legunt, quæ plane alia est translatio, καὶ ἐπέστρεψεν αὐτούς, *& reduxit eos*. Illa versio eiusdem rationis est cum Latina masculinum servante genus: videtur enim utraque ex Hebræo ad hunc modum lecto וישבו לחם sumpta: id enim transferas: *Et reversi sunt Lehem*: hæc autem Græca versio ex aliter lectis Hebraicis dictionibus profluxit; lectis ad hunc וישיב להם, aut illum וישבי להם aut similem modum: hæc enim interpreteris: *Et reduxit eos*.

Quod nonnulli codices habent *Lahem*, quomodo addita ab Hebræis puncta sonant, tredecim scriptorum nostrorum cum Textu Regio *Lehem* scribunt: quo etiam modo LXXII. legerunt, si tamen Regia editio germanam & incorruptam eorum translationem servet. Duo & viginti habent *Bethlehem*: quam genuinæ lectionis explicationem fuisse est verisimile. Nam quod Magdalius habet in prioris Paralip. vicesimum caput, sicut quandoque dicimus *Solyma*, & quandoque *Ierosolyma*; ita & *Lehem*, & *Bethlehem*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PHARES. Iste solus filius, reliqui nepotes.

V. 2. SARATHI, id est Sarathitarum.

V. 3. ETAM. Quidam putant accipi pro principe loci Etam, quod Hebr. indicatur.

V. 4. EPHRATHA. Nomen uxoris Caleb, qui ex alia uxore alium habuit primogenitum: is enim primogenitus uxoris huius. PATRIS, id est principis, scilicet Hur.

V. 5. ASSUR. Hic fuit posthumus Esron ex Abia uxore.

V. 9. IABES, qui & *Othoniel*. INCLYTUS. Hebr. *honorabilis*. IABES, id est *dolorem*.

V. 10. MALITIA, id est dolore, seu afflictione. Hebr. *Feceris ne ob malum doleam*. Hic omittitur quod voverit.

V. 11. FRATER SUA: sic Hebr. & LXX. at Complut. *Pater Sua*: nam quædam Hebr. אבי *abi*, non אחי *achi*.

V. 13. CENEZ. Iste fuit patruus, vel vitricus Caleb.

V. 14. PATREM, id est principem.

V. 15. IEPHONE, qui & *Efron* alias. FILII QUOQUE; pro, filius quoque.

V. 17. GENUITQUE, scilicet Caleb. PATREM, id est principem.

V. 18. EIUS, scilicet Caleb.

V. 19. ODAIAE. Nomen viri.

V. 20. FILIUS HANAN. Hebr. *Benhanan*: forte nomen est proprium.

V. 21. IURAMENTI. Hebr. *Asbeah*: forte est nomen proprium.

V. 22. QUI STARE FECIT SOLEM. Hebr. *Iochim*, nomen proprium. MENDACII. Hebr. *Chozeba*, loci nomen. SECURUS, ET INCENDENS. Hebr. *Ioas*, & *Seraph*, nomina propria. QUI REVERSI SUNT IN LAHEM. Hebr. *Iasubi*, *Lachem*. LXX. *Et reversi sunt in Leem*. Alii, *habitatores Lachem*. VERBA VETERA; quasi dicat, Res antiquae, seu antiqua nomina.

V. 23. PLANTATIONIBUS, &c. quasi dicat, In hortis. REGEM, scilicet David, apud quem in pretio erant ob cultum hortorum.

V. 25. FILIUS EIUS, scilicet proxime praecedentis, & sic intellige in reliquis. Vide cap. v. & vi.

V. 33. ET SEDIUM DISTRIBUTIO. Hebr. & LXX. *Et genealogia eorum*; pro, in genealogia eorum.

V. 38. AFFINITATUM. Heb. *patrum*. LXX. *familiarum*.

V. 41. EORUM, scilicet posterorum Cham.

E S T I I.

Vers. 4. ISTI SUNT FILII HUR PRIMOGENITI EPHRATA PATRIS BETHLEHEM. Sensus est: Id est domini, seu principis Bethlehem, sicut & cap. II. *Filii Salma patris Bethlehem*. Referri autem videtur, ut ipse Hur dicatur pater, seu princeps Bethlehem, quia Ephrata femina fuit uxor Caleb, ut habetur cap. II. Ab ista vero Ephrata Bethlehem fuit vocata Ephrata, & Bethleemitae Ephrataei. Falluntur vero qui Ephratam dicunt fuisse Mariam sororem Moysi, quemadmodum etiam colligitur ex cap. II.

V. 10. INVOCAVIT VERO IABES DEUM, DICENS: SI BENEDICENS BENEDIXERIS MIHI, &c. Sententia est imperfecta, qua significatur quod Iabes Deo voverit votum aliquod, si ea consequeretur quae a Deo petebat. Quid autem voverit subticetur. Sententia quorumdam est non improbabilis, quod voverit Deo, si Deus ei benediceret, conferendo ei sufficientiam bonorum temporalium, & quietem ab hostibus, quod deinceps vacaturus esset contemplationi sapientiae, & doctrinae legis. Tradunt enim Hebraei hunc Iabes fuisse insignem legis doctorem, qui multos post se reliquerit discipulos, quorum mentio est cap. II. his verbis: *Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes*. Notandum autem hic, quantum ad phrasim Scripturae, sicut execrationes sub conditione positae, aliquando exprimuntur in Scriptura, aliquando tacentur, ita & vota. Sic execratio tacita est: *Si introibunt in requiem meam*. Item, *Si dedero somnum oculis meis*. Expressa vero: *Si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, persequatur inimicus animam meam*. Sic & votum expressum Genes. XXVIII. *Si fuerit Dominus mecum.....erit mihi Dominus in Deum, & decimas dabo omnium quae possideo*. Tacitum vero, ut hoc loco.

V. 15. FILII VERO CALEB FILII IEPHONE. Hic fuit unus exploratorum terrae sanctae, diversus ab eo qui cap. II. dictus est proavus Beseleel, ut ibidem admonuimus, & plenius ad Exod. XXXI.

V. 22. ET QUI STARE FECIT SOLEM, VIRIQUE MENDACII, ET SECURUS, ET INCENDENS, QUI PRINCIPES FUERUNT IN MOAB. Quaeritur quis fuerit iste qui stare fecit solem, & qui viri mendacii? Respondent quidam, Elimelech tempore famis proficiscentem in Moab quodammodo stare fecisse solem, & duos filios eius fuisse viros mendacii, id est deficientes, eo quod profecti in Moab isti fuerint mortui absque liberis. Sed sciendum, quod nec in Hebraeo, nec apud Septuaginta fiat mentio solis, sed tantum Hebraea sunt propria vocabula, quae & retenta sunt a Septuaginta. Sunt autem ista: *Iaacim & viri Chozebit*, *Ioas & Saraph*. Quid autem Hieronymum moverit, ut propria nomina illa latine interpretaretur, non constat. Sane & fabulam illam de Elimelech alii aliter narrant, sed non refert, cum sit fabula.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 1. FILII IUDA, id eſt poſteri. Quinque qui ſequuntur, neque filii fuerunt Iudæ, quia *Heſron* nepos ex Phares fuit, neque præcedens proximi pater, quia *Charmi* fuit pronepos Iudæ ex Zare, Ioſ. VII. 1. Sed viros tantum inſignes inter Iuda poſteros deſignat; inſignes inquam, aut ſua virtute, aut poſteritate.

V. 3. ISTA QUOQUE STIRPS ETAM. Hebr. *Iſti* (ſcilicet filii) vel *iſtæ* (ſcilicet familiæ) *patris Etam*. Loci nomen *Etam*, & *pater* pro *principe*. Sept. *iſti patres Etam*, id eſt qui ſequuntur, ſcilicet *Iezrahel*, *Ieſema*, *Iedebos* ſunt principes eius urbis. Non hoc diſplicet, etſi puncta Hebr. reclamant.

V. 4. PHANUEL AUTEM PATER GEDOR. Hum hic *Gedor*, qui verſ. 18. & 39.? Litteræ conſentiunt, & locus idem inter varios dominos alternare ſolet. ISTI SUNT FILII HUR. Cap. II. verſ. 20. *Hur* ipſi dedit filium Uri, patrem Beſeleel: hic adiungit illi duos filios. Porro *Hur Bethlehem pater*, id eſt princeps vocatur, quia eam a matre Ephratha accepit, ab ipſo Salma accepit, qui *pater Bethlehem* vocatur cap. II. verſ. 51. Rurſus *Hur* primogenitus matris Ephratha hic vocatur, quia Caleb pater ex Azuba priori uxore alios filios habuit.

V. 4. ASSUR. Cuius filius? Heſron ex Abia uxore cap. II. verſ. 24. Cum pater non exprimitur, Abulenſis proxime ſuperioris putat: regula cum aliis eſt communis; quam vere, neſcio. PATRI THECUAE, id eſt principi loci ſic dicti.

V. 8. COS AUTEM GENUIT ANOB, Et hunc faciunt filium Ethnan qui proxime præceſſit. COGNATIONEM AHAREHEL FILII ARUM, id eſt familia dicta Aharehel a Cos proceſſit, ex filio eius Arum.

V. 9. IABES INCLYTUS. Hunc alii Arum filium faciunt, alii Soboba, quidam etiam alio nomine vocari putant *Othoniel*, qui Cenez filius dicitur verſ. 13. & duxit Axam Caleb filiam. Nocte illuni hæc obſcuriora. Invocavit Iabes Deum: Benedixeris mihi,

V. 10. ET FECERIS ME A MALITIA NON OPPRIMI. Hebr. *Et feceris a malo, ut non contriſtet me*. Hebræus: Id eſt, feceris ſignum, ſeu miraculum, ne umquam malum me lædat. Aut poſt *feceris* ſuppleatur vox *liberum*, in quo oratio deficit, ac ne votum quidem exprimitur; quod voviſſe, verba indicant.

V. 11. CALEB AUTEM FRATER SUA. Sic. Sept. Vulgata Regia *pater Sua* habet. Hebr. *Calub frater Suba*: neque videtur is eſſe qui poſt vocatur Caleb filius Iephone. Quis Calub pater? An Iabes? PATER ESTHON. Hic *Eſthon* vir eſt, non urbs, quoniam mox dicitur: *Eſthon genuit Bethrapha*.

V. 13. FILII AUTEM CENEZ, OTHONIEL. Hic *Cenez* pater Othoniel fuit, & Caleb, tum quia Caleb Cenezæus vocatur Ioſ. XIV. 14. tum quia Othoniel frater Caleb iunior fuit, Ioſ. XV. 17. Sed quare Caleb Iephone filius vocatur? fortaſſis ſic dicitur ab aliquo avorum, cuius poſſeſſionem tenuit. Alia diximus Ioſ. XV. verſ. 17. & Iudic. I. 13. Saraia genuit Ioab

V. 14. PATREM VALLIS ARTIFICUM. *Patrem*, id eſt dominum eius vallis. Porro חרש *baras*, fabros in genere ſignificat, ferrarios, lignarios, lapicidas.

V. 15. FILII QUOQUE ELA: CENEZ. Hic a proavo patre Caleb, & Othoniel nomen *Cenez* accepit. Porro *filii* hic pro *filius* ponitur, plurale pro ſingulari.

V. 17. GENUITQUE MARIAM. Sic Sept. Male hic quidam *peperit* vertunt: nam תהר *tabar* eſt in Hiphil, ſignificatque *fecit concipere*, ſeu *parere*, quod *gignere* eſt. Porro Maria hæc non fuit Moyſis ſoror.

V. 18. UXOR QUOQUE EIUS, ſcilicet Ezra, qui proxime præceſſit: quidam Iabes dicunt, qui verſ. 9. ponitur; ſed non puto. HI AUTEM FILII BETHIAE. Qui? certe tres ſuperiores, quos Ezra, & Iudaiæ filios dixit. Ergo cum eiſdem denuo Mered, & Bethiam parentes deſignet, oportet ſint adoptione parentes. Ergo Mered fratres ſuos minores adoptavit.

V. 19. ET FILII UXORIS ODAIAE. Hi ſunt natura filii Mered.

V. 21. FILII SELA. Hactenus Iudæ poſteros ex Phares prius, deinde ex Zare; nunc poſteros eiuſdem ex Sela commemorat. ET COGNATIONES DOMUS OPE-

OPERANTIUM BYSSUM IN DOMO IURAMENTI. Vox Hebr. *Asbeah*, pro qua Hieronymus vertit *iuramenti*, Sept. & alii acceperunt ut nomen proprium. Itaque familiæ linum operantium in domo Asbeah, e posteris Sela sunt.

V. 22. QUI STARE FECIT SOLEM, & quæ sequuntur. Verba Hebraica plerique ut nomina propria acceperunt, ipsi quoque Sept. sic: *Et Iochim, & viri Cozeba, & Ioas, & Seraph, qui dominati sunt in Moab, & reversi sunt Lehem.* HAEC AUTEM VERBA VETERA. Hebr. *Et verba vetera*, scilicet sunt hæc; quasi dicat: Non mireris, si hæc quæ dicimus, minus sunt nota, vetera enim sunt. Hebræus sic: *Scripta hæc non invenias: per manus ab antiquis tradita venerunt ad nos.* Posteri autem Sela:

V. 23. HI SUNT FIGULI. E luto fingebant domestica. HABITANTES IN PLANTATIONIBUS. Quid figulis cum plantationibus? Hebr. *Et habitantes* (in) *plantationibus & sepibus cum Rege in opere eius habitantes ibi*; quasi dicat: E posteris Sela sunt qui in hortis Regis versantur, eosque colunt. Ita alii a figulis sunt.

V. 24. FILII SIMEON. Post Iudæ posteros Simeonis ponuntur, quia illæ duæ tribus iunctæ erant. Simeonis tribui data terræ pars, quæ Iudæ antea data fuerat. De filiis Simeonis Gen. XLVI. & Num. XXVI. neque omnino in speciem consona cum iis quæ hic dicuntur, nempe quoniam idem plura nomina habuit, & sic supplentur aliis locis omissa.

V. 25. SELLUM FILIUS EIUS, scilicet Saulis, quia postremo positi, & alii deinceps quisque precedentis filius.

V. 28. HABITAVERUNT AUTEM IN BERSABEE. Urbes hæ fere ponuntur Ios. XV. in tribu Iuda, & Ios. XIV. in tribu Simeon.

V. 31. USQUE AD REGEM DAVID. Eo fautore videntur hæ civitates, aut earum pars ad posteros Iudæ rediisse. Ac præsertim post scissum Regnum, tribus Simeon tribui Iuda qui poterat permixta manere?

V. 32. VILLAE QUOQUE EORUM. Sic vocantur, quoniam minores erant prioribus; sed & civitates mox vocantur, & videntur fuisse disiunctæ a prioribus, & in iure tribus Simeonis semper mansisse.

V. 33. ET SEDIUM DISTRIBUTIO. Hebr. *Et genealogia eorum ipsis*: sic Sept. hæc est scilicet quæ mox sequitur.

V. 38. AFFINITATUM. Hebr. *patrum*: Sept. *Familiarum in domo principes isti sunt.*

V. 39. UT INGREDERENTUR IN GADOR. Ubi ea civitas? An eadem est *Gedor* vers. 18. urbs in tribu Iuda, Ios. XV. vers. 58.

V. 40. DE STIRPE CHAM; id est, Chananæi habitarunt ibi, quorum reliquiæ diu in terra promissionis habitarunt.

V. 42. FILIOS IESI. An hic qui vers. 36. *Asaia* dicitur? nam Hebr. iisdem litteris, sed transpositis, scribuntur. Porro reliquiæ Amalecitarum in monte Seir habitarunt aliquando, quos quingenti e tribu hac Simeonis expulerunt inde, ut hic dicitur.

MALVENDAE.

Vers. 1. CHARMI. Notant fuisse hunc illum Celubai, de quo sup. cap. II. vers. 9. qui & Caleb primus, ibid. vers. 18. SOBAL. Constat hunc fuisse filium Calebi secundi, filii Churis, de quo sup. cap. II. vers. 50. Omittitur hic Calebus secundus, fortasse brevitatis causa.

V. 2. RAIA. Hebr. *Reaiah*. Volunt hunc esse qui supra cap. II. vers. 52. in Hebræo eiusdem significatus vocabulo vocatur *Haroeh* filius Sobalis. HAE COGNATIONES SARATHI. Hebr. *Istæ familiæ Tzorghathæi*, pro Tzorghathæorum. Quidam: *Horum fuerunt familiæ Tzorbathæorum*, nimirum ex parte: nam aliæ præter has fuerunt familiæ Tzorhathæorum, de quibus vide supra cap. II. vers. 52.

V. 3. ISTA QUOQUE STIRPS ETAM. Hebr. *Et istæ*, subaudi familiæ, *patris Hetam*. Aliqui: *Item hi ex patre Hatamæorum Patrem Hetam*; accipimus auctorem, seu principem familiæ Hetamæorum, seu incolentium oppidum Hetam, de quo infr. vers. 32.

V. 4. PHANUEL. Hic supra cap. II. vers. 51. appellatur *Chareph*. PATER GEDOR. Quidam, *Pater Gedoræorum*, ex parte. Confer hunc locum cum vers. 28. infra. Vide etiam cap. II. vers. 51. PATER HOSA. Hebr. *Chusah*: aliqui, *Pater Chuschæ*. Notant hunc esse qui infra

verſ. 11. dicitur *Suchah*, vel *Schuchah*. PRIMOGENITI EPHRATHA. Vide ſupra cap. II. verſ. 19. & 50. PATRIS BETHLEHEM. Salma filius huius dicitur pater Beth-Lechem, ſup. cap. II. verſ. 51. Pater & filius uterque videtur fuiſſe pater Beth-Lechem, vel ſimul, vel filius poſt patrem.

V. 5. ASSUR VERO PATRI THECUAE. Quidam: *Aſchuri vero patri Thekoh.eorum*. Notant fuiſſe hunc poſthumum Chetzronis: de quo vide ſupra cap. II. verſ. 25.

V. 6. ET THEMANI, ET AHASTHARI. Quidam volunt non eſſe nomina propria virorum, ſed familiarum, aut gentium; quaſi dicat, Themenæos, & Achaſtharæos.

V. 7. ET ETHNAN. Quidam poſt hanc vocem ſubaudiendum monent, *Et Kotz*, e ſequenti verſu: quod genus eclipſis frequens eſt in hoc ſcriptorum genere, ut infra verſ. 13.

V. 9. IABES. Hebr. *Iaghbetz*: auctor unius ex enumeratis familiis Acharchelis. INCLYTUS. Hebraicæ voci נכבד *nicbad* omnia iſta ſubſunt, *Gravis*, *honoratus*, *glorioſus*, *ſplendidus*, *dives*, *opulentus*, *excellens*, *præſtans*, *inſignis*, *clarus*, *nobilis*. Vide in Numer. XXII. 15. & Geneſ. XXXIV. 19. NOMEN ILLIUS IABES. Hebr. *Iaghbetz*, id eſt *dolorificus*, a verbo עצב *ghatzab*, tranſpoſitis litteris, quod Hebraicus ſermo, elegantiæ cauſa, gaudeat eiuſmodi litterarum tranſpoſitionibus. QUIA PEPERI EUM IN DOLORE. Quidam eclipſim implent: *Eo quod peperi eum cum dolore, ita vocandus eſt*. Hunc *Iabbetz* Hebræi ſomniant fuiſſe inſignem doctorem ac legiſperitum, dediſſeque nomen urbi Iahbetz, ſupra cap. II. verſ. 55. in qua Kinæi habitabant, & ſtudia divinarum litterarum vigebant; ac plane fuiſſe ipſum Othonielem, qui civitatem Sepher obtinuit, Ioſue XV. 16. & Iudic. I. 12. Verum ſunt hæc penitus incerta, quibus ſi delectaris, habes ea affatim apud auctorem Traditionum Hebraicarum in I. Paralip. & apud Lyranum hic, & ſup. cap. II. & apud alios.

V. 10. INVOCAVIT VERO IABES DEUM, &c. Quidam cauſaliter reddunt: *Nam invocavit Iabbetz Deum*, &c. AEtiologiamque eſſe volunt, cur Iabbetz fuerit omnium honoratiſſimus, quod Auctor dixerat præcedente verſu: quia nimirum ſancte ac pie invocato Deo obtinuit pleniſſime vota ſua. SI BENEDICENS BENEDIXERIS MIHI; id eſt, ſi plane, omnino, plene, ampliter, large me bonis, quæ poſtulo, cumulaveris. Quidam notant eſſe apoſiopeſin, ac vocem iuramentorum propriam, quibus vota affinia ſunt: ex quo fit ut vota non raro iuramenti nomine appellentur, ſic Matthæi V. 33. ac ſupplendam: Te ſancte perpetuo colam, & donis altaria tua cumulabo. Alii volunt eſſe formulam deprecativam, ac particulam *ſi*, non conditionaliter, ſed affirmative eſſe capiendam ex uſu linguæ. Equidem אם *im*, *ſi*, in Scripturis interdum ſumi pro *utinam*; vel eſſe affirmativam, Lexica tibi plura exempla ſuppeditabunt: unde hic reddi poteſt: *O ſi*, *utinam*, *benedicens benedixeris mihi*, &c. ET FECERIS ME A MALITIA NON OPPRIMI. Heb. ex verbo: *Et facies a malo ad non dolere me*. Varie alii reddunt. I. *Et feceris liberationem a malo*, *ne dolore afficiar*; id eſt, liberaveris me a periculo, ne afficiar dolore. II. *Feceriſque me liberum a malo*, *ut non noceat mihi*. III. *Et feceris de malo*, *ut non afficiat me dolore*: vel *denique feceris ut malum non afficiat me dolore*. Traiectio, ut Geneſ. V. 29.

V. 11. SUA. Hebr. *Suchah*, ſup. verſ. 4. litteris tranſpoſitis dicitur *Chuſah*.

V. 12. GENUIT BETHRAPHA. Quidam exponunt: *Genuit domum*, vel *familiam Raphæ*: ſic in duobus ſequentibus nominibus auctores familiarum ab ipſis denominatarum intelligunt, id eſt *familiam Phaſeachi*, *&* *familiam Thechinæ patris urbis Nachas*. PATREM URBIS NAHAS. Hebr. *Patrem Hir-Nachas*. Quidam pro nomine proprio accipiunt *patrem*, vel *patris Hir-Nachaſi*, ut ſit nomen proprium viri filii Thechinæ. Alii cum Noſtro, *patrem*, id eſt conditorem, ſeu principem, cuiuſdam urbis dictæ נחש *Nachaſch*, accipiunt, quam aiunt fuiſſe in tribu Iehudæ ſed eius nullibi alibi mentio. Ab augurio, vel ſerpente, aut ære ſeu chalybe nomen habet. HI SUNT VIRI RECHA: de qua nihil aliud produnt, quam fuiſſe urbem in tribu Iehudæ, ex coniectura, quod ii erant ex poſteris Iehudæ.

V. 13. FILII AUTEM CENEZ. Heb.

Et

filii Kenaz. Cum huius ante nulla fuerit facta mentio, nec a quo genitus fuerit, prodatur; intelligunt fuisse etiam ex posteris Celubi, de quo supra vers. 11. unde reddunt: *Et filios Kenazi Hothonielem*, vel *item posteros Kenazi*, *Hothonielem*, &c. subaudi, Celub genuit. Sic inf. vers. 15. 16. 17. & 20. Ita quod omnes qui a vers. 11. usque ad 21. exclusive enumerantur, fuerint filii, seu posteri Celubi. Non est autem exploratum an Hothoniel fuerit immediatus filius Kenazi, an aliquis ex posteris eius. Vide Iosue XIV. 6. & cap. XV. vers. 17. FILII OTHONIELIS. De hoc inclyto viro, Iosue XV. 17. & 18. & Iudicum I. 13. & 14. HATHATH, ET MAHONATHI. Hebr. non est *Mehonothai*; sed recte subauditum a Nostro ex versu sequente. Vide similem eclipsim sup. vers. 7.

V. 14. PATREM VALLIS ARTIFICUM. Quidam, *Patrem*, id est dominum, auctorem, seu principem, *degentium in valle fabrorum*: quam aiunt sitam fuisse in finibus Iehudæ, & Biniaminis, ac proinde mixti Imperii, Nehem. XI. vers. 35. IBI QUIPPE ARTIFICES ERANT, seu *fabri*: intelligunt cuiuscumque materiæ, ligni, ferri, & similium.

V. 15. FILII IEPHONE. Hebr. *Iephuneh*. Notant hunc fuisse filium, vel e posteris Kenazi, de quo supra vers. 13. unde Calebus dictus est *Kenizæus*, Num. XXXII. vers. 12. FILII QUOQUE ELA, CENEZ. Hebr. *Et filii Elah*, *& Kenaz*. Exponunt, etiam Kenaz, sive alter, seu secundus Kenaz, ab illo primo, de quo supra vers. 13.

V. 17. ET FILII EZRA. Hebr. *Et filius Hezrah*: vel est enallage numeri; vel vox filius collective ponitur: nam plures fuerunt filii. GENUITQUE MARIAM. Hebr. est verbum femineum, *Et concepit*, seu *peperit Miriam*, ut initium operis, ut alias Hebraica phrasi ponatur pro fine. Vide Iob III. 3. Est Miriam dissyllabum, & in accusandi casu. Plerique subaudiunt, Et uxor Ezræ *concepit*, vel *genuit Miriamam*. Alii, ex collatione huius versus cum sequente, & ex ipso filo orationis, potius subaudiunt, *Concipiens autem uxor Meredi peperit Miriamum*: & hanc uxorem Meredi eam esse volunt quæ sequente versu dicitur Bithiah filia Pharaonis. Quod mihi sane penitius introspicienti appositissimum videtur. *Mariam*. Hebr. *Miriam*. Quidam nomen viri esse putant, *Miriamum*. Nec absurde: quorsum enim hic inserta femina in serie genealogiæ? sed analogia sororis Mosis, & Aharonis eiusdem nominis, feminam indicat fortasse insignem ac celebrem. PATREM ESTHAMO. Hebr. *Esthemoagh*: de quo oppido vide Iosue XV. 50. & cap. XXI. vers. 14. Quidam reddunt, *Patrem Esthemohæorum*.

V. 18. UXOR QUOQUE EIUS. Plerique, *Eius*, id est *Iisbachi*, qui proxime antecessit. Alii, *Eius Meredi*, qui duas videtur habuisse uxores, ut satis hoc versu indicatur: & hoc est aptius. PATREM GEDOR. Quidam, *Patrem Gedoræorum*, ex parte: confer cum vers. 4. supra. PATREM SOCHO: de quo oppido vide Ios. XV. 15. & 48. Aliqui, *Patrem Sochæorum*, vel *Sochuntinorum*. PATREM ZANOE. Hebr. *Zanoach*: de qua urbe vide Iosue XV. 34. & 56. II AUTEM FILII BETHIAE FILIAE PHARAONIS, QUAM ACCEPIT MERED. Pudet referre quam ridicule & inepte alii hunc locum accipiant. Simplicissima omnium expositio est: *Illi quidem filii erant Bithiæ filiæ Pharaonis*, *quam duxerat Mered*; quasi dicat, *Iered*, *& Gheber*, *& Iekulthiel*. Hoc versu recensiti erant filii Meredi ex uxore Haiehudiiah, ut hic dicitur; at illi quos antea enumeravit vers. 17. *Miriam*, *& Samai*, *& Iisbach*, fuerunt filii eiusdem Meredi ex priore uxore, quæ fuit Bithiah filia Pharaonis, quam duxerat Mered. Frustra sunt qui locum aliter torquent. FILIAE PHARAONIS. Nolunt hic quidam intelligi Pharaonem AEgypti Regem, sed virum aliquem Hebræum eius nominis; at cum ea appellatio propria fuerit AEgyptiorum Regum, nihil vetat Regem hic AEgypti intelligi.

V. 19. ET FILII UXORIS ODAIAE. Hebr. *Hodiiah*. Quidam notant esse viri nomen: rectius est ut sit mulieris; & per aphæresim dictam volunt, pro Iudæa. PATRIS CEILA. Hebr. *Keghilah*: de qua vide Iosue XV. 44. Nonnulli, *Patris Kehilæorum*. QUI FUIT DE MACHATHI. Hebr. *Mahacathites*, vel *Mahacathæus*. Vide Deuteron. III. 14.

V. 21. PATER LECHA. De hac nihil

hil norunt, nisi fuisse urbem in tribu Iehudæ. Quidam, *Pater Lecanorum*. PATER MARESA: de qua vide Iosue xv. 44. Aliqui, *Pater Maresanorum*. ET COGNATIONES DOMUS OPERANTIUM BYSSUM. Hebr. *Et familiæ domus operis byssi*. Quidam: *Et familiæ gentis opificii*, *byssini*, vel *gentis artificis in bysso*, id est gentis quæ textrinam byssorum artificiose exercebat. Quidam pro nominibus propriis accipiunt: *Et familiæ domus Ghabodath-Habutz*. IN DOMO IURAMENTI. Hebr. *Domui*, *ad domum*, *Asbeah*, id est pertinentes ad domum, id est familiam, seu gentem Asbethæ.

V. 22. ET QUI STARE FECIT SOLEM. Hebraice, Græce, & Chaldaice, nulla est difficultas: nam tantum habetur, *Et Iochim*, nomen viri ex posteris Iehudæ Patriarchæ. Sed Latine est ingens crux ingeniorum, unde Noster habuerit, *Qui stare fecit solem*, aut quis iste vir fuerit qui solem stare fecerit tam stupendo miraculo. Nos omnem honorem vulgatæ Editioni ab Ecclesia approbatæ equidem habemus; sed auctorem tanti miraculi edere non possumus. Illud certissimum, huius miraculi apud nullum veterum Patrum extare ullam memoriam. Nam quæ apud auctorem Traditionum Hebraicarum in I. Paralip. scriptorem sane haud idoneum, Lyranum, & alios recentiores leguntur, nulla prisca aut solida auctoritate nituntur. Si nomen יוקים *iokim*, Latine interpretari libet, possis dicere *suscitatorem*, *statorem*, *erectorem*; at *Solis* vox nulla hic Hebraice. VIRIQUE MENDACII. Interpretatus est Hebraicum nomen loci proprium, *Et homines Chozeba*: de quo oppido vide Iosue xv. 44. ubi vocatur *Achzib*; & Genes. XXXVIII. vers. 5. ubi dicitur *Chazib*: in quo natus fuit ipse Selah, ut ibidem dicitur. ET SECURUS, ET INCENDENS. Expressit Latine propria nomina virorum Hebraica, *Et Ioas*, *& Saraph*. יואש *Ioasch*, proprie, *Desperatus*, *conclamatus*, *abdicatus*, *diffusus*. שרף *Saraph*, *præster*, vel *combustus*, seu *comburens*. QUI PRINCIPES FUERUNT IN MOAB. Verbum בעל *baghal* construitur hic cum dativo. Unde exponunt: *Qui dominati fuerunt ipsi Moab*. Quidam: *Qui dominium habuerunt in Moabitas*, id est pro Rege in agro Moabitarum imperaverunt. Alii: *Qui subiugaverunt Moabitas*. Nec desunt qui reddant: *Qui mariti fuerunt in Moab*, id est duxerunt uxores Moabitidas. Possis exponere: *Qui possederunt in Moab*, id est possessiones obtinuerunt in agro Moabitico. ET QUI REVERSI SUNT IN LAHEM. Hebr. ישבי לחם *& Iaschubi-Lechem*. Noster *iaschubi* a שוב *scub* deduxit. Alii a ישב *iaschab*, *habitatores*, *inquilini*, *cives*, *Lechem*, id est *Beth-lechem*, dimidiato nomine. Plerique *Iaschubi-Lechem*, nomen proprium alicuius viri accipiunt. HAEC AUTEM VERBA VETERA. Hebr. הדברים עתוקים *haddebarim ghattukim*. Quidam putant fuisse nomen prisci Commentarii, quod ita inscribebatur, *Verba vetusta*, in quo hæc omnia continebantur, qui tamen iniuria temporum interciderit. Aliqui exponunt: Id est, ista nomina sunt virorum veterum. Hebræi intelligunt, *Hæc sunt verba antiqua*; id est, ex antiqua traditione scripto non prodita, nota per kabalam, & translata ore tenus, hæc omnia accepimus. Alii: Hæc gesta, sive hæ res iam olim antiquitus contigere, non sunt nostrorum temporum, sed ante tempora Regum evenerunt. Nonnulli: *Sed res istæ sunt obsoletæ*; quasi dicat: Supervacaneum esset plura de istorum gente, possessione, & dignitate referre, cum iam hæc omnia posterorum ignavia sepeliat: qui figlinam, agricolationem, & rusticam structuram, denique miseram apud Babyloniam servitutem suæ libertati prætulerint, ut apparet ex versu sequente. Alii: *Et verba antiqua enarramus*; id est, vetustas historias, & veteres annales evolvimus. Quidam: *Et verba provecta*, *translata*, scilicet ad posteros, vel figurata & metaphorica: ut nomine figulorum, plantationum, sepium, de quibus versu sequente, intelligat præclaras aliquas & magnas functiones aut dignitates, quas apud Regem viri illi obierunt. Possis vertere: *Et verba dura*, seu *fortia*, id est densa, obscura, difficilia; quasi dicat: In tanta vetustate sunt res istæ obscuræ multis. Mihi simplex sensus videtur: *Et verba durabilia*; id est, res istæ hic narratæ, seu historiæ istæ durabiles, permanentes erunt: durabit memoria earum animis hominum infixa in omnem posteritatem, seu in longissimum tempus. Vel, *Et verba fortia*,

id

id est, fortia facta, & præclara facinora fuerunt istorum virorum qui dominati sunt in Moab.

V. 23. HI SUNT FIGULI HABITANTES IN PLANTATIONIBUS, ET IN SEPIBUS: Varie reddunt. *Isti sunt figuli & habitatores Netahim & Gederah*. Quod Noster *plantationes*, & *sepes* dixit, nomina propria locorum plerique intelligunt. II. *Isti sunt figuli illi, desidentes ad plantas, & macerias*; id est, isti fuerunt peritissimi artis figlinæ, rei hortensis, agricolationis, seu agrorum culturæ; item omnis structuræ rusticæ, ut extruendarum sepium, maceriam, &c. APUD REGEM IN OPERIBUS EIUS, &c. Hebr. *Cum Rege in opificio eius, habitaverunt ibi*. Exponunt: Habitaverunt cum Rege propter opus eius; id est, commorati sunt apud Regem, ut opificium eius curarent in figlina, agricultura, & maceriarum structura: vel in magno pretio apud Regem fuerunt ob artem qua ei inserviebant. *Cum Rege*, quidam intelligunt Davide; alii Rege Moab; alii Rege Babyloniæ, quod est rectius. COMMORATIQUE SUNT IBI; vel *desederunt*, *manserunt ibi*: scilicet vel in Moab, vel in Babylonia, quod est aptius. Fortasse innuit hos non rediisse in patriam cum reliquis.

V. 24. NAMUEL. Hic Genes. XLVI. 10. dicitur *Iemuel*. IARIB. Genes. XLVI. 10. videtur vocari *Iachin*. ZARA. Hebr. *Zerach* Genes. XLVI. 10. videtur appellari *Izochar*. Et hic omittitur *Obad*, qui ibi exprimitur.

V. 28. IN BERSABEE: de qua vide Iosue XV. 28. Genes. XXI. 31. & 33. MOLADA. Vide Iosue XV. 26. HASARSUHAL. Vide Iosue XV. 28.

V. 29. BALA. Hebr. *Bilhah*: de qua vide Iosue XV. 29. & XIX. 3. ASOM. Hebr. *Ghetzem*: de qua vide Iosue XV. 29. THOLAD: de qua Iosue XV. 30. ubi vocatur *Eltholad*.

V. 30. IN BATHUEL. Hæc Iosue XIX. 4. *Bethul* vocatur, & Iosue XV. 30. *Chesil*. Ibi vide. HORMA. Vide Iosue XV. 30. SICELEG: de qua ibidem 31.

V. 31. BETHMARCHABOTH. De ea vide Iosue XIX. 5. BETHBERAI. Hebr. *Beth-birei*. Vide Iosue XIX. 5. SAARIM: de qua vide Iosue XV. 36. Hanc putant dici *Saruchen*, Iosue XIX. 6. Harum duodecim urbium fit quoque mentio Iosue XIX. a vers. 2. usque ad 6. quæ cum fuerint sortis Iehudæ, attributæ sunt tribui Simhonis. USQUE AD REGEM DAVID. Hebr. *Usque ad regnare Davidis*. Quidam: *Donec regnavit David*; id est, eas possederunt Simhonitæ, *usque ad tempus quo regnavit David*, qui eas restituit Iudæis. Alii: *Quamdiu regnavit David*, id est posteritas Davidis, hoc est usque ad captivitatem Babylonicam.

V. 32. ETAM. Hebr. *Ghetam*. Vide Iosue XV. 9. in Notis. AEN, REMMON, THOCHEN, ET ASAN. De his quatuor pagis vide Iosue XIX. 7. *Thochen*. Hanc existimant, Iosue XV. vers. 42. & cap. XIX. vers. 7. appellari *Ghether*. Vide Comm. ibi.

V. 33. USQUE AD BAAL: de qua vide Iosue XIX. 8. ET SEDIUM DISTRIBUTIO. Nos Hebraica verba expressimus (*Et genealogizare se facere eorum eis*.) Alii diversimode reddiderunt: 1. *Et recenseri eorum ipsis*; 2. *Et genealogia eorum ipsis*; 3. *Atque propagatio ipsorum*; 4. *Prout per gentes se distribuendo adierunt illas*. Verbum יחש *iachasch* in Hitphahel, proprie est *genealogizavit*, id est recensuit per genealogias, familias, & cognationes.

V. 38. ISTI SUNT NOMINATI, &c Hebr. *Isti venientes in nominibus*. Quidam: *Isti fuerunt qui venerunt per nomina*, id est qui nominatim designati sunt. Alii: *Hi quorum adducta sunt nomina*, seu quorum descripta sunt nomina. Sic infra vers. 41. Nonnulli: *Isti sunt inclyti*. Putant esse Hebraismum, *Venientes in nominibus*, id est nominati, famosi, celebres, inclyti.

V. 39. ET PROFECTI SUNT. Hebr. *Et ambulaverunt, abiverunt*, præ multitudine, ut novas sedes, & pascua pecoribus quærerent. UT INGREDERENTUR IN GADOR. Hebr. *ad introitum*, seu *aditum Ghedor*. Hanc esse volunt *Ghederam*, vel *Ghederothas*, de quibus Iosue XV. 36. Vide Comm. ibi. Alii existimant potius fuisse Ghedor, de qua Iosue XV. 58. quod verosimilius videtur, nam nomen est omnino idem. USQUE AD ORIENTEM VALLIS, quæ scilicet erat iuxta Ghedor. Quidam: *Usque ad orientalem tractum ipsius vallis*, quæ protenditur ad Ephes-Dammimis, Hekronem, seu Acharonem usque. Vide I. Samuel. XVII. 1. Id quidem recte

cte quadrat, si Ghedor sit Ghederah Iosue xv. 36. non tam recte, si est Ghedor Iosue xv. vers. 58. sed plane loca erant non admodum dissita. Fortasse vallis erat quæ I. Samuel. xvii. 2. & 9. cap. xxi. vers. 9. dicitur *Vallis Elah*, id est *Quercus*, seu *Terebinthi*.

V. 40. Et terram latissimam. Hebr. *Et terra lata manuum*, vel *manibus*. Vide de hac locutione Genes. xxxiv. 21. In qua ante habitaverunt de stirpe Cham. Hebr *Quia de Cham orti erant habitantes ibi ante*. Notant esse ætiologiam sequentium, nimirum quo iure eos profligaverint, quod essent de stirpe Cham, nempe Pelisthæi, Genes. x. 14.

V. 41. Et habitatores. Hebr. *Et Mahunim*, nomen proprium loci esse putant aliqui, de quo vide II. Paralipom. xxvi. 6. Usque in praesentem diem, quo desiit regnum Davidicum, supra vers. 31. & infra vers. 43.

V. 42. In montem Seir: de quo vide in Genes. xiv. 6.

V. 43. Reliquias, quae evadere potuerant, Amalecitarum. Hebr. *Residuum evasionis ipsi Hammalek*. Aliqui, *Residuum quod evaserat Hamalekitarum*, nimirum ex eorum clade sub Saule I. Samuel. xiv. 48. & cap. xv. & sub Davide II. Samuel. viii. & xii.

MENOCHII.

Vers. 1. Filii Iuda: Phares. Hesron, &c. Phares solus est Iudæ filius, ceteri nepotes.

V. 2. Hae sunt cognationes Sarathi; id est, ab istis propagatæ sunt cognationes, seu familiæ Sarathitarum.

V. 3. Ista quoque est stirps Etam, quæ scilicet sequitur. Pater Gedor, id est princeps Gedor, quæ est civitas tribus Iuda in sorte Dan ex Adrichom. in Daniel. xxviii. eodem modo nomen patris accipitur in sequentibus.

V. 9. Quia peperi eum in dolore. Iabes enim significat dolorem, sive tristitiam.

V. 10. Si benedicens benedixeris mihi: formula voventis. Subintellige, aut illud faciam. Dilataveris terminos meos: auxilio tuo iuveris, ut possessionis meæ fines proferre, & amplificare possim. Feceris me a malitia non opprimi: *feceris liberationem a malo, ne dolore afficiar*, ut ex Hebræo vertit Vatablus.

V. 12. Hi sunt viri Recha. Videtur esse oppidi alicuius nomen, ut Lyranus, & Abulensis tradunt. Dicuntur *viri Recha* quod eorum familiæ Recham incoluerint.

V. 13. Othoniel. Hic est Othoniel primus Hebræorum Iudex, de quo Iudic. iii. 9. Vide ibi dicta.

V. 14. Patrem vallis artificum, principem, aut dominum vallis, ex qua aliquod genus artificum prodire solebat: quodnam genus artificii exercerent, colligi non potest ex Scriptura.

V. 15. Caleb filii Iephone. Additur, *Filii Iephone*, ut distinguatur a Caleb filio Esron, de quo dictum fuerat cap. ii. num. 18.

V. 18. Uxor quoque eius, id est Caleb, inquit Emmanuel Sa. Alii dicunt fuisse uxorem Ezra. Alii Esthamo, quem proxime nominavit sacer textus, in quam sententiam videtur inclinare Abulensis. Filiae Pharaonis. Etiam Reges filias suas aliquando nuptui dant non Regibus si multas habeant, aut ex legitimis nuptiis natæ non sint; & qui eas ducunt alioqui sint viri primarii, qualem fuisse Mered dubium esse non potest.

V. 20. Filii quoque Simon. Non est hic Simon princeps & caput unius tribus, sed alius quidam de tribu Iuda.

V. 21. Filii Sela filii Iuda. Iudam Iacob filium Selam filium suscepisse, habemus Genes. xxxviii. 5. ex matre Chananæa. Her pater Lecha. Sententia est: Her dominum Lecha filium fuisse Sela filii Iuda, filii Iacob. Cognationes domus operantium byssum. Familiæ quædam, quæ in operibus ex bysso excelluerunt, & hoc artificium peculiariter coluerunt. In domo Iuramenti. Videtur esse nomen loci, itaque Pagninus, & Vatablus vocem Hebraicam retinent tamquam nomen proprium, *In domo Asbeah* אשבע.

V. 22. Qui stare fecit solem. Hoc versiculo aliquorum nominum interpretatio pro ipsis nominibus ponitur. Itaque Pagninus, & Vatablus vertunt: *Et Io-*

Iochni, & viri Chozebah, & Ioas, & Saraph, qui dominati sunt in Moab. LXX. etiam nomina propria retinuerunt. QUI REVERSI SUNT IN LAHEM. Vatablus, *Et Iasubi Lehem*. HAEC AUTEM VERBA VETERA. Hic etiam LXX. nomina propria agnoscunt: nam habent, *Et reduxit eos Abederim*, *Athuciim*.

V. 23. HI SUNT FIGULI; id est, hæ cognationes artem figulinam exercuerunt. IN PLANTATIONIBUS, ET IN SEPIBUS. Sunt nominum propriorum interpretationes: itaque LXX. habent, *Habitantes in Atharim*, & *in Gadira*. In textu etiam Latino emendato Romæ edito voces *Plantationibus*, & *Sepibus* litteris initialibus maiusculis scribuntur, ut intelligatur esse nomina propria. APUD REGEM, Hebræorum qui erat eo tempore. Emmanuel Sa Davidem putat.

V. 24. FILII SIMEON NAMUEL, &c. Hoc repetitur ex Genes. XLVI. 12. ubi tamen *Iamuel* dicitur, non *Namuel*. IERIB. Huius non meminit sacer Textus Gen. XLVI. fortasse idem erit cum Sohar, cuius hic nulla est mentio.

V. 25. FILIUS EIUS, id est Saul, cuius proxime mentio facta fuerat, & sic etiam intellige sequentia.

V. 25. FRATRIS EIUS, filii scilicet Simeonis, & posteri. UNIVERSA COGNATIO NON POTUIT ADAEQUARE SUMMAM FILIORUM IUDA. Universa tribus Simeon pauciora numeravit capita quam tribus Iuda; immo ne alias quidem tribus æquavit, ut patet in duplici populi censu, altero Numer. cap. I. 22. & cap. XXVI. 14.

V.31. USQUE AD REGEM DAVID: quod dicitur propter Siceleg, quæ cum esset in sorte Simeon, ut patet ex hoc loco; facta tamen est Regum Iuda, ut habemus I. Reg. XXVII. num. 6.

V. 33. USQUE AD BAAL, quæ est civitas in tribu Simeon, quæ etiam dicitur *Balaath*, & a D. Hieronymo, *Ballath*, cuius mentio est Iosue XIX. I. Adrichom. in Simeon num. 24. ET SEDIUM DISTRIBUTIO. Hebr. & LXX. habent, *Et genealogia eorum*.

V. 38. MULTIPLICATI SUNT VEHEMENTER, comparatione aliarum familiarum tribus Simeon.

V. 39. IN GADOR, quæ etiam *Gedor* dicitur. Vide dicta num. 4. USQUE AD ORIENTEM, id est usque ad orientalem plagam vallis.

V. 40. IN QUA ANTE HABITAVERANT DE STIRPE CHAM: antequam scilicet eiicerentur a Simeonitis.

V. 41. TABERNACULA EORUM, domos scilicet, vel tentoria, in quibus more pastorum habitabant. USQUE IN PRAESENTEM DIEM, usque ad tempus quo hæc scribebantur ab Esdra, qui auctor creditur huius libri.

V.42. DE FILIIS QUOQUE SIMEON, &c. Quando hæc acciderint, non habemus ex Scriptura. Probabile est, eodem tempore Ezechiæ hanc etiam expeditionem susceptam contra Amalecitas. IN MONTEM SEIR, in Idumæam.

V. 43. RELIQUIAS AMALECITARUM, quæ Saulis, Davidis, & aliorum Regum manus evaserant, & in montibus Seir adhuc habitabant. Porro Amalecitarum regio est fere ad meridiem Idumææ, cui per desertum coniungitur. Vide Adrichomii tabulas.

TIRINI.

Vers. I. NOmen *Filii* in his capitibus non semper proprie sumitur, sed sæpe pro posteris: nam Esron nepos fuit Iudæ, Charmi fuit pronepos; & sic de ceteris. Tantum enim intendit hic sacer Scriptor commemorare quinam ex quaque familia insignes fuerint seu virtute, seu prolixa posteritate. Pari modo neque nomen *Patris* semper proprie accipitur, sed subinde pro principe; verbi gratia, *Hur* vers. 4. vocatur *pater Bethlehem*; *Assur*, vers. 5. *pater Thecuæ*: vers. 14. *Ioab pater Vallis artificum*, id est princeps loci sic nominati.

V. 8. COS, ut ex affinitate nominis apparet, idem videtur esse cum Cenez vers. 13. frater Ethnani, pater Iephone vers. 15. avus Calebi secundi, & Othonielis vers. 13. unde uterque a communi avo dictus fuit Cenezæus, ut dixi alibi *a*.

V. 9. IABES significat *dolorem*: quo nomine voluit filium mater vocari, eo quod exquisitissimis doloribus partus illum enixa esset. Qui hic *Iabes* fuerit, non constat; sed neque quis pater illius, quis avus: solum constat, ex posteris Iuda fuisse,

se, ac præ contribulibus suis inclytum & præluſtrem. Veriſimile autem eſt filium fuiſſe Arum, fratrem Aharelis verſ. 8. & Othonielis verſ. 13. nepotem Cenez ſeu Cos, de quo ſupra.

V. 15. CALEB FILII IEPHONE. Quo ſenſu id verum ſit, itemque quis fuerit hic *Caleb*, & *Othoniel*, dixi Num. XXXII. 12. & in Chronico *b*.

V. 21. IN DOMO IURAMENTI. Hebraice *Esbaa*, eſtque nomen proprium. Sed Noſter pro nomine proprio ſignificationem nominis poſuit, uti ſæpiſſime facit his decem primis huius Lib. capitibus. Simili modo.

V. 22. QUI STARE FECIT, ſupple SOLEM, ſignificatio eſt nominis proprii *Ioachim c*. Sic VIRI MENDACII, pro *viris* oppidi *Cozeba*. Rurſum SECURUS ET INCENDENS, pro *Ioas*, *&* *Seraph*. Hi enim quatuor fuere principes ex poſteris Iuda per *Selam* propagatis: qui peregrinati fuerunt in *Moabitica* regione, forte cum *Elimelech* *&* *Noemi*, Ruth. 1. occaſione famis in Iudæa; *ſed reverſi ſunt* poſtea in *Lahem*, ſeu *Bethlehem*. Nam Hebræi ſæpe partem alteram nominum propriorum abiiciunt, ut vidimus ſupra cap. II. verſ. 9. *Ram*, pro *Aram*. Et Ruth 1. ubi Noemi & Ruth ſimili modo reverſæ dicuntur *in Bethlehem*, Hebraice eſt, *in Lehem*. Et I. Paral. XX. 5. ubi Adeodatus vocatur *Bethlehemites*, Hebraice eſt *Lehemites*. Et Ieremiæ XXII. 24. *Iechonias* Rex, in Hebræo vocatur *Chonias*. Ex his clariſſime patet, fabuloſum eſſe quod S. Hieronymus *d*, Dionyſius, Hugo, Lyranus, Fevardentius, Abulenſis, & Gloſſa Ordinaria, ex Hebræorum ſomniis tradunt, ad preces Elimelechi, ut ſuos Bethlehemitas converteret, ſtetiſſe ſolem ut ſteterat tempore Ioſue. Nam *Ioachim* nomen proprium eſt, & ſignificat *ſtare fecit*, ſed non *ſolem*, cuius neque mentio eſt in Hebræo, neque videtur ad Latinum textum adiungi debere: forſan ab aliquo ſciolo ad marginem primo, deinde etiam in textum inſertum fuit. Certum de Elimelecho nullam hic mentionem eſſe, ubi de quatuor illis agitur, qui e Moabitide in Bethlehem reverſi ſunt. Atqui conſtat ex Ruth 1. Elimelechum in Moabitide defunctum eſſe, neque umquam in Bethlehem revertiſſe.

V. 40. DE STIRPE CHAM, nempe Chananæi, poſteri Chami. Cum enim ſentirent Simeonitæ ſe nimis anguſtis finibus arctari, Chananæis e vicinia, ubi hactenus ſubſtiterant, vi ſubmotis, eorum urbes, & agros, & paſcua ſibi vindicarunt initio regni Ezechiæ, ut hic dicitur verſu ſequenti. Sed amplificatis ita finibus non diu uti potuerunt: nam anno ſexto regni Ezechiæ, capta Samaria, tribus Simeonis cum reliquis novem Iſraelitarum tribubus captiva in Aſſyriam abducta eſt. IV. Reg. XVII. 6. & XVIII. 10.

(*a*) Num. cap. XXXIII. verſ. 12.
(*b*) Chron. cap. XLVI. in genealog. Iudæ.
(*c*) Proleg. de Idiotiſm. Hebræor. num. 17.
(*d*) Hieron. in Tradit. Hebraicis, Fevard. in cap. 1. Ruth, alii hic.

GORDONI.

Verſ. 1. IN hoc primo verſu ſolus Phares eſt filius Iudæ, reliqui nepotes, & poſteri. Per *patrem vallis* dominum intellige. ARTIFICES ibi varii.

V. 21. IN DOMO IURAMENTI. Septuag. *Domum operantis linum domini Aſeba*. Hebr. *Et cognationes domus operantium byſſum in domo Aſbeah*. τὸ אשבע eſt nomen proprium, cuius loco Noſter (ut aliquando ſolet alibi) poſuit hanc vocis huius interpretationem, *In domo iuramenti*:

V. 22. ET QUI STARE FECIT SOLEM. Qui hic recenſentur, in Hebræo ſunt propria nomina. Quorſum ergo τὸ, *Qui ſtare fecit ſolem?* Apud Vulgatum, verum quod iam dixi, eſt interpretatio nominis proprii, ut etiam in tribus nominibus ſequentibus, VIRI MENDACII, ET SECURUS, ET INCENDENS, quæ ſunt totidem nominum propriorum interpretationes. Septuag. ſic habent: *Et Ioacim*, *&* *viri Choceba*, *&* *Loas*, *&* *Serap*. Sic potius interpretor hunc locum quam cum Hugone, Lyra, Dionyſio, Abulenſi, & aliis; qui ſecuti traditionem quamdam Hebr. volunt ex hoc loco haberi, ſolem iam tertio ſtetiſſe. VERBA VETERA; quaſi diceret: Ne mireris, ſi non ſunt nota.

V. 23. & 25. HABITANTES IN PLANTATIONIBUS. Hi in hortis verſabantur, & eos colebant. FILIUS EIUS, id eſt proximi præcedentis: & ſic deinceps. Hic autem advertendum aliquas civitates unius tribus in-

terdum alteri, ac præfertim Iudæ fuiffe applicatas: quo fit ut diftinguere oporteat tempora, dum de hoc agitur.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. FILII. Solus Phares eft filius Iudæ, alii nepotes funt, qui vulgo vocantur filii.

V. 4. PATER GEDOR, princeps, fic fæpe deinceps.

V. 10. SI BENEDICENS. Verba fpeciem habent voventis, & promittentis aliquid.

V. 13. OTHONIEL eft Iudicum primus.

V. 15. Alter Caleb fuit filius Etron, de quo cap. 11.

V. 21. Involuta oratio hunc habet fenfum: Her dominus Leucha, filius fuit Sila filii Iuda, filii Iacob. BYSSUM. Hanc artem callebant.

V. 23. IN PLANTATIONIBUS, ET IN SEPIBUS. Hoc de figulina arte, & colentibus hortos, proprie intelligi poteft. Sunt autem qui hæc verba, *In Plantationibus, & in Sepibus*, velint effe interpretationes nominum propriorum. Et in textu Latino Romæ edito, maiufculis fcribuntur. Septuag. quoque habent *Athania, & Gadira*.

V. 27. FRATRES AUTEM EIUS, nempe Simeonis, de quo cœpit agere verf. 24. Hæc tribus pauciores numerabat quam Iuda.

V. 31. REGEM DAVID, qui Siceleg tranftulit a tribu Simeon ad Iuda.

V. 33. BAAL urbs in tribu Simeon.

V. 39. GADOR, *Gedor* verf. 4.

CAPUT V.

Catalogus filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaffe, & habitatio eorum qui percufferunt Agarenos, fed tandem ducti funt ad Affyrios ob idololatriam ipforum.

1. FIlii quoque Ruben primogeniti Ifrael (ipfe quippe fuit pri-
mogenitus eius; fed cum (*a*) violaffet tronum patris fui, data
funt primogenita eius filiis Iofeph filii Ifrael, & non eft il-
le reputatus in primogenitum. 2. Porro Iudas, qui erat for-
tiffimus inter fratres fuos, de ftirpe eius principes germina-
ti funt: primogenita autem reputata funt Iofeph.) 3. Filii (*b*)
ergo Ruben primogeniti Ifrael: Enoch, & Phallu, Efron,
& Carmi. 4. Filii Ioel: Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, 5.
Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, 6. Beera filius eius, quem
captivum duxit Thelgathphalnafar Rex Affyriorum, & fuit princeps in tribu
Ruben. 7. Fratres autem eius, & univerfa cognatio eius, quando numerabantur
per familias fuas, habuerunt principes, Iehiel, & Zachariam. 8. Porro Bala filius
Azaz, filii Samma, filii Ioel, ipfe habitavit in Aroer ufque ad Nebo, & Beel-
meon. 9. Contra orientalem quoque plagam habitavit ufque ad introitum ere-
mi, & flumen Euphraten. Multum quippe iumentorum numerum poffidebant in
terra Galaad. 10. In diebus autem Saul * præliati funt contra Agareos, & inter-
fecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga,
quæ refpicit ad orientem Galaad. 11. Filii vero Gad e regione eorum habita-
verunt in terra Bafan ufque Selcha: 12. Ioel in capite, & Saphan fecundus: Ia-
nai autem, & Saphat, in Bafan. 13. Fratres vero eorum fecundum domos co-
gna-

gnationum suarum, Michael, & Mosollam, & Sebe, & Iorai, & Iachan, & Zie, & Heber, septem. 14. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Iara, filii Galaad, filii Michael, filii Iesesi, filii Ieddo, filii Buz. 15. *Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis. 16. Et habitaverunt in Galaad, & in Basan, & in viculis eius, & in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos. 17. Omnes hi numerati sunt in diebus Ioathan Regis Iuda, & in diebus Ieroboam Regis Israel. 18. Filii Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælia, quadragintaquatuor millia & septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam. 19. Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi vero, & Naphis, & Nodab, 20. præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, & universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur: & exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. 21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum centum millia. 22. Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem. 23. Filii quoque dimidiæ tribus Manasse, posederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat. 24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, & Iesi, & Eliel, & Ezriel, & Ieremia, & Odoia, & Iediel, viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familiis suis. 25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis. 26. Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul Regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnasar Regis Assur: & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan, usque ad diem hanc.

(a) Genes. xxxv. 24. & xlix. 4. (b) Genes. xlvi. 9. Exod. vi. 14. Numer. xxvi. 5.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 10. *Præliati sunt contra Agaræos.* Alii *contra Agarenos*. Prior scriptura hebraice propius respondet. Eadem varietas occurrit infra vers. 19. & 20.

V. 15. *Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus*. Non facile mutandus est numerus singularis in pluralem *principes*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. FILIIS IOSEPH, scilicet quantum ad duplicem portionem, nam quantum ad dignitatem, Iudæ.

V. 11. BASAN, quæ contigua regioni Galaad.

V. 12. IN CAPITE, id est primus, seu princeps. SECUNDUS, scilicet a Ioel.

V. 13. DOMOS, id est familias.

V. 15. FRATRES QUOQUE FILII. Hebr. *Achi filius*. LXX. *filii* νοῦ: scilicet legunt, *Filii Buz, filii Abduel*, &c.

V. 16. BASAN, scilicet civitate Metropoli: eodem enim cum regione nomine vocabatur. TERMINOS, scilicet eorum; quasi dicat totam regionem.

V. 19. ITURAEI, &c. LXX. *Ituræos, & Nephisæos, & Nedabæos*.

V. 20. PRAEBUERUNT EIS AUXILIUM. LXX. *Clamaverunt contra eos*, scilicet Deum invocaverunt. Alii: *Auditi sunt contra eos*, scilicet a Deo.

V. 22.

V. 22. DOMINI DEI, id est Deo iuvante gestum. TRANSMIGRATIONEM, scilicet sub Rege Assyriorum.

V. 26. ARA. Hanc quidam dicunt esse *Rages*, de qua Tob. I.

ESTII.

Vers. I. FILII QUOQUE RUBEN... & 2. IPSE QUIPPE FUIT PRIMOGENITUS Israel: SED CUM VIOLASSET TORUM PATRIS SUI, DATA SUNT PRIMOGENITA EIUS FILIIS IOSEPH, &c. Ad huius loci intellectum, sciendum ad ius primogeniturae tria olim secundum Hebraeos pertinuisse. Primo duplicem portionem hereditatis, secundo principatum, tertio sacerdotium. Cum ergo Ruben iure primogeniturae excidisset, propterea quod violasset torum patris sui, ius illud quantum ad duplicem portionem hereditatis translatum est in Ioseph; quando videlicet Iacob duos filios eius, Ephraim, & Manassem, cooptavit in filios suos, Gen. XLVIII. & XLIX. ita ut singuli solidam portionem acciperent inter filios Iacob: unde per consequens tribus Ioseph duplicem habuit portionem. Quantum ad principatum, translatum est ad Iudam his verbis: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, Genes. XLIX. & hoc loco: DE STIRPE EIUS PRINCIPES GERMINATI SUNT. Quantum ad sacerdotium, ad tribum Levi, ex ordinatione Dei per Moysem. Quod ergo hic dicitur: PRIMOGENITA AUTEM REPUTATA SUNT IOSEPH: intelligendum est quantum ad duplicem portionem, non quantum ad reliqua iura. Illud tamen de sacerdotio primogeniturae annexo, tantum traditio est Hebraica minus probabilis, de quo vide Genes. XXV. & XXVII. & in IV. distinct. XXV. & ad Hebr. XII.

V. 20. ET EXAUDIVIT EOS, EO QUOD CREDIDISSENT IN EUM. Intelligitur vel fides qua Deum omnipotentem auxiliatorem credebant, cuius fidei merito exauditi sunt, & victoria potiti: vel fides pro fiducia ponitur, ut sensus sit: Ideo eos exauditos, quia oratione sua profitebantur fiduciam quam in Deo habebant, quod fere eodem recidit; non autem, ut quis suspicetur, certitudinem fidei in orante ad obtinendum id quod petit, requiri: id quod docent novi haeretici. Neque enim dicitur, quod credidissent Deum sibi adfuturum, sed simpliciter: *Eo quod credidissent in eum*: quomodo & in Simbolo dicitur, *Credo in Deum*.

MARIANAE.

Vers. I. RUBEN PRIMOGENITI ISRAEL, nativitate, & aetate. Verum in Ioseph ius primogeniturae est a patre translatum ob crimen Ruben. DATA SUNT PRIMOGENITA EIUS FILIIS IOSEPH: nimirum data sunt ei duplicia, quod est ius primogeniti, Deut. XXI. vers. 17. quando ex posteris Ioseph duae tribus sunt factae.

V. 2. DE STIRPE EIUS PRINCIPES GERMINATI SUNT, scilicet de stirpe Iuda. Hebr. *Et in ducem ex ipso*. Sic Sept. constructio inversa; pro, *ex ipso qui erit Israeli in ducem*, pro dux.

V. 4. FILII IOEL. *Ioel* cuius filius? dicunt Carmi, ex tribu Ruben, qui proxime praecessit. Fortassis non filius, sed ex eius posteris vir magnus, ideo eius posteros ponit. Samia filius, Gog fuit nepos Ioel, ac ceteri deinceps usque ad Beera, qui in Assirios est ductus.

V. 7. FRATRES AUTEM EIUS, scilicet Beera cognati. Quoniam dixit Beera fuisse principem in ea tribu, ait simul cum eo fuisse principes per partes Iechiel, & Zachariam, quando numerati sunt, ut in captivitatem irent, a Theglathphalasar Rege Assyriorum.

V. 8. BALA. Pronepos hic Ioel, qui magnus fuit, quando tenuit Aroer urbem totius terrae promissae, maxime orientalem, Deuteron. II. Ios. XIII. usque ad Nebo montem qui est prope Iordanem, Deuteron. ult. In diebus Saul praeliati sunt

V. 10. CONTRA AGAREOS. Sept. & plerique Latini codices *Agarenos*. Hebr. *Nagheriim*. Hi sunt Ismaelitae, dicti *Agarei* ab Agar Ismaelis matre.

V. 11. E REGIONE EORUM HABITAVERUNT. Sic Sept. At Hebraeus *lenegdam* ait significare *iuxta illos*. Itaque Gaditae finitimi Rubenitis erant. USQUE SELCHA. Nomen urbis regni Og, Deut. III. Ios. XII. & XIII.

V. 12. IOEL IN CAPITE. Hebr. *Ioel caput*. Sep. ἄρχων, *princeps*. Erat totius

tius tribus Gad princeps: qui sequuntur, secundas, tertias, quartas partes obtinebant. Isti non fuerunt filii Gad ex Gen. XLVI. vers. 16. sed principes in ea tribu, tum hi quatuor, tum septem qui proxime sequuntur. Quo tempore? non constat: fortasse transmigrationis tempore, aut Regum Ioathan, & Ieroboam secundi, de quibus vers. 17. tunc hi fuere principes in ea tribu.

V. 14. HI FILII ABIHAIL: nimirum septem qui præcesserunt, filii fuerunt Abihail, & fratres inter se. Porro Abihail filius Huri, ac sic deinceps ascendendo ad octavam progeniem. Omnes illi sunt progenitores Abihail.

V. 15. FRATRES QUOQUE FILII ABDIEL. Hebr. *Achai filius Abdiel*. Sept. dempta voce *fratres*, dicitur, *Filii Abdiel*, ut continuetur cum superioribus, *Filii Buz*, *filii Abdiel*.

V. 16. IN GALAAD, ET IN BASAN, habitaverunt filii Abdiel. Galaad Deuteron. III. vers. 12. data est dimidiæ tribui Manasse, scilicet pars illius, non tota. At certe tota Basan Manasse est data, eodem loco vers. 13. sed particula aliqua relicta est, quæ Gaditis daretur, aut cum tempore loca mutata sunt. USQUE AD TERMINOS. Hebr. *Usque ad exitus eorum*; id est, totam eam regionem tenuerunt filii Abdiel.

V. 18. VIRI BELLATORES. Hebr. *a filiis fortitudinis*, sic Sept. id est fortes: nam *Fortes creantur fortibus*. Tales fuerunt Rubenitæ, & Gaditæ, fortes ipsi, & filii fortium.

V. 19. CONTRA AGAREOS. Pluribus bellum explicat, quod ante tetigerat. ITURAEI VERO, ET NAPHIS, ET NODAB. Hebr. & Græc. in ablativo, seu accusativo. Ergo dimicarunt contra Agareos, Ituræos, Nophim, & Nodabum, scilicet Rubenitæ.

V. 20. PRAEBUERUNT EIS AUXILIUM. Hebr. *Et clamaverunt*, scilicet Ituræi, Naphis, & Nodab contra eos, id est *dimicarunt*, sic Septuag. Hebr. זעק *bazar* sumo in significatione clamandi: unde nostri *Algazara*.

V. 22. BELLUM DOMINI, id est eo adiuvante factum. HABITAVERUNTQUE PRO EIS, scilicet pro Agareis. USQUE AD TRANSMIGRATIONEM, scilicet factam a Theglathphalasar Assyrio, IV. Reg. XV. 29.

V. 26. IN LAHELA, ET IN HABOR, ET ARA, ET FLUVIUM GOZAN, transtulit Assyrius Rubenitas, & Gaditas, IV. Reg. XVIII. 11. *In Hala*, *& in Habor fluviis Gozan*. Tu lege ibi *fluvii Gozan*, ut uterque locus inter se consentiat. Tum pro *Lahela*, lege *in Hala*: sic Sept. & *la* Hebr. est articulus. Itaque Hala, & Habor urbes sunt quas alluit Gozan fluvius. *Ara* quidam esse dicunt *Rages*, Tob. I. 16. Vulgata Regia pro *Lahela* habet *Ale*.

MALVENDAE.

Vers. 4. SED CUM VIOLASSET TORUM PATRIS, &c. Genes. XXXV. vers. 22. cap. XLIX. vers. 4. ET NON EST ILLE REPUTATUS IN PRIMOGENITUM. Hebr. *Et non ad genealogizandum ipsi primogenituræ*. Varie reddunt. I. *Non tamen ut ipsi attribueretur primogenitura*. II. *Nec tamen iuxta hoc ius primogenitorum, censenda est familia*. III. *Non autem sibi ut attribueret universum ius primogenitorum*. IV. *Et non ut recenseretur per genealogiam in primogenitura*. V. *Et non est dum recensetur generationis series in primogenitura*. VI. *Nec tamen ad recensum genealogiæ secundum ius primogenituræ*. VII. *Et non recensendus in primogenitura*. VIII. *Et non ut accenseatur primogenituræ*. Hebraica verba ambigua sunt, nam & ad Ruben, & ad Ioseph referri possunt: plerique ad Ruben referunt, reddique rationem putant, quare prætermissus fuerit Ruben, priore loco recensita genealogia Iehudæ; quod scilicet Ruben ob incestum, ius primogenituræ amisisset: nec par erat ut ipsius priore loco genealogia poneretur, qui non esset iam primogenitus. Alii ad Iosephum referunt; quasi dicat: Tametsi Iosepho sit ius primogenituræ, non tamen totum, & ex asse; ut versu sequente dicemus.

V. 2. PORRO IUDAS, QUI ERAT FORTISSIMUS, &c. Nemo interpretationem huius versus a Nostro adductam culpare iure queat: diverse tamen alii reddiderunt. I. *Quia Iehudah invaluit præ fratribus suis, & ad ducem ex ipso: & primogenitura ad Ioseph*. Non sat fuit reddere

re rationem, quare priore loco omiserit describere genealogiam Reubenis, quod ipse iure primogeniturae excidisset; sed caussam nunc addit, cur a Iehudae genealogia orsus sit, nimirum quod haec tribus fortior reliquis fuerit, quod regnum in ea viguerit, quod ex ea dux populi Christus nasciturus esset. II. *Iehudad enim fortissimus fuit inter fratres suos, & princeps ille ex eo: & primogenitura ipsi Ioseph data est*. III. *Quoniam Iehudad praevaluit fratribus, & princeps fuit ex hac tribu, licet ius primogeniturae maneret ipsi Ioseph*. IV. *Nam Iehudah praevaluit fratribus suis, & antecessor est ex eo: reliqua vero primogenita fuerunt Iosephi*. V. Hispanicus: *Por que Iuda fue el mayorazgo sobre sus hermanos, y el principe de ellos: y la primogenitura fue de Ioseph*. Sensum huius versus sic omnes concipiunt: Ius primogeniturae duo potissimum includebat. Alterum dignitatem, honorem, auctoritatem, dominium, principatum, imperium in reliquos fratres, nempe maioris in minores, ut illi omnes assurgerent, ministrarent, obedirent, honorem principalem deferrent. Alterum successionem in meliore, & opulentiore portione hereditatis & bonorum patris, ut ipse maiorem & praestantiorem partem hereditatis obtineret. Vide Genes. xxv. 31. & Deuteronom. xxi. 17. Ruben, cui naturae ordine utrumque debebatur, utrumque suo incestu amisit. Primum datum est Iehudae, secundum Iosepho: & hoc est quod versu isto dicitur: PORRO IUDAS, QUI ERAT FORTISSIMUS INTER FRATRES SUOS. Hebr. *Quia Iehudah praevaluit in fratribus suis*. Verbum גבר *gabar* aiunt proprie esse, *principatum, superioritatem, dominium obtinuit, praevaluit, superior fuit, praedominatus est virtute, viribus, potentia, fortitudine, auctoritate, inter fratres suos*; id est, dignitate principali supra fratres divinitus donatus est, Genes. xlix. 8. DE STIRPE EIUS PRINCIPES GERMINATI SUNT. Hebr. *Ductori ex eo*, vel *ad ductorem*, seu *propter ductorem ex eo*; quasi dicat: Principatus ei delatus est, quia regnum ex ea tribu futurum erat: ac praesertim ductor & antecessor, seu antistes humani generis Christus ex eo oriturus erat, Genes. xlix. 10. PRIMOGENITA AUTEM REPUTATA SUNT IOSEPH. Hebr. *Et primogenitura ipsi Ioseph*, id est duplum hereditatis prae ceteris fratribus, dupla portio quam aliis, nempe in Menaseh, & Ephraim. Vide Genes. xlviii. 5. & xxii. & xlix. 22.

V. 3. FILII ERGO RUBEN, &c. De his vide Genes. xlvi. 9. & Exodi vi. 14.

V. 4. FILII IOEL. Hunc Ioelem quidam faciunt filium Charmi, qui proxime antecessit: alii rectius, ortum, ut credibile est, Chanocho primogenito Reubenis, eo quod tribus princeps fuerit, infra vers. 6.

V. 6. THELGATHPHALNASAR: de quo vide II. Reg. xv. 29.

V. 7. FRATRES AUTEM EIUS. Exponunt, Id est Chanoci, nimirum trium aliarum familiarum principes, de quibus supra vers. 3. Hunc versum subobscure Hebraice conceptum, & ordine verborum a nobis redditum (*Et fratres eius, familiis eius, in genealogizare se facere generationibus eorum, caput Ieghiel, & Zechariahu*) alii dilucidius reddunt. I. *Et fratres eius per familias suas, dum recensetur generationis series, per generationes suas, caput Iehiel, & Zechariahu*. II. *Fratrum autem eius, cum recensiti fuerunt per generationes suas, princeps fuit Iehiel, & Zechariahu*. III. *Et fratres eius per familias suas, quando genus suum censebant, erat princeps Iehiel, & Zacharias*. IV. *Fratrum autem illius per familias suas quisque, cum distribuerent se per generationes suas, primarius Iehiel, deinde Zacharia*. V. *Et fratrum eius per familias suas, cum recenserentur per genealogias in successionibus suis, caput, summas, Iehiel, & Zechariahu*. Hispanicus: *Quando eran contados en sus descendencias tenian por principes a Iehiel*, &c.

V. 8. IPSE HABITAVIT, vel *hic habitavit*. Exponunt, Id est haec tribus Reubenitarum de qua agitur. IN AROER, de qua vide Num. xxxii. 34. USQUE AD NEBO, ET BEELMEON. Vide de his locis Numer. xxxii. 3.

V. 9. CONTRA ORIENTALEM QUOQUE PLAGAM HABITAVIT USQUE AD INTROITUM EREMI, ET FLUMEN EUPHRATEN. Hebraica nos ex verbo reddidimus (*Et ortui habitavit usque ad venire in desertum, ad de flumine Perath*.) Clarius alii: *Ab oriente quoque habitavit usque ad introitum deserti, a flumine*

mine

mine Perath. Nonnulli: *Deinde ad orientem habitavit usque ad aditum in desertum, inde a flumine Euphrate*. Exponunt, *Deinde*, temporibus Saulis, ut dicitur versu sequente, *usque ad aditum in desertum*, id est usque ad desertum circa Iordanem; quasi dicat: Possedit ab Euphrate usque ad Iardenem.

V. 10. CONTRA AGAREOS. Hebr. הגראים *Haghriim*, *Haghræi*, *Hagheræi*, seu *Hagbareni*. Consentiunt omnes, esse Ismaelitas, ex Hagar Abrahæ ancilla ortos, Arabiam desertam incolentes: de quibus vide in Genes. XXXVII. 25. sic infra vers. 19. & seqq. IN OMNI PLAGA, QUAE RESPICIT AD ORIENTEM GALAAD. Hebr. *Super omnes facies orientis Ghilhadi*, seu *ipsi Ghildadi*. Quidam: *In toto tractu anteriore qui est ad orientem ipsi Ghilhadi*. Alii: *In universa superficie orientalis plagæ Ghilhadis*.

V. 11. BASAN: de qua vide Numer. XXI. 33. & XXXII. 33. USQUE SELCHA: de qua vide Deuteronom. III. 10.

V. 12. IOEL IN CAPITE. Hebr. *Ioel caput*, id est princeps, primas, summas, primarius. ET SAPHAN SECUNDUS. Hebr. *secundarius*, ab eo secundus dignitate, & quasi vicarius eius. IANAI AUTEM, ET SAPHAT, IN BASAN. Quidam subaudiunt, manserunt ad tuendos proprios fines, fratribus foris bellum gerentibus. Alii: *Ioel primas, & Saphan secundas, Ianai autem tertias, & Saphat quartas obtinebant in regione Basanitide*; quasi dicat: Hoc ordine primates erant in Basanitide.

V. 13. SEPTEM, pro numero scilicet familiarum Gadis. Numer. XXVI. 15.

V. 15. PRINCEPS DOMUS, &c. Heb. *caput domui*. Aliqui volunt singulare positum pro plurali, *Principes per domos*, &c. quasi dicat: Ii hactenus commemorati vers. 13. 14. & 15. principes ac primarii fuerunt in familiis patrum suorum. Plerique tamen singulariter de Achi accipiunt, quod is fuerit caput, & summus Imperator exercitus, de quo infra vers. 18.

V. 16. ET IN CUNCTIS SUBURBANIS SARON. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Saron: usque in præsentem autem diem regio inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis Saronas appellatur*. De alia Saron, iuxta Ioppen & Lyddam, egimus in Iosue XII. 18. Verum dubium est, num hæc Saron quam hic divinus Auctor memorat, sit illa quam Eusebius, & S. Hieronymus describunt inter montem Thabor & stagnum Tiberiadis: nam hæc nostra fuit in Sorte Gadis ultra Iordanem, in regione Basanitide, plane ultra lacum Tiberiadis. Equidem nonnulli volunt, Saron hic campestrem regionem esse Libano subiectam, inde a Basane. Vide infra cap. XXVII. vers. 29. quod est vero propensius. Erat ager pascuosissimus. USQUE AD TERMINOS. Hebr. *Super egressiones*, seu *exitus eorum*. Quidam, *Usque ad fines eorum*. Alii, *Secundum fines suos*.

V. 17. OMNES II NUMERATI SUNT. Hebr. *Omnes ii genealogizare se fecerunt*; vel *genealogizati fuerunt*. Quidam, *recensiti sunt per genealogias*, vel *per seriem generationis*. Alii: Hi omnes per genera distribuendo se. IN DIEBUS IOATHAN REGIS IUDA. Hebr. *Iothami Regis Iehudæ*, cum Proregem ageret patris sui leprosi, II. Reg. XV. 5. IEROBOAM REGIS ISRAEL, nempe Ieroboami secundi, qui eorum Rex erat, I. Reg. XV. 1 & XIV. 23.

V. 19. DIMICAVERUNT CONTRA AGAREOS. Diversum hoc bellum ab illo supra vers. 10. ITURAEI VERO, ET NAPHIS, ET NODAB. Hebr. *Et Ietur, & Naphis, & Nodab*. Exponunt, Hoc est Ituræos, Nubæos, & Ismaelitas alios in Arabia deserta, Syriæ finitimos: nam Reubenitæ supra vers. 10. inferiorem Arabiæ partem suæ regioni finitimam occupaverant; hi vero superiorem, Gaditis & Menassitis conterminam. De *Ietur*, & *Naphis*, vide Genes. XXV. 15. *Nodab* vero hic nullus Interpretum satis expedit: coniectura mea est, esse *Kedmah*, Genes. XXV. 15. nam tres isti recensentur ibi inter filios Ismaelis, *Ietur*, *Naphis*, & *Kedmah*.

V. 20. PRAEBUERUNT EIS AUXILIUM. Noster intellexit Gaditas bellum gessisse adversus Hagarenos; quibus Hagarenis præbuerunt auxilia Ithuræi, Naphisitæ, & Nodabæi. Sed plerique Hebræa ita accipiunt: *Et* Gaditæ *bellum gesserunt adversus Hagarenos, nimirum Ituræos, Naphisæos, & Nodabæos*. Quod vero hoc ver-

versu subditur, *Præbueruntque eis auxilium*, Hebr. in Niphal, seu formula passiva est, *Et adiuti sunt*, scilicet Israelitæ, subaudi a Deo, ut finis huius versus, & vers. 22. explicat.

V. 22. FUIT ENIM BELLUM DOMINI. Hebr. *Quia a Deo bellum*. Quidam: *Nam a Deo ipso confectum est hoc prælium*; id est, ope divina confectum fuit bellum illud. USQUE AD TRANSMIGRATIONEM: de qua infra vers. 26. & II. Reg. xv. 29. & xvii. 6.

V. 23. FILII QUOQUE DIMIDIAE TRIBUS MANASSIS. Quidam causaliter reddunt: *Filii enim dimidiæ tribus Menassis*, &c. Putant esse ætiologiam, ac reddi causam hoc versu, cur Menassitæ sese reliquis adiunxerint in ista expeditione, supra vers. 18. Sed nihil necesse. USQUE BAHAL HERMON. De hoc loco vide in Iudic. III. 3. ET SANIR: de quo vide in Deuteron. III. vers. 9. ET MONTEM HERMON: de quo vide Deuteron. III. vers. 8.

V. 24. VIRI FORTISSIMI, ET POTENTES. Hebr. *Homines prævalidi strenuitatis*. Quidam, *Viri fortes robore*. Alii, *Viri heroes & bellicosi*. Nonnulli, *Viri valentes robore*. ET NOMINATI. Hebr. *Homines nominum*, id est nominatissimi, inclyti, famigeratissimi. Sic Genes. vi. 4.

V. 25. RELIQUERUNT AUTEM DEUM, &c. ut copiose ostenditur II. Reg. xvii. 7. & seqq.

V. 26. PHUL REGIS ASSYRIORUM: de quo II. Reg. xv. 19. THELGATHPHALNASAR: de quo II. Reg. xv. 29. ET ARA. Quidam divinant esse *Rhages* civitatem Medorum, Tobiæ I. 16. alii interpretantur *montosam regionem superioris Mediæ*, alludente vocis significato. Equidem Mediam montosam esse regionem, ac in ea præcipuos montes esse Zagrum, & Orontem, &c. Strabo Lib. XV. & Ptolemæus Lib. IX. cap. II. & alii produnt. Forsan *Hara* sit *Aria* regio, quam describunt Strabo Lib. XI. Plinius Lib. VI. cap. LIV. Mela Lib. I. cap. II. Ptolemæus Lib. VI. cap. XVII. *De Chelach*, & *Chabor*, & *fluvio Gozan*, dictum nobis in II. Reg. XVII. 6.

MENOCHII.

Vers. 1. IPSE QUIPPE FUIT PRIMOGENITUS, &c. Vide Genes. XXIX. 32. CUM VIOLASSET TORUM PATRIS SUI, incestum committens cum Bala noverca sua, uxore Iacob, Genes. XXXV. 22. DATA SUNT PRIMOGENITA EIUS FILIIS IOSEPH. Primogenito olim ex consuetudine, deinde ex lege Deuteron. XXI. 17. duplex hereditatis portio debebatur, quæ non Ruben, sed filiis Ioseph Ephraim, & Manasse data est, qui duas tribus constituerunt.

V. 2. PRINCIPES, Reges Israel, David, Salomon, Roboam, & alii deinceps, qui in duabus tribubus Iuda, & Beniamin regnum obtinuerunt.

V. 4. SAMIA FILIUS EIUS, Ioel scilicet, cuius proxime mentio facta fuerat.

V. 6. THELGATPHALNASAR REX ASSYRIORUM, &c. de qua captivitate IV. Reg. xv. 19.

V. 7. QUANDO NUMERABANTUR PER FAMILIAS, &c. eo scilicet tempore Thelgathphalnasaris.

V. 8. AROER, quæ est inter tribum Ruben & tribum Gad super torrentem Arnon. Vide Adrichomii tabulam tribus Gad, ad quam Aroer pertinebat. NEBO, nomen civitatis in tribu Ruben, iuxta montem eiusdem nominis, Adrichom. in Ruben num. 2. & 55. BEELMEON, alia est urbs tribus eiusdem. Adrichomius num. 10.

V. 9. USQUE AD INTROITUM EREMI. Transito Arnon orientem versus ponitur ab Adrichomio solitudo Cademoth. Vide tabulam tribus Ruben. MULTUM QUIPPE IUMENTORUM NUMERUM, &c. Fuit hoc perpetuum in tribu Ruben ut pecore abundarent, quam ob causam Numer. XXXII. 4. sibi dari postulant sedes ultra Iordanem in terra Galaad, quæ pascuis abundabat.

V. 10. IN DIEBUS AUTEM SAUL. Hoc tantum loco mentio fit in Scriptura expeditionis huius Rubenitarum. AGAREOS, Ismaelitas ex Agar genitos, qui terræ plagas incolebant quæ sunt ad orientem terræ Galaad. IN TABERNACULIS EORUM, domibus, vel tentoriis, qualia habere pastores solent.

V. 11.

V. 11. IN TERRA BASAN. Regio est trans Iordanem, quæ longitudine a torrente Iaboc usque ad terminos Selcha Gesseri, & Machati; latitudine vero a montibus Galaad, Seir, & Hermon, usque ad mare Galilææ porrigitur. Plura vide apud Adrichomium in Manasse n. 23.

V. 12. IOEL IN CAPITE, *Ioel dux*, ut vertit Pagninus, & Vatablus. IANAI AUTEM, ET SAPHAT, IN BASAN. Hi videntur fuisse duo alii duces tribus Gad, qui in Basan civitate regioni cognomine habitabant. Eodem modo Basan pro urbe metropoli accipitur num. 16. sequenti, ut notavit Emmanuel Sa.

V. 13. FRATRES VERO EORUM, &c. Non dicuntur fratres quod iisdem parentibus prognati essent, sed quia ex eadem tribu: quod patet, quia in domos, & cognationes distincti fuisse dicuntur.

V. 16. USQUE AD TERMINOS, id est usque ad terminos sortis Gad; quasi dicat: Memorati principes possederunt totam terram Gad, a termino usque ad terminum.

V. 17. OMNES HI, &c. id est domus & cognationes eorum: nam vix fieri potest ut iidem vixerint utriusque census tempore, sive Ieroboam accipiamus pro primo, sive pro secundo Rege huius nominis. Vide Abulens. quæst. XXIII. IN DIEBUS IOATHAN, &c. Huius census non alibi meminit Scriptura. IEROBOAM REGIS ISRAEL. Abulensis intelligit de Ieroboamo huius nominis primo Rege Israel, de quo, quia celebrior est, sermo esse videtur, cum nihil aliud additur.

V. 19. ITURAEI. Ituræa regio est ad radices montis Libani in longum porrecta, nam a fluvio Iordane sumens initium, iuxta eumdem Libanum versus occidentem ad montes usque Sidoniorum, & Tyriorum intenditur. NAPHIS, ET NODAB. LXX. habent *Nephissæos*, & *Nedabæos*. *Naphis* filius fuit Ismaelis Gen. XXV. 15. ex quo Naphissæi, quorum hic mentio fit, propagati sunt.

V. 20. PRAEBUERUNT EIS AUXILIUM, scilicet Agarenis.

V. 22. BELLUM DOMINI. Res ingens phrasi Scripturæ dicitur Dei; sic montes Dei, sunt montes excelsi, cedri Dei, cedri proceræ, &c. Itaque *bellum Domini* significat ingens prælium; vel significat Dei peculiari auxilio gestum, ut scilicet tantam cladem hostibus inferre possent, & tantum prædæ colligere.

V. 23. A FINIBUS BASAN: de qua regione dictum est num. 11. Ab ea ergo tendendo in septemtrionem porrigitur usque ad Baal Hermon, & montem Hermon, & Sanir, qui montes contigui sunt, & in longum porrecti, ut videre est in tabulis Adrichomii in tabula dimidiæ tribus Manasse. INGENS QUIPPE NUMERUS ERAT, ideoque magnum terræ tractum occuparunt. Sane a torrente Iaboc usque ad Baal Hermon triginta circiter horarum iter constituitur ab Adrichomio in eadem tabula.

V. 25. RELIQUERUNT DEUM, &c. sub impiis nimirum Regibus Israel.

V. 26. PHUL. Vide dicta IV. Reg. XV. 19. THELGATHPHALNASAR. Vide dicta eodem cap. num. 29.

TIRINI.

Vers. 2. PRIMOGENITA RUBEN REPUTATA SUNT IOSEPH; id est, duplo maior pars hereditatis paternæ, quam cuivis aliorum fratrum obtingeret, quæ Rubeno iure nativitatis primogenito debebatur, propter incestum sublata illi, & fratri eius Iosepho concessa est. Fuit vero duplex illa portio a Iacobo consignata Iosepho, partim in proprio peculio, & parva sua hereditate, quando Gen. XLVI. 22. ait Iosepho: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*: partim in communi & magna hereditate, id est in terra cælitus ipsi promissa, quando ibidem vers. 5. duos filios Iosephi Ephraimum, & Manassen sibi in immediatos filios adoptat: nam eo ipso duas sortes, seu ex duodecim partibus terræ promissæ duas portiones uni Iosepho consignat. Porro duplex illa portio hereditatis cedebat olim primogenito: primum solo nutu & voluntate parentum, & quia consonum id videbatur rectæ rationi; deinde consuetudine, & quasi communi nationum consensu; denique etiam lata lege Hebræis Deut. XXI. 17. *Dabit ei parens de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita*. Sed præter duplicem il-

illam hereditatis portionem debebatur primogenito etiam locus primus inter fratres, & quasi dominium in illos & regnum: ut patet ex benedictione Isaac Genes. XXVII. 29. *Serviant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Hoc vero dominium & regnum Rubeno ablatum, & concessum partim Iudæ, partim Iosepho, ut dixi Genes. XLIX. 3. Denique præter iam dicta pertinebat quoque ad primogenitum ante legem Mosaicam dignitas sacerdotalis, ut docet S. Hieroymus, S. Thomas *a*, & reliqui Doctores. Hæc dignitas translata fuit in Levi, quando solus Aaron eiusque posteri iussi sunt sacerdotio fungi in Israele.

V. 8. BALA pronepos IOEL, magnus & potens fuerit oportet, quando dominatus fuit ab AROER urbe totius terræ promissæ maxime orientali, Deut. II. & Iosue XIII. USQUE ad montem NEBO qui adiacet Iordani, Deut. ultimo.

V. 12. IOEL IN CAPITE; id est, caput & princeps (ut est in Hebræo, & Græco) totius tribus Gad fuit Ioel: qui sequuntur, secundas, tertias, & quartas partes tenuerunt. Erant hi non filii, sed nepotes Gad, ut patet Genes. XLVI. 16.

V. 17. IN DIEBUS IEROBOAM REGIS ISRAEL, non primi, nempe filii Nabat; sed secundi istius nominis, puta filii Ioas: nam iste coævus fuit Ioathano Regi Iuda, cuius hic fit mentio.

V. 19. & 20. CONTRA AGAREOS, id est Ismaelitas, qui & *Agareni* dicebantur ab Agar matre Ismaelis. ITURAEI VERO, ET NEPHISSAEI, ET NODABAEI (sic habent Hebræa, & Græca) PRAEBUERUNT Agarenis AUXILIUM adversus Rubenitas; sed fœde ab his cæsi, bonis omnibus, & agris exuti, & vers. 22. VULNERATI MULTI CORRUERUNT: FUIT ENIM BELLUM DOMINI, id est Deo auspice susceptum, & singulariter adiuvante confectum.

(a) S. Hieron. Epist. CXLVI. ad Evagrium. S. Thom. II. II. quæst. C. art. 4. & in Epist. ad. Hebr. IX.

GORDONI.

Vers. 1. FUit Ruben nativitate, & ætate primogenitus: verum hoc ius primogeniti Iacob pater transtulit in Ioseph, ob crimen Ruben in patrem. Hoc iure data sunt Iosepho duplicia, utpote filiis duæ tribus datæ sunt. Vide Deuter. XXI. 17. Hinc Gen. XLIX. 4. *Non crescas*, & hic aperte vers. 1.

V. 16. ET HABITAVERUNT IN GALAAD. Hic potissimum, & versiculis insequentibus dat materiam huius capitis, nempe Ruben Gad, & mediam tribum Manasse: atque eos primos accepisse locum in Galaaditide ultra Iordanem, & primos etiam fuisse abductos in captivitatem, ex Lib. IV. Reg.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 6. THELGATHPHALNASAR. Vide IV. Reg. XV. 29.

V. 8. AROER, urbs inter tribum Ruben & Gad, ad torrentem Arnon. NEBO, urbs in tribu Ruben, prope montem cognominem. BEELMEON, urbs ibidem.

V. 11. BASAN, regio trans Iordanem, a monte Galaad usque ad mare Galilææ.

V. 12. IOEL IN CAPITE, dux. IANAI, ET SAPHAT, similiter duces.

V. 13. FRATRES, hoc est ex eadem tribu.

V. 17. Hic videtur esse Ieroboam primus.

V. 19. ITURAEI, ad radices Libani.

V. 20. PRAEBUERUNT... AUXILIUM, scilicet Agarenis.

V. 23. BASAN: vide vers. 11.

V. 25. PHUL: de quo IV. Reg. XV. 19.

CA-

CAPUT VI.

Genealogia filiorum Levi, & quos ex eis constituerit David cantores ac ministros in domo Domini: item generatio filiorum Aaron cum urbibus suis in singulis tribubus Israel, & quæ fuerint civitates refugii.

1. FIlii (*a*) Levi: Gerson, Caath, & Merari. 2. Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. 3. Filii Amram: Aaron, Moyses, & Maria. Filii Aaron: Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar. 4. Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue, 5. Abisue vero genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi. 6. Ozi genuit Zaraiam, & Zaraias genuit Meraioth. 7. Porro Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob. 8. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas, 9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan, 10. Iohanan genuit Azariam: ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Ierusalem. 11. Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob, 12. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum, 13. Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam. 14. Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Iosedec. 15. Porro Iosedec egressus est, quod transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor. 16. Filii (*b*) ergo Levi: Gerson, Caath, & Merari. 17. Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, & Semei. 18. Filii Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. 19. Filii Merari: Moholi & Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum. 20. Gersom, Lobni filius eius, Iahath filius eius, Zamma filius eius, 21. Ioah filius eius, Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrai filius eius. 22. Filii Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius 23. Elcana filius eius, Abiasaph filius eius, Asir filius eius, 24. Thahath filius eius, Uriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. 25. Filii Elcana, Amasai & Achimoth, 26. & Elcana. Filii Elcana: Sophai filius eius, Nahath, filius eius, 27. Eliab filius eius, Ieroham filius eius, Elcana filius eius. 28. *Filii Samuel, primogenitus Vassenii, & Abia. 29. Filii autem Merari, Moholi: Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius. 30. Sammaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius. 31. Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca: 32. ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Ierusalem: stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. 33. Hi vero sunt, qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Iohel, filii Samuel, 34. filii Elcana, filii Ieroham, filii Eliel, filii Thohu, 35. filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, 36. filii Elcana, filii Iohel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, 37. filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core, 38. filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel. 39. Et frater eius Asaph, qui stabat a dextris eius, Asaph filius Barachiæ, filii Samaa, 40. filii Michael, filii Basaiæ, filii Melchiæ, 41. filii Athanai, filii Zara, filii Adaia, 42. filii Ethan, filii Zam-

ma,

ma, filii Semei, 43. filii Ieth, filii Gerſom, filii Levi. 44. Filii autem Merari
fratres eorum, ad ſiniſtram, Ethan filius Cuſi, filii Abdi, filii Maloch, 45. fi-
lii Haſabiæ, filii Amaſiæ, filii Helciæ, 46. filii Amaſai, filii Boni, filii Somer,
47. filii Moholi, filii Muſi, filii Merari, filii Levi. 48. Fratres quoque eorum
Levitæ, qui ordinati ſunt in cunctum miniſterium tabernaculi domus Domini.
49. Aaron vero, & filii eius adolebant incenſum ſuper altare holocauſti, & ſu-
per altare thymiamatis, in omne opus Sancti ſanctorum: & ut precarentur pro
Iſrael, iuxta omnia quæ præceperat Moyſes ſervus Dei. 50. Hi ſunt autem filii
Aaron: Eleazar filius eius, Phinees filius eius, Abiſue filius eius, 51. Bocci fi-
lius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius, 52. Meraioth filius eius, Amarias filius
eius, Achitob filius eius, 53. Sadoc filius eius, Achimaas filius eius. 54. Et
hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum ſcilicet Aaron, iuxta
cognationes Caathitarum: ipſis enim ſorte contigerant. 55. Dederunt igitur eis
Hebron in terra Iuda, & ſuburbana eius per circuitum: 56. *(c)* agros autem
civitatis, & villas, Caleb filio Iephone. 57. Porro filiis Aaron dederunt civita-
tes ad confugiendum, Hebron, & Lobna & ſuburbana eius, 58. Iether quoque
& Eſthemo cum ſuburbanis ſuis, ſed & Helon & Dabir cum ſuburbanis ſuis,
59. Aſan quoque & Bethſemes & ſuburbana earum. 60. De tribu autem Benia-
min, Gabee & ſuburbana eius, & Almath cum ſuburbanis ſuis, Anathoth quo-
que cum ſuburbanis ſuis: omnes civitates, tredecim, per cognationes ſuas. 61.
Filiis autem Caath reſiduis de cognatione ſua, dederunt ex dimidia tribu Manaſ-
ſe in poſſeſſionem urbes decem. 62. Porro filiis Gerſom per cognationes ſuas,
de tribu Iſſachar, & de tribu Aſer, & de tribu Nephthali, & de tribu Manaſ-
ſe in Baſan, * urbes tredecim. 63. Filiis autem Merari per cognationes ſuas, de
tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt ſorte civitates
duodecim. 64. Dederunt quoque filii Iſrael Levitis civitates, & ſuburbana ea-
rum: 65. dederuntque per ſortem, ex tribu filiorum Iuda, & ex tribu filiorum
Simeon, & ex tribu filiorum Beniamin, urbes has quas vocaverunt nominibus
ſuis, 66. & his qui erant de cognatione filiorum Caath, *(d)* fueruntque civita-
tes in terminis eorum de tribu Ephraim. 67. Dederunt ergo eis urbes ad con-
fugiendum, Sichem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gazer cum ſub-
urbanis ſuis, 68. Iecmaam quoque cum ſuburbanis ſuis, & Bethoron ſimiliter,
69. nec non & Helon cum ſuburbanis ſuis, & Gethremmon in eumdem modum.
70. Porro ex dimidia tribu Manaſſe, Aner & ſuburbana eius, Baalam & ſubur-
bana eius: his videlicet qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. 71. Fi-
liis autem Gerſom, de cognatione dimidiæ tribus Manaſſe, Gaulon in Baſan &
ſuburbana eius, & Aſtharoth cum ſuburbanis ſuis. 72. De tribu Iſſachar, Ce-
des & ſuburbana eius, & Dabereth cum ſuburbanis ſuis, 73. Ramoth quoque
& ſuburbana eius, & Anem cum ſuburbanis ſuis. 74. De tribu vero Aſer: Ma-
ſal cum ſuburbanis ſuis, & Abdon ſimiliter, 75. * Hucac quoque & ſuburbana
eius, & Rohob cum ſuburbanis ſuis. 76. Porro de tribu Nephthali, Cedes in
Galilæa & ſuburbana eius, Hamon cum ſuburbanis ſuis, & Cariathaim & ſub-
urbana eius. 77. Filiis autem Merari reſiduis: de tribu Zabulon, Remmono &
ſuburbana eius, & Thabor cum ſuburbanis ſuis: 78. trans Iordanem quoque ex
adverſo Iericho contra orientem Iordanis, de tribu Ruben, Boſor in ſolitudine
cum ſuburbanis ſuis, & Iaſſa cum ſuburbanis ſuis, 79. Cademoth quoque &
ſuburbana eius, & Mephaat cum ſuburbanis ſuis. 80. Nec non & de tribu Gadi,

Ramoth in Galaad & suburbana eius, & Manaim cum suburbanis suis, 81. sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Iezer cum suburbanis suis.

(a) Gen. xlvi. 11. Infra xxiii. 6. (b) Exod. vi. 17. (c) Iosue xxi. 10. (d) Iosue xxi. 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 28. *Filii Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia*. Non est scribendum *Ahia*, pro *Abia*, id est adspiratio *h* pro muta *b*.

V. 61. *Urbes tredecim*. Pro *tredecim* non scribas *quatuordecim*, adaucto numero.

V. 75. *Hucac quoque, & suburbana eius*. Male a quibusdam legitur *Asach* pro *Hucac*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 10. SACERDOTIO FUNCTUS, scilicet egregie: restitit enim Oziae volenti offerre incensum.

V. 20. FILIUS EIUS, scilicet proxime praecedentis: & sic in talibus intellige. Vide sup. cap. v. & inf. cap. VII.

V. 27. ELCANA hunc quidam putant patrem Samuelis. Vide infra vers. 33. & seq.

V. 28. VASSENI, I. Reg. VIII. dicitur *Ioel*.

V. 31. COLLOCATA, scilicet in tabernaculo facto a David.

V. 39. FRATER, id est cognatus.

V. 48. EORUM, scilicet cantorum supradictorum. LEVITAE, scilicet alii.

V. 49. SANCTI SANCTORUM, id est templi. PRECARENTUR. Hebr. *expiarent*, id est redderent Deum placatum. LXX. *placarent*.

V. 54. IUXTA COGNATIONES, pro in cognationibus; id est, qui erant de cognatione Caath. CONTIGERANT, scilicet urbes, & vici.

V. 60. TREDECIM. Aliquae hic omittuntur.

V. 64. QUOQUE, pro inquam, seu ergo.

V. 65. HAS, scilicet supradictas.

V. 66. CIVITATES, scilicet aliquot. IN TERMINIS, pro & termini, seu terminorum.

ESTII.

Vers. 10. IOHANAN GENUIT AZARIAM: IPSE EST QUI SACERDOTIO FUNCTUS EST IN DOMO QUAM AEDIFICAVIT SALOMON. Quaeritur, quare de solo Azaria dicitur quod in templo Salomonis sacerdotio functus sit, cum & alii qui eum praecesserunt, & qui secuti sunt, idem praestiterint? Respondetur, id propterea verisimiliter de eo commemorari, quia zelo Dei accensus restitit Oziae Regi Iuda, volenti thus adolere in illo templo, sicque officium sacerdotale sibi vindicare: propter quam temeritatem Rex ille percussus est lepra, ut habetur seq. Lib. ipse autem Azarias sacerdos merito deinceps sacerdotii illius defensor & vindex habitus fuit.

V. 14. usque 38. FILII SAMUEL, FILII ELCANA, FILII IEROHAM &c. ac tandem: FILII CAATH, FILII LEVI. Constat ex hac genealogia Samuelis, quod quidem ipse fuerit de tribu Levi, de filiis Caath, non tamen de genere sacerdotali, quia non ex posteris Aaron. Hoc idem innuitur quoque Psalm. XCVIII. dum distincte dicit: *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui invocant nomen eius*. Si quando ergo Samuel sacrificasse legitur, intelligendum id eum fecisse ministerio sacerdotum, quomodo & David, Salomon, & alii Reges sacrificasse leguntur; videlicet non per se, sed per eos ad quos proprie illud munus spectabat. Vide etiam I. Reg. I.

MA-

MARIANAE.

Verſ. I. FILII LEVI. Poſt Simeon (cui ob locorum vicinitatem Gad, & dimidia tribus Manaſſe iuncti ſunt) ordine nativitatis ſequitur Levi.

V. 2. FILII CAATH. Ab hoc ſummi Sacerdotes: ſic inter fratres prima eius genealogia.

V. 5. ABISUE VERO GENUIT BOCCI. Poſt hunc Heli fuit ſummus Sacerdos, e poſteris Ithamar filii Aaron, cum priores fuiſſent ex Eleazaro. Heli ſucceſſerunt in ſacerdotio quatuor eius poſteri, uſque ad Abiathar, quem Salomon expulit, III. Reg. III. 26.

V. 8. ACHITOB GENUIT SADOC. Quinque ſuperiores non fuerunt ſummi Sacerdotes. *Sadoc* tamen, quem Saul occiſo Abimelech fecit Pontificem, pulſo a Salomone Abiathar filio Abimelech, ſolus manſit Pontifex, in eoque ad poſteros Eleazari rediit Pontificatus ſtabili poſſeſſione.

V. 10. IPSE EST QUI SACERDOTIO FUNCTUS EST, ſcilicet Azarias; id eſt, qui ſuo muneri ſatisfecit, Rege Ozia prohibito incenſum offerre.

V. 14. SARAIAM. Hic fuit Pontifex, quo tempore templum eſt incenſum a Babyloniis, eumque occiderunt IV. Reg. xxv. 21. Ioſodec filius abiit in captivitatem, ut hic dicitur. Ioſedeci filius fuit Ieſus Sacerdos magnus, de quo in Eſdra.

V. 16. FILII ERGO LEVI. Poſt Pontifices rediit ad Levitas, qui ex omnibus filiis Levi proceſſerunt. Pars etiam familiæ Caath fuere tantum Levitæ.

V. 19. HAE AUTEM COGNATIONES LEVI. Hebr. *familiæ*, id eſt genealogiæ, ſeries poſterorum. SECUNDUM FAMILIAS EORUM. Sic Sept. Hebr. *ad patres ſuos*, vel *iuxta patres ſuos*, id eſt ſumpto principio numerandi a patribus familiarum, ſeu cognationum.

V. 20. GERSOM, LOBNI FILIUS EIUS. Paucos e Gerſom poſteris numerat, quod nullus deinde ex hac poſteritate inſignis eſſet.

V. 22. FILII CAATH. In hac poſteritate longius procedit, quoniam in Samuele, & filiis deſinere volebat. AMINADAB FILIUS EIUS, ſcilicet CAATH. Hunc volunt eſſe Iſaar poſitum inter filios Caath, verſ. 18. fortaſſis fuit nepos, non filius. CORE FILIUS EIUS. Hic contra Moyſem excitavit ſeditionem, Num. XVI. neque tamen perierunt omnes eius filii.

V. 27. ELCANA FILIUS EIUS. Hic fuit Samuelis pater: ſic cum mox aditur, FILII SAMUEL, nullo Samuelis patre deſignato, intelligitur proxime nominati, id eſt Elcana, eſſe filium.

V. 28. VASSENI, ET ABIA. Sept. *Ioel & Abia*. Gotth. *Vaſſeni, Ioel, & Abia*, nimirum I. Reg. VIII. 2. *Nomen filii eius primogeniti Ioel, & nomen ſecundi Abia*. Sic primus filius binomius fuit, dictus *Ioel* & *Vaſſeni*. Sed & hic verſ. 34. filius Samuel vocatur Ioel.

V. 31. QUOS CONSTITUIT DAVID SUPER CANTORES, poſteros Caath. Hebr. *ſuper manus cantici*. Sept. *in manus cantantium*, id eſt ad canendum, ut Hebræus explicat. Perinde enim eſt *ſuper manum cantici*, ac ſi diceret *ſuper canticum*. Hi autem ſunt qui ſequuntur, non præcedentes. COLLOCATA EST ARCA, ſcilicet in tabernaculo facto ab ipſo Davide.

V. 32. IUXTA ORDINEM. Sic Sept. Hebr. *iuxta iudicium*, ſcilicet ut David ſtatuit, ii Levitæ miniſtrabant.

V. 39. ET FRATER EIUS ASAPH, id eſt cognatus ex eadem tribu. Viros inſignes fuiſſe hos tres cantores oportet, quando genus eorum & maiores deſcribit uſque ad Levi. Porro e tribus cantoribus Heman in medio, quaſi præcipuus, ſedebat eius ad latera Aſaph, & Ethan. Aaron, & filii eius conſtituti ſunt ut

V. 49. PRECARENTUR. Hebr. *Propitiarentur*. Sept. *Placarent*, ſcilicet Deum pro Iſrael, nempe Aaron, & filii eius.

V. 50. HI SUNT AUTEM FILII AARON. Lineam pontificiam hic repetit, nihilo mutatam a ſuperiori verſ. 3. niſi quod prius eam deduxit uſque ad captivitatem, nunc uſque ad Achimaas tantum, qui primus in templo Salomonis miniſtravit.

V. 57. CIVITATES AD CONFUGIENDUM, id eſt refugii. HEBRON, ET LOBNA. In tribu Iuda ſola Hebron erat civitas refugii, Ioſue xx. 8. Ergo datæ ſunt eis, ſcilicet filiis Aaron, civitates refugii, quarum una eſt *Hebron, & Lobna*, etiamſi non erat civitas refugii. Sed utraque in tribu Iuda.

V. 58.

V. 58. DABIR. Hæc alio nomine est *Cariathsepher*, Iof. xv. 15.

V. 60. TREDECIM. Hic tantum undecim numerantur. Vere tamen tredecim sunt datæ Levitis, seu filiis Aaron; novem de Iuda & Simeon, de Beniamin quatuor: Iof. xxi.

V. 65. QUAS VOCAVERUNT, NOMINIBUS SUIS, id est supradictas, quas de suo singulas nomine vocavimus supra.

V. 66. ET HIS QUI ERANT DE COGNATIONE FILIORUM CAATH. Hebr. *& ex familiis Caath*, id est parte familiarum, verf. 70. id explicatur. Sic enim ait: *His videlicet, qui de cognatione Caath reliqui erant*: nam filiis Aaron qui ex illa stirpe erant, & aliis filiis Caath alias urbes superius designatas dederunt. IN TERMINIS EORUM. Hebr. *termini sui*. Sept. *terminorum suorum*, id est possessionis suæ, scilicet filiorum Caath fuerunt hæ civitates.

MALVENDAE.

Verf. 1. FILII LEVI, &c. De his vide Genef. XLVI. 11. & Exod. VI. 16. GERSON. Hic scribitur cum Nun: at infra verf. 16. 20. 43. 62. 71. cum Mem: *Ghersom*.

V. 2. FILII CAATH, &c. de quibus vide Exod. VI. verf. 18. ISAAR. Hebr. *Iitzhar*, vel Iitzehar. Recte notant hunc infra verf. 22. appellari *Haminadab*, ut apparet etiam ex Exod. VI. 21.

V. 3. FILII AMRAM, &c. Vide Exod. VI. 20.

V. 8. ACHITOB GENUIT SADOC, &c. De hoc versu vide II. Samuel. VIII. 17. & cap. xv. verf. 27.

V. 9. GENUIT IOHANAN. Hebr. *Iochanan*. Notant esse hunc præclarum illum Sacerdotem summum Iehoiadam II. Reg. XI.

V. 10. IPSE EST QUI SACERDOTIO FUNCTUS EST, &c. Hebr. *Ipse qui sacerdotavit*, vel *sacerdotio functus est*, &c. Tremellius, & Iunius: *Is est, qui egit Sacerdotem in domo illa*, &c. *id est, adeo strenue perfunctus est sacerdotio contra Huzziiam, ut illud a labe vindicaret* II. *Chron.* XXVI. *verf.* 17. *& sequentibus. Hæc communis est interpretatio. Nobis vero magis placet pronomen ad Iochananem patrem huius referre; quasi dicat: Iochanan is ille est Iehoiadah qui, rebus deploratis, & Hathaliæ tyrannide oppressis, Dei cultum, & rempublicam restituit*, II. *Reg.* XI. & II. *Chron.* XXIII. *Vide* II. *Chron.* XXIV. 16. Ita illi. Ex quo postremo loco Paralip. mire confirmatur hæc eorum expositio.

V. 12. SELLUM. Notant hunc infra cap. IX. verf. 11. appellari *Mesullam*: quod est verissimum.

V. 13. GENUIT HELCIAM. Hebr. *Chilkiiah*, de quo vide II. Reg. XXII. 4. & sequentibus.

V. 14. GENUIT SARAIAM: de quo vide II. Reg. XXV. 18. ex hoc natus est Hezras: Esræ VII. 1.

V. 16. FILII ERGO LEVI, &c. Repetit initium capitis, ut recenseat reliquam seriem Levitici generis, præter sacerdotes quorum successionem primo loco iure describendam putavit a verf. 3. usque ad 15.

V. 20. ZAMMA FILIUS EIUS. Heb. *Zimah filius eius*. Exponunt, Id est nepos eius: fuit enim filius Simhi, filii Iachathi, infra verf. 42.

V. 21. IOAH. Hebr. *Ioah*, infra verf. 42. vocatur *Ethan*. ADDO. Hebr. *Hido*, qui infra verf. 41. dicitur *Hadaiah*. IETHRAI. Hebr. *Ieatherai*, infra verf. 41. *Ethni* numcupatur.

V. 22. CORE FILIUS EIUS. Hebr. *Korach*: de cuius filiis hic descriptis, vide Exod. VI. 24. Fuit is ille turbidus ac seditiosus, cuius historia texitur Num. XVI.

V. 23. ELCANA FILIUS EIUS, &c. Hunc versum dilucidius alii ita reddunt: *Elkanah filius eiusdem*, scilicet Korachi, *& Ebiasaph filius eiusdem* Korachi: *Assir filius huius*, scilicet Ebiasaphi. Nam Assir primum, & Elkanah, & Abiasaphum filios fuisse ipsius Korachi, dicitur Exod. VI. 24. quod etiam ex verf. 25. & 35. & 37. infra apparet.

V. 24. URIEL, infra verf. 36. vocatur *Tzephaniah*. OZIAS. Hebr. *Huziiah*, qui infra verf. 36. dicitur *Hazariah*. SAUL FILIUS EIUS. Hic infra verf. 36. appellatur *Ioel*: post hæc verba subaudiunt, *Et Elkanah filius eius*, e sequenti versu, ubi recensentur filii Elkanæ, nec tamen exprimitur, cuius ipse fuerit filius; proinde subaudiendum fuisse filium Saulis, qui proxime antecessit.

V. 26. Et Elcana: Filii Elcana, Sophai, &c. Hebr. *Elkanah*: *Filii Elkanæ*. Vel, *Filius eius Elkanah*, nam Hebr. eſt duplex lectio. Priorem hic *Elkanah*, intelligi putant illum filium Aſſir nepotem Korachi, ſupra verſ. 23. Alii ſubaudiunt, *Filius Hamaſai Elkana*: *filius huius Elkanah*, &c. Nam volunt hunc Elkanam eſſe eum, qui infra verſ. 35. dicitur *Machath filius Hamaſai*. Itaque hic duplicem Elkanam ſtatuunt, patrem qui dictus eſt etiam *Machath*, & filium eius alterum Elkanam, & huius filium Tzophai: quod nobis probatur e verſ. 35. inf. Sophai. Hebr. *Tzophai*, infra verſ. 35. vocatur *Tziph*, vel *Tzuph*. Nahath. Hebr. *Nachath*, infra verſ. 34. appellatur *Thoach*.

V. 27. Eliab, qui infra verſ. 34. appellatur *Eliel*. Elcana filius eius. Poſt hæc verba ſubaudiunt, *Semuel filius eius*, ut docet verſus ſequens, & veritas ipſa.

V. 28. Primogenitus Vasseni, vel *Vaſni*. Iſte II. Samuel. VIII. 2. & hic infra verſ. 33. appellatur *Icel*.

V. 31. Quos constituit David super cantores. Hebr. varie reddunt: 1. *quos præfecit David in locis cantici*, id eſt in rationibus, officiis, miniſteriis, cantorum: 2. *quos conſtituit David ſuper cantica*: 3. *quos conſtituit David manibus muſicæ*, vel *ad miniſterium muſicum*: vel *quos præfecit David rebus muſicis*. Forſan ſit Hiſpaniſmus, *Super manus*, id eſt per vices, *muſicæ*; ut viciſſim caneret per vices ſuas. Ex verbo, *Super manus cantici*, id eſt *ſuper cantica tradita* eis ab ipſo Davide. Vide ſimilem locutionem II. Paralipom. XXIX. 26. & Ezræ III. 10. Ex quo collocata est arca. Heb. *A reſidentia arcæ*; id eſt, inde ab eo tempore quo reſedit arca. Quidam, *A requiete arcæ*, vel *ex quo quievit arca*; id eſt, translata eſt in domum Davidis: prius enim huc illuc deportabatur. Hiſpanicus: *Deſpues que el arca tuuo repoſo*: collocata iam in tabernaculo, quod ei tetenderat David in domo ſua, II. Samuel. VI. 17. Alium ſubolfacio ſenſum, *De reſidentia arcæ*; id eſt, ut canerent ad locum ubi reſidebat arca, hoc eſt in templo, in atrio exteriore: ut verſu ſequente exponitur.

V. 32. Stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. Nos Hebræa ex verbo reddidimus (*Et ſteterunt ſecundum iudicium eorum*, *ſuper ſervitium eorum*.) Diverſimode alii. I. *Steteruntque*; ſubaudi, tempore templi iam ædificati: *iuxta morem ſuum*; id eſt, pro ratione dignitatis ſuæ, ut ſoliti ante fuerant in tabernaculo; quaſi dicat: Manſerunt in eo ordine & ſtatu quem nacti erant tempore tabernaculi: *in miniſterio ſuo*. II. *Steteruntque in miniſterio ſuo iuxta ritum eis præſcriptum*. III. Ubi, ſcilicet in templo Selomonis, *perſtiterunt pro munere ſuo in miniſterio ſuo*. Poſſis exponere: *Et aſtiterunt pro iudicio ſuo*, id eſt omni cura, ſtudio, iudicio, intenti operi, in *ſervitio*, ſeu *miniſterio ſuo*.

V. 44. Ethan. Hic infra cap. IX. verſ. 16. vocatur *Ieduthun*, & paſſim, ut in titulis Pſalmorum: & interdum *Iedithum*. Cusi. Hebr. *Kiſi*. Is infra cap. XV. verſ. 17. dicitur *Kuſaiahu*.

V. 48. Fratres quoque eorum Levitae, &c. Vide de hoc verſu, ſeu Levitarum miniſterio, copioſe Numeror. III. & IV.

V. 49. In omne opus Sancti sanctorum. Hebr. in dativo, *Omni operi Sanctitatis ſanctitatum*. Quidam, *Ad omne opus Sancti ſanctorum*. Alii, *Præter omne opus Sancti ſanctorum*. Hic Sanctitas ſanctitatum univerſe complectitur, nedum ipſum oraculum, ſed & altaria, panes propoſitionis, ſacrificia omnia, ſacra vaſa, veſtes, & cuncta alia, quorum cura ſolis ſacerdotibus ex lege præſcripta fuerat. Vide Exod. XXVI. 33.

V. 50. Hi autem sunt filii Aaron, &c. Ab hoc verſu uſque ad verſ. 53. incluſive recenſetur ſucceſſio ſummorum ſacerdotum ab Aarone uſque ad tempora Davidis, ut apparet ex verſ. 31. & veritate ipſa.

V. 54. Et haec habitacula eorum, &c. Ab hoc verſu uſque ad finem capitis conferenda ſunt omnia cum cap. XXI. Ioſue: ſunt enim eadem prorſus paucis demptis, vel immutatis, quæ ſigillatim annotabimus.

V. 57. Dederunt civitates ad confugiendum Hebron, et Lobna, &c. Hebr. *Dederunt urbes Iebudæ receptus Chebronem & Libnah*, &c. Recte diſtinguunt: *Dederunt civitates Iebudæ*,

dæ, *civitatem receptus Chebronem*, *præterea Libnam*, &c. nam nimis est exploratum Libnah non fuisse urbem receptus. Unde in Nostro sic interpungendum. *Dederunt civitates ad confugiendum*, *Hebronem*: *&* *Libna*, &c. Sic inf. vers. 67.

V. 58. HELON. Hebr. *Chilen*. Hæc *Cholon* vocatur Iosue XV. 51. & cap. XXI. vers. 15.

V. 59. ASAN. Hebr. *Hasan*, Iosue XV. 32. & cap. XXI. vers. 16. appellatur *Haiin*.

V. 60. ALMATH. Hebr. *Halemeth*. Iosue XXI. vers. 18. dicitur *Halmon*, de qua vide ibi Notas. CIVITATES TREDECIM. At hic non sunt numeratæ nisi undecim: unde omnes exponunt civitates tredecim, nempe undecim quæ hic numerantur, & præter istas aliæ duæ, nimirum *Iuthah*, & *Ghibhon*, quæ recensentur Iosue XXI. vers. 16. & 17. *Iutah* ex Iehuda, *Ghibhon* ex Biniamine.

V. 61. RESIDUIS, id est qui non erant sacerdotes. Vide Iosue XXI. 5. DE COGNATIONE SUA. Hebr. *De familia tribus*. Explicant, *A familia unius tribus*, scilicet Ephraimi, infra vers. 66. & Iosue XXI. 20. & e tribu Danis, Iosue XXI. 23. Hæc enim ibi explicantur quæ hic omittuntur.

V. 65. DEDERUNTQUE PER SORTEM; subaudi, ipsis sacerdotibus, ut ex antecedentibus manifeste liquet. Quidam hunc versum perspicuitatis causa ita ex Hebræo convertunt: *Cum* sacerdotibus *dedissent* civitates *sorte a tribu filiorum Iehudæ*, *&* *a tribu Schimonitarum*, *ac a tribu Biniaminitarum*: dederunt *civitates istas*, *quas lecturi sunt nominatim lectores*. QUAS VOCAVERUNT NOMINIBUS SUIS. Quidam exponunt: Id est, quibus nomina indiderunt filii Israel. Sed puto iam ante filios Israelis omnibus his urbibus ea nomina fuisse. Aliqui: *Quas vocaverunt nominibus*, *quibus hic appellavimus eas*; id est, quæ sic appellabantur, ut hic descripsimus. Alii: *Quas lecturi sunt nominatim lectores*.

V. 68. IECMAAM. Hebr. *Iakmegham*, vel *Iokmeham*, ita quoque vocatur I. Reg. IV. 12. Aliqui eamdem faciunt cum *Iaknegham*, vel *Ioknebam*, per Nun, Iosue XII. 22. & cap. XIX. vers. 11. de qua vide Comment. in ea loca. Sed diversas plane statuerim: nam *Iakmegham* fuit tribus Ephraimiticæ data Kehathitis, ut hic dicitur; at *Iakneghâm* fuit tribus Zebulunis, data Meraritis, Iosue XXI. 34. Notant, nostram Iakmegham, Iosue XXI. 22. appellari *Kibtzaim*, utriusque nominis affini significato, nam קבצים *kibtzaiim* est *congregatio duplex*; יקמעם *iakmegham*, *surgens populus*.

V. 69. HELON, ex tribu nimirum Danis; ex qua omittuntur hic duo alia civitatum nomina, nempe *Eltheke*, & *Ghibethon*, data Keathitis, quæ exprimuntur Iosue XXI. 23.

V. 70. ANER. Hebr. *Ghaner*, quæ Iosue XXI. 25. vocatur *Thaghnach*: de qua vide in Iosue XII. 21. & cap. XVII. vers. 11. BALAAM. Hebr. *Bilgham*. Notant Iosue XVII. 11. dici *Ibleghâm*; sed Iosue XXI. 25. numcupari *Ghath-Rimon*. Vide ibi.

V. 71. GAULON. Hebr. *Gholan*, quæ etiam dicitur *Ghaulon*, Iosue XXI. 27. de qua vide in Deuteron. IV. 43. ASTHAROTH. Hebr. *Ghastha->oth*. Iosue XXI. 27. vocatur *Beghestherah*: de qua vide ibidem.

V. 72. CEDES. Hebr. *Kedes*, quam observant Iosue XXI. 28. *Kision* numcupari. Diversa hæc *Kedes* Issachariana ab illa Naphthalitica, infra vers. 76.

V. 73. RAMOTH. Hæc dicitur *Iarmuth*, Iosue XXI. 29. de qua vide Iosue XIX. 21. ANEM. Hebr. *Ghanem*. Notant, hanc per crasin Iosue XXI. 29. appellari *Ghen-Ghanim*: de qua vide Iosue XIX. 21.

V. 74. MASAL, quæ & *Misal*, Iosue XXI. 30.

V. 75. HUCAC. Hebr. *Chukok*. Hanc volunt Iosue XXI. 31. vocari *Chelkath*: de qua vide Comment. ibi, & in Iosue XIX. 25. & 34.

V. 76. HAMON. Hebr. *Chamon*. Existimant hanc Iosue XXI. 32. *Chamoth-Dor* appellari. Vide ibid. CHARIATHAIM. Hebr. *Kiriathaim*. Diversa hæc *Kiriathaim* Naphthalitica, ab illa Rubenica trans Iordanem, de qua Iosue XIII. 19. & Num. XXXII. 37. Hanc nostram volunt Iosue XXI. 32. *Karthan* numcupari: de qua vide Comment. ibi.

V. 77. DE TRIBU ZABULON. Datæ fuerunt Meraritis quatuor urbes de tribu Zebulunis, quarum duæ hic omittuntur, quæ Iosue XXI. 34. & 35. exprimuntur. REMMONO. Hebr. *Rimono*.

Volunt hanc *Dimnah* vocari Iosue XXI. 35. de qua vide in Iosue XIX. 13. THABOR. Tremellius, & Iunius in Iosue XIX. 12. existimant hanc Thabor esse illam quæ ibi dicitur *Chistoth-Thabor*, & quæ Iosue XXI. 34. appellatur *Karthah* : at in hunc locum volunt *Thabor* esse eam quæ Iosue XXI. 35. *Nahalal* vocatur. Mira inconstantia! Nobis illud primum probabilius videtur.

MENOCHII.

Vers. 3. FILII AMRAM: AARON, MOYSES, ET MARIA. Primo loco inter filios Levi numeraverat Caath, quia ipse caput fuit sacerdotum, nam ab eo descendit Aaron. Iam vero omissis aliis filiis Caath, qui ad gradum simplicium Levitarum pertinuerunt, peculiariter enumerat filios Amram, a quo Sacerdotes, & Pontifices per Aaronem prognati sunt. NADAB, ET ABIU, qui extincti sunt propterea quod alienum ignem thuribus imposuissent, ut habemus Levit. X. 1.

V. 4. ELEAZAR GENUIT PHINEES, &c. Hæc est series Pontificum. ABISUE, cuius memoria non est alibi in Scriptura, ut etiam reliqui Pontifices, qui deinceps numerantur, obscuri fere sunt, nihilque de illis traditur in sacris litteris.

V. 10. QUI SACERDOTIO FUNCTUS EST, &c. id est, qui se in sacerdotali officio egregie gessit: restitit enim Oziæ volenti offerre incensum. Vide II. Paralip. XXVI. 17.

V. 15. EGRESSUS EST; id est, ductus est captivus in Babylonem.

V. 20. FILIUS EST, id est Gersom, cuius proxime facta fuerat mentio.

V. 31. SUPER CANTORES DOMUS DOMINI: de quorum institutione, officio, & vicibus in ministerio canendi, vide infra toto cap. XXV. Vide etiam Sigonium de Republica Hebræorum Lib. V. cap. V. COLLOCATA EST ARCA, scilicet in tabernaculo facto a David.

V. 32. IUXTA ORDINEM SUUM, nam distinxit eos David per vices suas, ut habemus infra cap. XXV. Vide etiam cap. XVI. num. 4. & deinceps.

V. 39. FRATER EIUS, id est cognatus. Abulensis putat vocari fratrem, quia particeps erat eiusdem officii. QUI STABAT A DEXTRIS EIUS. Tres erant principes cantorum ex tribus familiis Leviticis, scilicet Heman, Ethan, & Asaph. Heman erat ex familia Caath; Asaph ex familia Gersom; Ethan ex familia Merari. Ex qualibet harum familiarum erant multi cantores per vices, & choros distributi, ita tamen ut quotidie ex qualibet familia aliqui essent qui cum aliis ex reliquis familiis coram arca canerent Domino, ita ut tres choros constituerent. Chorus ergo medius erat filiorum Heman, dexter filiorum Asaph, sinister filiorum Ethan.

V. 44. AD SINISTRAM. Vide proxime dicta.

V. 48. FRATRES QUOQUE EORUM LEVITAE; hoc est, reliqui horum fratres, id est ex eadem tribu Levi, ministrabant in aliis templi ministeriis, quæ Levitarum erant; hi vero supra memorati erant cantores.

V. 49. AARON VERO, ET FILII EIUS, &c. Hi excellentiori fungebantur ministerio, quandoquidem ex iis Pontifex erat, & sacerdotes. ADOLEBANT INCENSUM SUPER ALTARE HOLOCAUSTI. *Incensum* hoc loco non accipitur pro thure, vel thymiamate: hoc enim non in altari holocausti, sed in altari thymiamatis adolebatur. Incensum ergo significat victimas, & quidquid in holocaustorum altari solebat incendi. IN OMNE OPUS SANCTI SANCTORUM; id est, & in omni opere, & ministerio sacerdotali templi. UT PRECARENTUR PRO ISRAEL: quod intellige de precibus quæ fiebant in sacrificio, quas nullus alius qui sacerdos non esset, usurpare poterat, quemadmodum nec poterat sacrificare.

V. 55. DEDERUNT ERGO EIS, id est Caathitis. ET SUBURBANA EIUS PER CIRCUITUM. Concedebantur Levitis suburbana ad alenda eorum pecora. Vide Numer. XXXV. dicta initio ubi etiam dictum est quam late hæc suburbana porrigerentur.

V. 56. AGROS AUTEM, CIVITATES, ET VILLAS. Vide dicta Iof. XXI. 12. DEDERUNT CIVITATES AD CONFUGIENDUM: non tamen omnes quæ hic numerantur erant civitates refugii, sed

ſed tantum Hebron. Itaque ſententia eſt, dediſſe Levitis civitates has, & civitates refugii, inter quas erat Hebron in tribu Iuda. Sex enim omnino civitates fuerunt refugii, quarum una erat in tribu Nephthali, altera in Ephraim, tertia in Iuda, quæ ſcilicet eſt Hebron, de qua nunc agimus, reliquæ trans Iordanem in Ruben, Gad, & Manaſſe.

V. 58. IETHER QUOQUE, &c. Hæ omnes quæ duobus hiſce verſiculis comprehenduntur, ſunt ſacerdotales civitates in tribu Iuda, & Simeon. OMNES CIVITATES TREDECIM. Si numeres, undecim tantum invenies, itaque duæ omiſſæ ſunt. Vide Ioſue cap. XXI. ubi omnes numerantur, & quæ ibi notavimus ad verſiculum decimum quintum, & decimum ſeptimum.

V. 61. FILIIS CAATH RESIDUIS. Vide dicta Ioſue XXI. num. 20. URBES DECEM. Non eſt ſenſus, decem urbes datas ex dimidia tantum tribu Manaſſe, nam Ioſue cap. XXI. num. 25. conſtat tantum duas fuiſſe; ſed ſenſus eſt, decem fuiſſe urbes datas Caathitis, quarum duæ fuerunt ex tribu Manaſſe, quatuor ex tribu Ephraim, & totidem ex tribu Dan. Vide Ioſue XXI. a num. 20. & deinceps.

V. 62. FILIIS GERSOM. Vide dicta ibid. num. 27.

V. 63. CIVITATES DUODECIM, quarum catalogum habes Ioſue XXI. 34. & deinceps.

V. 65. PER SORTEM, propoſitis pluribus civitatibus, & ex iis eas eligendo, ſuper quas ſors cecidiſſet, ut putat Abul. URBES HAS, quas ſcilicet ſupra numeravit num. 58. & 59. QUAS VOCAVERUNT NOMINIBUS SUIS. Abulenſis putat aliquibus nomina mutaſſe in ſignum dominii. Crediderim potius ſententiam eſſe, civitates has de nominibus eorum dictas eſſe, ut ſcilicet dicerentur civitates Levitarum, vel Caathitarum, Gerſonitarum, &c.

V. 66. IN TERMINIS EORUM, id eſt pertinentes ad poſſeſſionem eorum.

V. 70. QUI DE TRIBU CAATH RELIQUI ERANT: qui ſcilicet ſacerdotes non erant, ſed tantum Levitæ, ideoque Ioſue XXI. 26. & 34. appellantur *Levitæ inferioris gradus*.

V. 71. DE COGNATIONE DIMIDIAE TRIBUS MANASSE, id eſt in ſorte dimidiæ tribus Manaſſe, quæ ultra Iordanem habebat ſedes ſuas.

V. 77. RESIDUIS. Vide dicta num. 70.

TIRINI.

Verſ. 5. OZI. Poſt hunc, Heli fuit ſummus ſacerdos, translato pontificatu a poſteris Eleazari primogeniti Aaronis, ad poſteros Ithamaris *a* ſecundogeniti, ut dixi I. Reg. II. 31. Heli in pontificatu ſucceſſerunt quatuor eius poſteri, uſque ad Abiathar, quem Salomon loco movit, III. Reg. II. 26. reddito in Sadoc pontificatu poſteris Eleazari, penes quos manſit uſque ad captivitatem Babylonicam, ut hic recenſetur. Itaque quatuor iſti, nempe a Zaraia filio *Ozi b*, uſque ad *Sadoc*, verſ. 8. non fuerunt ſummi pontifices: ceteri uſque ad *Ioſedec* verſ. 15. omnes fuerunt.

V. 10. AZARIAM ſecundum: IPSE EST QUI SACERDOTIO FUNCTUS EST, egregie ſcilicet & excellenter: nam muneri ſuo præclare ſatisfecit, quando Regi Oziæ volenti incenſum offerre, viriliter reſtitit, & e templo expulit, ut habes infra II. Paralip. XXVI.

V. 14. SARAIAS ſummus pontifex fuit quo tempore templum & urbs Ieroſolymitana a Nabuchodonoſore everſa ſunt, & ipſe ab eodem cum aliis LXX. e primis Iudæorum extremo ſupplicio affectus eſt, IV. Reg. XXV. verſ. 18. & ſequentibus.

V. 22. CORE contra Moyſen excitante ſeditionem, & terra dehiſcente, ipſumque *Core* abſorbente, filii eius ingenti miraculo ſervati ſunt, Num. XVI. & per poſteros propagati, qui hic recenſentur; inter quos,

V. 27. ELCANA, quartus eius nominis, parens Samuelis. Cum enim mox additur, *Filii Samuel*, &c. nullo Samuelis patre deſignato; intelligitur, filium fuiſſe eius qui proxime nominatus eſt, puta Elcanæ, ut dixi, & conſtat ex I. Reg. I.

V. 28. FILII SAMUEL, PRIMOGENITUS VASSENI, ET ABIA. Dices, I. Reg. VIII. 2. dicitur: *Nomen filii eius primogeniti Ioel, & nomen ſecundi Abia*. Et hic quoque verſ. 34. filius Samuel vocatur *Iohel*. Et eodem nomine etiam hoc verſ. 28. vocant primogenitum LXX. Reſpon-

pondet Mariana, binomium fuisse. Forte dici posset, incuria librarii excidisse nomen *Ioel*, qui fuit primogenitus: & *Vassení*, idem esse quod *Et Seni*; quasi dicat, Secundo genitus. Porro *Ioel*, & *Abia* sunt duo isti *Samuelis filii*, qui non bene præfuerunt reipublicæ, & occasionem populo dederunt, Regem loco Iudicum postulandi, I. Reg. VIII.

V. 34. FILII ELIEL, FILII THOHU. Ne nos turbet, quod hæc, & sequentia quædam nomina cum superiori genealogia Samuelis non per omnia videantur concordare. Nam multi apud Iudæos erant binomines, & interdum quædam personæ, quod minus claræ fuerint, in catalogo familiarum uno loco reticentur, altero recensentur: quod sæpe contingit in his decem primis Paralipomenon capitibus.

V. 54. HAEC HABITACULA SACERDOTUM. De urbibus sacerdotalibus, & Leviticis, vide quæ dixi in Chronico cap. XLVI. & Iosue XXI. ubi pene eodem ordine quo hic recensentur.

(a) Chronici cap. XLVI.
(b) Chronici cap. XLII.

GORDONI.

Vers. 1. A *Caath* summi sacerdotes, ut ex initio, & genealogia satis apparet, ac deinceps. Ceterum dat totum hoc caput, tum sacerdotes, tum Levitas, atque singulorum ordinum per diversas tribus habitationem.

V. 5. Post hunc Bocci, successit in ordine sacerdotum istorum Heli summus Sacerdos, qui erat ex linea Ithamari filii Aaron (priores fuerunt ex Eleazaro) post Heli successerunt quatuor, nempe usque ad horum ultimum Abiathar; quem a pontificatu reiecit Salomon, ut dictum est III. Reg. XXVI.

V. 8. ACHITOB GENUIT SADOC. De quinque prioribus, an fuerint summi Sacerdotes, disputant Interpretes. Certe occiso Abimelech a Saule, Rex Sadoc fecit pontificem, in quo rediit pontificatus ad posteros Eleazari, ibique hæsit.

V. 10. & 14. IPSE EST. Emphasis; Hic ille est Zacharias qui præclare restitit Oziæ Regi, volenti incensum offerre, IV. Reg. XV. Hic vero SARAIAM Pontifex fuit, quando incensum est templum a Babyloniis, IV. Reg. XXV. Filius eius Iosedec ductus est in Babylonem, qui filium habuit Iesum, de quo Esdræ cap. I.

V. 50. Reponit seriem, & genealogiam Pontificum, sed quam nunc producit solum ad Achimaas, qui primus in templo Salomonis obivit Pontificatum.

V. 60. Quamvis hic numerentur tantum undecim, tamen vere, ut hic ait, erant tredecim civitates datæ Levitis. Vide Iosue XXI.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. CAATH, caput Sacerdotum, a quo descendit Aaron. Hic iam speciatim recensentur filii Aaron, a quo Pontifices per Aaronem, omissis aliis filiis Caath, qui pertinebant ad gradum simplicium sacerdotum.

V. 15. EGRESSUS EST. Ductus captivus in Babylonem.

V. 31. De his cantoribus vide cap XXV.

V. 39. FRATER EIUS, cognatus. Tres erant Cantorum principes, Heman, Hethan, & Asaph, ex tribus familiis Levitarum. Canebant per vices ante arcam quotidie tribus choris.

V. 49. Incensum hoc quod erat ex thure, refer ad altare thymiamatis. Preces tantum a sacerdotibus recitabantur.

V. 56. DEDERUNT CIVITATES AD COAFUGIEDAUM. Tantum erant sex civitates refugii. Itaque quæ hic numerantur, datæ sunt Levitis, & in his tantum Hebron erat refugii: aliæ quinque in aliis tribubus.

V. 60. TREDECIM. Tantum hic numerat undecim, sed Iosue XXI. numerantur omnes tredecim. Vide quæ ibi notata sunt.

CA-

C A P U T VII.

Genealogia Issachar, Beniamin, Nephthali, Manasse, Ephraim & Aser.

1. PORRO (*a*) filii Issachar: Thola, & Phua, Iasub, & Simeron, quatuor. 2. Filii Thola: Ozi & Raphaia, & Ieriel & Iemai, & Iebsem, & Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David, viginti duo millia sexcenti. 3. Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, & Obadia, & Iohel, & Iesia, quinque omnes principes. 4. Cumque eis per familias & populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, & filios. 5. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt. 6. Filii (*b*) Beniamin: Bela, & Bechor, & Iadiel, tres. 7. Filii Bela: Esbon, & Ozi, & Oziel, & Ierimoth, & Urai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia & triginta quatuor. 8. Porro filii Bechor: Zamira, & Ioas, & Eliezer, & Elioenai, & Amri, & Ierimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi filii Bechor, 9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia & ducenti. 10. Porro filii Iadihel: Balan. Filii autem Balan: Iehus, & Beniamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharsis, & Ahisahar: 11. omnes hi filii Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia & ducenti, ad prælium procedentes. 12. Sepham quoque & Hapham filii Hir: & Hasim filii Aher. 13. Filii autem Nephthali: Iasiel, & Guni, & Ieser, & Sellum filii Bala. 14. Porro filius Manasse, Esriel: concubinaque eius Syra peperit Machir patrem Galaad. * 15. Machir autem accepit uxores filiis suis Happhim & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, natæque sunt Salphaad filiæ: 16. & peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen eius Phares: porro nomen fratris eius, Sares: & filii eius Ulam, & Recem. 17. Filius autem Ulam, Badan: hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse. 18. Soror autem eius Regina peperit Virum decorum, & Abiezer, & Mohola. 19. Erant autem filii Semida, Ahin, & Sechem, & Leci, & Aniam. 20. Filii autem Ephraim: Suthala, Bared filius eius, Thahath filius eius, Elada filius eius, Thahath filius eius, huius filius Zabad, 21. & huius filius Suthala, & huius filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessiones eorum. 22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius ut consolarentur eum. 23. Ingressusque est ad uxorem suam: quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus esset: 24. filia autem eius fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara. 25. Porro filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, 26. qui genuit Laadan: huius quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama, 27. de quo ortus

ortus eſt Nun, qui habuit filium Ioſue. 28. Poſſeſſio autem eorum & habitatio, Bethel cum filiabus ſuis, & contra orientem Noran, ac occidentalem plagam Gazer & filiæ eius, Sichem quoque cum filiabus ſuis, uſque ad Aza cum filiabus eius. 29. Iuxta filios quoque Manaſſe, Bethſan & filias eius, Thanach & filias eius, Mageddo & filias eius: Dor & filias eius: in his habitaverunt filii Ioſeph, filii Iſrael. 30. Filii (c) Aſer: Iemna, & Ieſua, & Ieſui, & Baria, & Sara ſoror eorum. 31. Filii autem Baria: Heber, & Melchiel: ipſe eſt pater Barſaith. 32. Heber autem genuit Iephlat, & Somer, & Hotham, & Suaa ſororem eorum. 33. Filii Iephlat: Phoſech, & Chamaal, & Aſoth: hi filii Iephlat. 34. Porro filii Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram. 35. Filii autem Helem fratris eius: Supha, & Iemna, & Selles, & Amal. 36. Filii Supha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Iamra, 37. Boſor, & Hod, & Samma, & Saluſa, & Iethran, & Bera. 38. Filii Iether: Iephone, & Phaſpha, & Ara. 39. Filii autem Olla: Aree, & Haniel, & Reſia. 40. Omnes hi filii Aſer principes cognationum, electi atque fortiſſimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis quæ apta eſſet ad bellum, viginti ſex millia.

(a) Geneſ. xlvi. 13. (b) Geneſ. xlvi. 21. (c) Geneſ. xlvi. 17.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 15. *Machir autem accepit uxores filiis ſuis.*

Non eſt mutandum plurale *uxores* cum ſingulari *uxorem*, tametſi hoc hebraice legatur.

C O M M E N T A R I A

SA.

Verſ. 2. DAVID: ſcilicet cum is iuſſit populum numerari.

V. 3. FILII, pro filius. QUINQUE, ſcilicet cum patre.

V. 4. EIS, ſcilicet principibus.

V. 5. FRATRES, id eſt cognati. PER OMNEM COGNATIONEM; quaſi dicat: Omnes ſimul conficiebant octoginta ſeptem millia.

V. 12. HIR. Qui ſup. dictus eſt *Urai*, ſeu *Hiri*. FILII AHER, pro filius Aher; quaſi dicat: Etiam is ad poſteritatem Hir pertinebat.

V. 13. BALA, ſcilicet matris Nephthali. Vide Gen. XLVI.

V. 14. SYRA, ſcilicet natione. GALAAD. Nomen viri.

V. 15. SECUNDI, ſcilicet filii: ſed cuius? Vide Num. XXVI.

V. 16. FILII EIUS, ſcilicet Sares.

V. 18. EIUS, ſcilicet Galaad. REGINA. Hebr. *Molecheth*. LXX. *Melchath*, nomen proprium. VIRUM DECORUM. Hebr. *Iſhod*. LXX. *Ieſſud*.

V. 19. SEMIDA. Vide Num. XXVI.

V. 20. FILII, pro filius.

V. 21. ET HUIUS FILIUS EZER. Hebr. & LXX. *&* *Ezer*. POSSESSIONES. LXX. *pecora*; ſic & inf. Nota quod Chaldæus, Cant. II. ait iſtos temere ex AEgypto egreſſos 30. annis ante tempus, quo egrediendum erat, occiſos fuiſſe a Philiſthæis, qui habitabant in Geth; ſed id non eſt veriſimile nec enim Ephraim tamdiu vivere potuiſſet.

V. 22. EORUM. Primorum pater erat, aliorum avus, proavus, abavus.

V. 23. BERIA, id eſt *in malo*, ſeu *afflictione*.

V. 24. FILIA, id eſt neptis. OZENSARA. Nomen loci.

V. 25. EIUS, ſcilicet Ephraim, vel Beria.

V. 28. FILIABUS. LXX. *viculis*: ſic & inf.

ES-

ESTII.

Verſ. 18. SOROR AUTEM EIUS REGINA PEPERIT VIRUM DECORUM. Quædam exemplaria pro *Regina* triſſyllabo, habent diſſyllabum *Regma*. Sed omnino legendum eſt *Regina*. Hanc quidam tradunt fuiſſe matrem Ioſue filii Nun, quem dicunt hoc loco vocari filium decorum. Sed id dici non poteſt, quia paulo poſt expreſſe ſubiungitur eius genealogia. Alii dicunt hanc fuiſſe Deboram prophetiſſam, de qua in libro Iudicum. Sed quem virum decorum illa genuerit, Scriptura nuſquam ſignificat. Proinde dicendum hæc duo, *Regina*, & *virum decorum*, hoc loco non aliud eſſe quam nomina propria, ſicut alia paſſim quæ præcedunt, & ſequuntur. Hebraice ſic legitur: *Et ſoror eius* (nempe ipſius Galaad) *nomine Moleched peperit Iſchad*. Quid autem moverit Interpretem ut hæc nomina propria verterit tamquam appellativa, incertum. Vide ſimilem locum ſupra hoc eodem Lib. cap. IV. 22.

V. 22. LUXIT IGITUR EPHRAIM PATER EORUM MULTIS DIEBUS, &c. Difficultas eſt, quomodo Ephraim, qui fuit filius Ioſeph dicatur luxiſſe filios ſuos occiſos a Paleſtinis, cum Ephraim multo ante fuerit mortuus, quam filii Iſrael venirent in terram promſſionis. Quidam tradunt filios Ephraim, patre adhuc vivente, aliquando egreſſos ex Ægypto ante tempora Moyſi, ut acciperent terram promiſſam, de qua multa ex patre & avo audierant; ſed quia tempus promiſſionis nondum advenerat, eos cæſos fuiſſe a Philiſtæis. Alii intelligunt de iis, qui contra Moyſi voluntatem aſcenderunt ad prælium contra hoſtes, ut habetur Numer. XIV. Sed nec tunc quidem ſupererat Ephraim, quia dicit Sciptura, quod tota prior cognatio mortua erat. Ac præterea ii, de quibus eo loco agitur quod Iſraelitas vicerint, Amorrhæi erant, non Philiſtæi. Quocirca eorum ſententia neceſſario ſequenda videtur, qui dicunt hunc Ephraim, qui hic dicitur luxiſſe filios ſuos occiſos a Philiſtæis, fuiſſe diverſum ab Ephraim patriarcha, & longe eo poſteriorem, ſed tamen ex eadem tribu. Multi enim iiſdem nominibus appellati fuerunt in illo populo, & maxime in eadem tribu.

MARIANAE.

Verſ. 2. PRINCIPES PER DOMOS COGNATIONUM SUARUM. Sic fere Sept. Hebr. *capita per domum* (id eſt domos) *patrum ſuorum*; id eſt, quiſque horum in ſua familia erat caput. IN DIEBUS DAVID. Quando populum numerari voluit II. Reg. XXIV. hi ſunt numerati, erantque viginti duo millia ſexcenti.

V. 3. FILII OZI, pro filius. Sic aliquoties in hoc cap. plurale pro ſingulari: ſic verſ. 10. *Filii Iadihel*. QUINQUE OMNES, filii cum patre, ſcilicet Izrahia.

V. 4. ACCINCTI AD PRAELIUM VIRI FORTISSIMI. Hebr. *Turmæ exercitus belli*, id eſt bellici. Sept. *Accincti fortes ad pugnandum in bello*.

V. 5. FRATRES, id eſt cognati, ex eadem tribu, OCTOGINTA SEPTEM MILLIA. Hi omnes numeri ad tempus & cenſum David referri debent. NUMERATI SUNT. Hebr. *Genealogizatio eorum omnium*. Sic Sept. *Genealogia eorum omnium*, ut Lamed ſit nota genitivi; aut ſi ſumatur ut nota dativi, erit ſenſus: *Octoginta ſeptem millia ad omnem eorum genealogiam*. Sic Hebr. Itaque in univerſa tribu Iſachar is numerus eſt inventus.

V. 6. FILII BENIAMIN. Hic tantum numerat tres e multis filiis Beniamin, unde deducti ii principes ſunt, quos hic deſignare volebat.

V. 12. SEPHAM QUOQUE. Hebr. *Supim*. Gen. XLVI. 21. vocatur *Mophim*. ET HAPHAM. Hebr. *Huphim* hoc loco, ibi in Gen. vocatur *Ophim*. FILII HIR. Hic inter filios Bala vocatur *Urai*. Hebr. *Hiri*. Itaque hi non fuere filii Beniamin, ſed e poſteris eius, etſi in Gen. videantur poni inter filios. ET HASIM FILII AHER. Hebr. *Huſim*: quoniam id nomen videbatur cum duobus ſuperiobus conſentire, ait *Huſim filii* (pro filius) *alterius*; quaſi dicat: Ne ſimilitudo decipiat: & quidem Gen. XLVI. 23. *Filii Dan Huſim*. Id pleroſque decepit, quod *Aher* putarunt eſſe nomen proprium, cum ſignificet *alterum*, ſeu *alterius*.

V. 13. FILII BALA, id eſt poſteri Balæ,

læ, quæ fuit concubina Iacob, Rachelis ancilla, Gen. XLVI. verſ. 24. & Gen. XXX. verſ. 8.

V. 14. FILIUS MANASSE. Hebr. & Sept. *Filii*. Sed plurale pro ſingulari. ESRIEL. Hebr. additur, *Quem peperit*, ſcilicet uxor eius. SYRA, natione ſcilicet: ſic Sept. Hebr. *Aramæa*. PATREM GALAAD, principem, ſi Galaad pro regione ſumitur; aut revera patrem, nam filium *Galaad* nomine habuit.

V. 15. ACCEPIT UXORES, ſcilicet Machir. Hebr. & Sept. *uxorem*. Sic Vulgatæ omnes ante Romanam. FILIIS SUIS. Hoc Hebr. & Græc. non eſt, ſed Hieronymus addidit. HAPPHIM ET SAPHAN. Hebr. *Hupim & Supim*. Porro hi poſiti ſunt verſ. 12. inter poſteros Iſſachar. Vatablus cenſet totum hunc locum vertendum ſic: *Accepit uxorem* (ſcilicet ſibi ſororem) *Hupim*, *& Supim*: quod non diſplicet. ET HABUIT SOROREM NOMINE MAACHA. Hebr. *Soror eius Maacha*. *Eius*, pro eorum, ſcilicet *Hupim & Supim*: ſic Sept. & vere, nam mox Maacha dicitur uxor Machir: fuit ergo uxor Machir ſoror Hupim & Supim. NOMEN AUTEM SECUNDI, SALPHAAD. Num. XXVI. 29. Machir genuit Galaad, hic Heber, filius Heberi fuit Salphaad. Ergo vocatur Salphaad ſecundus filius Machir, id eſt unus e poſteris eius.

V. 16. FRATRIS EIUS, ſcilicet Phares. ET FILII EIUS, ſcilicet Sares.

V. 18. SOROR AUTEM EIUS, ſcilicet Galaad. REGINA. Hebr. *Molecheth*: ſic Sept. quaſi nomen proprium reliquere *Melchath*. VIRUM DECORUM. Hebr. *Iſhod*. Septuaginta, *Ieſſud*. Hieronymus putavit *Iſhod* eſſe nomen appellativum, diviſitque in duo, in *Is*, id eſt *virum*, & *hod* id eſt *decor*.

V. 19. ERANT AUTEM FILII SEMIDA. Hic fuit unus e filiis Galaad, Num. XXVI. 32.

V. 20. SUTHALA, BARED FILIUS EIUS. Qui ſequuntur omnes aut ordini geniti ſunt, poſterior a priore; aut, quod verius credo, & magis conſonat cum Num. XXVI. verſ. 35. omnes Ephraim fuere filii.

V. 21. POSSESSIONES EORUM, ſcilicet filiorum Ephraim, invaſerunt viri Geth. Her. *greges*. Sept. *pecora eorum*. Huius invaſionis & belli extat mentio in Chaldæo; Cant. II. 7.

V. 23. BERIA, id eſt *in malo*. Sic vocatur is filius Ephraim, quod afflictionis tempore ſit natus. Hebr. בריעה *Beribah*.

V. 24. FILIA AUTEM EIUS FUIT SAR'A, id eſt una e poſteris: neque enim antequam Iſraelitæ redirent in terram promiſſionis, potuit ædificare ſeu iſtaurare Bethoron; & OZENSARA, nomen alterius urbis ab ea extructæ.

V. 25. PORRO FILIUS EIUS RAPHA. Tres qui hic ponuntur, fuere filii Ephraim.

V. 26. HUIUS QUOQUE FILIUS AMMIUD, ſcilicet Laadani filius fuit Ammiud. ELIZAMA. Hic fuit avus Ioſue, qui exiit ex AEgypto, Num. I. & II. & tam ipſe quam Nun filius eius obiere in deſerto.

V. 28. BETHEL. Duplex *Bethel*, altera in tribu Ephraim, altera in tribu Beniamin, Ioſ. XVIII. 22. & 12. tum Iudic. I. 22. CUM FILIABUS SUIS, id eſt cum villis ſubiecti agri. Sept. *cum viculis*. Id poſſedit Ioſue familia.

V. 31. IPSE EST PATER BARSAITH, id eſt princeps oppidi ſic dicti.

V. 35. HELEM FRATRIS EIUS, ſcilicet Somer: & fortaſſis eſt qui *Hothan* vocatur verſ. 32.

V. 38. IEPHONE. Non eſt pater Caleb, quia hic de tribu Aſer, ille de Iuda.

V. 39. FILII AUTEM OLLA. Vir inſignis in ea tribu. Sed quo patre?

V. 40. PRINCIPES COGNATIONUM. Hebr. *capita domus patrum* fuerunt ii quos nominavit de tribu Aſer.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PORRO FILII ISSACHAR, &c. de quibus vide Geneſ. XLVI. verſ. 13. & Num. XXVI. 23. & 24. Hebr. in dativo, *Et filiis Iſſacharis*; ſubaudi, eſt hæc recenſio. IASUB. Aliter *Iaſib*: nam variat Hebraica lectio. Hic Geneſ. XLVI. 13. vocatur *Iob*: forte per apocopen.

V. 2. PRINCIPES PER DOMOS COGNATIONUM SUARUM. DE STIRPE THOLA. Hebr. *Capita domui patrum ſuorum ipſi Tholah*. Quidam: *Principes per domum patrum ſuorum*, vel *per familiam* ma-

maiorum suorum, per familiam, inquam, *ipsius Tholah*, id est principes familiæ suæ, hoc est familiæ Tholæ. Alii: *Primores paternæ familiæ Tholahitidis*. *Tholah* hic patronymice capiunt pro familia seu gente Tholahitide. Sic Numeror. XXVI. 23. NUMERATI SUNT IN DIEBUS DAVID. Omnes intelligunt, Id est cum eius iusu per Ioabum recensitus est Israel. II. Samuel. XXIV.

V. 4. ACCINCTI AD PRAELIUM, VIRI FORTISSIMI. Hebr. *Turmæ exercitus belli*. Quidam, *Exercitus militiæ prælii*, id est turmæ militares aptæ ad prælium; quasi dicat, milites generosi ac fortes. Alii, *Cunei militares bello apti*. Nonnulli, *Turmarii militiæ bellicæ*.

V. 5. ROBUSTISSIMI AD PUGNANDUM. Hebr. *Prævalidi, beroes strenuitatum, virtutum, roborum*: supra vers. 2. in singulari dictum, *prævalidi strenuitatis*; hic pluraliter, *prævalidi strenuitatum*. Quidam pluralem numerum superlativi vim habere volunt, unde reddunt, *Valentissimi robore, strenuissimi virtute bellica*, sic infra vers. 7. 11. & 40. Alii, *Viri copiarum*, id est bello apti. NUMERATI SUNT. Hebr. *Genealogizari eorum per omnes*. Quidam: *Genealogizando eos per omnes*. Alii: *Recensiti per seriem generationes eorum per omnes*. Nonnulli: *Recensiti in universum*. Aliqui infinitivum nominaliter capiunt: *Recensione eorum per totum*, vel *censeri horum per omnes*, seu *censu omnium ipsorum*. Sic infra vers. 9. 2. & 40.

V. 6. FILII BENIAMIN. De his vide Genes. XLVI. vers. 21. & Numer. XXVI. vers. 38. 39. 40. IADIEL. Hebr. *Iedihael*. Hic Genes. XLVI. vers. 21. & Num. XXVI. 38. appellatur *Asbel*.

V. 7. NUMERUS AUTEM EORUM. Hebr. *Censeri eorum*, vel *recensio eorum*. Quidam, *Quorum census*, nempe actus a Ioabo iussu Davidis, ut supra vers. 2. sic infra vers. 9. 11. & 40.

V. 11. PRINCIPES COGNATIONUM SUARUM. Hebr. *In capita*, vel *pro capitibus patrum*. Quidam, *Per primores paternarum familiarum*. AD PRAELIUM PROCEDENTES. Hebr. *Exeuntes, progredientes militiæ ad bellum*. Quidam, *Egredientes ad militiam, in prælium*; id est, militari ordine procedentes in prælium, hoc est periti artis militaris, sive viri militares, accincti ad prælium bellicosi. Alii, *Qui ad bellum proficisci poterant*. Nonnulli, *Apti ad procedendum in militiam bellicam*.

V. 12. SEPHAM. Hebr. *Suphim*. Hunc esse notant, qui Genes. XLVI. vers. 21. vocatur *Mupbim*, & Numeror. XXVI. 39. *Sephupham*: quem volunt infra cap. VIII. vers. 5. dici *Sephuphan*. HAPHAM. Heb. *Chuphim*: sic etiam appellatur Genes. XLVI. 21. at Numeror. XXVI. 39. dicitur *Chupham* quem putant infra cap. VIII. vers. 5. dici *Churam*. Duo ii *Suphim*, seu *Muphim*, vel *Sephupham*, & *Chuphim*, recensentur a Mose inter filios Biniaminis. Alii nolunt intelligi proprie filios, sed nepotes, aut posteros. Vide infra cap. VIII. vers. 1. Hic quidam pro familiis Beniaminitis *Suphæorum*, & *Chuphæorum* accipiunt. Vide infra vers. 15. & cap. VIII. vers. 5. FILII HIR. Aliqui hunc *Hir* eum esse putant qui supra vers. 7. dictus fuit *Hiri*. Alii pro appellativo capiunt, *Et filii urbis*, seu *civitatis*, id est cives urbis; hoc est familiæ istæ Biniaminitarum Ierusalaimis habitantes. ET HASIM FILII AHER. Hebr. *Chusim filii Acher*. Plerique *Acher* hic nomen appellativum existimant. *Chusim filius alius*, seu *alter*, vel *alterius*; ut plurale *filii*, indistincte ac indefinite ponatur pro filius, ut Genes. XLVI. vers. 23. ac si dicat: Chusim fuit filius alterius a filiis Biniaminis, nam fuit filius Danis, Genes. XLVI. 23. Et quia unus tantum fuit, annectitur hic filiis Biniaminis, ut etiam Numer. XXVI. 42. Alii hic reddunt: *Et Chuschæi nati in* agro *extero*, id est in agro Noabitarum ex matre Chuschim, ut dicitur infra cap. VIII. vers. 8. Tremellius, & Iunius hunc versum ita reddunt, & exponunt: *Præter Scupphæos, & Chuppæos cives urbis: & Chuschæos natos in agro extero; id est, exceptis horum familiis, quæ non venerunt in Ioabi censum: recensuit enim Ioab eos tantum e Biniaminitarum tribu, in quos ex opportunitate itineris incidit: quamobrem neque eos, qui Ieruschalaimis habitabant, neque foris natos in agro extero, id est Moabitarum agro, & commorantes, de quibus infra cap.* VIII. *vers.* 8. *numeravit*. Ita illi. Sed quam hoc est suaviter divinare.

V. 13. FILII AUTEM NEPHTHALI, &c, de quibus vide Genes. XLVI. 24.

& Numer. xxvi. 48. & 49. SELLUM. Hebr. *Salum*. Genes. xlvi. 24. dicitur *Silem*. FILII BALA. Hebr. *filii Bilhah*. Hic locus exponitur Genes. xlvi. 25. id est isti septem, Dan Chusim Nephathali, Iaktziel, Ghuni, Ietzer, Salum, Dam, & Naphthali, filii, alii nepotes, Bilhæ ancillæ Rachelis, & uxoris concubinæ Iahakobi. Quidam reddunt, *Cum natis Bilhæ*, id est cum Danitis, qui eamdem habuerunt matrem, Bilham. Notant autem, consulto hic reticeri Danem, quia unum dumtaxat habuit familiæ suæ principem *Chuschimum*, Genes. xlvi. 23. sed subtilis & violenta interpretatio. Rectius videtur Danem intellectum superiore versu in *Chusim* filio suo: quod vero eius nomen hic non fuerit expressum, inter alia mysterio, ex eo nasciturì Antichristi, tribuerim.

V. 14. PORRO FILIUS MANASSE. Hebr. *Filii Menasseh*. Recte exponunt, Id est posteri: nam Asriel pronepos fuit ex Ghilhade filio Machiris, filii Menassis, Numeror. xxvi. 29. 30. & 31. & Tzelophchad abnepos ex Chephero filio Ghilhadis, Numeror. xxvii. vers. 1. & cap. xxvi. vers. 32. & 33. ESRIEL, vel *Asriel*. Hebræa addunt *quem peperit*: apte subaudiunt, scilicet *uxor Ghilhadis*: nam Ariel fuit filius Ghilhadis, filii Machiris, filii Menassis, Numeror. xxvi. 29. 30. 31. CONCUBINAQUE EIUS, nempe Menassis. SYRA. Hebr. הארמיה *harammiiah*. Fere omnes pro gentilitio nomine, accipiunt. *Aramæa*, *Syra*: ut ex vicina Syria, Syram aliquam uxorem concubinam duxerit. Sed cum ea forma feminea non sit usitata, sed tantum ארמית *aramith*; nonnulli nomen proprium esse volunt, *Haramiiah*, quæ *celsitatem Dei* significat. PATREM GALAAD. Revera patrem filii Ghilhadis: & *patrem*, id est auctorem, conditorem, principem, provinciæ Ghilhaditis, Numeror. xxxii. 40.

V. 15. MACHIR AUTEM ACCEPIT UXORES FILIIS SUIS HAPPHIM, ET SAPHAN: ET HABUIT SORORΕΜ NOMINE MAACHA. Hebr. ex verbo: *Et Machir accepit uxorem ipsi Chuppim, & ipsi Suphim: & nomen sororis eius Mahachah*. Dici non potest quam molestis difficultatum nodis hic locus, præsertim in Editione vulgata involvatur. Primum unde Machiri novi nunc isti duo filii *Chuphim*, & *Suphim*, qui neque Numer. xxvi. nec ullibi alibi memorantur? Deinde quomodo isti filii Machiris Menassitæ, si paulo ante vers. 12. iidem ipsi inter filios Biniaminis censentur, ut etiam Genes. xlvi. 21. Dicent, hos esse alios, vel accensos in familiam Machiris, ut Iairem Numer. xxxii. 41. Ad hæc, qua ratione Mahachah soror Machiris esse potuit quæ versu sequente dicitur uxor; nisi sit alia; vel soror cognata intelligatur. Quidam reddunt: *Et Machir accepit sibi in uxorem, sororem Chuphim, & Suphim*, qui habebant idem nomen cum nomine sororis propriæ. Sed ii difficultatem de Mahachah non evertunt. Tremellius, & Iunius notant esse hic maximam verborum emplocem, seu traiectionem, quam ipsi perspicuitatis causa ex versu sequente restituerunt in hunc modum vertentes: *Macir autem acceperat uxorem Mahacam sororem Chuppimi & Schuppimi*; id est, ex tribu Biniaminis, supra vers. 12. Unde Hebræa ita concinnanda erunt: *Et Machir accepit uxorem: & nomen sororis eius*, scilicet *Chuphimi*, *& Suphimi* fuit *Mahachah*; id est, *accepit uxorem Mahacham sororem Chuphimi, & Suphimi*. NOMEN AUTEM SECUNDI, id est alterius ex posteris Menassis, qui hic recensentur: nam Tzelophchad fuit abnepos Menassis. Vide versu præcedente. Erat autem nepos Ghilhadis ex Chebero fratre Asrielis iuniore, Numer. xxvi. 23. & Iosue xvii. 5.

V. 17. BADAN. Hebr. *Bedan*. Hunc quidam volunt fuisse Iairum Ghilhaditam, unum ex iudicibus, de quo Iudic. x. 3. Vide Com. In I. Samuel. xii. 11. II SUNT FILII GALAAD. Quidam reddunt: *Hi sunt in filiis Ghilhadis*; id est, possessionem habuerunt inter Ghilhaditas.

V. 18. SOROR AUTEM EIUS, id est Ghilhadis, filia Machiris, ut omnes intelligunt. ABIEZER. Hebr. *Abighezer*. Ita quoque appellatur Iosue xvii. 2. sed Numer. xxvi. 30. dicitur *Ighezer*, vel *Ibezer*. ET MOHOLA. Hebr. *Machlah*. Quidam addunt perspicuitatis causa, *& Semidagh*, ex initio versus sequentis. Sed id incertum: nec constat Semidagh fuisse filium *Hamolecethæ*.

V. 19. LECI. Hebr. *Likchi*, qui per metathesim litterarum *Chelek* nominatur Numeror. xxvi. 30.

V. 20.

V. 20. FILII AUTEM EPHRAIM. Vide Numer. XXVI. 35. BARED FILIUS EIUS. Hic Numer. XXVI. 35. *Becher*. Iam dubium est, num pronomen *eius*, quod sexies hoc, & sequente versu ponitur, referat proxime antecedentem virum; an semper ipsum Ephraimum; hoc est, an Bered, & sequentes, fuerint fratres Sathelachi, & omnes filii immediati Ephraimi: an vero Bered fuerit filius Suthelachi, & Thachath filius Beredi, & sic successive de sequentibus. Sane orationis filo aptius videtur, ut novem isti viri, hoc & sequente versu descripti fratres fuerint, uno parente Ephraimo geniti.

V. 23. OCCIDERUNT AUTEM EOS VIRI GETH INDIGENAE, QUIA DESCENDERANT UT INVADERENT POSSESSIONES EORUM. Hæc historia nullibi alibi scripta reperitur. Aliqui contigisse cum iam Israelitæ ductu Iosue occupavissent terram promissam; & hic agi de posteris Ephraimi, non de filiis immediatis. Alii accidisse existimant existentibus Israelitis in AEgypto, & vivente adhuc ipso Ephraimo filio Iosephi, eorum patre; quod existimo verisimilius. OCCIDERUNT AUTEM EOS. Hebr. in futuro *Et interficient eos*. Forsan indicat, non uno prælio aut excursione, sed variis, & repetitis conflictibus interfecisse. Quidam interpretantur, *Occiderunt eos*, id est partem eorum Synecdoche. Sed quid vetat, omnes cum iam sustulissent filios, Num. XXVI. 35. & 36. VIRI GETH. Hebr. *Homines Ghath*. Fuit una ex quinque satrapiis, seu metropolibus Pelisthæorum, I. Samuel. VI. 17. de qua vide Iosue XI. 22. INDIGENAE. Heb. *nati in terra*, id est indigenæ illius terræ, seu regionis. QUIA DESCENDERANT UT INVADERENT, &c. Hebraice, & Latine id ambiguum: quidam ad Ephraimitas referunt, nimirum reddi causam cur Ephraimitæ iuræ cæsi a Ghathæis videantur, quod nimirum ipsi Ephraimitæ ex AEgypto intempestive & inopportune in terminos Pelisthæorum descenderint ad abigendum eorum pecora. Ita plerique Hebræorum: quo putant allusisse Psalm. LXXVII. 9. At Scriptura ex AEgypto in Chenahanæam non descendere, sed ascendere, dicere solet. Proinde alii, ex sua sorte Ephraimitica descendisse in fines Ghathæorum intelligunt. Alii tamen ad Ghathæos referunt, cum Ghathæi ipsi *descendissent ut caperent pecora illorum*; Ephraimitarum. Descenderant siquidem Ghathæi fines AEgypti populaturi: erant enim illis crebra cum AEgyptiis bella quorum causa Israelitæ in AEgypto a Pelisthæis sibi metuebant: huc spectat consilium Dei, de quo Exodi XIII. 17. UT INVADERENT POSSESSIONES EORUM. Hebr. *Ad capiendum acquisitiones eorum*. Quidam, *Ad accipiendum armenta eorum*. Alii, *Ut abigerent greges eorum*.

V. 22. LUXIT IGITUR EPHRAIM. Verbum אבל *abal*, in formula Hithpahel, maiorem vim habet: ex verbo: *Et lugere se fecit*, *luxit magno impetu & conatu*, *multum diuque luxit*, *luctu se afflixit Ephraim*. Hunc Ephraim non illum patriarcham Iosephi filium accipiunt nonnulli, sed alium cognominem ex illius posteris, degentem iam in promissa terra. Alii rectius, ut nobis videtur, illum primum generis proauctorem. FRATRES EIUS, id est cognati, vel alii Patriarchæ, aut consobrini.

V. 23. BERIA. Hebr. בריעה *Berighah*; seu *Berihah*, id est in malo, afflictione, calamitate, infortunio. EO QUOD IN MALIS DOMUS .... ORTUS ESSET, nempe in calamitate interfectorum filiorum a Ghathæis. Hebr. *Quia in malo fuit in domo eius*. Verbum *Fuit* est femineum. Quidam: *Quod in afflictione fuisset in domo eius*, vel *fuerat*; subaudi, uxor eius Ephraimi, vel mater eius Berihæ, *In domo eius*, Ephraimi, nam pronomen est masculeum; quasi dicat: Sic eum vocavit mater eius, quod ipsa in afflictione & mærore fuisset in domo viri sui, propter illud filiorum infortunium. Alii: *Quod calamitas hæc contigisset domui eius*, nempe Ephraimi. Nonnulli: *Quod in afflictione fuisset propter domum eius*, id est propter familiam Ephraimi.

V. 24. FILIA AUTEM EIUS FUIT SARA. Hebr. *Et filia eius Seerah*. Aliqui, *Eius*, ad *Beriham* referunt, ut *Seerah* fuerit neptis Ephraimi, ex filio *Beriha*. Alii ad Ephraimum, unde in accusativo vertunt, *Et filiam eius Seeram*, subaudi peperit uxor Ephraimi; ut *Seerah* non filia, sed soror fuerit Berihæ, & filia Ephraimi. Certe id ambiguum. QUAE AEDIFICAVIT BETHORON, &c. Hebr. *Et ædi-*

ædificavit , &c. Verbum est femineum : unde nihil est quod quidam ad Beriham, aut ad Ephraimum referant ; cum omnino referendum sit ad Seeram. Sed qui filia Ephraimi tamdiu vivere potuit, ut in terra Chenaham potuerit ædificare utramque Beth-Horon? Si filia fuit Berihæ, minor, sed certe difficultas est. Quidam *filiam*, neptem, vel aliquam e posteris interpretantur. Sunt quidem hæc omnia incerta, difficilia, obscura ut sane in hoc opere multa sunt abstrusissima. ET OZENSARA. Hebr. אזן שארה *Uzzen-Scheerah*, vel *Uzzen-Seeram*, nomen unius urbis sic appellatæ a conditrice seu instauratrice Seera filia Ephraimi, quasi dicas *armamentarium Seeræ*. Mulier clara & insignis hæc fuit, quæ tres urbes condidit.

V. 25. PORRO FILIUS EIUS RAPHA. Hebr. *Et Rephach filius eius*, &c. Aliqui volunt quatuor istos qui hoc versu recensentur, non successive accipiendos, quasi ordine prior genuerit sequentem; sed omnes æqualiter fuisse fratres, filios Ephraimi, ac fratres Berihæ: ut pronomen *eius*, quod quater ponitur, semper referat Ephraimum parentem: unde in accusativo vertunt: *Item Rephachum filium eius, & Reschephum, & Thelachum filium eius, & Thachanem filium eius*: scilicet, omnes istos peperit uxor Ephraimi, viro suo, e vers. 23. supra.

V. 26. QUI GENUIT LAADAN, &c. Noster, & plerique alii hinc successionem patrum in filios usque ad Iosue, versu sequente accipiunt, quod verum esse non dubito: quamvis reclament alii. Hebraice tantum habetur, *Laghdan filius eius*. Quidam in nomine isto Lamed initiale nolunt esse radicale, sed servile, seu notam dativi; exponuntque: *Hadani filio eius, Hammihud filius eius, Elischamah filius eius*, vel *illius filio Hadani*, &c. *Illius*, nempe Schuthelachi, filii Ephraimi, de quo vers. 20. supra: nam hunc Hadan, vel Hedan, putant eum omnino esse, qui Numer. XXVI. 36. dicitur *Heran*, filius Suthelachi facili mutatione Resch in Daleth. Quod sane subtiliter & acute excogitatum non displicet.

V. 27. DE QUO ORTUS EST NUN, QUI HABUIT FILIUM IOSUE. Heb. *Non filius eius, Iehosuagh filius eius*. Ridicule faciunt qui hic alium *Nun*, & alium *Iosue* a magno illo populi Dei Imperatore somniant: cuius pater hic *Non* dicitur, idem omnino qui *Nun*, alibi sæpius. Vide Exod. 33. 11. Num. XIII. 17.

V. 28. POSSESSIO AUTEM EORUM, ET HABITATIO. Hebr. *Et obtentio eorum, & habitationes eorum*, scilicet Ephraimitarum. BETHEL CUM FILIABUS SUIS. Vide Iosue XVI. vers. 1. & 2. NORAM. Hebr. *Nagharon*, quæ Iosue XVI. 7. *Negharath*, vel *Nagharathah* dicitur, eodem nominis significato: de qua vide Comment. ibi. GAZER. Vide Ios. XVI. 3. SICHEM. Hebr. *Sechem*. Vide in Genes. XII. 6. & Iosue XX. 7. AZA. Hebr. *Ghazah*: de qua vide Genes. X. 19. & Iosue X. 41.

V. 29. IUXTA FILIOS QUOQUE MANASSE. Hebr. *Et super manus filiorum Menasseh*. Quidam: *Et iuxta loca, spatia, confinia, ditionem, filiorum Menasseh*. Alii: *In locis vero Menassitarum*. Aliqui: *Et ad partes filiorum Menasseh*. BETHSAN. Hebr. *Beth-sean*: de qua vide Iosue XVII. vers. 11. THANACH. Hebr. *Thaghnach*, seu *Thaghanach*: de qua vide in Iosue XVII. vers. 11. MAGEDDO. Hebr. *Meghiddo*. Vide in Iosue XVII. 11. DOR: de qua vide in Iosue XVII. vers. 11.

V. 30. FILII ASER: de quibus vide Genes. XLVI. 17. & Numer. XXVI. 44. 45. 46.

V. 31. IPSE EST PATER BARSAITH. Hebr. *Birzavith*, vel *Birzaiith*: nam est duplex lectio. Quidam nomen mulieris esse existimant, *pater Birzavithæ*: alii urbis, id est princeps, seu conditor Birzavithæ civitatis.

V. 34. ET ARAM. Quidam adiungunt, *& Helem*, ex initio sequentis versus.

V. 40. PRINCIPES COGNATIONUM. Hebr. *Capita domus patrum*. Quidam: *Principes domus familiarum*, id est principes familiarum suarum. Alii: *Capita domorum patriarum*. Nonnulli: *Primores paternarum familiarum*. ELECTI. ברורים *berurim* omnia ista complectitur, *Expurgati, purificati, clarificati, cari, lectissimi*. Quidam interpretantur *expediti*. DUCES DUCUM. Hebr. *Capita principum*. Quidam: *Primores principum*. Alii: *Duces præcipui*, seu *primarii*. NUMERUS AUTEM EORUM AETATIS QUAE APTA ESSET AD BELLUM. Hebr. *Et genealogizari eorum*

rum in militia, *in bello*. Quidam : *Et recensiti sunt per seriem generationis eorum*, *ad militiam in prælium*; vel *inter viros militiæ proficiscentes ad bellum*. Alii : *Qui se se insinuarunt iuxta genus suum*, *apti bello*. Nonnulli : *Quorum census ad militiam bellicam*.

MENOCHII.

Vers. I. IASUB, ET SIMERON. Hi Genes. XLVI. 13. appellantur *Iob*, & *Samron*. Libro autem Numeror. cap. XXVI. 23. vocantur *Iasub*, & *Semran*.

V. 4. PRINCIPES PER DOMOS COGNATIONUM SUARUM. Non hi Tholæ filii peculiares familias constituerunt, quæ ab illis acceperunt nomen. Sic etiam accipitur quod num. seq. dicitur, *Omnes principes*.

V. 4. TRIGINTA SEX MILLIA, tempore nimirum Davidici census, ut ii de quibus paulo ante dictum est. MULTAS ENIM HABUERUNT UXORES, ET FILIOS. Ratio redditur, cur cum pauci essent principes familiarum, adeo tamen excreverit numerus capitum, quia scilicet plures duxerunt uxores, & multos filios susceperunt, ex quibus subinde copiosa liberorum soboles extitit.

V. 5. PER OMNEM COGNATIONEM ISSACHAR; id est, omnibus cognationibus simul computatis, præter cognationes principum paulo ante enumeratorum. Ita Abulensis.

V. 6. FILII BENIAMIN, &c. Genes. cap. XLVI. 21. decem Beniamin filii numerantur; Numeror. vero cap. XVI. vers. 38. quinque tantum recensentur, ea fortasse de causa quod ex his quinque dumtaxat, familiæ propagatæ sunt. Hoc vero capite tres solum ponuntur, sed cap. sequenti initio statim, ubi quæ hic desunt supplentur, quinque Beniamin filii, eorumque cognationes totidem recensentur.

V. 9. QUINQUE PRINCIPES FAMILIARUM. Ut quæ dicuntur non repugnent iis quæ habentur Numer. XVI. 38. & iis quæ dicuntur initio capitis sequentis; ita statuendum est, familias præcipuas tribus Beniamin fuisse septem, quarum quinque nomen acceperunt a quinque filiis Beniamin; duæ vero a duobus eiusdem nepotibus filiis Bela, ita enim expresse habetur Numeror. loco cit. Cum vero hic dicitur quinque filios Bela principes fuisse familiarum, non est hoc accipiendum de præcipuis familiis, sed de minus principalibus, quæ fortasse aliis aggregabantur, licet ab illis ordine generationis non descenderent.

V. 14. CONCUBINA EIUS, scilicet Manasse. SYRA, natione. GALAAD est nomen viri, ut clarius patet ex num. 17. & ex Lib. Numer. XXVI. 29.

V. 15. NOMEN AUTEM SECUNDI SALPHAAD. *Salphaad*, ut habemus Numeror. XXVI. 33. fuit filius Hepher, Hepher vero Galaad, Galaad autem Machir, Machir vero Manasse. Itaque dicitur Salphaad filius secundus Machir, hoc est medius, nam inter Machir & Salphaad duo intercedunt, Galaad, & Hepher. NATAE SUNT SALPHAAD FILIAE. Historiam filiarum Salphaad vide Numeror. cap. XXVII.

V. 18. REGINA. In Hebræo est מלכת *Molechet* nomen proprium, cuius interpretatio est *Regina*. VIRUM DECORUM est nomen proprium, cuius interpretatio est *vir decorus*. Hebr. אישהוד *ishod*.

V. 19. SEMIDA. Semida fuit unus de filiis Galaad, de tribu Manasse Numer. XXVI. 32.

V. 20. RAREB FILIUS EIUS, id est Ephraim, quod eodem modo de aliis accipiendum esse, ut scilicet omnes immediate Ephraim filii sint, evincit quod de luctu eiusdem Ephraim & de consolatione illi ab amicis adhibita, & de ingressu ad uxorem versiculis proxime sequentibus narratur.

V. 21. OCCIDERUNT EOS, &c. Sententia est, Gethæos e Palæstina, qui rapina vivere solebant, in AEgyptum descendisse prædæ causa, & in Ephraimitas, qui in terra Gessen primi occurrerunt, aut primi sese certamini animose intulerunt, irruisse, eosque omnes, dum frater fert opem fratri, interfecisse. Ita Serarius Lib. I. in Iosue I. quæst. II. & III.

V. 23. EO QUOD IN MALIS DOMUS EIUS NATUS ESSET: nam בריעה *beria*, *in malo* significat, vel *in afflictione*, vel *in ululatione*.

V. 24. AEDIFICAVIT BETHORON, instauravit: nam antequam Israelitæ ad promissæ terræ possessionem ingrederentur,

tur, incolebatur hæc civitas a Chananæis. Inſtauravit autem, quia Iſraelitæ quas capiebant urbes, eas ferro, & igne vaſtabant, ut habemus Ioſue cap. XI. num. 11. & 13.

V. 25. FILIUS EIUS. Videtur referendum ad Beria, cuius proxime mentio facta fuerat.

V. 27. IOSUE, inclytum populi ducem, Moſis in principatu ſucceſſorem.

V. 28. BETHEL. Pertinuit Bethel ad tribum Beniamin, ut patet ex Ioſue cap. XVIII. ſed eam ab Ephraimitis proditione captam ait Adrichomius in tribu Beniamin num. 42. CUM FILIABUS SUIS; id eſt, cum circumiectis villis, quæ ſunt quodammodo filiæ metropolis. Sane hæc vox *Metropolis*, civitatem matrem ſignificat. Eodem modo filiarum nomen in proxime ſequentibus accipiendum eſt.

V. 29. IUXTA QUOQUE FILIOS MANASSE. Hoc eſt, tribus Ephraim iuxta ſe habuit tribum Manaſſe quæ erat illi ad ſeptemtrionem. ILLI IOSEPH, de tribu ſcilicet Manaſſe, qui Ioſephi filius fuit.

V. 42. DUCES DUCUM, duces maiores aliis minoribus imperantes.

TIRINI.

Verſ. 1. FILII OZI, pro *filius Ozi*: neque enim numeratur alius præter *Izraiam*; non quod nullus alius fuerit, ſed quod hic ſolus præluſtris fuerit, & huius ſolius poſteros recenſere decreverit ſcriptor ſacer. Simili modo,

V. 6. SOLI TRES FILII BENIAMIN recenſentur; cum tamen cap. ſeq. verſ. 1. & Numer. XVI. 38. quinque illius filii & Geneſ. XLVI. 21. multo plures nominentur.

V. 18. REGINA PEPERIT VIRUM DECORUM. Hebraice *Molecheth* (Græce *Melechath*) peperit *Iſhod*; quorum prius ſignificat *Reginam*, poſterius *is*, *virum*, *hod*, *decorum a*. Vide ſupra cap. IV. 22.

V. 21. OCCIDERUNT Ephraimitas VIRI Palæſtini INDIGENAE urbis GETH, QUIA DESCENDERANT in loca vicina terræ *Geſſen* ad confinia AEgypti, UT INVADERENT POSSESSIONES, Ephraimitarum. Hebraice, *greges*; Septuaginta, *pecora*, quæ poſſidebant filii Ephraim: vel etiam terras Ephraimi filiis proprias: quis enim dubitet, Ephraimo Ioſephi Proregis, ſeu vicedomini, totius AEgypti filio terras aliquas proprias in AEgypto fuiſſe? Porro huius invaſionis Palæſtinorum, & infelicis belli Ephraimitici meminit fuſius Paraphraſtes Chaldæus Cantic. II. verſ. 7. Sed veram hiſtoriam multis fabulis more ſuo reſpergit.

V. 24. FILIA AUTEM EIUS, id eſt una ex neptibus ſeu poſteris Ephraim, FUIT SARA. Vide cap. IV. verſ. 1. Neque enim potuiſſet filia propria Ephraim, dum moratur cum parente in AEgypto, ædificare in Chanaanitide tres urbes, *Beth-Horia inferiorem, & ſuperiorem, & Ozen-Saram*.

V. 38. IEPHONE. Hic de tribu Aſer eſt: ergo alius ab illo *Iephone*, qui cap. IV. verſ. 15. vocatur pater *Caleb*, quia ille erat de tribu Iuda.

(a) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. num. 17.

GORDONI.

Verſ. 2. VIGINTI DUO MILLIA SEXCENTI. De hoc vide II. Reg. XXIV. quando David populum numerari voluit. Reliqua dedit ſynopſis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. IASUB, & SIMERON. Vocantur (Geneſ. XLVI. 13.) Iob & Samron.

V. 6. FILII BENIAMIN. Hic tres recenſentur; capite inſequenti quinque: at omnino decem fuerunt, ex Geneſ. XLVI. 21. Ceterum nunc quinque numerantur, quod tantum ex his quinque appareat propagatas eſſe familias.

V. 7. QUINQUE PRINCIPES. Nota Ex filiis Beniamin ſolum quinque principes ſunt familiarum: ſi addas vero duos nepotes filios Bela, erunt ſeptem. Itaque omnino fuerunt in Beniamin ſeptem primariæ familiæ. Vide Numer. XXVI. 38. Quod vero hic dicitur de quinque inſuper principibus ex filiis Bela, intellige minus præcipuos.

V. 14. & 17. Eſt nomen viri proprium.

V. 15. SALPHAAD. Inter Machir, & Salphaad intercedunt Galaad, & Nepher, ex Numer. XXVI. verſ. 33.

V. 18.

V. 18. REGINA. Hebr. מלכת *molechet*, est nomen proprium. VIRUM DECORUM. Hebr. אישהוד *ishod*, est similiter interpretatio nominis proprii.

V. 20. τὸ *Eius*, hic repetitur, semper refert Ephraim.

V. 24. AEDIFICAVIT, instauravit.

CAPUT VIII.

Rursum genealogia Beniamin & Saul, filiorumque ipsius:

1. BEniamin (*a*) autem genuit Bale primogenitum suum; Asbel secundum, Ahara tertium, 2. Nohaa quartum, & Rapha quintum. 3. Fueruntque filii Bale: Addar, & Gera, & Abiud, 4. Abisue quoque & Naaman, & Ahoe, 5. sed & Gera, & Sephuphan, & Huram. 6. Hi sunt filii Ahod, principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath. 7. Naaman autem, & Achia, & Gera ipse transtulit eos, & genuit Oza, & Ahiud. 8. Porro Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim & Bara uxores suas. 9. Genuit autem de Hodes uxore sua Iobab, & Sebia, & Mosa, & Molchom, 10. Iehus quoque, & Sechia, & Marma: hi sunt filii eius, principes in familiis suis. 11. Mehusim vero genuit Abitob, & Elphaal. 12. Porro filii Elphaal: Heber, & Misaam, & Samad: hic ædificavit Ono, & Lod, & filias eius. 13. Baria autem & Sama, principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugaverunt habitatores Geth. 14. Et Ahio, & Sesac, & Ierimoth, 15. & Zabadia, & Arod, & Heder, 16. Michael quoque, & Iespha, & Ioha, filii Baria. 17. Et Zabadia, & Mosollam, & Hezeci, & Heber, 18. & Iesamari, & Iezlia, & Iobab, filii Elphaal, 19. & Iacim, & Zechri, & Zabdi, 20. & Elioenai, & Selethai, & Eliel, 21. & Adaia, & Baraia, & Samarath, filii Semei. 22. Et Iespham, & Heber, & Eliel, 23. & Abdon, & Zechri, & Hanan, 24 & Hanania, & AElam, & Anathothia, 25. & Iephdaia, & Phanuel, filii Sesac: 26. & Samsari, & Sohoria, & Otholia, 27. & Iersia, & Elia, & Zechri, filii Ieroham: 28. hi patriarchæ, & cognationum principes, qui habitaverunt in Ierusalem: 29. in (*b*) Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, & nomen uxoris eius Maacha: 30. filiusque eius primogenitus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab. 31 Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth: 32. & Macelloth genuit Samaa: habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis. 33. (*c*) Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Ionathan, & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal. 34. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. 35. Filii Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz: 36. & Ahaz genuit Ioada: & Ioada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: porro Zamri genuit Mosa, 37. & Mosa genuit Baana, cuius filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. 38. Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, & Hanan: omnes hi filii Aser. 39. Filii autem Esec fratris eius, Ulam primogenitus, & Iehus secundus, & Eliphalet tertius. 40. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, & magno robore tendentes

arcum: & multos habentes filios ac nepotes, * usque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filii Beniamin.

(a) Genes. xlvi. 21. Supra vii. 6. (b) Infra ix. 35. (c) I. Reg. xxiv. 51. Infra ix. 39.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 40. *Usque ad centum quinquaginta*. Non subiungas *millia*, quod prodigi quidam.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 6. COGNATIONUM, id est familiarum: sic & inf.

V. 7. IPSE, scilicet Gera.

V. 11. MEHUSIM VERO. Hebr. *& de Chusim*, scilicet uxore, quam Noster supra vertit *Husim*, LXX. *& Meosim*. In editione tamen LXX. Romæ emendata, legitur *de Osim*.

V. 28. PATRIARCHAE. Hebr. *capita patrum*, seu *familiarum*.

V. 29. ABIGABAON, id est *pater*, seu *princeps Gabaon*. Vide inf. cap. IX.

V. 30. CIS. Iste, & sequentes sunt filii Sur: non est autem iste Cis pater Saul. Vide cap. seq.

V. 32. EX ADVERSO, id est e regione.

V. 33. NER, qui alias *Abiel*. Vide cap. seq. ubi numeratur inter filios Sur, seu Abigabaon. ESBAAL, qui alias *Isboseth*.

V. 34. MERIBBAAL, qui alias *Miphiboseth*.

V. 38. BOCRU. Nomen proprium. LXX. *primogenitus eius*.

V. 40. FILII BENIAMIN, id est de tribu Beniamin.

E S T I I.

Vers. 33. & 34. PORRO SAUL GENUIT IONATHAM, ET MELCHISUA, ET ABINADAB, ET ESBAAL. FILIUS AUTEM IONATHAM MERIBBAAL, ET MERIBBAAL GENUIT MICHA. Ex hoc loco, sicut & ex aliis nonnullis, manifestum est multos in Scripturis esse binomios. Certum enim est inter filios Saul etiam fuisse Isboseth, de quo II. Reg. II & IV. qui itaque aliquo alio nomine hoc loco sit expressus. Tum in primis id liquet, quia cum filius Ionathæ nonnisi unus legatur, plane consequens est, eum qui hic *Meribbaal* vocatur, esse illum qui II. Reg. IV. & IX. dicitur *Miphiboseth*.

MARIANAE.

Vers. 1. BENIAMIN AUTEM. Redit ad tribum Beniamin, quoniam Saulis progeniem volebat explicare. BALE PRIMOGENITUM. Tribus aliis locis Beniamin filios recenset: cap. VII. vers. 6. numerat tantum tres, scilicet præcipuos, Genes. XLVI. 21. decem eius filii numerantur, Num. XXVI. 38. & hic quinque, scilicet qui familiarum capita fuerunt. Locis omnibus Bale primum locum tenet, aliorum nomina variant, quoniam plerique plura nomina habebant.

V. 6. HI SUNT FILII AHOD. Non dicitur cuius hic sit filius, sed proxime superioris, scilicet *Huram* quidam putant. Filii autem eius non iam commemorati, sed *Naman*, *Achia*, *& Gerar*, qui vers. 7. memorantur.

V. 7. NAMAN AUTEM. Hebr. *Et Nahaman*: sic Sept. Sed utraque coniunctio redundat, & ea sublata, sententia constat. IPSE TRANSTULIT EOS, scilicet Gera e Gabaa transtulit filios Ahod in Manahath.

V. 8. SAHARAIM GENUIT IN REGIONE MOAB. Quis? *Gera*. Hebr. *in agro Moab*: ibi enim Gera habitavit, cuius filius fuit Saharaim. POSTQUAM DIMISIT. Hebr. additur *eos*, pro eas, scilicet uxores, Husim, & Baram.

V. 9.

V. 9. IOBAB. Hic non fuit Iob, litteræ utriusque discrepant Hebr. & genus.

V. 11. MEHUSIM VERO GENUIT ABITOB. Sic Sept. Verum Hebræi explicant, *ex Husim*, ut Mem sit præpositio. Ait ergo: Ex Husim, altera ex uxoribus repudiatis, genuit Gera duos filios, Abitob, & Elphael. Editio Rom. Sept. legit *de Osim*.

V. 12. ONO, ET LOD. Hæ urbes non ponuntur Iosue XVIII. 11. inter eas quæ datæ sunt Beniaminitis: non mirum: nondum erant extructæ.

V. 13. BARIA. Hic & proximus videntur filii Elphael. IN AIALON. Hæc urbs in tribu Dan erat, Ios. XIX. 42. Sed quid ad hoc? Nimirum aut altera eo nomine civitas fuit in tribu Beniamin, aut altera eo nomine civitas fuit in tribu Beniamin, aut hi eum tractum tenuerunt rebus mutatis. Nihil sub cælo stabile.

V. 17. ET ZABADIA. Redit ad filios Elphael, quos prætermiserat.

V. 21. FILII SEMEI. Hic vers. 13. vocatur *Sama* filius Elphaal: non est ergo qui Davidi convitiatus est III. Reg. XVI. 5. Nam ille fuit filius Gera; nec ratio temporum id patitur.

V. 25. FILII SESAC. Hic fuit etiam filius Elphaal vers. 14.

V. 27. FILII IEROBOAM. Quis hic? num qui vers. 5. vocatur *Huram*, filius Balæ, nepos Beniamin, cuius posteros nondum attigerat, aliorum progenie explicanda districtus?

V. 28. HI PATRIARCHAE. Hebr. *capita patrum*. QUI HABITAVERUNT IN IERUSALEM. Ea urbs haud dubium fuit in tribu Beniamin. Quod si Ios. XV. & Iudic. 1. filii Iuda in ea urbe habitarunt, id Beniamitarum permissu factum est.

V. 29. ABIGABAON. Sept. *pater Gabaon*, id est princeps. Sic cap. IX. vers. 35. *In Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Iehiel*, & filii. Itaque nomen proprium *Iehiel* est, quod hic non ponitur & cognomen *Abigabaon*, id est *pater Gabaon*. Porro *Gabaon* erat in sorte Beniamin.

V. 32. HABITAVERUNTQUE EX ADVERSO FRATRUM SUORUM. Sic Sept. Pagn. *e regione*. Hebræus ait נגד *negbed* hoc loco significare *eum fratribus suis*, quod mox repetitur, ut gaudet ea lingua repetitionibus. Dixerat qui essent principes in Ierusalem, nunc addit, filios Iehiel in Ierusalem habitasse etiam.

V. 33. NER AUTEM GENUIT CIS. Inter alios filios Abigabaon seu Iehiel ponitur Cis vers. 30. Ergo cum *Cis* dicatur filius *Ner*, putant Hebræi eumdem Iehiel esse *Ner* dictum a nobilitate, quod instar lucernæ esset. Id vox *Ner* significat. ESBAAL. Hic est alio nomine *Isboseth*, qui aliquamdiu regnavit pro Saule patre, II. Reg. 11. 8. nam tres priores cum Saule occubuerunt, qui in I. Reg. XXXI. 6. commemorantur cum patre mortui.

V. 34. MERIBBAAL. Hic II. Reg. IX. 6. vocatur *Miphiboseth filius Ionathæ*.

V. 40. OMNES HI, FILII BENIAMIN, id est de tribu Beniamin, eius posteri fuerunt, qui nominati sunt hactenus.

MALVENDAE.

Vers. 1. BINIAMIN AUTEM GENUIT BALE, &c. Huius tribus recensio aliqua in superiori capite facta est; plures tamen afferunt causas cur rursus eadem plenius, & copiosius hic recenseatur. Prior est ut Saulis generationem accurate describeret. Secunda ut hoc caput sit ad sequentem historiam quasi apparatus & instructio. Tertia ut Biniaminitarum, qui erant pars regni Iehudæ, recensio integra post captivitatem haberetur. Potest & quarta esse ut ostenderet etiam post gravissimam illam Biniaminitarum cladem, Iudic. XX. crevisse ample eam tribum. ASBEL. Volunt hunc sup. cap. VII. vers. 6. vocari Iedighael. SECUNDUM. Observant auctorem in recensendis filiis Biniaminis secutum naturæ ordinem: nam quod Moses filios Biniaminis alio ordine enumerat, id fieri per congeriem; ut ex eo evincitur: quod etiam nepotes in filiorum numero promiscue recenset. Vide supra cap. VII. vers. 12. & infra vers. 3. & 5. Verum hæc non satis comperta sunt. AHARA. Hebr. *Achrach*. Hunc quidam eum esse aiunt qui Genes. XLVI. 21. dicitur *Echi*, & Numer. XXVI. 38. *Achiram*.

V. 2. NOHAA. Heb. *Nocham*. Hunc existimant Genes. XLVI. 21. appellari *Becher*. RAPHA. Hunc putant Gen. XLVI. 21. vocari *Ros*.

V. 3. ADDAR. Hic Numer. XXVI. 40. *Arde*, vel *Ardi*; aut *Ared* dicitur: quem eum esse notant, qui Genes. XLVI. 21. inter filios, hoc est nepotes Beniaminis censetur.

V. 5. SEPHUPHAN. Is Numer. XXVI. 39. *Sephupham* vocatur; quem eum esse credunt qui Genes. XLVI. 21. vocatur *Muphim*, & supra cap. VII. vers. 12. *Suphim*. HURAM. Arbitrantur hunc Gen. XLVI. 21. & supra cap. VII. vers. 12. numcupari *Chuphim*: & Numer. XXVI. 39. *Chupham*.

V. 6. HI SUNT FILII AHOD. Heb. *Et isti filii Echudis*. Non expediunt cuiusnam filius fuerit iste Echud. Quidam suspicantur fuisse filium Churami qui proxime antecessit. Aliqui reddunt: *Atque hi filii Echudis*: nempe tres illi qui proxime antecedente versu memorati sunt: nam existimant vers. 3. & 4. numerari filios Belæ; at vers. 5. filios Echudis: notantque hoc vers. 6. incipere Auctorem de Biniaminitarum locis, & possessionibus agere, non habita ratione auctorum primorum, a quibus familiæ propagatæ sunt: in causa esse videtur Biniaminitarum illa strages quæ Iudic. XX. describitur. GABAA. Hebr. *Gebagh*. Hæc est illa Gabah Saulis quæ & Gabah Biniaminis dicta fuit: de qua vide in Iosue XVIII. 24. QUI TRANSLATI SUNT IN MANAHATH. Hebr. transitive: *Et transtulerunt eos ad Manachath*. Exponunt: Id est, habitatores Ghebæ transtulerunt filios Echudis in Manachatham. Aliqui reddunt: *Qui habitatores Ghebæ, curaverunt istos*, nempe filios Echudis, *migrare in Manachatham*. Nimirum numero iam ita aucti ut commode simul habitare non possent, colonias eo ablegarunt in eam partem quæ Biniaminitarum erat. Vide *Manachath* supra cap. II. vers. 52. Quidam transferunt: *Et fecerunt in captivitatem duci eos ad Manachath*: quod non placet.

V. 7. NAAMAN AUTEM, ET ACHIA, ET GERA IPSE TRANSTULIT EOS. Nonnulli Hebraica ita interpungunt, ut hæc duo priora nomina antecedentibus annectant, quasi sint propria locorum, ut *Manachath*: *Et fecerunt in captivitatem duci eos ad Manachath, & ad Nabaman, & ad Achiiam*: deinde sequatur: *& Gera ipse fecit duci in captivitatem eos*: sed quænam fuerit, aut quando contigerit hæc captivitas, nesciri; suspicantur tamen incidisse in tempora Iudicum. Alii, quod Hebr. scribitur, *Et Nabaman, & Achiiah, & Gera*, putant primum redundare, propter interiectam parenthesin; quasi dicat: Isti sunt filii Echudis, nempe Nahaman, & Achiiah, & Gera, *& ipse Gera transtulit eos*; id est, fuit auctor, seu dux translationis eorum. Aliqui illud, *&*, initio versus causaliter capiunt, & ita convertunt, ac exponunt: *Nam Nabamanem, & Achiiam, & Geram*, id est horum posteros agnatos suos de quibus supra vers. 3. & 4. *migrare iussit ipse*, nempe Echud, paterfamilias, ut de hereditate singulis ante obitum prospiceret: quod fecit Abraham Genes. XXV. 6. *Nabamanem*: intelligunt eum, nempe eius posteros, de quo supra vers. 4. *Achiiah*: eum, id est eius posteros, qui sup. vers. 4. dicitur *Achoach*. *Geram*: illum, seu eius posteros, de quo supra vers. 3. Sed sunt plane hæc obscurissima & incomperta. ET GENUIT OZA, ET AHIUD. Hebr. *Et genuit Ghuzam, & Achichudem*. Quidam, *Cum genuisset Huzzam, & Achichudem*, ad Echudem referunt; alii ad Gheram. *Et Achichudem*: addunt, *& Sacharaiimum*, ex initio sequentis versus.

V. 8. POSTQUAM DIMISIT HUSIM ET BARA UXORES SUAS. Hebraica littera, & interpunctio ex verbo ita redditur: *Demittere eum eos: Chusim, & Babara uxores eius*, subaudi fuerunt. Plerique non habita ratione pronominis masculei (quod pro femineo capi volunt, ut alias sæpe fiunt eiusmodi enalages generum) aut accentuum Hebraicorum, ita reddunt: *Postquam eiecit illas*, scilicet *Husim, & Babaram uxores suas*. Duas uxores eum habuisse volunt, ac eas repudiasse, causas tamen repudii non prodi. Atque hic est sensus Nostri, nullo modo repudiandus. Alii ita convertunt: *Ex quo is dimisit illos: ex Chuschima, & Babara uxoribus suis*; id est, postquam is, nempe Sacharaiimus, dimisit illos Biniaminitas tribules suos secedens in agrum Moabitarum: genuit scilicet, &c. BARA. Hebr. *Baghara*. Hanc putant esse, quæ versu sequente dicitur *Kodes*, quod satis cum vers. 11. congruit.

V. 9. GENUIT AUTEM. Plerique, Ge-

Genuit, inquam, ut cohæreat cum *genuit* verſ. 8. DE HODES UXORE SUA, quæ præcedente verſu dicta videtur *Chuſim*, quod filo orationis, & verſ. 11. ſatis congruit.

V. 11. MEHUSIM VERO GENUIT, &c. Ex præpoſitione *Mem*, & *Chuſim*, tonflavit unum nomen integrum *Mechuſim*, alicuius viri. Alii *Mem* pro præpoſitione accipiunt, *De*, *ex Chuſim: Ex Chuſim vero genuit*; id eſt, ex altera uxore eius, quæ dicta eſt *Chuſim*, ſupra verſ. 8.

V. 12. PORRO FILII ELPHAAL, &c. Notant hos accipiendos præter eos qui Ieruſalaima inhabitarunt, de quibus infra verſ. 17. ONO, ET LOD: de quibus vide Hezræ 11. verſ. 32. Nehemiæ VI. 2. & cap. VII. 37. & cap. XI. 35.

V. 13. IN AIALON, id eſt agri circumiacentis Aialonem civitatem in tribu Danis: de qua vide in Ioſue x. 12. & cap. XIX. verſ. 42. Ita quidam exponunt. Sed nihil neceſſe eſt hic agrum intelligere, cum etſi urbs Danitica eſſet, potuerint eo aliquot familiæ Biniaminitarum commigrare, propter viciniam. HI FUGAVERUNT HABITATORES GETH. Hæc hiſtoria alibi in Scriptura non legitur; nec de ea aliud ſcimus quam nuda verba hic poſita. Potuit eſſe ut Biniaminitæ habitantes in Aialone ſedibus Ghathæos expulerint memorabili aliqua expeditione.

V. 17. ET ZABADIA, ET MOSOLLAM, &c. Quidam hunc, & ſequentem verſum parentheſi includunt: nam volunt recenſeri filios Elphahalis reliquos, quos prætermiſerat. Alii notant catalogum hinc texi uſque ad verſ. 28. principum e ſingulis familiis Biniaminis qui Ieruſalaimis habitabant.

V. 21. SEMEI. Hebr. *Singhi*. Hic ſup. verſ. 13. dictus fuit *Semagh*.

V. 29. IN GABAON AUTEM. Hebr. *Et in Ghibbon*: de qua urbe vide Ioſ. IX. 3. & cap. XVIII. verſ. 25. ABIGABAON. Hebr. *Pater*, id eſt princeps, *Ghibbonis*. Noſter reliquit nomen Hebræum interpretatum. Fuit is appellatus *Ieghuel*, vel *Ieghiel*, infra cap. IX. verſ. 35.

V. 31. GEDOR QUOQUE. Hebr. *Et Geda*. Quidam adverſative reddunt: *At Gedor*, *&* *Achio*, &c. ut hos ſequentes a præcedentibus ſeparet, quod ex adverſo eorum Ieruſalaimis habitaverint, verſu ſequente. ET ZACHER. Hic infra cap. IX. verſ. 37. vocatur *Zechariah*. Poſt vocem *&* *Zecher*, recte hic ſubaudiunt *&* *Mikloth*, ex initio verſus ſequentis; ut exprimitur infra cap. IX. verſ. 37.

V. 32. SAMAA. Hebr. *Simah*, qui inf. cap. IX. verſ. 38. dicitur *Simam*. HABITAVERUNTQUE EX ADVERSO FRATRUM SUORUM IN IERUSALEM CUM FRATRIBUS SUIS. Plerique pro eodem capiunt, *Ex adverſo fratrum ſuorum*, & *cum fratribus ſuis*, ut poſterius ſit prioris explanatio: gaudet enim eiuſmodi repetitionibus Scriptura divina. Alii diſtinguunt: *Ex adverſo fratrum ſuorum*, id eſt Ghibhonitarum, nimirum in ea civitatis regione quæ Ghibhonem ſpectat: *cum fratribus ſuis*, id eſt cum reliquis Biniaminitis incolentibus Ieruſalaima.

V. 33. NER. Hic I. Samuel. IX. 1. vocatur *Abiel*. Non eſt hic *Ner* pater Abneri: nam ille pater Abneri frater fuit Kis patris Saulis, non pater. I. Samuel. XIV. 51. ESBAAL. Ita quoque appellatur inf. cap. IX. verſ. 39. ſed II. Samuel. II. 8. dicitur *Isboſeth*.

V. 34. MERIBBAAL, qui infra cap. IX. verſ. 40. vocatur, detracta una littera, *Meribabal*; & II. Samuel. IV. 4. & cap. IX. verſ. 6. *Mephiboſeth*. MICHA: de quo vide II. Samuel. IX. 10. & 12.

V. 35. THARAA. Hebr. *Thareagh*, qui infra cap. IX. verſ. 41. vocatur *Thachreagh*.

V. 36. IOADA. Hebr. *Iehoghadeh*, qui infra cap. IX. verſ. 42. dicitur *Iaghrah*.

V. 37. RAPHA. ſeu *Raphah*. Hic cap. IX. verſ. 43. appellatur *Rephaiah*.

MENOCHII.

Verſ. 1. GENUIT BALE, quem ſuperiori cap. num. 6. ſacer textus vocat *Bela*. Vide quæ ibi diximus de numero filiorum Beniamin.

V. 6. QUI TRANSLATI SUNT IN MANAHATH: qui cum prius habitarent in Gabaa aliqua occaſione, vel neceſſitate, quam Scriptura non exprimit, in Manahath tranſlati ſunt. Porro *Manahath*, aut urbis, aut, ut vult Arias in expoſitione vocum Hebraicarum, regionis nomen eſt. Abulenſis putat Manahath fuiſſe in regione Moabitarum, quia num. 8. huius ca-

capitis dicitur, *Porro Saharaim genuit in regione Moab*, &c.

V. 7. TRANSTULIT EOS. Tres hi proxime nominati migrationis auctores fuerunt, ita sentit Abulensis, vel certe refertur tantum ad Gera, cum *transtulit* sit numeri singularis.

V. 8. SAHARAIM. Aliquis hic est ex progenie Beniamin, cuius hoc loco tantum mentio reperitur in sacris litteris, nec dicitur cuius filius fuerit. DIMISIT, dato illis repudii libello.

V. 9. IOBAB. Non est hic Iob ille patientiæ speculum, ut aliqui putarunt: *Iobab* enim de quo hic agitur, gente Hebræus fuit, ille autem Idumæus. Vide dicta supra cap. I. num. 44.

V. 12. ONO, ET LOD. Utramque hanc urbem Adrichomius ponit in tribu Beniamin. Earum mentio etiam est I. Esdræ II. 33. & II. Esdræ VII. 37. & cap. XI. num. 35. FILIAS EIUS. Vide dicta cap. superiori num. 28.

V. 13. HABITANTIUM IN AIALON, quæ tamen erat tribus Dan, ut patet ex Iosue XIX. 42. Fieri potuit ut Aialon cum prius esset tribus Dan, postea pertinuerit ad tribum Beniamin vicinam: est enim Dan fere contermina Beniamin, & illi adiacens meridiem versus. Aialon vero, si tabulis Adrichomii credimus, in tribu Iuda a finibus Beniamin non plus distat quam itinere duarum horarum. HABITATORES GETH, Philisthæos.


V. 28. PATRIARCHAE. Hebr. *Capita patrum*, seu *familiarum*. QUI HABITAVERUNT IN IERUSALEM. Pars enim illa urbis Ierusalem quæ septemtrionem spectabat, ad tribum Beniamin pertinebat; quæ vero spectabat meridiem, erat tribus Iuda.

V. 29. ABIGABAON, id est PATER GABAON, hoc est princeps urbis Gabaon.

V. 30. ET CIS, qui Saulis primi Israelitarum Regis pater fuit. Constat Saulem, & patrem eius Cis habitasse in Gabaa, ex I. Reg. X. 26. Responderi potest cum Abulensi quæst. VI. totas familias aliquando sedes mutare, cuius rei hoc cap. num. 6. exemplum suppeditat; vel certe cum eodem dicendum, originem quidem familiæ Saulis fuisse in Gabaon, sed tamen Cis, & Saul in Gabaon domicilium habuisse: quæ responsio parum, aut nihil differt a prima.

V. 33. NER AUTEM GENUIT CIS. Ex subiecta tabella series generis Saulis Regis melius percipietur, quod ad varia Scripturæ loca melius intelligenda multum facit.

Aphia,



Ex hac tabula patet duos fuisse Ner, quorum primus Saulis avus fuit, secundus vero patruus.

V. 34. FILIUS IONATHAN MERIBBAAL, qui II. Reg. IX. & alibi vocatur *Miphiboseth*.

V. 40. MAGNO ROBORE TENDENTES ARCUM. Beniamitas, & nominatim eos qui ex Gabaa, eximios fuisse fundibularios discimus ex Iudic. XX. 16. David autem Ionathan laudat II. Reg. II. 22. quod optimus esset sagittator.

TIRINI.

Vers. 7. NAAMAN primogenitus Ahodi. Ergo redundat coniunctio *autem*, uti in Hebræo, & Græco copula *Et*. Et ea sublata, constat sententia, alioquin obscura. Et GERA tertius Ahodi filius, TRANSTULIT EOS, nempe Ahoditas, *e Gabaa in Manahath*.

V. 8. Item Gera GENUIT SAHARAIM IN REGIONE MOAB, ubi sedem fixerat, forte ut famem Iudaicam fugeret: ut de Elimelecho, eiusque matre Noemi legimus cap. I. Lib. Ruth.

V. 28. HI PATRIARCHAE. Hebr. *Capita patrum*, seu principes. HABITAVERUNT IN IERUSALEM, quæ erat pro magna parte in tribu *Beniamin*. Quo modo vero tribus *Iuda* illam sibi vindicarit, dixi Iosue XVIII. vers. 28. Sequitur:

V. 33. NER AUTEM GENUIT CIS. Vers. 30. dicitur Cis fuisse filius *Abigabaon*, id est principis Gabaon, puta *Iehielis*, cuius nomen hic omissum, sed exprimitur cap. seq. vers. 35. Unde colligit Mariana, & Emmanuel Sa, eumdem *Iebiel* esse cum *Ner*, sic dictum a nobilitate, quod instar *lucernæ* esset in sua familia: id enim significat *Ner*. Sed ex cap. seq. vers. 36. constat, *Ner* fuisse filium *Iehiel*. Porro ESBAAL filius hic Saulis, idem est qui *Isboseth*, qui fere septennio regnavit a morte Saulis, II. Reg. II. 8. Eodem modo.

V. 34. MERIBBAAL filius Ionathæ, idem

idem eſt qui *Miphiboſeth*, II. Reg. IX. 6. ut conſtat ex eodem & parente Ionatha, & filio Micha, qui utroque loco ei ſub utroque nomine *Meribbaalis*, & *Miphiboſethi*, tribuuntur.

GORDONI.

Verſ. 33. PORRO SAUL. Esbaal hic recenſitus eſt Isboſet: de quo regnante aliquamdiu poſt Saulem, vide II. Reg. II. 8. Tres alii qui prius hic ponuntur, obierunt cum Saule, I. Reg. XXXI. 6.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Hic *Bale* eſt qui cap. VII. verſ. 6. vocatur *Bela*.

V. 6. MANAHATH putat Abulenſis eſſe in regione Moabitarum.

V. 8. SAHARATH putatur aliquis ex cognatione Beniamin.

V. 12. ONO ET LOD Adricomio ſunt urbes in tribu Beniamin.

V. 13. *Aialon* aliquando pertinebat ad tribum aliam. Nunc eam obtinuiſſe videntur Beniamitæ. GETH ad Philiſthæos.

V. 29. ABIGABAON, princeps, & pater in Gabaon. Pergit deinceps per cognationem domus Saul, qui patre Cis natus in Gabaa, I. Reg. X. 26.

CAPUT IX.

Qui primi filiorum Iſrael habitaverint in Ieruſalem, & officia ſacerdotum ac Levitarum, generationes quoque Saul ac filiorum eius repetuntur.

1. UNiverſus ergo Iſrael dinumeratus eſt: & ſumma eorum ſcri-
pta eſt in Libro Regum Iſrael, & Iuda: translatique ſunt
in Babylonem propter delictum ſuum. 2. Qui autem habi-
taverunt primi in poſſeſſionibus, & in urbibus ſuis: Iſrael,
& Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi. 3. Commorati ſunt
in Ieruſalem de filiis Iuda, & de filiis Beniamin, de filiis
quoque Ephraim, & Manaſſe. 4. * Othei filius Ammiud,
filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filiis Iuda. 5. Et de Siloni:
Aſaia primogenitus, & filii eius. 6. De filiis autem Zara: Iehuel, & fratres eo-
rum, ſexcenti nonaginta. 7. Porro de filiis Beniamin: Salo filius Moſollam, fi-
lii Oduia, filii Aſana: 8. & Iobania filius Ieroham: & Ela filius Ozi, filii Mo-
chori: & Moſollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Iebaniæ, 9. & fratres eo-
rum per familias ſuas, nongenti quinquaginta ſex. Omnes hi, principes cogna-
tionum per domos patrum ſuorum. 10. De ſacerdotibus autem: Iedaia, Ioiarib,
& Iachin: 11. Azarias quoque filius Helciæ, filii Moſollam, filii Sadoc, filii
Maraioth, filii Achitob, Pontifex domus Dei. 12. Porro Adaias, filius Ieroham,
filii Phaſſur, filii Melchiæ: & Maaſai filius Adiel, filii Iezra, filii Moſollam,
filii Moſollamith, filii Emmer: 13. fratres quoque eorum principes per familias
ſuas, mille ſeptingenti ſexaginta, fortiſſimi robore ad faciendum opus miniſterii
in domo Dei. 14. De Levitis autem: Semeia filius Haſſub, filii Ezricam, filii
Haſebia, de filiis Merari. 15. Bacbacar quoque carpentarius, & Galal, & Ma-
thania filius Micha, filii Zechri, filii Aſaph: 16. & Obdia filius Semeiæ, filii
Galal, filii Idithun: & Barachia filius Aſa, filii Elcana, qui habitavit in atriis
Ne-

Netophati; 17. Ianitores autem: Sellum, & Accub, & Telmon, & Ahimam, & frater eorum Sellum princeps, 18. usque ad illud tempus, in porta Regis ad orientem, observabant per vices suas de filiis Levi. 19. Sellum vero filius Core, filii Abiasaph, filii Core, cum fratribus suis, & domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi: & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum. 20. Phinees autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino. 21. Porro Zacharias filius Mosollamia, ianitor portæ tabernaculi testimonii. 22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: & descripti in villis propriis: quos constituerunt David, & Samuel Videns, in fide sua, 23. tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, & in tabernaculo, vicibus suis. 24. Per quatuor ventos erant ostiarii; id est, ad orientem, & ad occidentem, & ad aquilonem, & ad austrum. 25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus. 26. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus ianitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini. 27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis: ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. 28. * De horum genere erant & super vasa ministerii: ad numerum enim & inferebantur vasa, & efferebantur. 29. De ipsis, & qui credita habebant utensilia sanctuarii, præerant similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus. 30. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant. 31. Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur. 32. Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent. 33. Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris morabantur, ut die ac nocte iugiter suo ministerio deservirent. 34. Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Ierusalem. 35. In (a) Gabaon autem commorati sunt, pater Gabaon Iehiel, & nomen uxoris eius Maacha. 36. Filius primogenitus eius Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab, 37 Gedor quoque, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth. 38. Porro Macelloth genuit Samaan: isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Ierusalem, cum fratribus suis. 39. (b) Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ionathan, & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal. 40. Filius autem Ionathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha. 41. Porro filii Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. 42. Ahaz autem genuit Iara, & Iara genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri. Zamri autem genuit Mosa. 43. Mosa vero genuit Banaa: cuius filius Raphaia, genuit Elasa: de quo ortus est Asel. 44. Porro Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan: hi sunt filii Asel.

(a) Supra VIII. 29. (b) Supra VIII. 33.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Othei filius Ammiud, filii Amri.* Non mutes genitivum *filii* cum altero nominativo *filius*.

V. 28. *De horum genere erant.* Nec hic mutes *genere* cum *grege*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. HABITAVERUNT, ſcilicet poſt reditum e Babylone. ISRAEL, id eſt Iſraelitæ. NATHINAEI, id eſt *donati*, ſcilicet ad templi ſervitutem: erant hi Gabaonitæ. Vide Ioſ. IX. & Eſdr. VIII.

V. 5. SILONI, ſcilicet filiis. FILII, ſcilicet reliqui.

V. 12. FILII PHASSUR, id eſt nepotes. Vide Nehem. XI.

V. 15. CARPENTARIUS. Cognomen eſt; vel quaſi dicat, Qui in templo fabrilem exercebat. Hebr. *Cheres*, LXX. & *Ares*: quaſi aliud nomen ſit.

V. 16. OBDIA, qui alias *Abdah*. Vide Nehem. SEMEIAE, qui alias *Samna*. ATRIIS. Sic LXX. Hebr. *villis*.

V. 17. FRATER EORUM. Hebr. & LXX. *Fratres eorum*.

V. 18. AD ILLUD. Hebr. & LXX. *ad hoc*. REGIS: ſcilicet per quam Rex in templum ingrediebatur. OBSERVABANT. Hebr. & LXX. *Ianitores*. PER VICES SUAS DE FILIIS. Hebr. *per turmas filiorum*.

V. 19. PER VICES CASTRORUM, id eſt ad morem cuſtodum caſtrorum. Hebr. & LXX. *ſuper caſtra*, ſeu *in caſtris*. INTROITUM, ſcilicet tabernaculi.

V. 22. VIDENS, id eſt Propheta. IN FIDE SUA, id eſt propter ipſorum fidem, ſeu fidelitatem.

V. 23. FILIOS, id eſt poſteros. TABERNACULO, ſcilicet ante ædificatum templum. Hebr. & LXX. *domo tabernaculi*.

V. 25. SABBATIS SUIS. Hebr. *ſeptimo die*: ſcilicet fungebantur officio ſuo ſeptem diebus, adeoque ſeptimo ſuccedebant alii.

V. 26. EXEDRAS, id eſt cubicula.

V. 29. PRAEERANT; pro, & qui præerant. VINO, ſcilicet ad libamina.

V. 33. EXEDRIS, LXX. *paſtophorio*.

V. 35. PATER, id eſt princeps. IEHIEL, ſcilicet nomine.

V. 42. IARA. cap. VIII. dictus *Ioada*.

ESTII.

Verſ. 20. PHINEES AUTEM FILIUS ELEAZARI ERAT DUX EORUM CORAM DOMINO. Ex hoc loco conantur Hebræi ſtabilire quamdam ſuam traditionem, qua dicunt Phinees Eleazari filium non fuiſſe natura hominem, ſed Angelum Dei in corpore aſſumpto. Auctor libri Tradit. Hebr. falſo adſcriptus Hieronymo ita ad hunc locum annotat: *Hic monſtratur Phinees adhuc eo tempore vivere. Sed ad removendam hanc Hebræorum fabulam duobus modis reſponderi poteſt. Uno modo, ſi dicamus hæc verba non referenda ad Levitas illius temporis, ſed ad maiores eorum, hoc eſt ad eos qui per Moyſen, & Aaron iam olim in officiis ſuis inſtituti erant, de quibus habemus Num. IV. ubi legimus, quod Eleazar filius Aaron fuerit præfectus Caathitis. Itaque Phinees veriſimiliter in eodem officio ſeu præfectura patri ſucceſſit.* Huic expoſitioni favet Hebræa lectio: *Et Phinees filius Eleazari dux fuit ſuper eos olim, cum quo Dominus erat.* Alii breviter amputantes difficultatem, reſpondent, hunc Phinees, & patrem eius Eleazarum fuiſſe diverſos ab iis qui ſucceſſerunt Aaroni in ſummo ſacerdotio, & fuiſſe poſt captivitatem Babylonicam. Et facile contingit ut diverſis temporibus pater, & filius reciproce iiſdem nominibus appellentur, maxime in eadem familia.

V. 22. QUOS CONSTITUERUNT DAVID, ET SAMUEL VIDENS, IN FIDE SUA. *Videns*, id eſt Propheta. Qui enim nunc Propheta, is olim Videns dicebatur, ut eſt I. Reg. IX. Ceterum de Samuele nuſquam alibi legimus quod ordines Levitarum inſtituerit. Sed ex hoc loco intelligimus ipſum quoque hos ordines prius excogitaſſe, & concepiſſe; Davidem autem deinde, poſtquam ad regnum pervenit, ea quæ prius a Samuele decreta fuerant, executioni mandaſſe. Quod autem additur, *In fide ſua*, non ad Samuelem, & Davidem, ſed ad Levitas referendum eſt. Vox Hebræa non tam fidem ſignificat, quam munus, ſeu officium perpetuum; ut ſenſus ſit: Samuelem & Da-

vi-

videm illos ordines constituisse, non ad tempus, sed ut perpetuo illo munere fungerentur.

MARIANAE.

Vers. I. UNIVERSUS ERGO ISRAEL DINUMERATUS EST. Hebr. *Per genealogias recensiti sunt*. Quo tempore, non explicat; fortasse Rege David, eiusque iussu. Sed quocumque tempore, summa est relata in librum. Regum Israel. ET IUDA. Hoc Sept. & Hieronymus iunxerunt cum superioribus, *In Libro Regum Israel, & Iuda*, ut sint duo libri, de quibus superius. Hebr. iungitur cum sequentibus, ut *liber* sit tantum *Regum Israel*: sed per *Israel* utrumque hic regnum, & librum intelligat. Mox sequitur, *Et Iuda translati sunt*: nam de eius regni translatione agit tantum, quae in Babylonem est facta.

V. 2. QUI AUTEM HABITAVERUNT PRIMI. Hic locus conferendus est cum Nehemiae cap. XI. Utrobique de iis agit, qui e Babylonica captivitate redierunt, quorum pars in urbibus, & villis habitarunt, pars in Ierusalem. ISRAEL: scilicet pars aliqua Israel, quae evasit captivitatem Assyriorum, ivit cum Iuda in Babylonem, & rediit inde. NATHINAEI, Gabaonitae. Sic vocantur tum hoc libro, tum in libris Esdrae. Ratio nominis non satis est nota, nisi forte a *dando* deducatur *Nathan*, quod dati essent in servos.

V. 3. COMMORATI SUNT. Agit de iis qui in Ierusalem, habitarunt, & quidem forte ducti populi decima pars, Nehemiae XI. I.

V. 5. ET DE SILONI. Vir aliquis nobilis e tribu Iuda, qui non erat e posteritate Phares, aut Zare.

V. 6. SEXCENTI NONAGINTA. Hoc numero filii Iuda, qui in Ierusalem habitarunt, omnes comprehenduntur. Qui Siloni, & filii habitarunt in Ierusalem.

V. 9. ET FRATRES EORUM, id est cognati ex eadem tribu.

V. II. SADOC .... ACHITOB. Non sunt ii qui superius iisdem nominibus sunt vocati: nam illi multo tempore ante captivitatem vixerunt; hi in captivitate, vel post. Nimirum eadem nomina saepe recurrunt. PONTIFEX DOMUS DEI. Hoc ad Azariam debet referri, quae vox hic sola est in nominativo. Verum eo nomine nullus eo tempore Pontifex fuit. Hebr. vox *naghid* significat *ducem*, & potest esse in nominativo, & sic iungitur cum *Azaria*; aut in genitivo, & iungetur cum *Achitob*. Sept. *Duces* in plurali posuerunt, significantes Azariam, & maiores fuisse praecipuos inter minores sacerdotes. De Pontificatu nihil: atque ea ratio magis est expedita, quam si novos Pontifices fingamus, aut nova eorum nomina. Aut dic Azariam fuisse binomium.

V. 12. FILII PHASSUR, id est abnepotis: Nehem. XI. 12.

V. 13. FORTISSIMI ROBORE. Nempe de sacerdotibus agit, quibus quid commercii cum robore? Sed in omni vita nihil sine fortitudine recte agitur.

V. 15. BACBACAR QUOQUE CARPENTARIUS. Hebr. pro *carpentario* est *hares*, quae vox significat *artificem fabrum*: neque absonum, Levitas aliquot alicui opificio vacare; aut sic dicitur, quoniam templi fabris praefectus erat *Bacbacar*. Sept. *Ares* quasi nomen proprium reliquere, quod non displicet prorsus: quo modo distinguentur *Bacbacar*, & *Ares*. Sed melius Nostra.

V. 16. IN ATRIIS NETOPHATI. Sic Sept. Hebr. *in villis*, quae scilicet vocabantur *Netophati*, habitavit Barachias.

V. 17. SELLUM, ET ACCUB, ET TELMON, ET AHIMAM. Hi sunt praecipui ianitores: cuius filii, non explicat. ET FRATER EORUM; pro, *& fratres eorum*, ut Hebr. & Graece est in plurali. Significat autem eos quatuor fratres inter se esse, aut alios eorum fratres in eo ministerio adiuvare. SELLUM PRINCEPS. Sic distinguo. Porro hic *Sellum* est qui primo nominatus est, eumque ait inter quatuor esse praecipuum.

V. 18. USQUE AD ILLUD TEMPUS, IN PORTA REGIS. Adverte, templum illud, contra quam Nostra, occasum spectare; sic porta praecipua ad ortum erat, *Regisque porta*, aut *Regia* vocabatur, quia nobilior ceteris. Aut verius, loquitur de porta atrii exterioris orientali, quae Regi clausa erat, Ezech. XLIV. 2. ideoque *Regis porta* vocatur: nam in sanctuario unica porta erat, non plures. At ianitores

 non

non ad eam portam erant tantum, quod nostra Versio indicare videtur, sed ad alias etiam. Hebr. *Et usque huc in porta Regis ad orientem*. Hebræus sic explicat, *Et illic usque ad portam Regis*, ut constructio sit inversa; & significat, in portis omnibus ianitores esse, etiam in Regia. PER VICES SUAS DE FILIIS LEVI. Hebr. *per turmas filiorum Levi*; id est, hi erant designati ianitores ex omni multitudine Levitarum.

V. 19. CUSTODES VESTIBULORUM. Hebr. *custodientes limina*. PER VICES CASTRORUM DOMINI, id est ad morem quo castra custodiuntur. Hebr. *per turmas Domini*, id est ex eorum multitudine Levitarum, qui *turmæ Domini* vocantur, id est Deo sacratæ. CUSTODIENTES INTROITUM: scilicet ne quis præter sacerdotes ingrederetur in templum.

V. 20. PHINEES AUTEM. Hic neque Davidis tempore fuit, neque post captivitatem, nempe Aaronis nepos ex filio Eleazaro. Ideo *Phinees* sumo pro eius posteris, & familia, qui adepti Pontificatum in Iesu & Iosedec, Levitis præerant haud dubium.

V. 22. IN VILLIS PROPRIIS. Non omnes Levitæ intra Ierusalem habitabant, sed descripti tamen erant, ut suis temporibus ad ministeria quisque sua eo convenirent. DAVID, ET SAMUEL VIDENS, id est Propheta, id constituerunt. IN FIDE SUA, id est fideli, & stabili decreto ita sanxerunt, quod nullus eos mutaret ostiarios.

V. 23. ET IN TABERNACULO. Nondum constructo templo, ministrabant ii Levitæ in tabernaculo. VICIBUS SUIS. Hebr. *Ad custodias*. Sept. *Ad custodiendum per vices*, scilicet constituerunt eos. IN SABBATIS. Hebr. *in septimo dierum*. Id *sabbatum* est, quo die ministri mutabantur, & septem diebus ministrabant. DE TEMPORE USQUE AD TEMPUS. Heb. *De tempore ad tempus*; id est, designatis temporibus veniebant ad ministrandum.

V. 26. HIS QUATUOR LEVITIS, qui vers. 17. nominantur, scilicet Sellum, & alii. Hebr. *Quoniam in fide ipsi quatuor fortissimi ianitorum*; id est, nulla ratio ab illis exigebatur. ERANT SUPER EXEDRAS; quasi dicat: Illi reficiebant illas, & distribuebant iis qui in illis habitabant.

V. 27. MORABANTUR. Hebr. *Pernoctabant* per gyrum templi isti quatuor ianitorum præfecti. UT CUM TEMPUS FUISSET. Hebr. *Et ipsi super clave*, *&* *ad mane ad mane*, id est singulis diebus mane, quod Noster dixit. IPSI MANE APERIRENT FORES.

V. 29. PRAEERANT SIMILAE; pro, & qui præerant similæ, erant scilicet ex his Levitis.

V. 31. PRAEFECTUS ERAT. Hebr. *In fide super opus sartaginum*; id est, ipsi credita erant lagana, scilicet Mathathiæ filio Sellum.

V. 33. HI SUNT PRINCIPES CANTORUM. Hebr. *Et hi cantores capita patrum* (familiarum) *inter Levitas*. QUI IN EXEDRIS MORABANTUR. Hebr. *In exedris liberi*, scilicet ab omni alio ministerio. Qui hi? ianitores, de quibus ante dixit, aut omnes, aut illi quatuor præcipui.

V. 35. IN GABAON. Redit ad familiam Saul, ut narratio iungatur cum sequentibus. IEHIEL. Id est nomen proprium *Abigabaon*; seu, quod idem est, *pater Gabaon*, cognomen. UXORIS EIUS. Hebr. אחותו *abotho*, *sororis eius* significat: omnes tamen *uxoris* vertunt, quia sic vocatur cap. superiori vers. 29. sed *sororis* nomen pro socia Hebr. aliquando sumitur.

V. 36. NER. Hic non ponitur inter filios Iehiel cap. superiori. Porro Zacharias superiori capite vocatur *Zacher*. Sic alia nomina quæ sequuntur discrepant, sed parum quædam a positis cap. superiori, ac sigillatim *Iara* vers. 42. dictus est cap. VIII. vers. 36. *Ioada*.

MALVENDAE.

Vers. 1. DINUMERATUS EST. Heb. ex verbo: *Genealogizare se fecerunt*, vel *genealogizati fuerunt*. Quidam: *Per seriem generationis*, seu *genealogiæ*, *recensiti fuerunt*. Alii: *Iuxta genus censi sunt*. Notant, ante descripsisse Auctorem genealogias Israelitarum ante transmigrationem Babylonicam; nunc iam scribere genealogiam eorum qui ex captivitate redierunt post transmigrationem. ET SUMMA EORUM SCRIPTA EST IN LIBRO REGUM ISRAEL. Epilogus omnium superiorum, quo docetur unde

istæ

istæ recensiones sint desumptæ. Atque id adiecisse Auctorem, cum ut ostenderet quanto studio & cura describerentur eiusmodi genealogiæ in actis publicis utriusque regni usque ad captivitatem Babylonicam; tum ut redderet causam cur non uberius & exactius omnes omnium genealogias recensuerit, indicato fonte unde plenius hauriri possent. Adhæc, ut summatim haberet lector quæ in libris Mosis, & Regum omissa fuerant. IN LIBRO REGUM ISRAEL, ET IUDA. Distributive capiunt, Israelitarum genealogiæ in Libro Regum Israel: Iudæorum vero in Libro Regum Iehudæ. Interpunctio tamen Hebraica illud *& Iehudah*, ab antecedentibus seiungit accentu *athnach*, & sequentibus nectit: *Et Iehudah migraverunt in Babelem*, &c. Quidam reddunt: *Iudæi vero*, subaudi recensiti sunt, *ut cum deportati sunt in Babyloniam*, &c. supra cap. III. a vers. 17. & deinceps. Plerique cum Nostro nullam habent rationem Hebraicorum accentuum.

*V.*2. QUI AUTEM HABITAVERUNT PRIMI. Hebr. *Et habitatores primi*; id est, qui reversi ex Babylonico exilio, primi habitaverunt in possessionibus suis. Conferendum hoc caput cum Nehemiæ XI. nam eadem fere utrobique recensentur. Quidam hunc versum perspicuitatis causa, ita reddunt ex Hebræo: *Habitatores autem primi, qui inhabitabant possessionem suam, per civitates suas Israelitæ sacerdotes, Levitæ, & Nethinæi*. Summa est, ut priscorum Iudæorum quatuor erant classes, Popularis, Sacerdotalis, Levitica, & Dedititia, quæ erat ex exteris in religionem cooptatis; sic postliminio reversis Iudæis est observatum. Alii ita dispungunt, & exponunt: *Et habitantes primi, qui in possessione sua in civitatibus suis Israelis: Sacerdotes, Levitæ, & Nethinæi*; id est, genealogizati, seu recensiti fuerunt ac scripti in Libro Regum Israelis, & Iehuda, ac ducti in captivitatem Babyloniæ e præcedente versu, etiam Sacerdotes, Levitæ, & Nethinæi, posteri eorum qui primi post ingressum terræ promissæ habitaverunt in possessione sua in urbibus suis. Plerique tamen ita accipiunt, *Israel, & Sacerdotes, Levitæ, & Nethinæi*; quasi dicat: Redierunt aliquot ex Israelitis, & Sacerdotibus, Levitis, & Nethinæis. Vel cum Sacerdotibus, Levitis, & Nethinæis; etiam Israelitæ aliquot redierunt, de quibus versu sequente. NATHINAEI; vel, ut Hebr. *Nethinæi*. Hic primum in Scripturis hæc vox occurrit, quam aliorum verbis, qui Hebraica discutere solent, elucidavimus. Auctor Traditionum: *Nathinæi, id est Donati: sunt enim Gabaonitæ, eo quod ad serviendum dati sunt in templum Dei a Iosue*. Lyranus: *Nathinæi, isti erant Gabaonitæ, ad Iudaismum conversi, & fuerunt deputati ad portandum aquam & ligna ad locum cultus divini, ut habetur Iosue* IX. *vers.* 21. Caietanus: *Nethinæi vero Gabaonitæ dicuntur: sonat enim Dantes, seu Datos: quia illi se dederunt Israelitis: & ipsi sunt dati in servitutem templi Dei*. Vide etiam ipsum in Hezræ I. Sanctes: *Dicuntur* נתינים *nethinim, qui cædebant ligna, hauriebantque aquam filiis Israel*. Vatablus: *Nethinæi ita dicti, quasi dati, sive donati, aut ordinati, id est consecrati ministerio templi: ipsi enim traxerunt originem a Gabaonitis: fueruntque primum constituti a Iosue, deinde a Davide, in hoc scilicet ut cæderent ligna, & comportarent aquam in usum sacrificiorum*. Masius in Iosue IX. 27. *Porro lignatores, aquatoresque isti Gabaonitæ, sunt posteris temporibus, tamquam peculiari appellatione dicti Nethinim, Nathinæi, a verbo* נתן *nathan, quasi dedititios dicas, & cœtui, atque aræ Dei mancipatos. At enim obiicias, Nathinæos a Davide primum esse institutos: id enim apud Esdram* VIII. 20. *esse scriptum: non ergo Gabaonitas fuisse Nathinæos: quippe quos Iosua hic muneri illi præponit, & in eam servitutem dedit. Respondet ad hoc Rabbi Salomon: Davidem fuisse quidem novæ illius appellationis auctorem, ut pro Gabaonitis dicerentur Nathinæi; at non officii, aut servitutis. Mihi vero videtur esse verisimile, Esdram ideo Davidis tamquam auctoris mentionem facere, quia hic plerasque omnium servitiorum & munerum rationes filio suo Salomoni, sub extremum vitæ actum, certo ordine, modoque præscripserat; quæ observari atque effici in sacra æde, posteaquam ea foret exædificata, voluisset, ut est I. Paralipom. cap.* XXIII. *scriptum: quamvis non solum Noster hic Iosua de Gabaonitis, quo deberent ipsi munere fungi, constituisset; verum etiam ipse Moses nonnullas leges de aliis quoque officiis condidisset*. Schindlerus: Ne-

Nethinim, *Nethinæi*, *principes*, *duces Gibeon*, *&* *ad hanc pertinentium vicorum*: *sic appellati*, *quod Iosua illos dederit aut donaverit domui Dei*; *sicut dicitur Iosue* IX. *vers.* 27. *Aut prius nominati* גבעונים *ghibghonim*, *Gibeonitæ*; *postea dicti fuerunt Nethanim*, *Nethinæi*, *cum David illos dedit seu constituit*, *ut Levitis*, *sicut Levitæ Sacerdotibus operam ministerii præberent*, *eisque necessaria porrigerent*, *sicut habetur Esdræ* VIII. 20. *lignatores*, *&* *aquatores cœtui atque arcæ Dei dediti &* *mancipati*: *Toti cœtui*, *quamdiu fuit in castris ante terræ divisionem*: *domui Dei*, *templo extructo*. Tremellius, & Iunius in Iosue IX. 21. *Gabaonitæ servi publici*, *nomine cœtus populi Dei publicas angarias obeuntes in domo Dei*: *quare etiam Nethinæi*; *id est*, *dedititii vocantur in Hezra &* *Nechemia frequenter*. Alii vero alia incedunt via. Forsterus: *Nethinim*, *ego fratres arbitror initio Regis*, *qui non succedebant in regno*, *sed quibus donationes dabantur*, *ita dictos esse*; *quasi dicas*: *Donatos*: *&* *habitaverunt ceu custodes in munitione Ophel*, *Nehemiæ* III. 26. *ne in arcem David a seditiosis fieret irruptio*. *Deinde autem post Reges*, *&* *reditum ex Babylone*, *alii ita quoque sunt appellati*, *qui sacerdotibus necessaria suppeditarent a dando seu porrigendo nomen habentes*, *quorum fit mentio in Esdræ &* *Nehemiæ variis locis*. Mercerus: *Nethinim*, *hi* *ἱερόδουλοι* *in Esdra a Græcis conversi sunt*. *Vide Budæum in commentariis Linguæ Græcæ*. *Quidam putant*, *initio hoc nomine dictos esse fratres Regis*, *qui in regnum non succedebant*, *sed donaria accipiebant*, *sive donationes*, *&* *tamquam custodes in munitione Hophel habitarunt*, *ne ad Regem irrumperetur*. *Post reditum autem e Babylone sic etiam appellari cœptos*, *qui sacerdotibus in templo necessaria suppeditabant*: *non a dando*, *meo iudicio*, *sed potius quod dati essent*, *&* *templi ministerio consecrati*: *forma Pabul Chaldæi*. *Nam &* *Levitæ Numeror.* III. *vers.* 9. *dicebantur* נתונים *nethunim*, *dati Aharoni*, *&* *eius filiis sacerdotibus a Domino*, *quasi Addictitii*. *Hierodulus*, est *sacris inserviens æditaus*: de quo vide quoque Thesaurum Henrici Stephani, Tomo I. col. 1646. Marinus: *Nathinæi erant quidam homines sic dicti*, *quod dati essent Levitis*, *&* *templo*, *ut necessaria ministrarent*. *Hi tempore Esdræ una cum servis Salomonis*, *quos &* *ipse templo consecraverat*, *ad numerum* 392. *pervenerant*, *Esdræ* II. *vers.* 58. *Videtur autem*, *Davidem priorem omnium hos Nathinæos constituisse*, *sicut legitur Esdræ* VIII. *vers.* 20. *Nathinæi Levitis*, *Levitæ sacerdotibus ministrabant*. Avenarius: *Nethinim*, *dedititii*, *qui Regibus &* *Sacerdotibus toti erant traditi*, *&* *donati*, *ut perpetuo eis servirent*. Buxtorfius: *Nethinæi*, *servi publici erant*, *publicis angariis obeundis in domo Dei pro toto cœtu dediti*, *quasi dedititii dicti*. Accepit id ex Tremellio, & Iunio verbatim in Iosue IX. 21.

V. 3. DE FILIIS IUDA, ET DE FILIIS BENIAMIN. Nam urbs utrisque communis erat. Vide Iudic. I. 8. & 21. DE FILIIS QUOQUE EPHRAIM, ET MANASSE. Exponunt, Id est ex aliis tribubus, ad quas Ierusalaima non pertinebant: synecdoche: nam eos intelligit, qui studio religionis ad Iehudam convenerunt. Vide Psal. LXXIX. 3.

V. 4. OTHEI FILIUS AMMIUD, &c. Hunc versum nominibus propriis virorum, uti Hebraice habentur, expressimus (*Ghuthai filius Ghamihud*, *filii Ghomri*, *filii Imri*, *filii Bani*, *de filiis Pheretz filii Iehudah*.) Nehemiæ tamen XI. 4. aliter legitur, in hunc modum: *Ghathaiah filius Ghuziiah*, *filii Zechariah*, *filii Amariah*, *filii Sephatiah*, *filii Mahalalel*, *de filiis Pheretz*. Videntur esse binomines, uno ibi adiecto, hic omisso.

V. 5. ET DE SILONI. Quidam reddunt: *Et de familia Schelanæa*, vel *Silonæa*. Aliqui volunt: *Et de Silonitis*, id est oriundis ex urbe Silo; vel *ex Silonita aliquo*: quod non placet. Ego facilius crediderim, *Ex familia Selanita*, id est *Selæ*, filii Iehudæ, Numer. XXVI. 20. Sic Nehemiæ XI. 5. ASAIA. Hebr. *Ghasaiah*. Volunt hunc Nehemiæ XI. 5. appellari *Maghaseiah*.

V. 7. ODUIA. Hebr. *Hodaviah*, qui Nehemiæ XI. 7. dicitur *Ioghed*, & ibidem vers. 9. *Iehudah*.

V. 9. NONGENTI QUINQUAGINTA SEX: qui illis sexcentis nonaginta, de quibus supra vers. 6. adiuncti efficiunt mille sexcentos quadraginta sex principes familiarum.

V. 11. AZARIAS. Hebr. *Ghazariah*. Nehem. XI. 11. vocatur *Seraiah*. FILIUS HELCIAE. Hebr. *Chilkiiah*. Hic est cele-

lebris ille Chilkiiah, qui librum legis invenit sub Iosia Rege, II. Reg. XXII. 8. PONTIFEX DOMUS DEI. Hebr. *princeps domus Dei*. Diserte istud ad Hazariam refertur. Alii in genitivo reddunt, *Filii Achitub, ducis domus Elohim*, ut Achitub intelligatur dux domus Dei, quod ipso nimirum auctore & ductore translata sit domus Dei, id est ipsum tabernaculum, ex Siloh in Nobe: nam sub eius filio Achimelech tempore Saulis illuc iam translata erat; ut apparet e I. Samuel. XXI. & cap. XXII. vers. 11.

V. 12. FILII PHASSUR. Hebr. *filii Phascaris*, id est abnepotis, e Nehemiæ XI. 12. Sic passim. ET MAASAI FILIUS ADIEL, FILII IEZRA. Hebr. *Et Maghsai filius Ghadielis, filii Iachzerah*. Nehemiæ XI. vers. 13. diverse scribitur: *Et Ghamassai filius Ghazarelis, filii Achsai*. Videntur binomines fuisse. MOSOLLAMITH. Hebr. *Mesilamith*. Nehem. XI. 13. *Mesilemoth*.

V. 13. AD FACIENDUM OPUS MINISTERII IN DOMO DEI. Hebr. *Opificio servitutis domus Elohim*. Quidam: *In opere ministerii domus Dei*, id est viri præfecti operi ministerii templi Dei; vel potius, facientes opus ministerii domus Dei; quasi dicat: Qui alacres, & forti animo, robusto corpore, viribusque valentes versabantur in opere ministeriali templi. Alii: *Ad opus ministerii domus Dei*.

V. 15. BACBACAR. Hebr. *Bakbakar*. Nehem. XI. 17. appellatur *Bakbukiah*. QUOQUE CARPENTARIUS. Hebr. *Bakbakar Cheres*, quidam duo distincta nomina Levitarum faciunt, *Bakbakar*, & *Cheres*. Alii unum tantum nomen conflant, *Et Bakbakar-Cheres*. Alii, *Cheres* pro appellativo sumunt, & *Bakbakar, faber*, seu *carpentarius*, ut singularis aliqua in isto artis fabrilis virtus & præstantia indicetur. ZECHRI. Heb. *Zichri*. Nehem. XI. 17. vocatur *Zabdi*, facili mutatione Caph, & Resch, in Beth, & Daleth, litterarum similium. ET OBDIA FILIUS SEMEIAE. Hebr. *Et Ghobadiag filius Semaghiah*. Nehem. XI. 17. scribitur, *Et Ghabda filius Samuagh*, facili mutatione nominum eiusdem radicis, & significatus. IN ATRIIS NETOPHATHI. Quidam, *In villis Netophathæorum*, in tribu Iehudæ, sup. cap. II. vers. 54. Nam etsi possessiones in tribu Iehudæ, & Biniaminis attributæ erant sacerdotibus, Iosue XXI. a vers. 13. usque ad 19. tamen cum Levitis pro necessitate communicata fuit ipsorum habitatio, ex quo regnum divisum est.

V. 17. ET FRATER EORUM SELLUM PRINCEPS. Hebr. *Et fratres eorum*, vel & *fratrum eorum, Sellum caput*. Quidam: *In quorum agnatis Schallum primarius*, seu *præcipuus erat*.

V. 18. USQUE AD ILLUD TEMPUS IN PORTA REGIS, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebræo expressimus (*Et usque adhuc in porta Regis de ortu: ii portarii desidentiis filiorum Levi*.) Diversimode alii. I. *Et usque huc in porta Regis ad orientem ipsi ianitores per turmas filiorum Levi*. II. *Et huc usque in porta Regis fuerunt ad orientem: ipsi ianitores fuerunt per turmas filiorum Levi*; id est, usque ad hæc tempora præfuerunt illi portæ regiæ templi, sic dictæ quod per eam Rex templum ingrederetur: *per turmas*, &c. vel *in turmis*, vel *inter turmas*, seu *ex turmis*, &c. quasi dicat: Ex filiis Levi isti fuerunt ostiarii, & ianitores. III. *Usque huc in porta Regis, quæ erat ad orientem, illi ianitores fuerunt per mansiones filiorum Levi*. IV. *Is hactenus in porta Regis versus orientem stationem habet: illi sunt ianitores secundum castra Levitarum*. Exponunt: *Is*, id est is Sallum, qui ianitorum primarius est, *illi*, nempe quatuor qui modo in præcedente versu nominati sunt: *sunt ianitores*: id est ianitorum Levitarum per vices custodias suas obeuntium primarii, infra vers. 22. & sequentibus. V. *Et huc usque in porta Regis ad orientem: ipsi ianitores castris filiorum Levi*. Hinc tria colligunt. Primum, eumdem ordinem servatum in ianitoribus Levitis ante captivitatem Babylonicam, & post captivitatem instaurato templo: alioquin non extendisset Auctor observationem ordinis ianitorum ad usque sua tempora, dicendo, *Et hucusque*. Secundum, Auctorem post reditum ab exilio Babylonico, post instauratum templum, & divinum cultum in Ierusalem scripsisse hæc: alioquin non dixisset, *Et huc usque ipsi ianitores castris filiorum Levi in porta Regis ad orientem*. Tertium, post captivitatem restitutum nomen etiam portæ: appellaverunt enim portam orientalem templi *Portam Regis*, ut ante deportationem ap-

appellabatur. Quam quidam sic dictam volunt, quasi portam regiam, & principalem, quod ipsa porta orientalis maior & præcipua esset.

V. 19. CUSTODES VESTIBULORUM TABERNACULI. Hebr. *Custodes liminis tentorio*. Quidam: *Observant limina ad tentorium*. id est interiora, atque adeo sanctiora. ET FAMILIAE EORUM PER VICES CASTRORUM DOMINI CUSTODIENTES INTROITUM. Translatio nostra vim verborum ordine expressit (*Et patres eorum super desidentiam* IHUH, *observantes adventus*.) Alii varie. I. *Et patres eorum super turmam Iehovæ, custodes introitus*; id est, patres eorum præfuerunt castris Iehovæ, ut essent custodes introitus ipsius tabernaculi: neminem enim sinebant ingredi loca illa sacra præter quam sacerdotes. II. *Ut patres eorum*, id est Kehathitæ, Numer. IV. 4. *iuxta castra Iehovæ*, id est iuxta sacerdotes circum arcam castra habentes, *observaverant aditum*. Quidam hic *castra Iehovæ*, intelligunt totam illam aciem, seu stationem tabernaculi, in quo omnia ordine, per vices, & stationes ut in castris peragebantur. Unde *militia* sæpius in Scriptura appellatur. Vide Numer. IV. 3.

V. 20. CORAM DOMINO. Hebr. *Iehovah cum eo*. Quidam cum superioribus iungunt: *Quod antea Dominus fuerat cum eo*. Alii: *Cui Iehova adfuerat*; id est, qui carus fuit Iehovæ, Numeror. XXV. 11. & sequent.

V. 21. IANITOR PORTAE TABERNACULI TESTIMONII. Quidam reddunt: *Ianitor est ostii ad tentorium conventus*; id est, est primarius ianitorum sive custodum interiorum.

V. 22. ET DESCRIPTI IN VILLIS PROPRIIS. Hebr. *Ipsi in villis suis genealogizari eorum*. Quidam: *Ipsi in villis suis recensiti sunt per seriem genealogiarum*. Alii: *Istos per villas suas recensitos*. QUOS CONSTITUERUNT DAVID, ET SAMUEL. Hebr. *Hos fundavit David, & Semuel*. Quidam: *Istos ordines, inquam, statuerat David*. Vide infra cap. XVI. & XXIII. ET SAMUEL. Vide I. Samuel. VII. 6. ad verba illa, *Iudicavitque Samuel filios Israel in Masphat*. VIDENS. Vide I. Samuel. IX. 9. IN FIDE SUA. Hebr. *in fide eorum*. Ubi relativum *eorum* & ad Davidem, & Salomonem, & ad Levitas referri potest. Quidam reddunt, *Propter fidem*, vel *fidelitatem eorum*; id est, quia fideliter muneri suo inserviebant: quia notam & perspectam habebant fidem, constantiam, veritatem, sinceritatem eorum: אמונה *emunah* enim ista omnia complectitur. Aliqui, *In firmitate eorum*; quod firmitas istius ordinis, & dispositionis Levitarum, primum a Semuele, deinde a Davide fundata sit. Alii, *In officio suo*, sive *in stato munere ipsorum*, id est in munere eorum fixo, & irrevocabili, fidei scilicet eorum concredito. Notant *emunah*, *fidem* proprie significare, sed hic sumi pro *constanti*, *stato*, *firmo*, *perpetuo*, & *permanente officio seu munere*, sic a stabilitate dicto. Possis exponere, *Pro fide sua*, scilicet Davidis & Samuelis: nimirum pro fide, pietate, religione sua erga Deum, eos ordines instituerunt. Vide infra vers. 26. & 31.

V. 23. IN OSTIIS DOMUS DOMINI; id est, astabant portis domus templi Domini, quod erat in Ierusalaim. ET IN TABERNACULO. Hebr. *Ad domum tentorii*: intelligunt de tentorio quod erat Ghibhone: nam Ierusalaimis erat arca, atque hæc domus Iehovæ appellabatur: Ghibhone vero fuit locus tentorii vel tabernaculi. Vide in I. Reg. III. 2.

V. 25. IN SABBATIS SUIS. Heb. *Ad septenarium dierum*, vel *in septenum dierum*. Quidam, *Septimo quoque die*. DE TEMPORE USQUE AD TEMPUS. Heb. *De tempore ad tempus cum istis*. Quidam, *Singulis temporibus cum istis*, nimirum exituris qui functi fuerant officio suo per hebdomadam suam; quasi dicat: Ut succederent istis in fine septem dierum: vicissim enim mutabantur. Vide II. Reg. XI. 5. & 7. Alii: *In sua tempora cum illis*, id est primoribus, de quibus vers. 17. & 21. supra. Phrasim istam, *De tempore ad tempus*, usurpat Ezech. IV. 10.

V. 26. HIS QUATUOR LEVITIS CREDITUS ERAT OMNIS NUMERUS IANITORUM. Nos Hebraica ex verbo expressimus (*Quia in fide ii quatuor prævalidorum portariorum ii Levitæ*.) Alii diversimode. I. *In officio enim erant isti quatuor potentes ianitores, erantque Levitæ*. II. *Quia in munere erant ipsi quatuor potentissimi ianitorum: erant Levitæ*; id est, funge-

gebantur munere suo una hebdomade: erantque Levitæ. III. *Nam in stato munere sunt quatuor potentissimi ianitorum illi Levitæ*. IV. *Quia in fide illorum quatuor potentium ianitorum, ipsi Levitæ*. V. *Erant illi sub fide quatuor insignium ianitorum, nempe Levitæ*. Et hic est sensus Nostri. ET ERANT SUPER EXEDRAS, ET THESAUROS, &c. Varie reddunt: I. *Et erunt super aulas, & super thesauros*: 2. *Et erant super cubicula, & thesauros*: 3. *Et qui constituti erant super gazophylacia, & super thesauros*. 4. *Et præsunt cubiculis ac thesauris*. Notant לשכות *leschachoth* fuisse *conclavia*, *cameras*, *cellas*, *cubicula*, *exedras*, quasi *thecas*, ad templum foris & inferne adiecta, & extructa, pro reponendis vestibus, sacrificiis, donariis, vasis, & instrumentis sacris, & aliis quibus sacerdotes utebantur.

V. 27. IN CUSTODIIS SUIS. Hebr. *Quia super eos observantia*. Quidam: *Quod super eos esset custodia*; id est, ad eos spectaret custodire templum. Alii: *Nam illis commissa erat custodia*, subaudi templi per noctem. Nonnulli: *Nam illis incumbit custodia*. Possis reddere: *Cum ad illos pertinet custodia*, id est in hebdomada sua. UT CUM TEMPUS FUISSET, IPSI MANE APERIRENT FORES. Hebr. *Et ipse super aperturam, & ad mane, ad mane*. Quidam: *Ipsique essent super apertione quotidie mane*. Alii: *Erantque super apertionem in mane, & mane*; id est, præerant apertioni ostiorum domus Dei, quæ fiebat singulis matutinis. Nonnulli: *Et præsunt aperturæ, & quidem singulo quoque mane*. Aliqui: *Erantque super claves constituti, ut singulis diebus mane aperirent*.

V. 28. ERANT ET SUPER VASA MINISTERII. Quidam: *Præsunt instrumentis ministerii*. Notant esse prolepsin, sive propositionem universalem, quam sequentes versus sigillatim explicant.

V. 29. DE IPSIS, ET QUI CREDITA HABEBANT, &c. Nostra translatio hunc versum ordine verborum reddidit (*Et de eis numerati super vasa, & super omnia vasa sanctitatis: & super similam, & vinum, & oleum, & thus, & aromata*.) Alii perspicuitatis gratia, sic. I. *Quidam deinde erant constituti super alia vasa, & super omnia vasa sanctuarii: alii super similam & vinum, super oleum & thus, atque odores*. II. *Nam ex illis alii constituti sunt super instrumenta illa, etiam super omnia instrumenta sacra: alii super similam, & vinum, & oleum, & thus, & aromata*. QUI CREDITA HABEBANT. ממנים *memunnim* proprie *numerati*, *subducti*, *substracti*, *constituti*, *præfecti*, *super vasa*, seu *instrumenta*; quidam intelligunt communia: nam de sacris mox subiungit. Alii, *Super instrumenta illa*, nam *etiam* constituti sunt *super omnia instrumenta sacra*. SIMILAE, quæ offerebatur in minchah, Levit. II. I. ET VINO, ad libamina, Exod. XXIX. 40. & Numer. XV. 5. 7. & X. ET OLEO, ad candelabrum, & lucernas, Exod. XXV. 6. & minchah, Levit. II. I. 2. & seqq. ET THURI, ad minchah Levit. II. I. & 2. & ad panes ordinationis Levit. XXIV. 7. ET AROMATIBUS, ad unguenta quibus ungebantur sacerdotes, Exod. XXV. 6. & ad suffitum odorum, ibidem. Vide latius Exod. XXX. a vers. 23. usque ad finem capitis.

V. 30. FILII AUTEM SACERDOTUM UNGUENTA EX AROMATIBUS CONFICIEBANT. Nos Hebr. verbatim repræsentavimus (*Condimentarii conditura aromatibus*.) Alii, *Confectores pigmenti ad aromata*; id est pigmentorum aromaticorum. Quidam parenthesi (*Quamvis ex filiis sacerdotum sint artifices unguenti ex ipsis aromatibus*) ex præscripto legis Exodi XXX. 23. & seqq.

V. 31. SELLUM CORITAE. Hebr. *Salum Korchitæ*: fuit enim pronepos Korachi. Vide supra vers. 17. & 19. PRAEFECTUS ERAT EORUM QUAE IN SARTAGINE FRIGEBANTUR. Hebr. *In fide super opus sartaginis*. Varie reddunt. I. *In officio super opus sartaginum*; id est præfectus erat iis quæ fiebant per sartaginem; quasi dicat, ad eum spectabat videre diligenter, ac providere quæ fiebant in sartaginibus. II. *Bona fide constitutus erat super ea quæ fiebant in sartaginibus*. III. *In fide erat super opere sartaginalium*; id est, eius fidei commissum erat opus sartaginalium, hoc est eorum quæ ad sartagines pertinebant. IV. *Fideliter erat super opere frixionum*; id est, fideliter administrabat quæcumque ad frixiones sacras, seu minchah spectabant; ne quis escas illas abliguriret. V. *Stato munere præest rebus ex cacabo*. Vide in Levit. V. 5.

V. 32. SUPER PANES ERANT PRO-

POSITIONIS; UT SEMPER NOVOS PER SINGULA SABBATA PRAEPARARENT. Nos verba Hebraica reddidimus (*Super panem ordinationis : ad apparare sabbato, sabbato.*) Alii : 1. *Erant super panem propositionis, ut pararent illum singulis sabbatis*; 2. *super panem dispositionis, ut pararent*, &c. id est, præerant panibus ordine dispositis ante arcam fœderis ; qui & panes facierum dicuntur Exodi XXV. 30. 3. *Erant super panes ordinandos, quos scilicet pararent per singula sabbata*; 4. *Præsunt pani dispositionis, aptando unoquoque sabbato*. Vide Levit. XXIV. 5. & seqq.

V. 33. HI SUNT PRINCIPES CANTORUM PER FAMILIAS LEVITARUM, QUI IN EXEDRIS MORABANTUR. Hebraica nos verbo tenus convertimus (*Et isti cantantes, capita patrum Levitis, in exedris aperti.*) Alii varię. I. *Et isti cantores capita patrum Levitis, in cameris licentiati*; hoc est, tres fuerunt principes cantorum, iuxta tres filios Levi licentiati, id est licite liberi ab oneribus Levitarum, ad quæ vicissim tenebantur Levitæ. II. *Et isti cantores principes familiarum Levitarum, in cubiculis dimissi liberi*: nimirum ab aliis operibus, curis, officiis, muneribus, & functionibus Levitarum, quia cantui incumbebant, & manebant in suis cubiculis. III. *Porro isti cantores præcipui patres Levitarum erant in exedris prominentibus*: ut in eminentia & patulo loco cantantes exaudirentur. IV. *Horum quoque*, id est ex hoc ordine Levitico : *ipsi sunt musici, primores paternarum familiarum inter Levitas in cubiculis degentes immunes*. Hispanicus Interpres: *Y de estos avia cantores, principes de familias por los Levitas, los quales estavan ensus camaras exemptos*, id est *libres de otros cargos*. Participium passivum פטורים *peturim*, proprie est *aperti, dimissi, laxati*; quod plerique exponunt *immunes, liberi, exempti*. Et gemina lectio *peturim*, & פטירים *petirim*. Quidam hanc depravatam volunt, & Vau, quod in Iod decreverat, pristinæ formæ restituendum. Alii volunt, Vau contractum in Iod indicare omnimodam dimissionem, & immunitatem. UT DIE, AC NOCTE IUGITER SUO MINISTERIO DESERVIRENT. Hebr. *Quia die, noctuque super eos in opere*; id est, quia onus operis divini cultus in musica, die; ac nocte super eos erat. Quidam: *Quia die, ac nocte super eos erat esse in opere*; id est, ad eos spectabat esse in opere, subaudi musices; quasi dicat: Illorum erat diu noctuque musicam illam divinam curare ac tractare. Alii: *Quibus diu noctuque incumbebat opus*. Nonnulli: *Quia interdiu & noctu illorum est versari in suo opere*. Hispanicus: *Porque de dia y de noche sobre ellos en la obra*, vel *estavan en la obra*; quasi dicat, *En la composicion de los psalmos, y su musica*.

V. 34. CAPITA LEVITARUM, &c. Vide similem versum supra cap. VIII. vers. 28.

V. 35. IN GABAON AUTEM COMMORATI SUNT, &c. Ab isto versu usque ad finem capitis omnia sunt eadem cum cap. VIII. a vers. 29. usque ad vers. 38. inclusive. Notant, fieri hic regressionem ad gentem, & historiam Saulis, de qua capite præcedenti, a vers. 29. ut sit extructio, seu apparatus ad historiam sequentem, cap. X. ET NOMEN UXORIS EIUS MAACHA. Tremellius, & Iunius: *Cuius uxori nomen Mahaca*. Sic inquiunt, *invenimus in antiquo manuscripto, & in vetustioribus exemplaribus excusis: quæ sequi maluimus propter convenientiam huius loci cum superiore cap. VIII. vers. 29. quamvis in permultis libris etiam Hebraicis hoc modo legatur: Cuius sorori nomen erat Mahaca*. At ego cum multa viderim exemplaria Hebraica. nullum hactenus vidi quod haberet אחותו *acbotho*, sed אשתו *ischtho*.

MENOCHII.

Vers. 1. UNIVERSUS ISRAEL DINUMERATUS EST. Non constat quænam sit hæc dinumeratio populi, illa ne quæ facta est iussu Davidis II. Reg. XXIV. 1. an vero aliqua alia, quæ captivitatem Babylonicam non multum antecesserit. Potest etiam dinumeratio hæc intelligi facta ab aliquo historico rerum Israeliticarum, in cuius libris hæ genealogiæ, & cognationes, & ascendentium, & descendentium series continerentur, non autem censu inito, ut Moses fecerat, & David. TRANSLATI SUNT IN BABYLONEM. Vide IV. Reg. cap. ult.

V. 2.

V. 2. HABITAVERUNT PRIMI, ſcilicet poſt reditum ex captivitate Babylonica. ISRAEL, id eſt Iſraelitæ. NATHINAEI, id eſt donati. Erant Gabaonitæ, qui addicti erant templi ſervituti ſub Ioſue, eius Libri cap. IX. Vide plura de Nathinæis apud Sigonium de Repub. Hebræorum Lib. V. cap. VII.

V. 3. DE FILIIS QUOQUE EPHRAIM, & MANASSE. Nam tempore captivitatis decem tribuum aliqui ex omnibus tribubus elapſi ſunt, & ſeſe in regnum Iuda receperunt. Horum poſteri tempore reditus Iudæorum, etiam ipſi in Ieruſalem, & Iudæam reverſi ſunt.

V. 4. OTHEL, &c. Qui hic numerantur, nepotes ſunt Iuda per filium illius Phares, quemadmodum num. 6. mentio eſt eiuſdem nepotum ex Zara.

V. 5. ET DE SILONI: intellige de filiis Siloni, qui ad Phares progeniem pertinebant.

V. 13. FORTISSIMI ROBORE AD FACIENDUM OPUS MINISTERII IN DOMO DEI; id eſt, integris viribus & ætate ad exercenda munia levitica, & ſacerdotalia, quantumcumque eſſent gravia.

V. 15. CARPENTARIUS. Levitæ mechanicis artibus operam non dabant, ut vult Abulenſis, ſed *carpentarius* eſt cognomen, non artificium, cui deditus eſſet. Vel dici poteſt, ipſum carpentariam in templo exercentibus præfuiſſe, & direxiſſe, inde illi cognomen factum.

V. 16. IN ATRIIS NETOPHATHI. Hebr. habet *in villis*. Netophati eſt urbs in tribu Iuda.

V. 17. IANITORES: qui templi miniſtri erant, & ad eius ianuas excubabant, & ſacras arculas, in quibus pecuniæ offerebantur, obſervabant, neminem immundum ingredi permittebant, &c. De horum officiis vide plura apud Sigon. de Repub. Hebr. Lib. V. cap. VI.

V. 18. USQUE AD ILLUD TEMPUS. In Hebr. eſt, *Uſque ad hoc tempus*, vel *huc uſque*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus. IN PORTA REGIS AD ORIENTEM, in porta præcipua templi, quæ orientem ſpectabat, & per quam Rex ingrediebatur. OBSERVABANT PER VICES SUAS DE FILIIS LEVI. In Hebr. ad verbum eſt: *Ipſi ianitores per turmas filiorum Levi*: ſententia eadem eſt, ſcilicet eos per vices ſuas excubaſſe iuxta varias turmas, aut claſſes, in quas tributi erant Levitæ, ad hoc miniſterium deſtinati.

V. 19. PER VICES CASTRORUM DOMINI; id eſt, ad modum, & morem cuſtodum caſtrorum. Hebr. & Septuaginta, *Super caſtra*, ſeu *in caſtris*.

V. 20. CORAM DOMINO, in hoc miniſterio ianitorum, quod coram Domino, hoc eſt in atriis templi, exercebatur.

V. 21. PORTAE TABERNACULI TESTIMONII: non portarum per quas patebat aditus in atria templi, ſed portæ per quam ingreſſus erat in eam templi partem quæ appellatur Sancta, in fabrica templi Salomonis ſucceſſerat tabernaculo, quod fecerat Moyſes.

V. 22. VIDENS, Propheta. IN FIDE SUA, propter ipſorum fidem, hoc eſt fidelitatem.

V. 24. ERANT OSTIARII, præcipui ſcilicet, quibus parebant alii, ut patet ex num. 26. ſequente.

V. 25. IN VICULIS SUIS. Hebr. *In villis ſuis*. SABBATIS SUIS. Hebr. *Septimo die*, ſcilicet fungebantur officio ſuo ſeptem diebus, ſeptimo vero ſuccedebant alii. DE TEMPORE USQUE AD TEMPUS, ſubinde. Italice dicimus, *Di tempo in tempo*. Abſoluta nimirum periodo unius hebdomadæ.

V. 26. SUPER EXEDRAS, id eſt cubicula in quibus theſauri templi ſervabantur, & ſacra ſupellex, veſtes nimirum ſacerdotales, & leviticæ, & alia inſtrumenta, quæ peragendis ſacrificiis uſui erant.

V. 28. VASA MINISTERII, inſtrumenta ſacrificiorum, & libaminum, quæ num. ſeq. appellantur *utenſilia ſanctuarii*. AD NUMERUM, &c. id eſt, numerata offerebant, & numerata reponebant ne quid periret.

V. 29. SIMILAE, VINO, &c. quarum rerum uſus erat ſacrificiis, & libamentis, ut non ſemel in Levitico, & alibi dictum eſt.

V. 30. FILII AUTEM SACERDOTUM, &c. Levitæ cuſtodiebant aromata, quæ unguenti erant materia, ipſum autem unguentum, id eſt thymiama, conficiebant filii ſacerdotum. De thymiamate, & aromatibus, ex quibus conficiebatur, vide Exodi XXX. 34.

V. 31. QUAE IN SARTAGINE FRIGEBANTUR: qualia erant lagana oleo lita, de quibus vide Exodi XXIX. versu 2. & collyridæ oleo frixæ, de quibus vide Levit. VII. versu 12. & quæ his locis notavimus.

V. 33. HI SUNT PRINCIPES, &c. Non satis apparet de quibus sermo sit. Intelligendum tamen est, agi de Levitis, & peculiariter de Caathitis, de quibus proxime dictum fuerat. Alioqui enim ex omnibus familiis leviticis cantores erant, ut patet ex dictis capite VI. Vide quæ ibi diximus numero 39. IN EXEDRIS MORABANTUR, &c. ut ad templi ministeria expediti esse possent, & ab uxoribus seiuncti earum congressu non contaminarentur, aut alia ratione immunditiam aliquam legalem contraherent. DIE, AC NOCTE: nam iuge sacrificium vespertinum, quod erat holocaustum agni, vesperi altari imponebatur, & in eodem altari tota nocte cremabatur usque mane, ut habemus Levit. VI. 9. erant etiam sub vesperam concinnandæ lucernæ, & de nocte curandum ne extinguerentur, &c.

V. 34. CAPITA LEVITARUM, &c. Quælibet familia Levitarum suum caput, & principem habebat, hi ergo omnes principes post reditum ex captivitate manserunt in Ierusalem.

V. 35. IN GABAON AUTEM, &c. Repetuntur quæ de Saulis progenie dicta fuerant capite præcedenti, quia deinceps sequenti scilicet cap. X. de illius regno, & morte sermo futurus erat. Vide dicta superiori capite.

TIRINI.

Vers. 1. UNIVERSUS ISRAEL DINUMERATUS EST, nempe iubente Davide, II. Reg. XXIV. TRANSLATIQUE SUNT IN BABYLONEM. Huc usque ergo, præcedentibus omnibus capitibus, recensiti sunt qui captivitatem Babylonicam antecesserunt; hoc vero IX. cap. recensentur ii principes qui soluta iam captivitate ad suas sedes in Iudæam remigrarunt. Et plurimi ex his sacerdotibus, Levitis, & aliis qui hoc capite enumerantur, etiam Lib. II. Esdræ cap. XI. iisdem nominibus recensentur.

V. 2. NATHINAEI. Sic etiam vocantur II. Esdræ XI. 21. quasi dicat, Donati, seu dono dati templo. Erant hi Gabaonitæ, qui quod Israelitis imposuissent, ad aquam, & ligna in usus templi convehenda perpetuo damnati fuerunt, Iosue IX. 23. Hi ergo ex Babylonica captivitate reduces cum Israel, id est Israelitico populo: nempe qui evaserant manus Assyriorum, cum decem tribus a *Theglath-Phul-Assar*, & *Salman-Assar*, in Assyriam, & Mediam captivæ abducerentur, & sese subiecerant umbræ ac protectioni Regum Iuda, sed post una cum ipsis Babylonem avecti fuerunt. Hi, inquam, etiam cum tribu Iuda e Babylone in Iudæam reversi sunt ad possessiones suas & urbes, in quibus primi, seu prius, habitarant.

V. 5. ET DE SILONI, supple filiis. Vir erat olim nobilis & famosus e tribu Iuda, sed non ex posteris Phares aut Zare.

V. 11. AZARIAS PONTIFEX DOMUS DEI: non primarius aut summus (nam is in reditu Babylone erat Iesus, vel Iosue, filius Iosedechi, I. Esdræ III. 8.) sed ex secundariis, nempe capitibus vigintiquatuor familiarum sacerdotalium, qui & principes sacerdotum, & Pontifices templi vocabantur.

V. 15. BACBACAR QUOQUE CARPENTARIUS, seu præfectus fabrorum templi.

V. 16. IN ATRIIS. Hebraice *in villis*, quæ vocabantur *Netophati*.

V. 18. USQUE AD ILLUD TEMPUS, nempe a prima ianitorum templi institutione, usque ad eversum templum a Nabuchodonosore, OBSERVABANT Levitæ PER VICES SUAS. Hebraice, *Excubabant per turmas suas* vicissim, tum in aliis atriorum templi portis, tum vel maxime, *in porta Regis ad orientem*, id est quæ vicinior erat palatio regio, & per quam Rex in templum, cum palam vellet, introire solebat.

V. 22. DESCRIPTI IN VILLIS PROPRIIS: vers. 15. dicitur, *In viculis morabantur*. Neque enim Levitæ omnes habitabant Ierosolymis, sed in propriis morabantur villis, viculis, urbibus. Omnes per classes descripti, & distributi erant, ut suis singuli temporibus ad sua ministeria Ierosolymam convenirent; prout constituerant,

&

& singulis suas vices distribuerant Rex DAVID, & ante ipsum SAMUEL VIDENS, seu Propheta: distribuerant, inquam, IN FIDE SUA, id est fide seu commissione sibi credita tam a Deo, quam a Republica.

V. 33. PRINCIPES CANTORUM erant certi Levitæ designati, QUI IN EXEDRIS MORABANTUR. In Hebræo additur *liberi*, nempe ab omni alia cura & ministerio; ut solis laudibus divinis decantandis, & populo docendo vacarent. *Exedra* quidem omne cubiculum, & aulam significat, sed hic videtur pro iis solis locis usurpari, quæ psalmis, & hymnis publice decantandis, populoque instruendo, in anterioribus atriis deputata erant, quæ & *Synagogæ* postea vocatæ sunt, & *pastophoria* ante vocabantur.

V. 35. IN GABAON AUTEM. Iam ex Levitis redit ad Beniaminitas, ad familiam, & parentes, & filios primi Israelitarum Regis Saul: de quo plura capite sequenti.

GORDONI.

Vers. 2. QUI AUTEM. Horum qui a captivitate redierunt, aliqui manserunt in Ierusalem, aliqui in urbibus, & villis. Ergo Israel, id est aliqui ex Israel, seu Israelitæ, qui evaserunt captivitatem, &c.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Non est facile dare annum huius dinumerationis. Extabat forte in libris Regum historicis qui perierunt. Est transitio ad reditum populi post captivitatem.

V. 2. Ea loca in quibus habitaverunt Israelitæ post reditum. Nathinæi erant donati & Gabaonitæ.

V. 3. DE FILIIS EPHRAIM. Nam soluta captivitate aliqui ex posteris decem tribuum reddierunt.

V. 4. Nepotes sunt Iuda per filium Phares.

V. 10. Post recensitos principes, hic de sacerdotibus, mox vers. 14. de Levitis, inter quos τὸ CARPENTARIUS videtur nomen proprium: nam a mechanicis abstinebant Levitæ.

V. 17. Ponit ianitores.

V. 25. SABBATIS SUIS, hoc est fungebantur officio per vices septem diebus.

V. 26. EXEDRAS, cubicula in quibus sacra supellex.

V. 30. FILII SACERDOTUM, Levitæ.

V. 35. Repetit quæ sunt dicta capite octavo de cognatione Saulis, quia capite insequente agendum de eius regno & morte.

CAPUT X.

Saul propter varias iniquitates a Philisthæis occiditur cum filiis; eiusque capite a Philisthæis amputato, reliquum corpus cum filiis sepelitur a viris Iabes Galaad.

1. PHilisthiim (*a*) autem pugnabant contra Israel, fugeruntque
viri Israel Palæsthinos, & ceciderunt vulnerati in monte
Gelboe. 2. Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, & filios eius, percusserunt Ionathan, & Abinadab,
& Melchisua, filios Saul. 3. Et aggravatum est prælium
contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, & vulneraverunt
iaculis. 4. Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & interfice me: ne forte veniant incircumcisi
isti, & illudant mihi. Noluit autem armiger eius hoc facere, timore perterritus:
arripuit ergo Saul ensem, & irruit in eum. 5. Quod cum vidisset armiger eius,
videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est.
6. Interiit ergo Saul, & tres filii eius, & omnis domus illius pariter concidit.
7. Quod cum vidissent viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt: &
Saul ac filiis eius mortuis, dereliquerunt urbes suas, & huc illucque dispersi sunt:
veneruntque Philisthiim, & habitaverunt in eis. 8. Die igitur altero detrahentes
Philisthiim spolia cæsorum, invenerunt Saul, & filios eius iacentes in monte Gelboe. 9. Cumque spoliassent eum, & amputassent caput, armisque nudassent,
miserunt in terram suam, ut circumferretur, & ostenderetur idolorum templis,
& populis: 10. arma autem eius consecraverunt in fano dei sui, & caput affixerunt in templo Dagon. 11. Hoc cum audisent viri Iabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerant super Saul, 12. consurrexerunt singuli virorum fortium, & tulerunt cadavera Saul & filiorum eius: attuleruntque ea in Iabes, &
sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Iabes, & ieiunaverunt septem diebus. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit (*b*) mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud:
sed (*c*) insuper etiam pythonissam consuluerit, 14. nec speraverit in Domino:
propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad David filium Isai.

(*a*) II. Reg. xxxi. 1. (*b*) I. Reg. xv. 3. Exod. xvii. 14. (*c*) I. Reg. xxviii. 9.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. PALAESTINOS, scilicet Philisthæos.

V. 6. OMNIS DOMUS; quasi dicat, Regnum, & maiestas, vel fere tota domus.

V. 7. CAMPESTRIBUS. Hebr. & LXX. *valle*.

V. 10. DEI SUI, scilicet Astaroth.

V. 11. GALAAD, scilicet quæ in Galaad.

V. 12. QUERCUM, scilicet insignem,

IE-

Ieiunaverunt, scilicet more lugentium.

V. 14. Speraverit in Domino. Hebr. & LXX. *quæsierit*, seu *consuluerit Dominum*.

ESTIII.

Vers. 10. Et caput affixerunt in templo Dagon. Hoc de Saul occiso: narratur I. Reg. ultimo capite, quod Philisthæi corpus eius suspenderint in muro Bethsan. Quæ duo ita conciliantur a quibusdam, ut dicant Bethsan, & templum Dagon, sive Bethdagon esse nomina eiusdem loci: nempe ut corpus Saulis una cum capite fuerit suspensum. Ceterum Scriptura sacra satis indicat esse diversa, quando semel dicit corpus fuisse suspensum in muro Bethsan, caput autem affixum in templo vel domo Dagon. Itaque dicendum est, Philisthæos corpus truncum sine capite suspendisse in muro Bethsan, quod inde ablatum est per habitatores Iabes Galaad, caput autem, vel (ut Hebraice est) *calvariam*, detracta videlicet pelle, & carne, affixisse in templo Dagon, idque in perpetuam memoriam, quod tantus ac tam gravis hostis a Philisthæis fuisset devictus. Auctor Tradit. Hebraic. dicit Hebraice legi hoc loco non *caput*, sed *corpus*. Unde patet, auctorem eius libri non esse Hieronymum, quia manifeste prodit imperitiam Hebraicæ linguæ. Nam in Hebræo neque corpus, neque caput legitur, sed *calvaria*, eodem illo vocabulo, a quo mons Calvariæ *Golgotha*, fuit appellatus.

V. 12. Et ieiunaverunt septem diebus. Quæri potest, utrum ieiunium istud tantum fuerit signum luctus & doloris de amisso Rege, an etiam susceptum ad succurrendum animæ eius? Responsum est pluribus ad caput ult. I. Reg. Et apparet quod tantum fuerit signum luctus publici. Nam & David postquam intellexerat Saulem propria manu se interemisse, adhuc talem luctum seu ieiunium indicit, II. Reg. 1. Vide etiam Genes. ult.

V. 13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas. LXX. legunt, *in iniquitatibus suis*. An Saul sit damnatus, disputavimus I. Reg. ult. Hebræa quoque habent, *in prævaricatione sua*. Cetera vide loco citato I. Reg. xxxi.

MARIANAE.

Vers. 3. Et aggravatum est praelium; quasi dicat: Pondus prælii contra Saul incubuit. Et vulneraverunt iaculis, id est sagittis. Hebr. *Vulneratus est a sagittariis*. Interpretes omnes vocem יחל *Iahel* sumunt in significatione vulnerandi; sed cum deducatur a חול *hul*, Hebræus sumit in significatione dolendi, aut timendi; quasi dicat: Timuit a sagittariis.

V. 4. Et dixit Saul ad armigerum suum. Hunc Hebræi dicunt esse Doeg Idumæum, quod Hieronymus affert in Tradit. Quid dixit? Occide me. Ille noluit, timore perterritus. Quid timebat armiger? ne fraudi esset occidisse Regem, aut præ hostium metu non satis sui compos.

V. 8. Qui habitabant in campestribus, fugerunt. Hebr. *Qui erant in valle*: sic Sept. nempe ea oppida minus erant munita quam ut victoris impetum sustinerent.

V. 9. Ostenderetur idolorum templis, caput scilicet Saulis miserunt Philisthæi. Hebr. *Ut nuntiarent idolis*. Quæ vox *dolores*, significat, ob eos quos cultoribus faciunt. Sept. *Ut nuntiarent in domibus idolorum suorum*.

V. 10. In fano dei sui posuerunt arma Saulis: *in templo Astaroth*, I. Reg. ult. vers. 10. Caput affixerunt in templo Dagon: *In muro Bethsan* in libris Regum. Sed templum muro coniunctum erat.

V. 11. Viri Iabes, memores scilicet beneficii accepti, cum solvit obsidionem, qua a Naas Ammonita premebantur. Ieiunantque septem diebus more lugentium, & quod tot illis dies Naas concessisset, ut iis transactis se dederent: I. Reg. 11. 3.

V. 14. Nec speraverit in Domino, Saul scilicet. Hebr. & Sept. *Eo quod non interrogaverit*, seu *consuluerit Dominum*, *sed pythonissam*, propterea Saul est occisus.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. PHILISITHIIM AUTEM PUGNABANT, &c. Hic verſus & undecim ſequentes habentur eiſdem verbis paucis additis, vel detractis, aut immutatis I. Samuel. XXXI. Vide ibi Comm.

V. 6. ET OMNIS DOMUS ILLIUS PARITER CONCIDIT. Hebr. *Omnis domus eius pariter mortui ſunt*. Quidam exponunt: Id eſt, ex tunc cœpit ruina totius domus Saulis, quæ completa eſt occiſo poſt aliquot annos Isboſeth. Alii: *Et domeſticis eius ac familiares extincti ſunt eo prælio.*

V. 10. ET CAPUT AFFIXERUNT IN TEMPLO DAGON; hoc eſt, poſtquam illud circumtuliſſent per univerſam regionem, ſupra verſ. 9. Hoc non ſcribitur I. Samuel. XXXI.

V. 13. MORTUUS EST ERGO SAUL, &c. Hic, & ſequens verſus adduntur, qui I. Samuel. XXXI. non habentur. Notant eſſe prolepſin, ſive propoſitionem generalem peccatorum Saulis: quorum tres gradus ſubiiciuntur: quod inobſequens fuit verbo Dei; quod diabolum conſuluit; & quod impœnitens fuit. Sunt autem hi duo verſus paraſcevaſtici ad hiſtoriam Davidis, quæ in ſequentibus toto hoc Libro explicatur. PROPTER INIQUITATES SUAS. Hebr. *In tranſgreſſione ſua*. *In* pro *propter* plerique cum Noſtro accipiunt. Poſſit intelligi interfectum in peccatis ſuis, hoc eſt impœnitentem. QUOD PRAECEPERAT, ET NON CUSTODIERIT ILLUD. Hebr. *Super verbum Iehovæ, quod non obſervant*. Quidam: *Propter verbum Iehovæ, quod non obſervaſſet*; ſive *eo quod non obſervaſſet verbum Iehovæ*. Traiectio, ut Geneſ. v. 29. SED INSUPER ... PYTHONISSAM CONSULUERIT. Hebr. *Et etiam in interrogandum in ventriloqua, & ad quærendum*. Quidam: *Et quod pythonem conſuluit interrogando*. Alii: *Atque etiam quod conſulere pythonem quæſiiſſet*.

V. 14. NEC SPERAVERIT IN DOMINO. Hebr. *Et non quæſivit in Iehovah*. Quidam: *Neque conſuluit Iehovam*: at conſuluiſſe Iehovam dicitur I. Samuel. XXVIII. verſ. 6. Quidam exponunt: Non conſuluit perſeverando, vel non perſeveravit conſulere; ſed divertit ad pythoniſſam, ibidem verſ. 7. Alii: *Quod non requiſiviſſet Iehovam*, vera & finali pœnitentia atque invocatione nominis Dei.

MENOCHII.

Verſ. I. PHILISTHIIM AUTEM, &c. Quæ hic breviter de prælio cum Philiſthæis dicuntur, & de morte Saul, fuſius habentur I. Reg. cap. ult. & II. Reg. cap. I. vide ibi dicta.

TIRINI.

Verſ. 4. TIMORE PERTERRITUS cur fuit *Armiger*, nec morem gerere auſus eſt Sauli domino ſuo iubenti ut ad evadendos hoſtiles ſannos, ſe interficeret? Nempe horrebat ad immane facinus, quo iubebatur unctum Domini interficere. Forte etiam timebat ne vel apud Iſraelitas, ſi evaderet; vel apud Philiſthæos, ſi caperetur, fraudi ſibi eſſet Regem iugulaſſe, qui tanti ab omnibus fieret. Hunc Saulis armigerum dicunt Hebræi, teſte ſancto Hieronymo in tradit. Heb. fuiſſe Doeg Idumæum, qui Davidem prodiderat Sauli, & ſacerdotes iugularat I. Reg. XXII. & in tanti obſequii compenſationem, primarii armigeri, & cuſtodis corporis regii dignitate condecoratus ſit.

V. 9. UT caput Saulis OSTENDERETUR IDOLORUM TEMPLIS, tamquam nobiliſſimum ſpolium, quaſi ope idolorum ex hoſtibus relatum, & iam illis victoribus oblatum.

V. 10. ARMA AUTEM EIUS CONSECRAVERUNT IN FANO DEI SUI: puta in templo Aſtaroth, ut habetur I. Reg. ult. verſ. 10. ubi reliqua omnia ad Saulis mortem ſpectantia fuſius explicui.

CA-

C A P U T XI.

Unctus David in Regem, devictis Iebuſæis habitavit in Ieruſalem, ſtipatus potentiſſimis ac ſtrenuiſſimis militibus, quorum heroica geſta narrantur: noluit David deſideratam bibere aquam, eo quod cum fortium ſuorum periculo allata eſſet.

1. COngregatus (*a*) eſt igitur omnis Iſrael ad David in He-
bron, dicens: Os tuum ſumus, & caro tua. 2. Heri quo-
que, & nudiuſtertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras
qui educebas, & introducebas Iſrael: tibi enim dixit Do-
minus Deus tuus: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu
eris princeps ſuper eum. 3. Venerunt ergo omnes maiores
natu Iſrael ad Regem in Hebron, & iniit David cum eis
fœdus coram Domino: unxerunque eum Regem ſuper Iſrael, iuxta ſermonem
Domini, quem locutus eſt in manu Samuel. 4. Abiit quoque David, & omnis
Iſrael, in Ieruſalem: hæc eſt Iebus, ubi erant Iebuſæi habitatores terræ. 5. Di-
xeruntque qui habitabant in Iebus ad David: Non ingredieris huc. Porro Da-
vid cepit arcem Sion, quæ eſt Civitas David, 6. dixitque: Omnis qui percuſ-
ſerit Iebuſæum in primis, erit princeps & dux. Aſcendit igitur primus Ioab fi-
lius Saruiæ, & factus eſt princeps. 7. Habitavit autem David in arce, & idcir-
co appellata eſt Civitas David. 8. AEdificavitque urbem in circuitu a Mello
uſque ad gyrum, Ioab autem reliqua urbis extruxit. 9. Proficiebatque David
vadens & creſcens, & Dominus exercituum erat cum eo. 10. (*b*) Hi principes vi-
rorum fortium David, qui adiuverunt eum ut Rex fieret ſuper omnem Iſrael,
iuxta verbum Domini, quod locutus eſt ad Iſrael. 11. Et iſte numerus robu-
ſtorum David: Ieſbaam filius Achamoni princeps inter triginta: iſte levavit ha-
ſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos una vice. 12. Et poſt eum Eleazar filius
patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potentes. 13. Iſte fuit cum David in
Pheſdomim, quando Philiſthiim congregati ſunt ad locum illum in prælium:
& erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philiſthi-
norum. 14. * Hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumque per-
cuſſiſent Philiſthæos, dedit Dominus ſalutem magnam populo ſuo. 15. Deſcen-
derunt autem tres de triginta principibus ad petram, in qua erat David, ad
ſpeluncam Odollam, quando Philiſthiim fuerant caſtrametati in Valle raphaim.
16. (*c*) Porro David erat in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethlehem.
17. * Deſideravit igitur David, & dixit: O ſi quis daret mihi aquam de ciſter-
na Bethlehem, quæ eſt in porta. 18. Tres ergo iſti per media caſtra Philiſthi-
norum perrexerunt, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat in por-
ta, & attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, ſed magis libavit illam Do-
mino, 19. dicens: Abſit ut in conſpectu Dei mei hoc faciam, & ſanguinem iſto-
rum virorum bibam: quia in periculo animarum ſuarum attulerunt mihi aquam.
Et ob hanc cauſam noluit bibere: hæc fecerunt tres robuſtiſſimi. 20. Abiſai
quoque frater Ioab ipſe erat princeps trium, & ipſe levavit haſtam ſuam con-

tra trecentos vulneratos, & ipse erat inter tres nominatissimus, 21. * & inter tres secundos inclytus, & princeps eorum: verumtamen usque ad tres primos non pervenerat. 22. * Banaias filius Ioiadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos ariel Moab: & ipse descendit, & interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. 23. Et ipse percussit virum AEgyptium, cuius statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam ut liciatorium texentium: descendit igitur ad eum cum virga, & rapuit hastam, quam tenebat manu, & interfecit eum hasta sua. 24. Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus, 25. inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat: posuit autem eum David ad auriculam suam. 26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Ioab, & Elchanan filius patrui eius de Bethlehem, 27. Sammoth Arorites. Helles Phalonites, 28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites, 29. Sobbochai Husathites, Ilai Ahohites, 30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites, 31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, Banaia Pharatonites, 32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites. 33. Filii Assem Gezonites, Ionathan filius Sage Ararites, 34. Ahiam filius Sachar Ararites. 35. Eliphal filius Ur, 36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites, 37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai, 38. Ioel frater Nathan, Mibahar filius Agarai. 39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Ioab filii Saruiæ. 40. Ira Iethræus, Gareb Iethræus, 41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi. 42. Adina filius Siza Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo triginta: 43. Hanan filius Maacha, & Iosaphat Mathanites, 44. Ozia Astarothites, Samma & Iehiel filii Hotham Arorites, 45. Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thosaites, 46. Eliel Mahumites, & Ieribai & Iosaia filii Elnaem, & Iethma Moabites, Eliel, & Obed, & Iasiel de Masobia.

(a) II. Reg. v. 1. (b) II. Reg. xxiii. 8. (c) II. Reg. xiii. 14.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 14. *Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum, cumque percussissent Philisthaos.* Numero plurali non est præferendus singularis *hic stetit in medio agri, & defendit eum, cumque percussisset Philisthaos.*

V. 17. *Desideravit igitur David.* Non addas *aquam.*

V. 21. *Et inter tres secundos inclytus.* Casus quartus numeri pluralis *secundos* non est vertendus in primum casum numeri singularis *secundus.*

V. 22. *Banaias filius Ioiadæ viri robustissimi.* Nec hic vertendus est secundus casus *viri robustissimi*, in primum *vir robustissimus.*

Notationes.

V. 14. Manuscriptorum plurima singulari numero legunt: *Hic stetit in medio agri, & defendit eum: cumque percussisset Philistaos, dedit Dominus salutem magnam populo suo;* Hentenii duodecim, nostra vigintinovem conformiter libris Græcis. Impressi autem codices secuti, ut plerumque verisimile est, primam Moguntinensium editionem fere numero multitudinis scribunt: *Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum, cumque percussissent Philistaos.* Sic & Lyranus legit: duo quoque scripta nostra (*K. & Leodiense Sancti Iacobi,*) eam habent lectionem, sed non sine prioris rasura. Est autem hæc lectio quæ, inquam, pluralem habet numerum Hebræo consentanea; intelligenda, ut videtur, si non etiam de Iesbaam & Semma, certe de Davide, & Eleazaro; quia dici-

dicitur (II. Reg. xxiii.) *Iste fuit cum David in Phesdomin* : & paulo post sequitur : *hi steterunt, &c.* Videri autem possit pluralem numerum in singularem mutandi occasio fuisse , quod cum præcedentia de uno Eleazaro expresse loquantur , præter opinionem pluralis numerus introducatur. Verum nihil facile statuendum est.

V. 22. Quædam exemplaria Hentenii duo, Parisiensium duo, nostra septem habent: *Banaias filius Ioiada vir robustissimus* . Pleraque autem, nostra vigintisex legunt : *Banaias filius Ioiada viri robustissimi* : atque hoc modo legendum esse Hebræa docent : בְּנָיָה בֶן יְהוֹיָדָע בֶּן־אִישׁ־חַיִל quod ad verbum interpreteris , vel *Banaiah filius Iehoiada filii viri fortitudinis* ; vel *Benaiah filius Iehoiada filius viri fortitudinis*. Posteriori hoc modo LXXII. transtulerunt: eodemque Latinus intellexit, atque idcirco filii nomen repetere noluit . Non enim ea est Latinis quæ Hebræis amphibologia omisso filii nomine. Verumtamen emphasim addit repetitum. II. Reg. xxiii. capite eodem modo se habentia Hebræa similiter reddidit : *Et Banaias filius Ioada viri fortissimi*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. EDUCEBAS , &c. quasi dicat: Eras dux belli. PASCES, id est reges . Est quidem Rex velut pastor, & Homerus Regem populi pastorem vocat. ET TU; pro, id est tu.

V. 3. REGEM. Erat quidem iam Rex Dei electione.

V. 6. IN PRIMIS, pro primus. PRINCEPS, scilicet exercitus mei.

V. 8. IN CIRCUITU, id est muro circumdans. MELLO. Locus erat ubi cogebatur concio : quidam *circum* vertunt; alii *fossam*, vel *aggerem*. GYRUM, id est finem usque circuitus. EXTRUXIT. Hebr. *vivificavit*, id est reparavit.

V. 9. CRESCENS, scilicet dignitate, & auctoritate.

V. 10. AD ISRAEL, pro super Israel.

V. 11. VULNERATOS, id est quos vulneraverat . Alii *occisos* vertunt : sic & infra.

V. 12. PATRUI EIUS. Hebr. *Dodo*: forte nomen proprium.

V. 13. AGER REGIONIS ILLIUS. Hebr. & LXX. *pars agri*. HORDEO, & etiam lenticula, ut dicitur III. Reg. xxiii.

V. 14. HI, scilicet duo dicti, vel Eleazar cum suis. EUM, scilicet agrum.

V. 16. PRAESIDIO, id est arce : scilicet quo se solebat recipere.

V. 18. LIBAVIT: scilicet effundens obtulit.

V. 19. ABSIT, &c. Hebr. *Absit mihi a Deo meo ut hoc faciam*; id est avertat Deus ne id faciam.

V. 20. TRIUM, scilicet aliorum ab iis de quibus proxime dictum est.

V. 22. CABSEEL. Videtur esse nomen loci. ARIEL, id est fortissimos ut leones. MOAB, pro Moabitas. CISTERNA, id est fovea . TEMPORE NIVIS, scilicet quo sunt leones ferocissimi.

V. 23. VIRGA, id est baculo.

V. 25. TRES, scilicet qui aquam attulerant . Vide supra. AD AURICULAM SUAM; quasi dicat: Fecit suum consiliarium. Hebr. *ad auditum suum*. LXX. *super familiam suam*.

V. 26. PATRUI EIUS. Hebr. *Dodo*. Vide sup.

V. 33. FILII ASSEM. Hebr. *Bene Assem* : forte nomen proprium.

ESTII.

Vers. 26. PORRO FORTISSIMI VIRI IN EXERCITU, ASAEL FRATER IOAB, ET ELCHANAN FILIUS PATRUI EIUS DE BETHLEHEM. Omnino apparet hunc Elchanan esse eumdem qui II. Reg. xxi. vocatur *Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlemites*. Nam Elchanan, idem est, ac si Latine dicas, Adeodatus, & similiter filius Saltus, Hebraice filius Iaar, qui fuit patruus Davidis . Nonnulli Adeodatum illum interpretantur fuisse ipsum Davidem, eo quod ibi dicitur percussisse Goliath Gethæum, cuius hastile erat quasi liciatorium texentium. Sed ex hoc loco, & ex cap. xxiii. Lib. II. Reg. satis manifestum est, esse alium, & diversum a Davide, nempe quia nu-

numeratur inter fortes ipsius Davidis. Quæ autem causa sit, cur Interpres in Lib. II. Reg. cap. XXI. & XXIII. idem nomen modo retinuerit Hebraicum, modo verterit in Latinum, non constat.

MARIANAE.

Vers. 2. EDUCEBAS, ET INTRODUCEBAS. Pro מֵבִיא *mebia* verti potest *reducebas*, non *introducebas*. Ad verbum, *Venire faciens*, pro faciebas: sententia eadem. TIBI ENIM DIXIT DOMINUS DEUS, id est de te. TU PASCES, id est reges. Reges, pastores sæpe vocantur, Aristot. etiam, & Homer. Multa sunt in quibus Rex cum pastore consentit.

V. 3. INIIT DAVID CUM EIS FOEDUS CORAM DOMINO, id est publice, aut Deo auctore. UNXERUNTQUE EUM .... IUXTA SERMONEM .... IN MANU SAMUEL; id est, per Samuelem (vox *manus* sæpe redundat) locutus est Dominus.

V. 4. ABIIT QUOQUE DAVID. Nulla re magis sancitur auctoritas imperandi, quam bella administrando. Et vides non se otio dare, neque bellum mandare ducibus, sed per se gerere. HAEC EST IEBUS. Sic dicta Ierusalem, & ab ea Iebusæi, una e septem gentibus.

V. 5. DAVID CEPIT ARCEM SION. Iam Ierusalem fuerat capta a Iosue, nisi fortassis postea amissa fuit. David: Qui Iebusæum percusserit, erit dux: ut ille apud Ennium: *Hostem qui feriet mihi, erit Carthaginiensis*.

V. 6. ASCENDIT IGITUR PRIMUS IOAB. Non cognationi honorem tribuit, sed virtuti. Et quidem antea princeps belli erat, sed nunc ex merito datur, & perpetuo. David ædificavit

V. 8. A MELLO USQUE AD GYRUM. *Mello* erat locus muro iunctus, latus, ubi populus congregabatur. Ergo locum illum cinxit ædificiis, id est usque ad gyrum: & *Mello* dicebatur a plenitudine. IOAB AUTEM RELIQUA URBIS EXTRUXIT. Hebr. *vivificavit*; id est, quæ quassata erant belli iniuria, refecit: quod & de arce Sion, & de urbe ipsa Ierusalem potest intelligi.

V. 10. HI PRINCIPES VIRORUM FORTIUM DAVID. Explicat quibus adiutoribus tam multa bella confecit, tum regnum adeptus est David.

V. 11. IESBAAM FILIUS ACHAMONI. Hic est de quo II. Reg. XXIII. 8. *sedens in cathedra sapientissimus*. Et fortassis nomen est proprium, ac relinquendæ voces Hebraicæ in Lib. Regum, ut sunt *Iosebbasebeth Thahchemoni*: nam & patris nomen utroque loco, hic, & in Lib. Regum consentit, & alioqui nullum poneretur in Lib. Regum suppositum, quod sederet in cathedra, ut ibi in Vulgata habetur. PRINCEPS INTER TRIGINTA. In Lib. Regum, *Inter tres*. Suspicor Hebr. etiam alterum locum esse vitiatum, aut additione Mem hic, quæ est terminatio pluralis, & *triginta* significat, scilicet *Selosim*: aut eius detractione in Lib. Regum. LEVAVIT HASTAM SUAM SUPER TRECENTOS VULNERATOS UNA VICE. Alii *occisos*: scilicet quos ipse Iesbaam vulneravit, & occidit. In Lib. Regum *octingentos*. Sed duæ pugnæ fuerunt. Hic supplentur omissa ibi.

V. 12. FILIUS PATRUI EIUS. Hebr. *Dodo* est *patruus eius*. Ita Eleazar, & Iesbaam patrueles erant. Quidam *Dodo* ut nomen proprium relinquunt. Sept. utrumque. iunxerunt, *Filius Dodai patui eius*. INTER TRES POTENTES. Ex hoc videtur superius legendum vers. 11. *inter tres*. Prius enim quam ad triginta fortes perveniat, duos ternarios virorum fortium ponit.

V. 13. AGER REGIONIS. Hebr. & Sept. *pars agri*, sive *regionis*, id est prædium. Vocatur autem *pars*, quoniam agro diviso in partes prædia constant. PLENUS HORDEO. In Lib. Regum, *Plenus lente*. Sed utrumque erat.

V. 14. HI STETERUNT. Gotth. *Hic stetit*: sic Sept. *Et stetit*, ut referatur ad Eleazarum. Sed cum in Lib. Regum tribuatur hæc victoria Semma, ut uterque locus constet, oportet fateri nostram lectionem veriorem quam Gotth. & Sept. & tres simul interfuisse. Sic Hebr. in plurali.

V. 15. TRES DE TRIGINTA. Viri omnes fortes, triginta septem erant, ut Lib. Reg. dicitur. Sed *triginta* omnes vocantur suppresso minori numero. AD PETRAM, id est arcem: nam arces rupibus erant impositæ: descenderunt ergo ad arcem ubi David erat.

V. 16.

V. 16. IN PRAESIDIO, id est in arce illa de qua dixerat. ET STATIO. Hebr. *præfectus.* Erat ibi dux cum militari præsidio Philisthinorum. Desiderat David aquam. Ea allata,

V. 19. ABSIT UT IN CONSPECTU DEI MEI. Hebr. *Absit mihi a Deo meo*; id est, avertat id Deus. SANGUINEM, id est pretium sanguinis, periculo sanguinis emptam aquam non bibam.

*V.*20. ABISAI. Hic erat secundus ternarius.

V. 21. INTER TRES SECUNDOS, id est in secundo ternario. Sic melius quam *secundus*, ut est in Regia.

V. 22. FILIUS VIRI ROBUSTISSIMI. Gotth. *Vir robustissimus*. Hebr. utramque admittunt lectionem. Sept. *Filius viri potentis*. DUOS ARIEL. In Lib. Regum, *duos leones Moab*. *Ariel* significat *leonem Dei*, id est magnum. Sed plerique hoc referunt ad duos duces Moab, qui a fortitudine *leones* vocantur, quos Banaias percussit. Quod autem additur, INTERFECIT LEONEM, de vero leone intelligitur, qui in cisternam deciderat paratam ad eum capiendum. Hebr. est ה *he* emphaticum; quasi dicat, *leonem illum*, scilicet famosum. TEMPORE NIVIS: tunc leones ferociores, homines frigore tremunt.

*V.*23. PERCUSSIT VIRUM AEGYPTIUM. Hebr. additur *virum mensuræ*, id est *grandem*, ut Sept. exponunt. Forma dicendi frequens, & reperitur cap. XX. vers. 6.

*V.*25. INTER TRIGINTA PRIMUS, scilicet Banaias, id est e primis. Hebr. *Ex triginta illis ipse erat inclytus*. Sept. *Super triginta gloriosus*. AD TRES USQUE NON PERVENERAT. Hebr. *Ad tres illos*, scilicet primi ternarii non pervenit. AD AURICULAM SUAM. In Lib. Regum *auricularium*, *a secreto*. Hebr. utrobique *ad*, seu *super auditum suum*; id est, a consiliis Banaiam fecit. Kimhi: *Præfecit eum super audientes se*, id est subditos, sive ii essent aulæ ministri, Regiæ eum magistratum præfecit; sive prætoriani, eum Prætorio præfecit: nam ex alio loco constat, *Cerethi & Phelethi* eum præfuisse. Quod autem per *auditum*, *subditi* significentur, profert Isai. XI. 14. *Et filii Amon ad auditum eius*, id est *obedientes erunt*, ut vertit Hieronymus.

*V.*26. FORTISSIMI VIRI IN EXERCITU. Ponit viros alios fortes præter duos ternarios. FILIOS PATUI EIUS. Sept. *filius Dodi*, ut *Dodo* vox Hebr. sit nomen proprium. Pergit ergo numerare viros fortes, neque solos triginta, ut in Lib. Reg. sed alios quosdam adiicit. Porro nomina non semper conveniunt cum positis in Lib. Regum: & quidam binomii fuerunt.

V. 33. FILII ASSEM. Hebr. *Bene assem*: totum forte nomen proprium. Sed melius *Filii Assem*, ut ponunt omnes Interpretes, & nomina eorum exprimunt II. Reg. XXIII. vers. 32. *Ionathan*, & *Semma*.

V. 38. IOEL FRATER NATHAN, scilicet Prophætæ, qui & ipse ex Davidis fratre natus erat: sed in Lib. Regum ponitur vers. 36. *Igaal filius Nathan*. Uterque scilicet in eo numero virorum fortium fuit. Hieronymus eumdem esse putat *Ioel* & *Igaal*, & natura fratrem, educatione filium Nathan fuisse. Sed & *Urias Hethæus* utrobique ponitur, Bethsabee scilicet maritus, inter viros fortes.

MALVENDAE.

Vers. 1. CONGREGATUS EST IGITUR, &c. Priores novem versus huius capitis confer cum decem prioribus versibus II. Samuel. V. nam eadem continent, paucis exceptis. Quidam hic reddunt: *Nam congregati sunt*, &c. AEtiologiam esse volunt, qua explicatur quo ordine, & quibus mediis Deus a Saule ad Davidem regnum transtulit. OMNIS ISRAEL, seu *omnes Israelitæ*. Exponunt, Id est legati delecti ex singulis tribubus: de quibus infra cap. XII. vers. 23. & seqq.

V. 3. IN MANU SAMUEL. Vide I. Semuel. XVI. 13.

*V.*4. ET OMNIS ISRAEL, sive *omnes Israelitæ*, id est universi bellatores e singulis tribus, qui tunc erant cum eo: de quibus infra cap. XII. vers. 28. & seqq. HABITATORES TERRAE, prisci indigenæ, quos Deus exterminari iusserat Exodi XXIII. 31. & seqq.

V. 8. AEDIFICAVITQUE URBEM IN CIRCUITU, A MELLO USQUE AD GYRUM. De *Mello* vide Comment. II. Semuel. VI. 9. & I. Reg. IX. 15. & 24. Quidam reddunt: *Nam extruxit civi-*

tatem ipsam circumquaque, ab ipsa munitione usque ad circuitum eius; id est, *tam munitionem, quam circuitum eius*. IOAB AUTEM RELIQUA URBIS EXTRUXIT. Hebr. *Et Ioab vivificavit*, vel *sanavit*, seu *instauravit reliquum civitatis*: similis metaphora II. Paralip. XXIV. 13. Vide Genes. XVIII. 10.

V. 10. HI PRINCIPES VIRORUM FORTIUM, &c. Ab hoc vers. usque ad 41. confer cum II. Samuel. XXIII. a vers. 8. usque ad finem capitis: nam sunt omnia eadem, paucis immutatis. DAVID. Hebr. in dativo, *Qui ipsi Davidi*. Quidam: *Quos habuit David*. Alii: *Qui fuerunt Davidi*, in expeditione contra Iebusum: de quibus infra cap. XII. vers. 23. & seqq. Sed præstat universalius accipere, quos habuit in regno, & expeditionibus claros. QUI ADIUVERUNT EUM UT REX FIERET SUPER OMNEM ISRAEL. Varie ex Hebræo convertunt. I. *Qui invaluerunt cum eo in regno eius cum toto Israele, ad faciendum regnare ipsum*; id est, isti simul cum Davide ex una parte invaluerunt partim armis, partim attractu contra totum Israelem in illo septennio, quo David regnavit in Hebrone: & totus conatus eorum eo tendebat, ut David regnaret super totum Israelem. II. *Qui robusti erant*, vel *roboraverunt se se cum eo in regno eius cum toto Israele, ut Regem constituerent eum*; id est, qui pro virili faverunt, & adiuverunt eum in negotio regni cum toto Israele. III. *Et qui strenue egerunt cum eo in regno eius*; *& cum universo Israele, ut Regem illum constituerent*. IV. *Qui confirmabant cum eo in regno eius*, &c. V. *Qui fortiter se gesserunt cum eo pro regno eius, & cum toto Israele, ad efficiendum ut regnaret*. Illud *cum toto Israele*, intellige ut sup. vers. 4. IUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS EST AD ISRAEL. Hebr. *Secundum verbum Iehovæ super Israelem*. Quidam *illud super Israelem*, iungunt cum *ad facere regnare eum super Israelem, iuxta verbum Iehovæ*: alii nectunt cum *iuxta verbum Iehovæ super Israelem*; id est, secundum verbum quod locutus fuerat, seu promiserat Iehova Israeli.

V. 11. ET ISTE NUMERUS ROBUSTORUM DAVID. Quidam: *Et ex his numerus robustissimorum qui erant Davidi*; id est, ex quibus selectus est numerus ducum, qui deinde ordinariis cohortibus sub Davide præfuerunt. PRINCEPS INTER TRIGINTA. Hebr. est gemina lectio: שלושים *scheloschim*, *princeps triginta*; & שלישים *schalischim*, *princeps triariorum*, de qua voce vide in Exodi XIV. 7. II. Samuel. XXIII. 8. dicitur *princeps triarius*. Hic diverse reddunt: 1. *Dux tertiorum*, a Rege; 2. *Præstantissimus inter triarios*; 3. *Primarius tribunorum*; 4. *Princeps fortium*. SUPER TRECENTOS VULNERATOS UNA VICE. II. Samuel. XXIII. 8. *super octingentos* dicitur. Conciliant, trecentos hasta interfectos, ut hic dicitur; alios quingentos alio modo. Alias conciliationes habes ad eum II. Samuelis locum.

V. 12. QUI ERAT INTER TRES POTENTES. Hebr. *Ipse in tribus prævalidis*, seu *heroibus*, quorum tertius hic reticetur, exprimitur autem II. Samuel. XXIII. 11. nempe Samah, filius Aghe Hararita.

V. 13. ISTE FUIT CUM DAVID, &c. Notant de hoc bello agi II. Samuel. V. 17. & sequentibus, & cap. XXIII. vers. 11. IN PHESDOMIM. Hebr. *in Phas Domim*. De quo loco vide I. Samuel. XVII. 1.

V. 14. HI STETERUNT, scilicet Elhazar, & Samah.

V. 19. ABSIT UT IN CONSPECTU DEI MEI HOC FACIAM. Hebr. *Violatio, nefas, mihi de Deo meo, a faciendo istud*. Quidam: *Inhibitio, prohibitio sit mihi a Deo meo*; id est, prohibeat Deus, avertat hoc Deus a me. Alii: *Procul sit hoc a me, Domino adiuvante ne committam istud*. Nonnulli: *Absit mihi a Deo meo ut faciam hoc*; quasi dicat: Ne finat, aut permittat me Deus hoc facere. Vide similem locutionem Genes. XVIII. 25.

V. 20. ET IPSE ERAT INTER TRES NOMINATISSIMUS. Hebr. est duplex lectio. In textu, *Et non nomen in tribus*, id est in primis illis tribus, in primo ternione, seu ternario illo valentissimorum: unde reddunt: *Sed non fuit illi nomen inter illos tres*, supra nominatos, ut apparet e versu sequente. In margine, *Et ei nomen in tribus*, scilicet sequentibus. Quidam: *Eratque nominatissimus inter hos tres*. Alii: *Et in ista triade*, seu *ternione*, *præci-*

ci-

cipuum habuit nomen. Et hæc lectio habetur II. Samuel. XXIII. 18.

V. 21. ET INTER TRES SECUNDOS INCLYTUS. Hebr. *De tribus in duobus gravis*. Quidam: *Ex tribus in duobus est honoratus*; id est, unus ipse ex secundi ordinis tribus, a duobus reliquis honorabatur; hoc est, aliis duobus secundæ triadis præstabat. Aliqui: *Ex tribus inter duos illos fuit gloriosus*. Nonnulli: *Quin in ista triade inter duos gloria excelluit*. Nonnulli: *Horum trium supra alios duos honoratissimus*.

V. 41. ZABAD FILIUS OHOLI: de hoc Zabad vide supra cap. II. vers. 36. Notant hunc unum præter recensionem, quæ est II. Samuel. XXIII. addi, fortasse quia Elika, de quo ibi vers. 25. occumbente, ob quod videtur hic omissus, Zabad in locum eius suffectus est.

V. 42. ADINA FILIUS SIZA RUBENITES. Notant hinc usque ad finem capitis poni alteram partem recensionis, quæ prætermissa est II. Samuel. XXIII. qua exponitur, qui duces stationarii in finibus regni ultra Iordanem præfuerint, & regionibus recens acquisitis, de quibus supra cap. V. vers. 10. ut apparet ex nominibus patriarum istarum quæ erant ultra Iordanem.

V. 47. DE MASOBIA. Hebr. *Hametzobaiah*. Quidam nomen proprium viri esse putant. Alii regionis, aut oppidi, *de Metzobaiah*, vel *Metzobaiani*. Fortasse est *Sabaia*, cuius meminit Notitia imperii, in Palæstina; & Stephanus de Urbibus.

MENOCHII.

Vers. 1. CONGREGATUS EST IGITUR. Novem primi versiculi huius capitis explicati sunt supra II. Reg. V. initio.

V. 10. HI PRINCIPES VIRORUM FORTIUM, &c. Hæc habes explicata II. Lib. Regum cap. XXIII. a num. 8. & deinceps.

V. 16. PORRO DAVID ERAT IN PRAESIDIO, &c. Hæc quæ de fortibus David dicuntur usque ad finem capitis, explicata sunt II. Reg. XXIII. a num. 14. & deinceps.

TIRINI.

Vers. 2. TU PASCES POPULUM MEUM. De his usque ad vers. 8. egi II. Reg. III. 9. & toto cap. V.

V. 11. De primo ternione fortium Davidis, vide II. Reg. XXIII. 8. & 9.

V. 15. IN VALLE RAPHAIM, id est gigantum, ut habetur II. Reg. XXIII. 13. Forte istic gigantes aliqui famosi olim perierunt, aut aliquid memorabile patrarunt. Sicut a simili casu locus ille ubi duodecim ex parte David, & totidem ex parte Isboseth congressi perierunt II. Reg. II. 16. appellatus est *ager robustorum*.

V. 20. ABISAI, frater Ioabi senior, ut constat ex I. Paralip. II. 16. ponitur primus in secundo ternione fortium Davidis. Secundus Banaias, qui & robore præcelluit, & prætorianis cohortibus Cerethi & Phelethi præpositus fuit, & consilio valebat: unde & *posuit eum David ad auriculam suam*; id est, habuit eum pro uno e primis consiliariis suis. Tertius secundi ternionis nullus a Scriptura nominatur; sed verosimile est, Ioabum, supremum militiæ Regis principem, eum locum tenuisse, & ex eo ad primum istum dignitatis gradum sua virtute evectum fuisse, ut insinuatur hic vers. 6.

Nota, fuisse Ierosolymis in arce Sion particularem fortium istorum Heroum domum, dictam domum fortium II. Esdræ III. 16. in qua conventus suos & privata exercitia habebant, teste Adrichomio.

Allegorice de fortibus Christi, primo Apostolis, secundo Martyribus, tertio Confessoribus, quarto Virginibus. Vide Rupertum, & alios.

V. 22. IPSE (Banaias) PERCUSSIT DUOS ARIEL MOAB, seu *duos leones Moab*, ut est II. Reg. XXIII. 20. *Ariel* enim significat *leonem Dei*, id est praeferocem, & magnitudinis inusitatæ. Forte leones, quos alunt Moabiticæ silvæ, ferociores & robustiores aliis sunt: sicut leones punici sæviores sunt quam quos alit India, & aliæ regiones magis temperatæ. Vide Conradum Gesnerum, qui ex Alberto, Avicenna & Aristotele *a* id demonstrat. Abulensis, & Sanctius putant, hos a Banaia confectos leones, fuisse veros, proprie dictos & naturales leones. Sed sanctus

ctus Hieronymus ex Hebræorum traditione, Iosephus, Lyranus, Glossa, Historia scholastica, & Caietanus dicunt fuisse duos potentissimos duces, instar leonum truculentos & robustos, qui subsidio accurrerunt Moabitis tum cum David illos expugnaret, II. Reg. VIII. 2. Sed quidquid sit de duobus istis leonibus, certum est, tertium, cuius hoc eodem versu mentio fit, verum fuisse & naturalem leonem quem idem Banaias IN MEDIA CISTERNA INTERFECIT TEMPORE NIVIS, id est hiemali & nivoso tempore, cum membra contracta minus apta sunt ad arma tractanda, maxime in silvis, ubi nullum est ad fovendum frigidum & contractum corpus adiumentum; cum interim leo natura calidissima & quasi ignea, nihil, aut certe parum a frigore patiatur, & hic lateret in profunda cisterna, quasi in tuto nido. Unde Banaiæ robur tum animi, tum corporis, maxime commendatur, qui non veritus est foveam subintrare, in qua non tam expedita esset armorum tractatio adversus truculentissimum hostem, & e qua tamen nullum nisi victori effugium pateret.

(a) Gesner. Lib. I. tit. de leone. Arist. Lib. VIII. Hist. anim: cap. XXVIII.

GORDONI.

DUas habet partes hoc caput. Quæ sunt a principio usque ad versum decimum habentur II. Reg. cap. XI. Quæ vero sunt a versu decimo & deinceps, habentur II. Reg. cap. XXIII.

CAPUT XII.

Qui David fuerant secuti fugientem Saul, & qui postea ex omnibus tribubus venerunt ut eum Regem constituerent in Hebron.

1. HI quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret
Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregii pugnatores,
2. tendentes arcum, & utraque manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas: de fratribus Saul ex Beniamin. 3.
Princeps Ahiezer, & Ioas, filii Samaa, Gabaathites, &
Iaziel, & Phallet filii Azmoth, & Baracha: & Iehu Anathotites. 4. Samaias quoque Gabaonitas fortissimus inter
triginta & super triginta. Ieremias, & Ieheziel, & Iohanan, & Iezabad Gaderothites: 5. & Eluzai & Ierimuth, & Baalia, & Samaria, & Saphatia Haruphites. 6. Elcana, & Iesia, & Azareel, & Ioezer, & Iesbaam de Carchim:
7. Ioela quoque, & Zabadia, filii Ieroham de Gedor. 8. Sed & de Gaddi
transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, &
veloces quasi capreæ in montibus: 9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab
tertius, 10. Masmana quartus, Ieremias quintus, 11. Ethi sextus, Eliel septimus, 12. Iohanan octavus, Elzebad nonus, 13. Ieremias decimus, Machbanai undecimus. 14. Hi de filiis Gad principes exercitus: novissimus centum militibus
præerat, & maximus, mille. 15. Isti sunt qui transierunt Iordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas: & omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad orientalem plagam, & occidentalem. 16. Venerunt autem & de Beniamin, & de Iuda, ad præsidium in quo morabatur David. 17.
Egressusque est David obviam eis, & ait: Si pacifice venistis ad me ut auxilie-

liemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. 18. Spiritus vero induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus o David, & tecum fili Isai: pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, & constituit principes turmæ. 19. Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthiim adversus Saul, ut pugnaret: & non dimicavit cum eis; (a) quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul. 20. Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, & Iozabad, & Iedihel, & Michael, & Ednas, & Iozabad, & Eliu, & Salathi, * principes millium in Manasse: 21. hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, & facti sunt principes in exercitu. 22. Sed & per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei. 23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini. 24. Filii Iuda portantes clypeum & hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium. 25. De filiis Simeon, virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum. 26. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti. 27. Ioiada quoque princeps de stirpe Aaron, & cum eo tria millia septingenti. 28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius, principes viginti duo. 29. De filiis Beniamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul. 30. Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis. 31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem & octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent Regem David. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur. 33. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici. 34. Et de Nephthali, principes mille: & cum eis instructi clypeo & hasta, triginta & septem millia. 35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. 36. Et de Aser egredientes ad pugnam, & in acie provocantes, quadraginta millia. 37. Trans Iordanem autem de filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manasse, instructi armis bellicis, centum viginti millia. 38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent Regem David super universum Israel: sed & omnes reliqui ex Israel, uno corde erant, ut Rex fieret David. 39. Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes: præparaverant enim eis fratres sui. 40. Sed & qui iuxta eos erant, usque ad Issachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in asinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad vescendum: farinam, palathas, uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes, ad omnem copiam: gaudium quippe erat in Israel.

(a) 1. Reg. xxix. 4.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 20. *Principes millium in Manasse*. Cave ne scribas *militum* pro *millium*, quod est chiliadum.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. FRATRIBUS, id est cognatis.

V. 6. DE CAREHIM. Hebr. & LXX. *Coritæ*, id est de cognatione Core.

V. 8. DE GADDI, id est de tribu Gad.

V. 14. NOVISSIMUS CENTUM, &c. quasi dicat: Duces minores præerant centum militibus, maiores vero mille.

V. 17. IUDICET. Hebr. & LXX. *arguat*.

V. 18. PAX TIBI, scilicet sit; quasi dicat: Prospera cuncta eveniant.

V. 21. LATRUNCULOS, scilicet Amalecitas. Hebr. *turmam*, seu *agmen*, vel *exercitum*. Vide I. Reg. xxx.

V. 23. PRINCIPUM EXERCITUS. Hebr. *ducum expeditorum ad pugnam*.

V. 28. EGREGIAE INDOLIS. LXX. & Hebr. *fortis robore*.

V. 32. TEMPORA, scilicet quibus quæque agenda, quippe doctores: etsi quidam id ad militarem disciplinam referunt. AD PRAECIPIENDUM. Hebr. & LXX. *ad sciendum*, seu *cognoscendum*.

V. 33. CORDE DUPLICI. Hebr. *Corde & corde*.

V. 39. FRATRES SUI, scilicet alii Israelitæ qui erant cum David.

V. 40. IUXTA EOS. Hebr. *eis propinqui*, seu *vicini*. LXX. *confines eis*. PALATHAS, id est massas carycarum.

ESTII.

Vers. 14. NOVISSIMUS CENTUM MILITIBUS PRAEERAT, ET MAXIMUS MILLE. Quæritur quomodo id verum esse possit, cum David eo tempore tantum haberet sexcentos bellatores, ut patet I. Reg. xxx. & proinde nemo adhuc mille militibus præfici poterat. Sed respondetur, ista de præfectura per anticipationem dici: nempe quod postea, quando David potitus est regno, tunc ex illis primis bellatoribus, qui hic enumerantur, alii præfecti fuerint centum militibus, alii mille. Potest etiam aliter responderi, quod Hebraice legitur: *Unus pro centum, & maximus pro mille*; ut sit sensus, quod minimus eorum poterat resistere centum viris, & maximus mille, sitque commendatio fortitudinis illorum cum quadam hyperbole.

V. 22. USQUE DUM FIERET GRANDIS NUMERUS, QUASI EXERCITUS DEI. Per exercitum Dei intelligunt quidam peculiariter exercitum illum Israelitarum qui egressus est ex AEgypto, id est sexcenta millia bellatorum. Sed ita intelligi hoc loco non potest, quia exercitus qui hic colligitur, ad summum tantum fuit trecentorum millium. Proinde dicendum, *exercitum Dei* vocari exercitum magnum, & bene instructum: sicut phrasi Hebraica, quæcumque magna, & præclara sunt, hoc epitheto decorantur. Sic toties in Scriptura vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, & similia.

MARIANAE.

Vers. 1. HI QUOQUE VENERUNT AD DAVID ... CUM ADHUC FUGERET. Hebr. *adhuc incluso* (David) *a facie Saul*; id est, cum adhuc contineret se, aut lateret David. Numerat alios viros fortes socios David.

V. 2. TENDENTES ARCUM. Hebr. *armati arcu*. ET UTRAQUE MANU: ne scilicet membrum aliquod in pugna esset inutile. FUNDIS. Hebr. non est, sed bene suppletur. ET DIRIGENTES SAGITTAS. Deest *arcu* quod Hebr. est. DE

FRA-

FRATRIBUS SAUL: scilicet de eadem tribu Beniamin venerunt ad David. Samaias quoque

V. 4. FORTISSIMUS INTER TRIGINTA ET SUPER TRIGINTA; id est, triginta præerat, omnibus fortior.

V. 6. DE CAREHIM, id est de Coritis, posteris Core, ex Hebr. & Sept. venerunt ad David.

V. 8. SED ET DE GADDI, id est de tribu Gad. TRANSFUGERUNT AD DAVID. Sept. *Separati sunt ad David*: sic Hebr. Sed a quo? scilicet a Saul defecere. CUM LATERET IN DESERTO. Hebr. *ad arcem deserti*. TENENTES CLYPEUM ET HASTAM. Hebr. *disponentes clypeum & lanceam*, id est his armis utentes in pugna.

V. 9. EZER PRINCEPS. Sic Sept. Hebr. *caput*; id est, dux eorum Gaditarum venit ad David.

V. 14. NOVISSIMUS, CENTUM MILITIBUS PRAEERAT, ET MAXIMUS MILLE. Hebr. *Unus* (id est quisque) *ad centum parvus, & magnus ad mille*. Quæ verba & sensum admittunt, quem Hieron. expressit, & hunc: *Quilibet etiam parvus centum hostes impeteret, magnus mille*: sic Hebræus.

V. 15. MENSE PRIMO. Hic est *Nisan*, Martius, seu Aprilis. QUANDO INUNDARE CONSUEVIT. Hebr. *Et ipse* (scilicet Iordanis) *plenus super ripas suas*: quod contingebat tempore messis, Ios. III. 15. de quo ibi plura: nam tunc etiam *mensis primus* erat cap. V. vers. 10. In quo Gaditarum audacia indicatur, quos fluminis inundatio non impedivit quo minus & traiicerent, & hostes inde fugarent latissime.

V. 16. AD PRAESIDIUM. Sept. *Ad auxilium*. Hebr. *Ad arcem venerunt*, scilicet ubi David erat, *de Beniamin & Iuda viri*.

V. 17. COR MEUM IUNGATUR VOBIS. Verba Davidis. Hebr. *Sit mihi super vos cor pariter*; id est, cor meum & cor vestrum sit ut cor unum. Sept. *Sit mihi cor super vos in unitatem*. SI AUTEM INSIDIAMINI MIHI. Hebr. *Et si ad decipiendum me*. ET IUDICET. Hebr. *Et arguat*; seu *increpet Deus*.

V. 18. SPIRITUS, id est voluntas, cupiditas, invasit Amasai. PRINCIPEM INTER TRIGINTA. Hebr. *caput triginta*: nimirum triginta viris erat præfectus Amasai, & dux. PRINCIPES TURMAE. Hebr. *in capita turmæ*; id est, quemque ex iis qui venerunt cum Amasai, unius turmæ ducem constituit David.

V. 19. DE MANASSE TRANSFUGERUNT. Hebr. *ceciderunt*.

V. 20. MICHAEL, ET EDNAS. *Ednas* secundo loco positum, Hebr. non est, neque in Sept. neque in Gotth. nescio cur Regia, & Romana retinuerunt in Vulgata. PRINCIPES MILLIUM. Sic Hebr. & Sept. non *militum*. Erant enim mille militibus singuli præfecti duces. Aut per *millia* oppida intellige; ut Michææ V. *Minima es in millibus*. Itaque capita suorum oppidorum singuli erant ii quos nominat.

V. 21. PRAEBUERUNT AUXILIUM DAVID ADVERSUS LATRUNCULOS. Hebr. *contra turmam*, scilicet Amalecitarum, qui & latrunculi merito vocantur, I. Reg. XXX. 8.

V. 22. QUASI EXERCITUS DEI, id est magnus, quod dixerat his verbis, GRANDIS NUMERUS. Hebr. *magnus exercitus*: repetitio est familiaris ei linguæ.

V. 23. ISTE QUOQUE EST NUMERUS PRINCIPUM EXERCITUS. Heb. *capitum expediti* (pro expeditorum) *ad militiam, qui venerunt ad David in Hebron* Saule mortuo.

V. 27. IOIADA QUOQUE PRINCEPS DE STIRPE AARON. Hebr. *& Ioiada princeps Aaronis*, id est Aaronitarum, de ea stirpe. Hic non erat Pontifex, sed dux eorum qui venerunt ex ea familia in Hebron.

V. 28. SADOC ETIAM PUER EGREGIAE INDOLIS. Hebr. *puer fortis robore*. Hunc puto fuisse Pontificem constitutum a Saule pro Abimelech, quem occidit Saul, nulla ætatis senilis cura, ut alia raptim & præpostere fiebant. Et Ioiadam tamen copiis ducem fuisse. Et alioqui quis credat Pontificem abfuisse, cum tanto gentis consensu regnum Davidi deferebatur? aut vero, quis præter illum duxisset secum principes viginti duos?

V. 30. IN COGNATIONIBUS SUIS. Hebr. *in domo patrum suorum*. Clari, magni nominis ii Ephraimitæ fuerunt, qui venerunt ad David.

V. 31. Singuli per nomina sua. Hebr. *Qui nominati sunt per nomina*; id est, delecti sunt ex omni tribu nominatim.

V. 32. Viri eruditi ex Issachar. Hebr. *Scientes intelligentiam temporum, ad sciendum quid faciet Israel*. Hæc verba tum Hebræi, tum Hieron. putant referri ad peritiam computationis, ex qua noverant quando Pascha & alia festa celebrari deberent. Et de hoc studio interpretantur Iacobi benedictionem: *Issachar asinus fortis, vidit requiem quod esset bona*. Alii verba huius loci ad prudentiam tantum referunt, quæ bene quid facto opus sit in tempore coniectat. Ad praecipiendum. Hebr. & Sept. *Ad cognoscendum quid fieri deberet*. De Zabulon venere.

V. 33. Et stabant in acie instructi armis bellicis. Hebr. *Ordinantes bellum in omnibus armis belli*; quasi dicat: Alii sagittis valebant, alii clypeum, & lanceam versabant; hi omnia bellica arma gestare poterant. Non in corde duplici. Hebr. *Et non corde & cordo*. Sed quare hoc de tribu Zabulon potius quam de aliis dicitur? fortasse maior de illis suspicio fuerat.

V. 36. Et in acie provocantes. Hebr. *Egredientes ad militiam, ad ordinandum prælium*; id est, peritia valentes instruendi acies.

V. 37. Instructi armis bellicis. Hebr. *Et in omnibus armis militiæ belli*, scilicet periti erant.

V. 40. Qui iuxta eos. Hebr. *vicini eis*. Sept. *confines eis*. Palathas, id est massas carycarum afferebant. Arietes. Hebr. צאן *zon*, alii *oves* vertunt: sic Sept. alii *pecus*. Ad omnem copiam. Sept. *in copiam*. Hebr. *in multitudine*; hoc est, copiose & abundanter afferebant annonam, qui locis vicinis erant.

MALVENDAE.

Vers. 1. Venerunt ad David in Siceleg. Hebr. *in Tziglagh*. Vide I. Samuel. xxvii. 6. Cum adhuc fugeret Saul. Varie Heb. convertunt. I. *Adhuc clausum, valide conclusum, a facie Saulis*; id est, cum adhuc esset clausus metu Saulis, cum adhuc contineret se in Tziklagh tamquam clausus metu Saulis. II. *Adhuc retentum in Tziklagh, a facie Saulis*. III. *Adhuc probibitum, exclusum metu Saulis*; id est, extra regni fines agentem: I. Samuel. xxvii. 1. & seqq. Qui erant fortissimi et egregii pugnatores. Diversimode Hebr. interpretantur. I. *Et ipsi inter potentes auxiliatores belli*; id est, erant de numero virorum fortium, qui tulerunt opem ipsi Davidi in prælio, seu in bello. II. *Erantque ex heroibus qui auxiliares ei fuerunt in rebus bellicis*. III. *Qui cum illis robustissimis fuerunt adiutores bellorum, eius*. Nimirum *cum illis* de quibus capite præcedente.

V. 2. Et utraque manu fundis saxa iacientes. Hebr. nos verbatim expressimus (*Applicantes arcus, dextrantes, & sinistrantes in lapidibus*.) Alii varie reddunt. I. *Dextera utentes, & sinistra utentes in ipsis lapidibus*, subaudi mittendis; id est, in lapidibus funda iaciendis utebantur vicissim utraque manu; quasi dicat: Erant egregii fundibularii. II. *Dexteram petentes, & sinistram petentes lapidibus*; vel *dextrorsum & sinistrorsum petentes lapidibus*. Sic Genes. xiii. 9. III. *Atque valentes manu in lapidibus*. Et dirigentes sagittas. Hebr. *& in sagittis arcu*, id est etiam dextrantes & sinistrantes in emittendis sagittis arcu: utraque etiam in iaciendis sagittis valentes manu; quasi dicat: Nedum egregii funditores, sed & optimi quoque iaculatores, seu sagittarii erant.

V. 4. Fortissimus inter triginta et super triginta. Quidam, *Fortis inter triginta*; id est, inter fortes fortissimus, & erat super triginta, id est præerat illis triginta. Alii, *Robustissimus inter hos triginta* qui hic recensentur, erat, *ideoque præerat his triginta*.

V. 8. Cum lateret in deserto. Hebr. *Ad munitionem in desertum*, id est ad loca munita, & receptus, quibus se continebat David. Vide de vocis significato Iudic. vi. 2. Quidam, *Cum esset in præsidio in deserto*. Alii, *Ad propugnaculum illud in desertum*, id est ad Tziklaghum, supra vers. 1. quod situm erat in deserto Iehudæ. Vide Iosue xv. 31. sic infra vers. 16.

V. 14. Novissimus centum militibus praeerat, et maximus mille. Hebr. nos totidem verbis ordi-

ne reddidimus (*Unus centum parvus*, *& grandis*, *mille*.) Alii diversimode. I. *Unus per centum parvus*, *& magnus per mille* ; id est, qui inter eos erat parvus dux, erat centurio, seu centum militibus præfectus; qui vero magnus dux, erat tribunus, seu mille militibus præfectus. Notant hunc ordinem militiæ institutum a Davide postea fuisse, non tunc quando in deserto latitabat: atque duos hos extremos graduum militiæ Davidicæ fuisse, nempe centuriones, & tribunos; cum tamen multi alii mediorum ducum extiterint, qui intra hos intelliguntur. II. *Unus pro centum minor*, *& maior pro mille* ; id est, minimus illorum poterat obsistere centum aliis; maximus vero poterat obsistere mille aliis. III. *Minor super centum*, *maior super mille*. IV. *Unusquisque in centenos*, *qui minus*; *& qui maximus in millenos*; subaudi, poterat, vel præerat.

V. 15. QUANDO INUNDARE CONSUEVIT SUPER RIPAS SUAS. Quidam reddunt : *Quamvis exundaret supra omnes ripas suas*. Vide Iosue III. 15. quasi dicat : Nihil terruit eos Iordanis a traiiciendo, quamvis plenis ripis decurreret.

V. 17. ET AIT. Hebr. *Et respondit*, *& dixit eis*. Vide de hac phrasi Genes. XVIII. 27. Quidam : *Et loquens*, vel *locutus*, dixit eis. SI PACIFICE VENISTIS AD ME. Hebr. *Si ad pacem venistis ad me*. Quidam: *Si pacis causa venitis ad me*. Alii : *Si ad salutem venistis ad me*. Nonnulli : *Si pacis animo venitis ad me*. COR MEUM IUNGATUR VOBIS. Heb. *Erit mihi super vos cor ad pariter*, vel *in simul*; id est, cor erit mihi vobiscum in unum, ero vobiscum eiusdem animi, vel erit mihi idem animus, qui vobis: eiusdem voluntatis ero. Quidam: *Erit & cor meum unitum vobiscum*. Alii: *Erit mihi vobiscum animus adunatus*. SI AUTEM INSIDIAMINI MIHI PRO ADVERSARIIS MEIS. Varie Hebræa elucidant. I. *Si autem ad decipiendum me venistis*, *pro adversariis meis*; id est, si autem venistis ut imponatis mihi in gratiam inimicorum meorum. II. *Si vero ut circumveniatis me*, *hostibusque meis tradatis*. III. *Sed si ad decipiendum me prodituri hostibus meis*. Ex verbo : *Et si ad fallendum me coangustatoribus meis*, vel *in coangustatores meos*, id est tamquam hostes & adversarii mei.

V. 18. SPIRITUS VERO INDUIT AMASAI. Vide de hac locutione Iudic. VI. 34. Hic *spiritum* pro vi, efficacia, energia, virtute, efficacitate, impetu, impulsu animi acceperim. Plerique pro spiritu divino. Alii pro audacia, & fortitudine, seu alacritate. AMASAI. Hebr. *Gamasai*. Nulla est ratio cur non suspicemur hunc celebrem fuisse Ghamasam, nepotem Davidis ex sorore, & consobrinum Ioabi, imperatorem primum exercitus Absalomi, deinde Davidis: de quo vide II. Samue. XVII. 25. & cap. XIX. vers. 13. & cap. XX. PRINCIPEM INTER TRIGINTA. Est hic Hebr. gemina lectio, ut etiam supra cap. XI. vers. 11. Vide ibi. Quidam reddunt, *primarium horum tribunorum*. ET AIT. Hebr. deficit verbum opportune, ad indicandum promptitudinem & alacritatem animi, seu abruptum loquentis impetum; sed recte subaudiendum *& dixit* : vel *& diceret*. TUI SUMUS, O DAVID, ET TECUM FILI ISAI: PAX, PAX TIBI, ET PAX ADIUTORIBUS TUIS. Nos verbatim Hebræa convertimus (*Tibi David*, *& tecum fili Isai*; *pax*, *pax tibi*, *& pax adiuvantibus tuis*.) Alii sic. I. *Tui sumus*, *o David*, *& tecum sumus & erimus fili Isai*; id est, a partibus tuis stamus, & stabimus: *pax*, *pax tibi*; id est, multa pax tibi est, aut sit : geminatio vocis rem auget : *& pax adiutoribus tuis*; quasi dicat : Res tuæ sint in tuto & optimo statu, res quoque eorum qui stant a te. II. *Tibi*, *David*, *& comitibus tuis fili Iischai*: *sit pax*, *pax tibi*, *& pax adiuvantibus te*. Illud, *Et tecum*, sumunt pro & his qui tecum sunt, id est & comitibus tuis. ET CONSTITUIT PRINCIPES TURMAE. Hebr. *Et dedit eos in capitibus latrocinii*. Quidam: *Et posuit eos inter principes exercitus*, illius qui ad ipsum confugerat. Alii: *Et dedit eos in capita agminis*. Aliqui : *Et constituit eos capita manipulorum*. Nonnulli : *Et constituit eos inter primores turmarios*. Vide de voce גדוד *ghuedud*, Notas in Genes. XLIX. 29.

V. 19. QUANDO VENIEBAT CUM PHILISTHIIM, &c. Lege I. Samuelis XXIX. ET NON DIMICAVIT CUM EIS, scilicet Pelisthæis, stans a partibus eorum contra Saulem : ut ibidem scribitur. Hebr. *Sed non iuverunt*, scilicet copiæ Davidis, *eos*, Pelisthæos: nam dimissæ fuerunt.

V. 20.

V. 20. QUANDO IGITUR REVERSUS EST IN SICELEG. Hebr. *In eundo eum ad Tziklaghum*. Quidam: *Cum rediisset in Tziklaghum*, cæsis iam Hamalekitis, I. Samuel. xxx. quo tempore Biniaminitæ & Gaditæ Davidi sese adiunxerunt, supra vers. 1. & sequentibus: & vers. 8. & sequentibus. Alii exponunt: Quando eiectus ab exercitu Pelisthæorum, redibat in Tziklaghum. Non tam recte. PRINCIPES MILLIUM IN MANASSE. Aliqui reddunt, *Duces millium*, *qui erant in Menasseh*. Alii, *Tribuni Menassitarum*. Nonnulli, *Qui erant chiliarchi apud Menaschitas*.

V. 21. HI PRAEBUERUNT AUXILIUM DAVIDI ADVERSUS LATRUNCULOS. Noster, & alii intellexisse videntur Hamalekitas grassatores, qui irruperant in Tziklaghum, I. Samuel. xxx. unde reddunt: *Et hi auxiliati sunt Davidi contra turmam illam*, Hamalekitarum, qui spoliaverant, & combusserant Tziklaghum. Qui sane sensus difficilis: nam in eam expeditionem non legitur duxisse David nisi sexcentos ordinarios suos, quos antea habebat, I. Samuel. xxx. 9. proinde alii convertunt: *Hi quoque fuerunt adiumento Davidi adiuncti turmæ eius*. Unde id quod est Hebr. *super turmam*, non capiunt pro *contra turmam*, sed pro *adiuncti turmæ*, seu *globo eius*.

V. 22. SED ET PER SINGULOS DIES VENIEBANT AD DAVID. Hebr. *Quia ad tempus diei in die*; id est, quotidie, in dies confluebat magnus numerus virorum ad Davidem. Quidam: *Quia tempore diei in die*: hypallage; pro, *Quin etiam oppurtune quoque die veniebant ad Davidem*. USQUE DUM FIERET GRANDIS NUMERUS. Hebr. *Usque ad castrametationem grandem*. Quidam: *Donec factus est in exercitum magnum*. Alii: *Donec exercitus redderetur magnus*. QUASI EXERCITUS DEI. Hebr. *Sicut castrametatio*, seu *castra Dei*. *Elohim* notant hic posse accipi & pro vero Deo, & pro principibus. Exponunt, *Sicut exercitus Dei*, sub Mose, & Iosue, quo tempore vocabantur *castra Dei*; vel sicut exercitus principum, ac Regum; id est, quales exercitus habere solent Reges alii, ac principes, qui opibus, & potentia valent. Communis explanatio est: *Sicut exercitus Dei*, id est magnus & ingens: solet enim nomen Dei addi ad auxesim. Vide in Genes. 1. 1.

V. 23. ISTE QUOQUE EST NUMERUS PRINCIPUM EXERCITUS. Heb. Quidam reddunt: *Isti autem sunt numeri ducum expeditorum*, *accinctorum*, *ad pugnam*; id est, hic describuntur numeri ducum qui præerant in exercitu his qui erant expediti, accincti armis ad lumbos. Alii: *Atque hic est numerus principum*, *qui instructi erant ad prælium*. Nonnulli: *Hi vero numeri primariorum inter expeditos ad militiam*. חלוץ *chalutz*, quod hic singulariter ponitur pro plurali, proprie est *extractus*, Hispanice *entresacado*: quod de selectis & præstantioribus militibus dici solet. Plerique *expeditum*, *habilem*, *accinctum* exponunt. Nonnulli a חלצים *chalatzaiim*, *lumbis*, significationem derivant, quasi dicas *lumbatum*, *inguinatum*, *accinctum* balteo militari, seu armis ad lumbos seu inguina. Vide Exod. XIII. 18. & in Numeror. XXXI. 3. sic infra vers. 24. UT TRANSFERRENT REGNUM SAUL AD EUM. Vide supra cap. x. 14. & initio cap. XI.

V. 27. PRINCEPS DE STIRPE AARON. Hebr. *Ductor Aharoni*, vel *ipsi Aharoni*. Quidam: *Dux de filiis Aharon*. Alii, *Qui antecessor erat Aharonitis*, id est eorum sacerdotum ductor, qui hic commemorantur ad Davidem recens venisse: nam sacerdotum qui antea in regno Chebronico penes Davidem erant, summus erat Ebiathar, I. Samuel. XXIII. 6.

V. 29. MAGNA ENIM PARS EORUM ADHUC SEQUEBATUR DOMUM SAUL. Hebr. *Et usque adhuc multitudo eorum observantes observantiam domus Saulis*; id est, sequebantur partes domus Saulis, vel studebant conservare regnum penes familiam Saulis. Hispanicus: *Defendian el vando de Saul*.

V. 30. VIRI NOMINATI IN COGNATIONIBUS SUIS. Hebr. *Homines nominum domui patrum suorum*. Quidam: *Viri nominati in domo familiarum suarum*. Alii: *Qui insignes fuerunt in familiis suis*. Nonnulli: *Viri nominati per familias paternas suas*, *homines nominum*, id est homines nominati, celebres, clari, famosi, inclyti, magni nominis. Vide Genes. VI. 4.

V. 31. ET EX DIMIDIA TRIBU MA-

Manasse. Cisiordanina commixta Ephraimitis: nam de altera dimidia transiordanina, infra vers. 37.

*V.*32. Viri eruditi, qui noverant singula tempora ad praecipiendum quid facere deberet Israel. Nostra Translatio Hebræa reddidit (*Cognoscentes intelligentiæ temporibus ad cognocere quod faciet Israel.*) Alii diversimode. I. *Scientes intelligentiam temporibus ad sciendum quid faciet Israel*; id est, vigebant prudentia politica circa singularia communia reipublicæ, II. *Periti intelligentia temporum, ita ut scirent quid agendum esset Israeli*; id est, qui periti erant temporum & occasionum, scientes quo tempore, quidque esset agendum Israeli captatis occasionibus. III. *Gnari temporum, & periti quid faciendum esset Israelis*. IV. *Noscentes intelligentiam in tempora, ut nosceret quid facturus esset Israel*: vel *noscentes scite tempora, ut noscerent Israelitæ quid sibi faciendum esset*, id est periti, prudentiaque instructi, qua explorarunt quid quando agendum esset: & omnibus Israelitis in hoc facto præiverunt. Sic Esther I. 13. volunt esse traiectionem: pro, noscentes intelligentiam, ut nosceret Israel quid facturus esset in temporibus. Notant בינה *binah* proprie esse *intelligentiam*, & *iudicium*, quod ex sapientia oritur, quo animadvertimus, & discernimus inter res similes & dissimiles, bonas ac malas: & differre a חכמה *chochmah*, *sapientia*, quæ est lux & cognitio rerum, qua res certo cognoscuntur, aut aguntur luce quadam mentis; at *binah* esse discretionem & iudicium quo inter res inter se similes & dissimiles, bonas & malas prudenter discernimus, & diiudicamus, penitus consideratas: & Græci σύνεσιν vocant, & Latini *intelligentiam*, seu *prudentiam*. Vide in Deuteron. IV. 6. Quidam exponunt, *Noscentes intelligentiam temporum*, id est periti annalium, historiarum, chronicorum, ut ex documentis & exemplis priscorum annalium præirent aliis Israelitis in peritia rerum gerendarum. Omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur. Hebr. *Et omnes fratres eorum super os eorum*. Quidam: *Et omnes fratres eorum iuxta sermonem eorum*; id est, contribules eorum rem administrabant ex præscripto eorum. Alii: *A quorum ore omnes fratres eorum pendebant*. Nonnulli: *Quorum omnium fratres ex præscripto eorum agebant*. Aliqui generalius accipiunt, Issacharianos, ut erant rerum periti, iudicasse, regnum reliquarum tribuum non esse deferendum Davidi ante septennium: quod & factum est reliquis tribubus horum consilium secutis: nam septennio Chebronici regni exacto, convenerunt ad Davidem.

V. 33. Qui egrediebantur ad praelium, et stabant in acie instructi armis bellicis. Nostra Translatio Hebraica verba ordine exhibuit (*Exeuntes militiæ ordinantes cæsionis in omnibus vasis cæsionis.*) Alii varie. I. *Egredientes exercitus*, vel *qui egrediebantur ad militiam, disponentes bellum*, seu *instruentes pugnam*, id est in acie ordinata & instructa pugnantes, *cum omnibus instrumentis bellicis*. II. *Egredientes ad exercitum, dispositi ad prælium in omnibus armis bellicis*. III. *Eorum qui ad bellum egredi poterant, instructi erant omni armorum bellicorum genere*. IV. *Prodeuntes in militiam, instructi ad bellum omnibus armis bellicis*. Hispanicus: *Que salian en batalla à puncto de guerra con todas armas de guerra*. Et stabant in acie instructi. Hebr. *Ordinantes*, seu *ordinatores*, *prælii*, *disponentes*, *aptantes*, *instruentes*, *prælium*. Sic infra vers. 35. & 36. Venerunt in auxilium. Hebr. *Et ad congregare*. Diversimode alii. 1. *Et ad congregandum se*, id est ad aggregandum se Davidi: 2. *Et ad ordinandum* bellum; id est, ad ordinem prælii sustinendum, periti seu exercitati: 3. *Et parati ad ordinem servandum in acie*: 4. *Etiam ordinibus servandis exerciti*: 5. *Et ad disponendum, instruendum aciem*: 6. *Et ad aciem servandam*: 7. *Et ad congressum*. Hispanicus, *Apareiados para pelear*. Sic infra vers. 38. Non in corde duplici. Hebr. *In non corde & corde*. Quidam, *Absque corde & corde*; id est, non duplici corde, sed animo integro, simplici, sincero, candido, puro, perfecto. Iungendum cum superioribus, *Ad congregandum se animo integro*: vel subaudiendum e vers. 38. infra, *Animo integro venerunt*.

V. 36. In acie provocantes. Hebr. *Ad ordinandum, disponendum, instruendum prælium*. Quidam, *Ad disponendum*.

dum bellum; id est, ad pugnandum in acie instructa; hoc est, ordinem suum in acie instructa servantes, vel servare callentes. Alii, *Instructi in aciem*. Aliqui, *Ordinem servando bellicum*. Vide supra vers. 33.

V. 38. EXPEDITI AD PUGNANDUM. Hebr. *Congregantes ordinationis*, seu *ordinis*, varie reddunt: 1. *congregantes aciem*, seu *exercitum*; 2. *instructores apparatus bellici*; 3. *instructores aciei*, vel *instruentes aciem*, id est in acie instructa pugnantes; 4. *cultores ordinis*, militaris; 5. *ordinem suum in acie instructa servantes*; 6. *ordines aciei servantes*; 7. *disponentes aciem*. Vide supra vers. 33. SED ET OMNES RELIQUI EX ISRAEL, &c. Hoc additum putant propter residuos Biniaminitas sequentes partes domus Saul, de quibus supra vers. 29. qui & ipsi tandem necessitate compulsi Davidem pro Rege susceperunt.

V. 40. SED ET QUI IUXTA EOS ERANT. Quidam reddunt: *Quin etiam illis vicini erant*. Ex verbo: *Et etiam propinqui ad eos*. Aliqui: *Atque etiam propinqui illorum*; id est, parentes & agnati singulorum, peculiarem curam singuli suorum habebant.

MENOCHII.

Vers. 1. IN SICELEG, in qua sub finem vitæ Saulis Regis habitavit. Vide cap. XXX. I. Reg.

V. 2. UTRAQUE MANU, &c. Descriptio egregii bellatoris esse videtur, quod utraque manu pugnare possit, saxa iacere, hastam vibrare, & tela in hostem intorquere. Hoc nomine Iudic. III. 15. laudatur Aod. Vide quæ diximus ad eum locum, & hoc Lib. cap. VIII. num. 40. DE FRATRIBUS SAUL, ET BENIAMIN. Cum enim viderent Davidem fortiter se gerere & prudenter, & ea quæ aggrediebatur bonum habere successum, quia nimirum Deus erat cum illo, Saule relicto, ad partes Davidis se applicabant. Sic olim accidit Isaac, cuius amicitiam Rex Geraræ ambivit. *Quid venistis ad me*, inquiebat Isaac, *hominem quem odistis, & expulistis a vobis? qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco diximus, sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*, &c. Genesis XXVI. 27. Et sane initio de horum fide suspicari potuit David; sed postea captis experimentis, prudenter illos inter suos adlegit sectatores, & socios. DE FRATRIBUS SAUL, id est cognatis, ut explicat Abul. & Emmanuel Sa. Vel certe sensus est, de contribulibus: quare statim per epexegesim additur, *Ex Beniamin*.

V. 4. ET SUPER TRIGINTA, id est illis fortior.

V. 8. DE GADDI. Nomen est civitatis tribus Gad, cuius etiam mentio habetur II. Reg. XXIII. Peculiariter se Davidi adiunxisse videntur viri ex tribu Gad, quia tribus hæc Moabitis erat vicina, & in desertis locis, per quæ David vagabatur. FACIES EORUM QUASI FACIES LEONIS: nam sicut leones ad nullius pavebant occursum, ut de leonibus dicitur Prov. XXX. 30. QUASI CAPREAE IN MONTIBUS: sic de Asael dicitur II. Reg. II. 18. *Porro Asael cursor velocissimus, quasi unus ex capreis, quæ morantur in silvis*.

V. 15. NOVISSIMUS CENTUM, &c. quasi dicat: Nemo paucioribus præerat quam centum, nemo pluribus quam mille. Cum se Davidi fortes hi viri adiunxerunt, tunc quidem paucos milites numerabat, hoc est sexcentos; postea vero quam regnum adeptus est, eorum præfecturas auxit numero subiectorum militum, ut aliqui etiam millenis imperarent.

V. 15. ISTI SUNT QUI TRANSIERUNT IORDANEM, &c. Hoc Gaditarum facinus narratur, ut eorum audaciæ inde capere liceat argumentum: magno enim periculo se obiecerunt tumentem, & vorticosum fluvium natatu fortasse transmittentes, ut improvisi hostibus qui eo tempore sibi nihil timebant, supervenirent. MENSE PRIMO, id est mense Nisan, qui Martio nostro respondet, vel partim Martio, partim Aprili. QUANDO INUNDARE CONSUEVIT. Vide dicta Iosue cap. III. num. 15.

V. 16. AD PRAESIDIUM, arcem quam illi Moabitarum Rex tribuerat I. Reg. XXII. 4. vide ibi dicta.

V. 17. EGRESUS EST DAVID OBVIAM EIS, non solus, sed cum selecta suorum manu. COR MEUM IUNGATUR VOBIS; id est ineamus seriam, & sinceram amicitiam. PRO ADVERSARIIS MEIS, in gratiam adversariorum, ac no-

nominatim Saulis. CUM INIQUITATEM IN MANIBUS MEIS NON HABEAM: cum nullius criminis mihi conscius, integer sim, & purus a scelere. VIDEAT DEUS, &c. id est, ultor sit Deus.

V. 18. SPIRITUS AUTEM INDUIT AMASAI, &c. Comitas, & mansuetudo Davidis accendit animos, & amorem in eum, & Amasai suo, & sociorum nomine locutus est. PAX, PAX. Salutandi formula Hebræis familiaris. PAX ADIUTORIBUS TUIS: iis qui iam tecum sunt, & iis qui deinceps ad te defendendi tui causa venerint. CONSTITUIT EOS PRINCIPES TURMAE: quod referendum videtur ad tempora regni Davidis iam constituti: tunc enim singulos, aut certe primarios eorum fecerit cohortis alicuius, aut turmæ præfectos.

V. 19. QUANDO VENIEBAT CUM PHILISTHIIM. Historiam habes I. Reg. XXIX.

V. 20. REVERSUS EST IN SICELEG, ut habetur eodem cap. XXIX. num. II.

V. 21. ADVERSUS LATRUNCULOS, Amalecitas, ut habemus I. Reg. XXX. I. & deinceps. FACTI SUNT PRINCIPES IN EXERCITU, cum scilicet paulo post David Rex factus est, Saule extincto.

V. 22. EXERCITUS DEI. Vide dicta supra cap. V. num. 22. CUM ESSENT IN HEBRON, &c. Historiam habes II. Reg. II. 4.

V. 28. EGREGIAE INDOLIS. In Hebr. & Septuaginta est, *Fortis robore*. SADOC, cuius mentio fit hoc loco, ille est qui postea sub Salomone Pontificatum gessit, Abiathare deposito, III. Reg. II. 27.

V. 31. EX DIMIDIA TRIBU MANASSE, quæ scilicet erat cis Iordanem; nam de reliqua dimidia tribu quæ erat ultra fluvium, dicitur infra num. 37.

V. 32. QUI NOVERANT SINGULA TEMPORA, &c. D. Hieronymus in Trad. Hebr. ita explicat: *Erant enim*, inquit, *doctores, computatores, & magistri, sive ad festivitates, sive ad cetera*. Hanc doctrinam Abulensis, & Sanchez parum convenire putant rusticanis hominibus, quales fere erant Issacharitæ, quorum plerique agriculturæ operam dabant. Itaque de illa peritia interpretantur, quæ pluviam, aut aeris serenitatem, aliasve huiusmodi cæli mutationes prædicit, & rei militari usui esse potest. Vide quæ diximus in OEconomicis Lib. I. cap. XIX. num. 2. AD PRAECIPIENDUM. Hebr. & Septuaginta, *Ad sciendum*, seu *ad cognoscendum*.

V. 33. CORDE DUPLICI. Hebr. *Corde, & corde*.

V. 39. FRATRES SUI, reliqui Israelitæ, qui erant apud David.

V. 40. USQUE AD ISSACHAR, &c. id est, omnes tribus, quæ tribui Iuda erant finitimæ usque ad tribum Issachar, &c. iuverunt viros Iuda, cibaria subministrantes. PALATHAS, ficorum aridorum massas.

TIRINI.

Vers. 2. DE FRATRIBUS SAUL; id est, de cognatis & contribulibus Saulis Regis, etiam tum Davidi se iunxerunt tot principes, cum fugeret Saulem, & latitaret in Siceleg. Quod sane stupendum fuit divinæ providentiæ miraculum: uti & istud, infra vers. 29. quod tria millia de Beniamin, & fratribus Saul, maluerint Davidi Regi de aliena tribu Iuda, quam Isbosetho de sua propria tribu Beniaminia subesse.

V. 6. DE CAREHIM; id est, Hebraice, & Græce, *de Coritis*, seu posteris Core, Levitis.

V. 8. SED ET DE GADDI; id est, de tribu Gad.

V. 15. MENSE PRIMO, puta Nisan, qui nostro Martio, & Aprili respondet, QUANDO INUNDARE CONSUEVIT IORDANIS SUPER RIPAS SUAS, quod fit tempore messis, Iosue III. 15. In qua Gaditarum audacia eluxit, quos fluminis quaquaversum inundatio non impedivit, quo minus & traiicerent, & hostes suos fugarent.

V. 21. ADVERSUS LATRUNCULOS, scilicet Amalecitas, I. Reg. XXX. 8.

V. 22. EXERCITUS DEI, id est maximus: ut maxima sunt quæcumque Dei sunt.

V. 28. SADOC. Hic videtur fuisse tum summus Pontifex, a Saule constitutus loco Abimelechi ab eodem Saule occisi, de

quo I. Reg. XXII. Quis enim credat, cum tanto pene totius gentis concursu regnum Davidi deferretur, summum Pontificem absuisse? Et quis præter Pontificem duxisset secum de domo Aaron principes viginti duos? Nam Ioiada, cuius mentio fit versu præcedenti, etsi sacerdos, militaris tamen princeps erat, & dux agminis quod ad Davidem deducebat. Ita Mariana.

V. 32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad praecipiendum quid facere deberet Israel. Erant enim, ut teste sancto Hieronymo *a* tradunt Hebræi, ex ea tribu, doctores, & computatores ad festivitates, per annum occurrentes, populo denuntiandas. Vel potius, Astrologica scientia pollebant, qua ex vario siderum aspectu variæ temporum, tempestatumque mutationes colliguntur. Qua scientia fere præcellere solent qui ruri vitam quietam agunt, vel solis agris colendis, aut gregibus pascendis vacant, ut faciebant Issacharitæ; & prædixerat Patriarcha Iacob Gen. XLIX. 14. & Moyses Deut. XXXIII. 18. Et solet hæc rustica Astrologia sæpe certior esse illa quam etiam peritiores Astronomi scriptis tradiderunt: & in militia quoque non exiguos usus, & commoditates habet. Nam experientia constat, magnas subinde tum olim, tum recens quoque in Indiis, & alibi, ex eclypsi seu solis, seu lunæ, aliisque temporum, tempestatumve mutationibus opportune prædictis, & ex occasione observatis, mutationes rerum etiam in militia factas. Ita Sanctius ex Abulensi, & aliis.

(*a*) Hieron. in trad. Hebr.

GORDONI.

Vers. 2. De fratribus Saul; hoc est, de ipsa tribu Beniamin, unde erat Saul, venerunt plerique ad David.

V. 32. De filiis Issachar viri eruditi. Hæc interpretatur Hieronymus de peritia temporis ad cognoscendum festa paschalia, & alia quæ erant celebranda. Alii viros prudentiæ & consilii intelligunt. Alii ex siderum inspectione eos qui mutationes temporum, & pluvias designabant.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. De *Siceleg*, & hoc statu Davidis, vide I. Reg. XXX. Qui ad eum venerunt, vocantur fratres, hoc est contribules Saulis de Beniamin.

V. 8. Gaddi urbs in tribu Gad.

V. 14. David quidem ante adeptum regnum numerabat centenarios, sed post regnum inchoatum etiam millenarios.

V. 15. Ex hoc facinore audaces ostendit Gaditas.

V. 16. Ad praesidium. Vide I. Reg. XXII. 4. Rex Moabitarum hanc arcem concessit Davidi.

V. 18. Vide I. Reg. XXIX. 11.

V. 22. Vide II. Reg. 11. 4.

V. 28. Sadoc sub Salomone factus Pontifex.

V. 31. Viri eruditi. Interpretantur aliqui esse doctrinam rusticanorum (quales erant homines ex hac tribu) qui ex hoc longo usu in agricultura bene coniiciunt de serenitate, & pluvia.

V. 40. Palathas, massas ficorum aridorum.

CA-

CAPUT XIII.

A Cariathiarim reducitur arca Domini de domo Abinadab, omni Israel cum David ante eam ludentibus: sed quia Oza arcam contingens a Domino percussus est, avertit eam David in domum Obededom, cui ex eo tempore benedixit Dominus.

1\. INiit autem consilium David cum tribunis, & centurionibus, & universis principibus, 2. & ait ad omnem cœtum Israel: Si placet vobis, & a Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, & ad Sacerdotes, & Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos, 3. & reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus eam in diebus Saul. 4. Et respondit universa multitudo ut ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. 5. Congregavit ergo David cunctum Israel, a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, (a) ut adduceret arcam Dei de Cariathiarim. 6. Et ascendit David, & omnis vir Israel, ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, ubi invocatum est nomen eius. 7 Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab: Oza autem, & frater eius, minabant plaustrum. 8. Porro David, & universus Israel, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis, 9. Cum autem pervenissent ad Aream Chidon, tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam. 10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, & percussit eum, eo quod tetigisset arcam: & mortuus est ibi coram Domino. 11. Contristatusque est David, eo quod divisisset Dominus Ozam: vocavitque locum illum: Divisio Ozæ, usque in præsentem diem. 12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quo modo possum ad me introducere arcam Dei? 13. Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi. 14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.

(a) II. Reg. VI. 2.

COMMENTARIA

S. A.

Vers. 2. EGREDITUR; quasi dicat, Si Deo placuerit, quamquam Heb. nullum est horum verborum: scilicet *egreditur sermo quem loquor*. SUBURBANIS URBIUM. Intelliguntur etiam qui in urbibus habitabant, & quidem Hebraice nonnulli vertunt *in urbibus*, *& suburbanis*.

V. 5. SIHOR. Hebr. *Sichor*, id est *nigro*, seu *turbido*. Quidam Nilum putant, alii alium esse fluvium, quod verius puto: qui enim Israelitarum ad Nilum ha-

 bita-

vitabant ? Vide Iof. XIII. & Ierem. II.

V. 7. OZA filius erat Abinadab. FRATER EIUS. LXX. *frater eius*. Hebraice *Achio*. Nomen eſt proprium. Vide II. Reg. VI. ubi tamquam proprium nomen legitur, quamquam ibi etiam LXX. verterunt *fratres eius*. MINABANT, id eſt ducebant.

V. 8. VIRTUTE, id eſt fortitudine.

V. 9. CHIDON. II. Reg. VI. dicitur Nachon. BOS QUIPPE, &c. Hebr. *Quia boves declinabant*, ſcilicet de via, vel arcam. LXX. *Quia inclinavit eam vitulus*.

V. 11. DIVISISSET, ſcilicet ſeparando animam a corpore. VOCAVITQUE, ſcilicet qui nomen impoſuit.

V. 14. BENEDIXIT, id eſt bonis cumulavit.

ESTII.

Verſ. 10. IRATUS EST ITAQUE DOMINUS CONTRA OZAM, ET PERCUSSIT EUM. Quare Oza a Domino fuerit percuſſus, ab Hebræis hæc ratio redditur, quia arcam imponi fecerat ſuper plauſtrum, cum ſecundum legem divinitus Levitis præſcriptam Numer. IV. & alibi, humeris Levitarum portari debuiſſet. Nec debuit, inquiunt, hoc ab Oza ignorari, quia hoc ad eius officium pertinebat. Et ita erat. Nihilominus quæritur quare, cum hic alia cauſa videatur indicari: dicit enim Scriptura: ET PERCUSSIT EUM, EO QUOD TETIGISSET ARCAM DOMINI. Sed ad hoc reſpondetur, cauſam illam ſic exprimi, & tunc Ozam fuiſſe percuſſum, quando arcam tetigit, & non prius, nempe, quia tunc manifeſtum fuit, bobus calcitrantibus & inclinantibus arcam, quod non a bobus trahi, ſed a Levitis portari debuerit, qui ſua circumſpectione iuxta legem iam dictam præcavere poſſint, ne ulla irreverentia in arcam committeretur. Nonnulli exiſtimarunt Ozam percuſſum quod tetigiſſet arcam nudam; ſed illud frivolum eſt: nam arca numquam portabatur nuda, ſed multis involucris & pannis involuta, ut patet Numer. VII. & alibi. Et quidem I. Reg. VI. peccatum Ozæ in Hebræo vocatur error, ſeu ignorantia, ſed tamen pro eo Hieronymus vertit *temeritatem*; nec male: erat enim error culpabilis utpote de ea re quam Oza ſcire tenebatur.

V. 11. ET QUOD DIVISISSET DOMINUS OZAM. Notandum, ſolius hominis mortem eſſe diviſionem animæ & corporis: brutorum enim mors eſt interitus animæ. Itaque, vel hoc modo dicitur Dominus diviſiſſe Ozam, id eſt occidiſſe, vel percuſſiſſe (ut D. Hieronymus idem hoc vocabulum tranſtulit II. Reg. VI.) nam & Agag iuſſu Samuelis interficiendus I. Reg. XV. dicebat: *Siccine ſeparat amara mors?* Vel etiam quia Oza propter ſuam temeritatem hanc, per mortem ſimul diviſus & ſeparatus eſt a populo Dei, & quodammodo exterminatus.

MARIANAE.

Verſ. 2. SI PLACET VOBIS, ET A DOMINO DEO NOSTRO. Sic Hebr. & ſuppletur *eſt*; Hieronymus autem addidit, EGREDITUR SERMO QUEM LOQUOR: MITTAMUS. Heb. *dividamus*. *Mittamus*; id eſt, in omnes partes extrudamus nuntios. Verbum Heb. *niphreza*, pro quo vertunt *dividamus*, Hebræus ſumit in ſignificatione multiplicandi, ex Geneſ. XXVIII. 14. ubi pro *dilataberis a mari uſque ad mare*, illud verbum Hebr. eſt, quod ſignificat *creſces*, *multiplicaberis*. Ergo hoc loco ſignificare ait *multiplicemus*, ſcilicet nuntios. IN SUBURBANIS URBIUM. Hebr. *in urbibus* (&) *ſuburbiis ipſarum*; id eſt, ad omnes, quocumque in loco habitent, nuntios mittamus. Agitur de reductione arcæ.

V. 3. NON ENIM REQUISIVIMUS EAM (arcam) IN DIEBUS SAUL. Toto tempore regni Saul manſit in domo Abinadab, ubi poſt captivitatem poſuerunt illam, nulla reſtituendi eam in locum priſtinum cura. Congregavit David populum,

V. 5. A SIHOR AEGYPTI. *Sihor* eſt *niger*. Sic Nilum vocari putant ab aqua turbida, Ierem. II. 18. *Quid tibi vis in via AEgypti, ut bibas aquam turbidam?* Hebr. *aquam Sihor*. Alioqui Nilus Geneſ. II. verſ. 13. *Gehon* vocari creditur. EMATH. Hæc eſt Antiochia, finis Palæſtinæ ad ſeptemtrionem. Ergo omnes congregavit David.

V. 6. ASCENDIT.... AD COLLEM.

Hebr.

Hebr. *in Bahalathach*, nomen oppidi prope Cariathiarim. Sane Iosue xv. 6. inter urbes Iuda ponitur *Bethhagla*, & II. Reg. vi. vers. 2. ubi nos legimus, *Populus qui erat cum eo de viris Iuda*: pro *viris Iuda*, Hebr. est *mi Bahale Iuda*, quod Vatablus putat esse eius oppidi nomen, quo David venit, & inde quasi in pompa omnes iverunt in Cariathiarim. UBI INVOCATUM EST NOMEN EIUS. Heb. *nomen*, quod per antonomasiam Hebræus de nomine quadrilittero intelligit, quod dicunt solum in tabernaculo fas fuisse proferri, idque semel in anno. Sed simplicius, *nomen Domini*, aut *eius* suppleatur, ut Noster, & Sept. fecerunt.

V. 7. OZA filius erat Abinadab, apud quem erat arca.

V. 8. LUDEBANT. Hebr. *lætabantur*. CORAM DEO, id est arca: sic vers. 10. *Mortuus est ibi coram Domino*, id est coram arca. OMNI VIRTUTE; id est, omnibus musicis instrumentis ludebant. ET PSALTERIIS. Heb. *in nablis*: quod, cum *nebel* sit *uter*, putant id instrumentum significari ea voce, quod utriculo inflatur. Nicolaus *lyram* putat, sed quæ plectro, non digitis pulsatur.

V. 9. BOS QUIPPE LASCIVIENS PAULULUM INCLINAVERAT EAM. Sept. *Quoniam inclinavit eam vitulus*. Heb. *Quoniam declinabat*, aut *deficiebat bos*, id est boves. Itaque aut boves a via divertebant, aut arcam deiiciebant, aut, ut alii volunt, deficiebant, pondus eius ferre non poterant ob eius sanctitatem, Deo ita providente, quoniam indignum erat a bobus ferri, quam suis humeris Levitæ deberent. Summa, vis verbi *sametu* non satis nota, ea occasio variandi Expositoribus. Percussit Deus Ozam. Timuit David,

V. 11. EO QUOD DIVISISSET DOMINUS OZAM. Hebr. *divisisset Dominus divisionem Ozæ*, id est peremisset, anima divisa a corpore.

MALVENDAE.

Vers. 1. INIIT AUTEM CONSILIUM DAVID, &c. nimirum cum Rex iam totius populi Israelitici creatus Ierusalaim occupasset, domum suam ædificasset, & Pelisthæos profligasset, ut scribitur II. Samuel. v. ET UNIVERSIS PRINCIPIBUS. Hebr. *Et omni ductori*: singulare pro plurali: *ad*, *per*, *omnes duces*, *antecessores*, *antistites*, *præsules*, vel *cum omnibus ducibus*, &c.

V. 2. MITTAMUS AD FRATRES NOSTROS. Hebr. *Perrumpemus*, *mittemus super fratres nostros*. Varie alii. I. *Dividemus*, *dispergemus*, *mittemus ad fratres nostros*; id est, varios & diversos nuntios mittemus; vel dividemus nuntios ad diversas partes mittendos; mittemus nuntios ad varias partes. II. *Erumpamus*, *mittamus ad fratres nostros*; id est, cursores celerrime huc illuc amandemus. Metaphora ab exundantibus aquis. III. *Passim dimittamus ad fratres nostros*. IV. e Genes. XXVIII. 14. *Multiplicemus*, *mittamus*, *nuntios ad fratres nostros*; id est, plures nuntios mittamus.

V. 3. NON ENIM REQUISIVIMUS EAM IN DIEBUS SAUL. Quidam exponunt: Arca temporibus Saulis nullam certam sedem habuit; unde nec Regi, nec populo, nec loco ulla iniuria fit si eam in urbem nostram transferamus. Vide I. Samuel. cap. IV. v. VI. & VII. Saul invenit arcam in Kiriath-Ieharim, & ibi reliquit eam, nec reduxit in Siloh. Alii explicant: Id est, externum ex lege cultum apud eam non exercuimus temporibus Saulis: nam pars illa regni in qua erat arca, frequentibus Pelisthæorum incursionibus infestabatur; sed in tabernaculo vacuo colebatur Deus. Hispanicus: *Porque desde el tiempo de Saul no la hemos buscado*; id est, *no hemos hecho caso de ella, nole hemos dado culto ni honra*. Poteris exponere: *Non requisivimus*; id est, non deportavimus, transtulimus, loco movimus. Sic hoc verbum capi videtur infra cap. XV. vers. 13. Translati tabernaculi nulla hic mentio: nam illud in Siloh remanserat; Mosaicum vero in Gabaone; & David arcæ novum tabernaculum tetendit in Ierusalem, infra cap. XVI. vers. 1. & II. Samuel. VI. 17.

V. 5. A SIHOR. Hebr. *Sichor*. Vide in Iosue XIII. 3. USQUE DUM INGREDIARIS EMATH. Hebr. *Chamath*, id est Epiphaniam, vide Gen. XIX. 18. quasi dicat, A termino australi usque ad septemtrionalem terræ promissæ. DE CARIATHIARIM: quo delata fuerat temporibus Samuelis, I. Samuel. VII. 1.

V. 6.

V. 6. COLLEM CARIATHIARIM. Forsan intelligit *Ghibghah*, de qua I. Samuel. VII. 1. & II. Samuel. VI. 3. Hebr. *In Bahalah ad Kiriath-Iebarim*. Quidam exponunt, *In Bahalam, sive ad Kiriath-Iebarima*, id est in Bahalam, quæ est ipsa Kiriath Iebarim, Iosue XV. 60. & cap. XVIII. vers. 14. בעלה *baghalah*, pro *colle* vix reperias in sacris Litteris. Vide II. Samuel. VI. 2. Ab hoc versu usque in finem capitis confer cum II. Samuel. VI. a vers. 2. usque ad II. nam omnia sunt eadem, paucis immutatis: ac vide Comm. ibidem. UBI INVOCATUM EST NOMEN EIUS; id est, ubi colebatur Deus. Vide II. Samuel. VI. 2. Hebr. *Qua vocatum fuit nomen*, subaudi Iehovæ. Quidam *nomen* hic per excellentiam positum volunt, atque intelligi nomen Dei venerandum tetragrammaton, ut Levitic. XXIV. 11. & 16. Aliqui reddunt: *Cuius invocatur nomen*; quasi dicat: Cuius Iehovæ cultus permanet adhuc, etiamsi arca a temporibus deportationis desideretur.

V. 7. DE DOMO ABINADAB; subaudi, acceptum, nempe plaustrum; vel deportandam de domo Abinadab.

V. 8. IN CYMBALIS. מצלתים *metziltaiim* formam dualis refert. Hebræi aiunt fuisse *duo instrumenta ærea, quæ se invicem percutientia, seu collidentia sonum edebant*, ac proinde exprimi forma dualis, quod bina, seu gemina fuerint. Alii sic dicta volunt, quod duplicem sonum ederent. Aliqui idem esse volunt cum צלצלים *tzeltzelim*, quæ vox ponitur II. Samuel. VI. 5. pro ista; ac numeri varietatem fortasse formæ diversitatem indicare; ut fuerit idem instrumentum, sed forma aliquantulum distincta. Vide Comm. ibi.

V. 10. CORAM DOMINO; id est, coram arca Dei, in qua Deus suam præsentiam & maiestatem exhibebat. II. Samuel. VI. 7. scribitur, *Iuxta, prope, arcam Dei*: sic supra vers. 8.

V. 14. IN DOMO OBEDEDOM TRIBUS MENSIBUS. Hebr. *Cum domo Hobed-Edom, in domo eius, tribus mensibus*. Quidam: *In domo Hobed-Edom, in domo, inquam, eius*, &c. Alii: *Apud familiam Hobed-Edomi, in domo eius, tres menses*.

MENOCHII.

Vers. 1. INIIT AUTEM CONSILIUM DAVID, &c. Cogitaverat David de arca testamenti in Ierusalem, & in arcem Sion transferenda, ut nimirum certum locum haberet, sanctius coleretur, & regiæ civitati hoc decus accederet. Convocat ergo, & consulit regni primores, ne videatur velle cuncta pro arbitratu administrare, utque celebritas maior sit ex præsentia procerum. TRIBUNIS, Chiliarchis, qui mille viris præerant. CENTURIONIBUS, qui centum imperabant.

V. 2. ET A DOMINO EGREDITUR SERMO; quasi dicat: Quia sentio me ad hoc divinitus incitari. ET AD SACERDOTES, ET LEVITAS: ad quos in primis pertinet hæc solemnitas, cum ipsorum sit arcam deferre, cantu sacro pompam prosequi, &c. QUI HABITANT IN SUBURBANIS. Non eos tantum accersamus qui in urbibus habitant, sed eos etiam qui suburbia incolunt.

V. 3. REDUCAMUS AD NOS, scilicet in arcem Sion. IN DIEBUS SAUL: quo tempore numquam Regi suggessimus ut in oportuniorem locum transferretur.

V. 5. A SIHOR ÆGYPTI, id est fluvio sive torrente qui dicitur Ægypti, & Rhinocoruram alluit, & tribum Simeonis a meridie terminat. Vox Hebraica שיחור *scihor*, *nigrum*; vel *turbidum* significat, itaque a colore aquarum torrenti nomen factum est. EMATH, oppidum ad radices Libani versus Damascum in finibus tribus Nephthalim ad boream. Hic ergo extremus est Israelis terminus ad aquilonem, ut Sihor ad meridiem, quibus terminis tota Chananitidis longitudo continetur.

V. 6. ET ASCENDIT DAVID, &c. Quæ hic habentur usque ad finem capitis, explicata sunt II. Reg. VI.

TIRINI.

Vers. 2. AD SACERDOTES, ET LEVITAS, QUI HABITANT etiam IN SUBURBANIS URBIUM: nam in Hebræo est, *in urbibus, & suburbiis ipsarum*; id est, ad omnes, quocumque in loco habitent, mittamus nuntios.

V. 3.

V. 3. NON ENIM REQUISIVIMUS arcam IN DIEBUS SAUL. Id est, non magna nobis cura fuit, immo nulla, collocandi arcam fœderis loco decenti; præpedientibus id continuis bellis ab initio regni Saulis usque ad præsens tempus.

V. 5. A SIHOR AEGYPTI, fluvio. *Sihor* Hebraice *nigram* significat. Unde putant quidam Nilum hic designari, quod eius aqua, quia turbida, vocari soleat *nigra*. Et Ierem. II. 18. ubi nos habemus, *Quid tibi vis in via AEgypti, ut bibas aquam*, turbidam? Hebraice est, *aquam Sihor*. Ergo malim de Rhinocorura altero fluvio AEgypti, & termino Palæstinæ hunc locum intelligere, iuxta dicta Iosue XIII. 3. Nam Nilus non *Sihor*, sed *Gehon* vocari consuevit, Genes. II. 13.

V. 7. OZA, ET FRATER EIUS. II. Reg. VI. 3. vocatur *Ahio*, quod idem est ac frater eius *a*. MINABANT PLAUSTRUM; id est, deducebant & observabant plaustrum quo arca vehebatur.

V. 9. CHIDON. II. Reg. VI. 6. *Nachon* vocatur, quia binomius.

V. 11. DIVISISSET, nempe animam separando a corpore. Reliqua huius capitis exposui II. Reg. VI.

(*a*) Proleg. de Idiotism. Hebr. num. 17.

GORDONI.

Vers. 3. REDUCAMUS. De hac reductione, & tempore, quo mansit arca in Cariathiarim, dixi II. Reg. cap. VI.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. *Tribunus*, Chiliarchus, præest mille viris.

V. 2. IN SUBURBANIS, & non tantum qui habitant intra urbes.

V. 5. SIHOR, שיחור, torrens AEgypti alluit Rhinocoruram.

V. 6. EMATH, urbs ad radices Libani.

CAPUT XIV.

David acceptis a Rege Tyri lignis & artificibus ad extruendam sibi domum; alias ducit uxores, at multos gignit liberos, & consulto Domino bis cædit Philisthæos.

1. MIsit (*a*) quoque Hiram Rex Tyri nuntios ad David, &
ligna cedrina, & artifices parietum, lignorumque: ut ædi-
ficarent ei domum. 2. * Cognovitque David quod confir-
masset eum Dominus in Regem super Israel, & sublevatum
esset regnum suum super populum eius Israel. 3. (*b*) Ac-
cepit quoque David alias uxores in Ierusalem: genuitque
filios, & filias. 4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt
ei in Ierusalem: Samua, & Sobad, Nathan, & Salomon. 5. * Iebahar, & Eli-
sua, & Eliphalet, 6. Noga quoque, & Napheg, & Iaphia, 7. Elisama, &
Baaliada, & Eliphalet. 8. (*c*) † Audientes autem Philisthiim eo quod unctus
esset David in Regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quærerent
eum: quod cum audisset David, egressus est obviam eis. 9. Porro Philisthiim
venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim. 10. Consuluitque David Dominum,
dicens: Si ascendam ad Philisthæos, & si trades eos in manu mea? Et dixit ei
Dominus: Ascende, & tradam eos in manu tua. 11. Cumque illi ascendissent
in Baalpharasim, percussit eos ibi David, & dixit: Divisit Deus inimicos meos
per manum meam, sicut dividuntur aquæ: & idcirco vocatum est nomen illius
loci

loci Baalpharasim. 12. Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David iussit exuri 13. Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, & diffusi sunt in valle. 14. Consuluitque rursum David Deum, & dixit ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex adverso pyrorum. 15. Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim. 16. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, & percussit castra Philisthinorum, de Gabaon usque Gazera. 17. Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, & Dominus dedit pavorem eius super omnes gentes.

(a) II. Reg. v. 11. (b) II. Reg. v. 13. (c) II. Reg. v.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 2. *Cognovitque David quod confirmasset eum Dominus in Regem*. Non est addendum, *eo* (*eo quod confirmasset*) tamquam causa detur.

V. 5. *Iebahar*, *&* *Elisua*. Non addas *& Eli*.

Lectionum Varietas.

V. 8. *Audientes autem Philisthiim eo quod unctus esset David in Regem*. Videtur hic superfluere *eo*, quemadmodum supra vers. 2.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PARIETUM, id est lapidum ad parietes.

V. 2. SUPER POPULUM. Hebr. & LXX. *propter populum*.

V. 5. ELIPHALET. Hebr. *Elipalet*.

V. 7. BAALIADA. II. Reg. v. dicitur *Eliada*.

V. 9. RAPHAIM, id est *gigantum*.

V. 11. ASCENDISSENT, scilicet David, & millites. BAALPHARASIM, id est *idolum*, seu, *planities divisionum*. AQUAE, scilicet rupto aggere, vel vase, quo continebantur.

V. 13. VALLE, scilicet eadem, nempe Raphaim.

V. 14. RECEDE AB EIS. Sic etiam LXX. Alii, *Circumda eos*. PYRORUM. Sic LXX. Alii, *mororum*.

V. 15. GRADIENTIS, scilicet Angelorum incedentium. DEUS, id est Angelus Dei.

ESTII.

Vers. 15. CUMQUE AUDIERIS SONITUM GRADIENTIS IN CACUMINE PYRORUM, TUNC EGRDIERIS AD BELLUM, &c. Sonitus iste gradientis in cacumine pyrorum, quem Deus Davidi promittit in signum, seu testimonium victoriæ, nihil aliud videtur fuisse, quam sonitus excitatus in cacumine arborum, per Angelos missos Davidi in auxilium contra adversarios. Et quia ea quæ Deus facit per Angelos, in Scriptura sacra aliquando Angelis ipsis tribuuntur, aliquando Deo, qui talia per Angelos facit, ideo hic mox de Deo ipso, subiungitur: EGRESSUS EST ENIM DEUS, &c. quasi dicat: Sonitus ille quem audies, erit signum præsentiæ, & assistentiæ divinæ. Similis locutio est quando lex data in monte Sina, modo Deo, modo Angelis tribuitur, & similiter apparitio in rubo facta Moysi.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 2. COGNOVITQUE DAVID. Magnum Regibus præſidium in amicitia vicinorum principum. Sic ex donorum miſſione a Rege Tyri cognovit regnum ſuum fore ſtabile. ET SUBLEVATUM ESSET REGNUM SUUM SUPER POPULUM. Hebr. *propter populum*: ſic Sept. *ob merita populi*. Favet Regibus Deus, & e contrario.

V. 4. SAMUA, ET SOBAD. Hi ſunt David filii, & alii quos nominat. Totidem filii David iiſdem nominibus fere numerantur cap. III.

V. 8. EO QUOD UNCTUS ESSET DAVID. Hebr. & Sept. *Audierunt Philiſthæi quod unctus eſſet*. ASCENDERUNT OMNES UT QUAERERENT EUM, id eſt pungnarent cum eo. David conſulit Deum:

V. 10. SI ASCENDAM AD PHILISTHAEOS? Sept. *contra Philiſthæos*. Hebr. על *hal* utrumque ſignificare poteſt: & Pagn. *ad Philiſthæos* dixit.

V. 11. CUMQUE ILLI ASCENDISSENT IN BAALPHARASIM. Sic per anticipationem vocatur: nam ab ea victoria ſumpſit id nomen, quod ſignificat *idolum diviſionum*, ſive *vallem diviſionum*. DIVISIT DEUS INIMICOS, id eſt diſſipavit. Victoriæ partæ argumentum, cum hoſtes dividuntur, neque in una acie conſiſtunt. SICUT DIVIDUNTUR AQUAE, ſcilicet fluvii inundantis, quæ in omnes partes effunduntur. Hebræus, *ut fluctus vento agitati in varias partes*: vel *ut fracto vaſe diſpergitur aqua*.

V. 13. IRRUERUNT. Hebr. *Addiderunt*. Sept. *Rurſus movere bellum Philiſthei*. ET DIFFUSI SUNT IN VALLE. Hebr. *in illa valle*, propter ה *he* emphaticum, quod deliteſcit in Kamez, ſcilicet in valle *Raphaim*: ſic Sept. *in valle gigantum*: ſic enim *Raphaim* interpretantur hic, & verſ. 9. *Diffuſi ſunt*, id eſt tetenderunt, caſtrametati ſunt in ea valle. David rogat Deum, an eos invadere debeat. Reſpondet Deus:

V. 14. RECEDE AB EIS. Sic Sept. Hebr. *Circumda deſuper eos*; id eſt, gyro facto diverte. EX ADVERSO PYRORUM. Hebr. *kebaim*. Sept. & Pagn. *pyros* vertunt, alii *moros*.

V. 15. SONITUM GRADIENTIS. Hebr. *vocem egreſſus*: ſed *vox* pro *ſonitu*. Ergo cum audieris Angelos ingredientes. Sept. *vocem terræ motus* dixerunt. Sed nimirum pro *zebada*, quæ hic eſt, & *paſſum hominis* ſignificat, illi *ſabara* legerunt, id eſt *turbinem*: neque voces Hebr. ſunt abſimiles. EGRESSUS EST ENIM DEUS; id eſt, Angelus Dei egreſſus eſt. Ex eo te fore victorem intelliges.

V. 17. DOMINUS DEDIT PAVOREM EIUS. Reddidit eum formidabilem, qui in omni bello victoriæ nervus & fundamentum eſt, hoſtibus ſcilicet incuſſus pavor Davidis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI, &c. Totum iſtud caput, ultimo verſu excepto, conferendum cum II. Samuel. v. a verſu 11. uſque ad finem capitis, nam omnia ſunt prope modum eadem: inde ergo petendi Comm.

V. 2. COGNOVITQUE DAVID QUOD CONFIRMASSET EUM DOMINUS IN REGEM, &c. Diverſe alii ex Heb. transferunt. I. *Et cognovit David quod direxit eum Iehovah in Regem*; id eſt, & ab interno motu; & ab externis effectis intellexit David Deum res ita direxiſſe & diſpoſuiſſe, ut ipſe Rex conſtitueretur ſuper Iſraelem. II. *Ex expertus eſt David quod ſtabiliviſset ſe Iehova*; vel *Iehovam ſtabiliviſſet ſe in Regem*. Sed quia hoc amphibolum eſt, reddunt: *Cum expertus eſset David a Iehova ſtabiliri ſe in Regem*. Sed quid neceſſe eſt affixum reciproce accipere, cum ſimplex ſenſus ſit? *Et cognovit David quod apparavit eum Iehovah in Regem*, &c. Verbum הכין *hechin* omnia iſta complectitur, *apparavit*, *aptavit*, *conſtituit*, *ſtabilivit*, *firmavit*, *ordinavit*, *decrevit*, *ratificavit*, *inſtruxit*, *certificavit*, *diſpoſuit*, *direxit*. Sic quoque accipiendus hic locus II. Samuel. v. 12. ET SUBLEVATUM ESSET REGNUM SUUM. Hebr. Quidam reddunt: *Et quod elevatum eſſet ſurſum verſus regnum ſuum*; id eſt, quod creviſſet in magnam dignitatem. Alii: *Quia ſurſum extollebatur regnum eius*. ET HAEC NOMINA EORUM, &c. Vide de his ſupra cap. III.

III. verſ. 5. & ſeqq. EORUM QUI NATI SUNT EI IN IERUSALEM. Heb. *Natorum qui fuerunt ei in Ieruſalem*; id eſt, qui nati fuerunt ei in Ieruſalem. Traiectio.

V. 12. QUOS DAVID IUSSIT EXURI. Hebr. *Et dixit David, & combuſti fuerunt in igne*; id eſt, qui edicente Davide exuſti ſunt igne.

V. 13. ET DIFFUSI SUNT IN VALLE. Quidam in ea valle, ſcilicet Rephaimorum, de qua ſupra verſ. 9. ut etiam exprimitur II. Samuel. v. 22.

V. 14. NON ASCENDAS POST EOS, RECEDE AB EIS ET VENIES CONTRA ILLOS, &c. Heb. *Non aſcendes poſt eos: circumgyra de ſuper eos, & venies in eos*. Quidam, quia hic locus nonnihil diverſe ponitur ab eo II. Samuel. v. 23. ut utrumque concilient poſthabita ratione interpunctionis Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ, ita diſpungunt: *Non aſcendes*, ſcilicet directe & recta contra eos: & hic figenda diſtinctio: deinde ſeparatim legendum; *poſt eos recede ab eis, & venies contra illos*, &c. Vel, ut Hebræa habent, *Poſt eos gyra a ſupra eos, & venies ad eos e regione arborum*. Inſtruit eum Deus, ut poſt eos ex parte ſuperiore gyret, ſeu circumducat exercitum, & e regione multitudinis arborum crebrarum ibidem exiſtentium aggrediatur hoſtes. Videntur arbores illæ fuiſſe a tergo Peliſthæorum. Alii, ſervata interpunctione, exponunt: *Non aſcendes poſt eos*, id eſt contra eos, nimirum directa fronte: *ſed gyra de ſuper eos*, &c. Vel, *Ne aſcendito* iam iam *poſt eos*, ſed exſpecta tantiſper, & poſtea *gyra deſuper eos*, &c. Quidam reddunt: *Nec aſcendito poſt eos: diverte ab eis poſtea aggredieris eos, ex adverſo mororum*.

V. 15. EGRESSUS EST ENIM DEUS ANTE TE. Nonnulli putant ex contextu inſinuari, Davidem a tergo, Deum a fronte Peliſthæos invaſiſſe in medio poſitos. Sed nihil neceſſe eſt ita accipere, cum poſſit intelligi, Deum Davidi a tergo aggredienti Peliſthæos præiviſſe.

V. 16. DE GABAON. II. Samuel. v. 25. dicitur *de Gabaa*, ſeu *Ghebagh*. Quidam ibi Gabaonem vel Ghibhonem intelligunt (eiſdem litteris utrumque nomen ſcribitur) aut hic Ghibhonem pro Ghebagh poſitum. Potuit eſſe ut ab utraque urbe fugæ initium ſit factum: nam utraque urbs erat tribus Biniaminis, nec multum inter ſe diſtantes. Vide Ioſue XVIII. 24. & 25.

V. 17. DIVULGATUMQUE EST NOMEN DAVID, &c. Hunc verſum videtur Auctor ſingulariter adieciſſe in laudem Davidis; ut ſane totus hic I. Lib. Chronicorum eius rebus præclare geſtis potiſſimum deſtinatus videtur.

MENOCHII.

Verſ. 1. & 2. MISIT QUOQUE HIRAM, &c. Hi duo verſiculi habentur II. Reg. v. verſ. 11. & 12. Vide ibi dicta.

V. 3. ACCEPIT DAVID ALIAS UXORES. De uxoribus, & filiis David, vide dicta hoc Lib. cap. III. num. 9.

V. 8. AUDIENTES AUTEM PHILISTHIIM, &c. Hæc uſque ad finem capitis repete ex II. Reg. v. 17. ubi ea explicavimus.

TIRINI.

Verſ. 1. MISIT HIRAM REX TYRI. An requiſitus a Davide, uti poſt a Salomone III Reg. v. 2. an ultro, & ſponte ſua, fœdus, amicitiamque obtulit, ne forſan & ipſe aliquando adverſarium pateretur, quem videbat tam proſperis initiis, & felicibus ſucceſſibus uti?

V. 2. COGNOVITQUE DAVID QUOD CONFIRMASSET EUM DOMINUS IN REGEM. Non potuit id certo noſſe ex primis adeoque proſperis regni initiis: nam & Sauli obtigerant ſimilia, nec tamen confirmatum aut ſtabilitum fuerat regnum ipſius; ſed prophetice, & revelante Deo id cognovit.

V. 11. & 12. BAAL-PHARASIM ſignificat vel *vallem diviſionis*, ſeu occiſionis, ut dixi capite præcedenti verſ. 11. vel *idolorum diviſionem*. Sic enim voluit hanc vallem ante dictam *Raphaim*, id eſt gigantum, vocare David occaſione huius novæ victoriæ, qua & hoſtes diviſi, & inſtar aquæ rupta hydria, diſperſi in terram: & *idola quoque diviſa* ſunt, tum ab iis qui illa coluerant; nam, ut ſubditur, DERELIQUERUNT IBI DEOS SUOS: tum a ſe ipſis, & in ſeipſis: nam DAVID IUSSIT EXURI

ad

ad unum omnes, iuxta præceptum Domini, Deuter. cap. VII. verſ. 2. & 25.

V. 14. NON ASCENDAS POST EOS. II.Reg.v.23. dicit: *Non aſcendas contra eos*, nempe recta in adverſos holtes irruendo; ſed recede ab eis, & capto circuitu mitte qui illos a tergo aggrediantur: ſed ne prius vel inde quis irruat in hoſtem, quam cælitus ſignum dederim. Conſiſtant ergo tui iſtic immoti EX ADVERSO PYRORUM, quo ad audiant ſtrepitum auræ tenuis, qua arborum cacumina, ſine alio vento moveantur. Hoc enim certum erit tibi ſignum adeſſe tum præſentem opem Dei, qua roboratus ſternes omnes acies hoſtiles, cohorte angelica præeunte, & territante, ac turbante hoſtes, eoſdemque fugante, & una vobiſcum cædente. Ita Ioſephus, Theodoretus, & alii. Cur ex illa adverſa parte iuſſerit Deus caſtra Philiſthinorum invadi, cauſam dant Hebræi, teſte S. Hieronymo: neque improbat Angelomus, & Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, quod collocaſſent in ea caſtrorum parte idola ſua, quæ ſecum præſidii cauſa advexerant. Quaſi hoc facto voluerit Deus indicare, nullum totis caſtris locum, quam quem idola tuerentur, expugnatu faciliorem eſſe: immo per illam præcise partem, tamquam minime omnium munitam, aditum apertum iri ad facilem, illuſtremque victoriam.

CAPUT XV.

Deducitur magno cum apparatu arca Dei in Ieruſalem, comitante omni Iſrael, Sacerdotibus vero, ac Levitis iuxta ſua officia miniſtrantibus: & Michol deſpicit David coram arca ſaltantem, indutum ſtola byſſina, & ephod lineo.

1. FEcit quoque ſibi domos in civitate David: & ædificavit lo-
cum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum. 2. Tunc dixit
David: Illicitum eſt ut a quocumque portetur arca Dei niſi a
Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad
miniſtrandum ſibi uſque in æternum. 3. Congregavitque
univerſum Iſrael in Ieruſalem, ut afferretur arca Dei in lo-
cum ſuum, quem præparaverat ei. 4. Nec non & filios
Aaron, & Levitas. 5. De filiis Caath, Uriel princeps fuit, * & fratres eius cen-
tum viginti. 6. De filiis Merari, Aſaia princeps; * & fratres eius ducenti vigin-
ti. 7. De filiis Gerſom, Ioel princeps; * & fratres eius centum triginta. 8. De
filiis Eliſaphan, Semeias princeps; & fratres eius ducenti. 9. De filiis Hebron,
Eliel princeps; & fratres eius octoginta. 10. De filiis Oziel, Aminadab prin-
ceps; & fratres eius centum duodecim. 11. Vocavitque David Sadoc & Abia-
thar Sacerdotes, & Levitas, Uriel, Aſaiam, Ioel, Semeiam, Eliel, & Abina-
dab: 12. & dixit ad eos: Vos qui eſtis principes familiarum Leviticarum, ſanctifica-
mini cum fratribus veſtris, & afferte arcam Domini Dei Iſrael, ad locum
qui ei præparatus eſt: 13. (*a*) ne ut a principio, quia non eratis præſentes,
percuſſit nos Dominus; ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. 14 San-
ctificati ſunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Iſrael.
15. (*b*) Et tulerunt filii Levi arcam Dei, ſicut præceperat Moyſes iuxta verbum
Domini, humeris ſuis, in vectibus. 16. Dixitque David principibus Levitarum,
ut conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicorum, nablis videlicet,
& lyris, & cymbalis, ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ. 17. Conſtituerunt-

que Levitas: Hemam filium Ioel, & de fratribus eius, Asaph filium Barachiæ! de filiis vero Merari, fratribus eorum, Ethan filium Casaiæ. 18. Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, & Ben, & Iaziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, Eliab, & Banaiam, & Maasiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededom, & Iehiel, ianitores. 19. Porro cantores, Heman, Asaph, & Ethan; in cymbalis æneis concrepantes. 20. Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, & Eliab, & Maasias, & Banaias, in nablis arcana cantabant. 21. Porro Mathathias, & Eliphalu, & Macenias, & Obededom, & Iehiel, & Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion. 22. Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens. 23. Et Barachias, & Elcana, ianitores arcæ. 24. Porro Sebenias, & Iosaphat, & Nathanael, & Amasai, & Zacharias, & Banaias, & Eliezer, sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: * & Obededom, & Iehias, erant ianitores arcæ. 25. (c) Igitur David, & omnes maiores natu Israel, & tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia. 26. Cumque adiuvisset Deus Levitas, qui portabant * arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes. 27. David erat indutus stola byssina, & universi Levitæ qui portabant arcam, cantoresque, & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo. 28. Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes. 29. Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit Regem David saltantem atque ludentem, & despexit eum in corde suo.

(a) Supra xiii. 20. (b) Numer. iv. 15. (c) II. Reg. vi. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Et fratres eius centum viginti*. Non augeas numerum centenario, scribens *ducenti*, prout scribitur proximo versu pro *centum*.

V. 6. *Et fratres eius, ducenti viginti*. Nec hic augeas numerum denario, scribens *triginta*, prout scribitur proximo versu, pro *viginti*.

V. 7. *Et fratres eius centum triginta*. [Hic non minuas numerum denario, scribens *viginti*, prout scribitur versibus superioribus, pro *triginta*.

V. 24. *Et Obededom, & Iehias erant ianitores arcæ*. Pro *Iehias* non scribas *Achimaas*.

V. 26. *Arcam fœderis Domini*. Non omittas *fœderis*.]

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. TABERNACULUM, scilicet a se factum: quod Moyses fecerat, erat tunc in Gabaa. Vide cap. seq.

V. 10. FILIIS, id est nepotibus aliis, seu posteris, non per Elisaphan eius filium descendentibus.

V. 12. SANCTIFICAMINI; id est, parate vos sancte.

V. 13. NE UT A PRINCIPIO, &c. Hebr. *Quia vos non adfuistis a principio, fecit Deus in nobis dispersionem, quia non quæsivimus eum secundum iudicium*; id est, ut par erat, seu debito ritu. LXX. *Quia vos in principio non eratis, percussit Dominus Deus noster in nobis, quia non quæsivimus* eum

eum in iudicio. PRAESENTES, scilicet portando arcam, ut oportebat.

V. 16. IN EXCELSIS, id est sublatus.

V. 18. SECUNDO, scilicet dignitate.

V. 20. ARCANA CANTABANT. Hebr. *super Halamoth*: nomen est instrumenti musici. Vide titulum Psal. IX. & XLV. LXX. verterunt *de arcanis*.

V. 21. PRO OCTAVA. Hebr. *super Seminith*. Forte erat instrumentum octo chordarum, unde ei nomen Octavæ. Vide Psal. IV. & VI. CANEBANT EPINICION, id est *victoriæ canticum*. Hebr. *Ad vincendum*, seu *prævalendum*, id est *ad vocem exaltandam*, ut quidam interpretantur.

V. 22. PROPHETIAE, id est Dei laudibus canendis: sic inf. PRAECINENDAM, id est moderandam, seu dirigendam.

V. 23. ARCAE, scilicet ubi collocata fuisset: forte etiam in via id curabant, ne quisquam prope accederet. Erant & alii duo, ut statim dicitur: forte bini præcedebant arcam, vel vicissim officio suo fungebantur.

V. 26. ADIUVISSET. LXX. *confortaret*. Dicunt Hebræi, nullum sensisse onus portando arcam. IMMOLABANTUR, scilicet subinde.

V. 27. STOLA, id est indumento. Hebr. *pallio*. LINEO. LXX. *byssino*. Intellige repetitionem esse, & explicationem eius quod proxime dictum fuerat de stola byssina.

V. 29. LUDENTEM, id est exultantem.

ESTII.

Vers. 10. ET TULERUNT FILII LEVI ARCAM DEI, SICUT PRAECEPERAT MOYSES IUXTA VERBUM DOMINI, HUMERIS SUIS IN VECTIBUS: nempe ita præceptum erat Num. IV. Ex quibus patet, tunc quando Oza percussus est, supra cap. XIII. peccatum fuisse primo, in eo quod arca non fuerit portata a Levitis, sed imposita plaustro; deinde etiam in eo, ut apparet, quod Oza arcam tetigerit inclinatam, etiam si non nuda esset, sed involuta: nam ne quidem involuta tangi debebat ab iis qui non erant sacerdotalis generis, sed tantum, ut videmus, in vectibus portari. Ideo enim hoc de vectibus videtur fuisse præceptum. Vide etiam quæ annotata sunt supra cap. XIII. & Num. VII.

V. 27. PORRO DAVID ERAT INDUTUS STOLA BYSSINA, ET UNIVERSI LEVITAE. Et mox: DAVID .... ETIAM INDUTUS ERAT EPHOD LINEO, id est superhumerali lineo. Liquet hinc id quod dicit Michol II. Reg. VI. Davidem discooperuisse se, & nudatum fuisse, non sic posse intelligi quasi vestitus non fuerit, sed tantum dicitur nudatus fuisse, id est exutus veste regia. Nam, ut videmus, præter ephod lineum, cuius etiam illic fit mentio, indutus erat stola byssina, quemadmodum Levitæ.

MARIANAE.

Vers. 1. TABERNACULUM, scilicet novum fecit David: nam quod fecit Moyses erat in Gabaon, cap. XVI. vers. 39.

V. 2. ILLICITUM EST UT A QUOCUMQUE. Hebr. *Non ad portandum arcam Domini, nisi Levitæ, quoniam in ipsis elegit Dominus ad portandum arcam Dei*. Constructio inversa. Hieronymus sententiam expressit. Summa, nolle Deum ut arca in curru portaretur, sed humeris Levitarum. ET AD MINISTRANDUM SIBI, scilicet Deo. Sept. *ipsi*, scilicet arcæ. Hebr. *& sibi*, verti possunt, id est Deo, & *illi*, id est arcæ.

V. 5. DE FILIIS CAATH. *Filiis*, id est nepotibus, posteris. Superius cap. VI. vers. 1. tres Levi filios numerat, Gerson, Caath, & Merari. FRATRES, id est cognati. CENTUM VIGINTI. Sic Sept. Hebr. *ducenti viginti*. Sic Gotth. & Regia Vulgata.

V. 8. DE FILIIS ELISAPHAN. Hic videtur fuisse *Caath*, & alio nomine hic vocari: nam Hebron, & Oziel, qui proxime sequuntur, illius filii erant, scilicet Caath, cap. VI. 18. Aut Elisaphan fuit filius Caath, unus ex iis qui alio nomine cap. VI. vocantur. Aut vero propius fuit filius Oziel patruelis Aaron, Lev. X. 4. Sic *De filiis Elisaphan*, perinde erit ac de posteris Elisaphan: & has familias sigillatim recenset, quoniam præ ceteris nobiliores.

V. 11. SADOC, ET ABIATHAR SACERDOTES, scilicet summos: aliquamdiu enim

enim videntur simul Pontificatum gessisse. De hac re tamen II. Reg. VIII. 17. & cap. XV. vers. 24.

V. 12. SANCTIFICAMINI, id est comparate vos. Si quis est immundus, purificetur.

V. 13. NE UT A PRINCIPIO, QUIA NON ERATIS PRAESENTES. Hebr. *Quoniam in principio non vos* (scilicet portastis arcam.) PERCUSSIT NOS DOMINUS. Hebr. *Divisit Dominus Deus noster in nobis*; pro, *percussit nos*. SIC ET NUNC FIAT ILLICITUM QUID NOBIS AGENTIBUS. Hebr. *Quoniam non quæsivimus eum in iudicio*; id est, non fecimus, ut erat statutum, ut arca humeris portaretur.

V. 16. CONSTITUERENT.... CANTORES IN ORGANIS MUSICORUM: sic Sept. Hebr. *In vasis* (seu *instrumentis*) *cantici*. NABLIS VIDELICET. Vocem Hebr. hic reliquit, pro qua cap. XIII. vers. 8. *psalteria* posuit. Porro psalterium decem chordarum erat, & plectro pulsabatur, ut Lucas Tudensis in Chron. Lib. I. UT RESONARET IN EXCELSIS. Hebr. *Audire facientes* (scilicet cantores, aut lyræ) *ad elevandum in voce lætitiæ*, ut ל *lamed* sit nota genitivi לשמחה *lesimhah*, id est *lætitiæ*.

V. 18. BEN, ET IAZIEL. Quidam, quasi coniuctio *&* redundet, vertunt *filius Iaziel*: sic Sep. Ii erant e cantorum numero.

V. 20. IN NABLIS ARCANA CANTABANT. Sept. *In nablis pro arcanis*. Hebr. *In nablis super Halamoth*. Plerique *Halamoth*, pro qua voce Sept. & Hieron. *arcana* posuerunt, nomen instrumenti musici esse putant, quod una cum quibusdam psalmis, ut in titulo designatur, pulsari debebat, & nunc designatur ad quos spectaret illud pulsare. Quædam alia sunt dicta in tit. Psal. IX. quæmadmodum proximo versu, ubi nos:

V. 21. IN CITHARIS PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION: Hebr. *In citharis super seminith lenezah*. Iidem credunt *seminith* significare instrumentum, sic dictum ab octo chordis. Sed erat simplex *seminith*, & alterum a victoria cognomentum (id *nezah* est) quod excelleret præ aliis, & quo pulsando certus ordo designatur hic. Porro *epinicion* quod Hieronymus hic posuit, victoriæ, aut pro victoria canticum significat. Chonenias.

V. 22. PROPHETIAE PRAEERAT. Vox Hebr. משא *masa* potest significare *elevationem vocis*, sic Sept. quasi dicat: Præ ceteris vocem elevabat. Sed quorsum quod sequitur: ERAT QUIPPE VALDE SAPIENS? Significat etiam prophetiam: & hoc loco *prophetare* non est *futura prædicere*, sed *laudare Deum*, de quo I. Reg. x. vers. 10. Ergo Chonenias erat præfectus sive elevationi vocis, seu Dei laudibus, quasi magister & ductor cantorum. AD PRAECINENDAM MELODIAM. Hebr. *Principatum tenebat*: repetitio. Hebræus vocem יסר *iasor* sumit in significatione increpandi; quasi dicat: Increpabat sive elevationem, sive prophetiam, quoties aliquis aberrabat.

V. 23. IANITORES ARCAE. Hic & vers. I. quatuor ianitores arcæ designantur, fortasse ad summovendam turbam, cum portabatur.

V. 25. ET TRIBUNI: sic Sept. χιλίαρχοι. Hebr. *Principes millium*: sed per *millia* diximus oppida aliquando significari: I. Paral. XII. 20.

V. 26. CUMQUE ADIUVISSET DEUS LEVITAS. Hinc Hebræi colligunt, Levitas sine ullo labore arcam portasse. Ego credam significari sine offensione portatam, idque Dei nutu, & ope.

V. 27. DAVID ERAT INDUTUS STOLA BYSSINA, lineo amictu. EPHOD LINEO. Sept. *Et super David byssinum ephod*. Itaque Levitæ, & cantores *ephod* portabant, David *ephod*, *&* *stolam*: aut per *ephod* explicatur quid esset *stola byssina*. Hebr. *Pallium byssinum* est, ubi Noster *stola byssina* dixit.

V. 28. CONCREPANTES. Hebr. *Audire facientes*, si referatur ad populum; si ad instrumenta, *audire facientibus*.

V. 29. ATQUE LUDENTEM David vidit Michol: sic Sep. & Pagnin. Vox Hebr. *lætantem* potius significat, aut dic *ludentem præ lætitia*, scilicet David.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. 1. FECIT QUOQUE SIBI DOMOS IN CIVITATE DAVID. Quidam Hebræa reddunt: *Cum feciſſet ſibi domos in civitate David*. Antecedens ſuo, & relativi loco, ut Geneſ. IX. verſ. 6. pro: Cum autem feciſſet ſibi David domos in civitate ſua. Poſſis ſubaudire: *Et fecit David ſibi domos in urbe Davidis*; id eſt, non in reliquis Ieruſalaimis, ſed in ipſa munitione ſeu arce Tziionis: quæ proprie *Urbs Davidis* dicitur. *Domos*. Multas habebat uxores, plurimos filios, multis domibus opus fuit. ET AEDIFICAVIT LOCUM ARCAE DEI. Hebr. *Et præparavit locum ipſi arcæ Dei*. Quidam putant, muro proprio cinxiſſe ſpatium, ſeu ædificium, intra quod tetendit tabernaculum, in quo collocanda erat arca. At poſſumus intelligere præparaſſe locum arcæ, id eſt tetendiſſe ei tabernaculum, etiam abſque muro, & ædificio, ut ſequens membrum ſit huius prioris exegeſis: unde illud, *Et tetendit ei tabernaculum*, accipiendum pro, *Id eſt, tetendit ei*, &c. *tabernaculum*, ſeu *tentorium*, novum aliud ſcilicet, a ſe extructum, diſtinctum ab illo quod fecerat Moſes in deſerto: nam illud Moſaicum per hæc tempora uſque ad Salomonem ſervabatur in Gabaone, ſeu Ghibhone, infra cap. XVI. verſ. 39. & cap. XXI. verſ. 29. & II. Paralip. I. verſ. 3. & 6.

V. 2. ILLICITUM EST UT A QUOCUMQUE PORTETUR ARCA DEI, NISI A LEVITIS. Hebr. *Non ad portare arcam Dei, quin immo Levitæ*. Quidam: *Non ferre*; id eſt, nemini licet ferre *arcam Dei, niſi Levitis*: vel *non eſt fas ut quiquam portent arcam Dei, niſi Levitæ*. Alii: *Arca Dei portari non debet, niſi a Levitis*. Nonnulli: *Non ſunt laturi arcam Dei, niſi Levitæ*. QUOS ELEGIT DOMINUS AD PORTANDUM EAM, Numer. IV. ubi de eorum munere late: ac humeris baiulandam, Numeror. VII. verſ. 9.

V. 8. DE FILIIS ELISAPHAN: de quo vide Exod. VI. verſ. 22.

V. 9. DE FILIIS HEBRON: de quo vide Exodi VI. verſ. 18. & ſupra VI. 18.

V. 10. DE FILIIS OZIEL: de quo vide Exodi VI. verſ. 18. & ſupra cap. VI. verſ. 18. Notant, hic filios Huzielis accipiendos alios poſteros Huzielis, qui non deſcenderunt ab eo per Eliſaphan: nam Eliſaphan iſte, cuius meminit verſ. 8. fuit filius Huzielis, Exod. verſ. 22. Obſervant inſuper, verſ. 5. 6. & 7. enumeratos poſteros trium filiorum Levi, Kehathi, Merari, & Gherſomi; at verſ. 8. 9. & 10. tranſitum ad poſteros filiorum Kehathi, Elitzaphani, Chebronis, & Huzielis.

V. 13. NE UT A PRINCIPIO, QUIA NON ERATIS PRAESENTES, PERCUSSIT NOS DOMINUS. Hebr. *Quia in primis non vos, irrupit Iehovah Deus noſter in nos*: Quidam: *Quia a principio non fuiſtis, diviſit Iehava Deus noſter nos*. Alii: *Quandoquidem enim hoc ab initio non feciſtis, rupturam fecit in nobis Dominus Deus noſter*. Nonnulli: *Quia principio vos non feciſtis hæc, irrupit Iehova Deus noſter in nos*. Senſum eſſe aiunt: Quia vos non portaſtis arcam humeris veſtris, ut lege cautum eſt, Numer. VII. verſ. 9. ſed plauſtro deferendam impoſuiſtis: idcirco Iehovah graſſatus eſt in nos interfecto Huzah. Vide ſupra verſ. 2. & cap. XIII. verſ. 7. 10. & 11. & I. Samuel. VI. 3. 6. & 7. SIC ET NUNC FIAT, ILLICITUM QUID NOBIS AGENTIBUS. Hebr. *Quia non requiſivimus eum ſecundum iudicium*; id eſt, non eum, ſcilicet Iehovah coluimus iuxta ritum, ſeu rite. Quidam: *Non ſumus proſecuti eum illo bonore quo debebamus*. Hiſpanicus: *Por quanto no le breſcamos ſegun la ordenança*; id eſt, *no le ſervimos como el tiene mandado*. Alii: *Cum non requireremus eum rite*, ſecundum verbum & legem eius. Nonnulli pronomen *eum* ad arcam referunt, quæ Hebr. eſt communis generis: *Quia non requiſivimus eam iuxta ritum*; id eſt, non deportavimus eam humeris ſacerdotum, ſeu Levitarum, ex præſcripto legis, Numer. IV. & cap. VII. verſ. 9. ſic verbum *requirendi* ſumi notabamus ſupra cap. XIII. verſ. 3. Aliqui: *Quia non ſolicite requiſivimus eum*, quemadmodum opportuit; id eſt, non diligenter perquiſivimus & ſcrutati ſumus quid nobis circa eius cultum agendum eſſet, in deportanda arca.

V. 15. IUXTA VERBUM DOMINI, &c. Num. VII. verſ. 9.

V. 17. HEMAA FILIUM IOEL: qui

Ioel fuit filius Samuelis Prophetæ Kehathitæ: erat igitur Heman nepos Samuelis. Vide supra cap. VI. vers. 33. ASAPH: de quo vide supra cap. VI. vers. 39. ETHAN: de quo supra cap. VI. vers. 44.

V. 19. IN CYMBALIS AENEIS CONCREPANTES. Hebr. *In metziltbaiim æris ad faciendum audire*, vel *ad resonandum*. De instrumentis musicis, quæ dicta sunt מצלתים *metziltbaiim*, vide Comm. in cap. XIII. vers. 8. Observant, hoc esse primum genus musicæ eorum trium quæ hoc, & duobus sequentibus versibus memorantur. Quidam exponunt: *In cymbalis æneis ad faciendum audire*: ut significetur fuisse ea cymbala valde resonantia, ad differentiam cymbalorum parvi soni, quibus uti solent mulieres in choreis; quasi dicat: In cymbalis quæ clare, alte, & sonore crepitabant. Nonnulli: *In cymbalis chalybeis resonabant*; id est, exercebant musicam diatonum, quam modulationem naturalem vocat Boetius: de qua vide Henricianum Græcum Thesaurum Tomo III. col. 1289.

V. 20. OZIEL. Hebr. *Ghaziel*, qui supra vers. 18. dictus fuit Iaghaziel. IN NABLIS ARCANA CANTABANT. Hebr. *In nabliis super Ghalamoth*. Notant, hic describi secundum genus musicæ. Diversimode exponunt. I. *In psalteriis super ghalamoth*. Quodnam instrumentum musicum fuerit נבל *nebel*, quod plerique *nablum*, vel *nablium*, alii *psalterium* reddunt, vide I. Samuel. X. vers. 5. עלמות *ghalamoth*, quæ vox in titulo Psalm. IX. & XLV. ponitur, plerique Hebræorum aiunt esse nomen proprium *instrumenti musici*, *quod cum nablis adhibebatur*: vel certum genus quoddam *melodiæ*, seu *harmoniæ hodie ignotum*: vel *initium cantionis alicuius vulgaris*, *ad cuius modulos cantarent*. II. *In nabliis super*, vel *pro*, *adolescentulis*, feminee, nimirum ut adolescentulæ eos psalmos, vel cantica in nablis decantarent, e Psalm. LXVII. vers. 26. III. ex significato עלם *ghelem*, *adolescens*, *iuvenis*, *privatus*, *Ghalamoth* hic intelligunt homines privatos, & idiotas; pro quibus volunt aliquos Psalmos compositos, nempe eos quibus in titulo ea vox præfigitur: sicut alii, quibus inscribitur titulus למנצח *lamnatztzeach*, pro illis erant compositi, qui erant in publico ministerio, quibus populus, & *Ghalamoth*, id est privati, respondebant: unde hic reddunt, *In nabliis pro privatis & idiotis*; id est, ut eos psalmos, seu cantica privati, & idiotæ canerent, respondendentes publicis ministris. IV. *Cum nabliis virginum*, seu *virgineis*: ut Parthenæa genus musices vocarunt Dores, id est cum nabliis acutæ symphoniæ; hoc est, ut vulgus musicorum dicit, Alto, & Superiore, seu Suprano, aut Tiple: sive ut veteres vocabant, sonis synemmenis, diazeumenis, & hyperboleis: qui soni optime vocibus virginum referuntur. Sunt autem hæc plerumque in chromate posita, secundo genere musices. De quo vide Plutarchum opusculo de Musica, & in opusculo contra Epicuræos; Vitruvium Lib. V. cap. IV. Macrobium Lib. II. in somnium Scipionis, cap. IV. Martianum Capellam Lib. IX. capite de Sonis, & capite de Generibus tetrachordorum. Ceterum hic quidam *Ghalamoth*, pro gravi, & ima voce, seu modulatione accipiunt. Alii tutius censent veritatem ignorari. Certe Hebræis *Ghalamoth* proprie *virgines*, *adolescentulas*, seu *absconsiones*, *arcana* significat.

V. 21. IN CITHARIS PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION. Hebr. *In citharis super Scheminith ad vincere*. שמנית *scheminith* proprie est *octava*. Reperitur hæc vox in titulo Psalm. VI. & Psalm. XI. Aiunt esse nomen *instrumenti musici octo chordis constantis*, *quod cum citharis adhibebatur*: aut genus quoddam *harmoniæ musicæ*, *quod nunc ignoratur*. Vel *octavum tonum*, *ut vocant*, *qui clarissimus & intentissimus est*: vel *octavam in cantu voce elatissima*: aut *initium alicuius vulgaris cantilenæ*, *ad cuius modulos decantarent*: vel fuisse *canticum*, *quod octo vocibus*, *ut musici loquuntur*, *canebatur*. Locum varie interpretantur: *In citharis super octavam ad urgendum*, *instandum*, *contendendum*, *incitandum*, *invalescendum*, *prævalendum*, *acuendum*, *acriter continuandum*, *vincendum*, *triumphandum*. Verbum נצח *natzach*, proprie est *vincere*, seu *victoriose opus*, vel *operam ad finem perducere*. Exponunt, Ad contendendum vocem, ad obtinendum in cantu, ad superandum & prævalendum in cantu vocis elatione, ad attollendam vocem ut vincantur alii, ad contendendum vocem in cantu plusquam alii: quam ad rem citharis ad octavam harmoniæ genus utebantur, ut hic dicitur. Notant, inter

hæc

hæc tria musices genera, citharas velut principatum obtinuisse, & vocis altitudine superiores fuisse, ideo dici לנצח *lenatztzeach*, *ad vincendum*. Hispanicus *Cantavan con arpas en la octava sobre puiando*, id est superando. Alii reddunt: *Cum citharis super octava*; id est, quam musici vocant *Diapason*: vel *gravi symphoniæ præerant*; id est, ut vulgus musicorum vocat, Basso, & Tenore: sive ut veteres, hypatis, & messis, id est imis, & mediis sonis: quod genus cantionum fere in Harmonia, tertio genere musices positum est: de quo Plutarchus, Vitruvius, Macrobius, Capella locis superiore versu citatis. Isti ergo *scheminith* gravem symphoniam, seu harmoniam esse volunt: ut cernas quam obscura & incerta sint ista in tanta vetustate. Nec desunt qui vertant: *In citharis super octavam*, *ut præessent*, vel *ad solicitandum*. Observant, ad horum trium musices generum, quæ hic describuntur, imitationem, videri Græcos postea tria quoque harmoniarum musicarum genera habuisse, Doricum, Ionicum, AEolicum, de quibus vide Athenæum Lib. XIV. cap. v.

V. 22. CHONENIAS AUTEM PRINCEPS LEVITARUM PROPHETIAE PRAEERAT. Hebr. *Et Chenaniahu princeps Levitarum in levanda*. משא *massa*, proprie *levamen*, *levandam*, *onus*, significat. Noster pro prophetia accepit, ut alibi sæpe in Scriptura, quæ *onus* dicitur. Sed tunc prophetiam gravem denotat, qua alicui malum prædicitur, quod tamquam onus ferre debeat. Verum hic *prophetiam* intelligunt munus, laudes divinas, hymnos, & psalmos cantandi, ut I. Samuel. x. vers. 5. quasi dicat: Præscribebat prophetias quas canerent. Vide infra cap. xxv. vers. 1. 2. & 3. Alii: *In elevatione*, *exaltatione* vocis; id est, præerat symphoniæ acutæ: in qua voces superiores erant, & attollebantur. Plerique: *Præerat iis* qui erant *in latione*, sive *in onere*, sive quibus incumbebat munus *portandi*, vel *ferendi*, arcam, & quæ ad arcam pertinebant, e Numer. IV. ET AD PRAECINENDAM MELODIAM. Hebr. eadem voce משא *massa*, *Castigare in levanda*. Diversimode alii. I. *Principatum tenebat in prophetia*; id est, in munere distribuendi, & præscribendi psalmos, & hymnos propheticos, quos decantarent. II. *Castigando in elevatione* id est, moderabatur symphoniam acutam; & supremam. III. *Ipse enim moderabatur, lationem*. IV *Erudiebat de munere portandi*; id est, imperabat modum, & tempus gestandi, interquiescendi, & baiulos commutandi. Vide infra vers. 27.

V. 23. IANITORES ARCAE. Quidam; *ianitores*, *astantes arcæ*; id est, qui ex munere suo alias ianitores erant tabernaculi, seu sacræ ædis, nunc arcæ in hac sacra pompa assistebant. Alii exponunt, isti duo subsequebantur arcam, tamquam custodes & ianitores arcæ: ut duo alii, de quibus versu sequente, præcedebant deducentes arcam: vel e converso duo isti antecedebant, & duo alii versu sequente subsequebantur. Aut certe quatuor isti, per vices bini fungebantur officio ianitorum & custodum arcæ, dum ea deducebatur, ne quisquam prope accederet.

V. 26. CUMQUE ADIUVISSET DEUS LEVITAS, QUI PORTABANT ARCAM, &c. Varie exponunt. I. *Adiuvisset*; id est, levavisset pondere, onere, labore, ferendi arcam. Tradunt Hebræi, eos ferentes arcam nullum pondus sensisse. Sed id incertum. II. *Adiuvisset*; id est, servasset incolumes, nec interfecisset, ut fecit in prima deportatione, quando occidit Huzam. III. Quidam reddunt: *Erat autem, cum levaret Deus Levitas gestantes arcam*, &c. id est, cum iussu Chenaiæ consisteret arca, Levitæ interquiescerent, & alii aliis succederent. Erat autem hoc spatium senum gressuum, II. Semuel. VI. vers. 13. IMMOLABANTUR SEPTEM TAURI, &c. Quod factum non fuit in prima arcæ deportatione ex Kiriath-Ieharim in domum Obed-Edomi, fortasse ob mæstitiam interfecti a Deo Huzæ.

V. 27. ERAT INDUTUS STOLA BYSSINA. Participium passivum ex Piel מכרבל *mecurbal*, exponunt, *involutus*, *circumvolutus*, *implicatus*, *circumamictus*, *opertus*, *paludatus*, *tectus*. Nec alibi id verbum invenitur, quod ex quadrata forma magis Chaldaicum quam Hebraicum videtur. *Stola byssina*. Hebr. *in*, *cum pallio byssi*. Quidam exponunt, id est paludamento regio. Sed id mihi difficile videtur, I. Quia paludamentum regium byssinum vix illis temporibus credi possit. Isidorus Lib. XIX. Originum, cap. XXIV.

Paludamentum erat insigne pallium Imperatorum, cocco, purpuraque, & auro distinctum. Et hoc tempore iam Tyro proxima tingebantur purpura lanæ ad Regum vestes, ut ex Cedreni annalibus pag. 15. disces. II. Quia II. Samuel. VI. vers. 20. dicitur David discooperuisse se, seu denudasse: quod non esset, si pallio, aut paludamento suprema & extima veste indutus esset. Alii existimant pallium byssinum fuisse ipsum ephodum seu amiculum lineum, de quo in fine huius versus, ubi per ephodum lineum videtur explicavisse quod hic dixit *pallium byssinum*; sed מעיל *meghil* longe diversum erat ab ephod. Ego facile crediderim, David depositis extimis & regalibus vestibus, induisse tunicam byssinam instar illius sacerdotalis hyacinthinæ quæ describitur Exod. XXVIII. vers. 4. & hanc appellari hic pallium, seu stolam byssinam; cui superindutus fuerit ephod in fine versus, ut paulo inferius dicemus. CHONENIAS PRINCEPS PROPHETIAE INTER CANTORES. Hebr. *Et Chenaiah princeps Levandæ canentium*. Varie reddunt: 1. *Princeps prophetiæ cantorum*; id est, qui prophetias, seu psalmos canendos cantoribus præscribebat: 2. *Princeps elevationis vocis cantorum*; id est, qui moderabatur symphoniam acutam & altam: 3. *Qui erat princeps portandi, musicam exercentes*: 4. *Princeps lationis cum cantoribus*: subaudi, omnes induti erant palliis, seu stolis byssinis. Vide supra vers. 22. DAVID AUTEM ETIAM INDUTUS ERAT EPHOD LINEO. Hebr. *Et super David ephod lini*. Vide in II. Samuel VI. vers. 14. Quidam notant David in hac sacra pompa, depositis extimis & regalibus vestibus, duas lineas induisse, ephodum quidem subter, & pallium desuper, ut solet quidem pallium esse suprema vestis. Alii reddunt: *Davidi autem impositum erat amiculum lineum*, superindutum paludamento regio, quasi dignitatem regiam coram Deo abiicienti, & reliquis Dei ministris se æquanti. Verum ego existimo Davidem sumpsisse utcumque habitum sacerdotali consimilem, tametsi materia differentem, ut induerit pallium seu tunicam, aut stolam byssinam: & super hanc induerit ephod lineum. Vide Exod. XXVIII.

MENOCHII.

Vers. 1. FECIT SIBI DOMOS, scilicet regiam, & domum, sive tabernaculum, in quo arcam collocaret. TETENDIT EI TABERNACULUM intra ipsam arcem Sion, in qua Regiam extruxerat.

V. 2. NISI A LEVITIS, ita enim præcipitur Numer. cap. IV. num. 5. & 15. eratque munus Caathitarum. USQUE IN AETERNUM; quasi dicat: Hæc lex perpetua est a Deo constituta, quam iussi sumus perpetuo servare.

V. 12. SANCTIFICAMINI; id est; parate vos sancte, ut puri sitis ab omni legali immunditia. CUM FRATRIBUS VESTRIS, vos scilicet, & reliqui Levitæ contribules vestri. AFFERTE ARCAM DOMINI; id est, estote parati ad eam ferendam.

V. 13. UT A PRINCIPIO, cum scilicet eam primum transferre cœpimus, nec tamen in Sion adducere ausi sumus Ozæ casu perterriti. QUIA NON ERATIS PRAESENTES, Vos nimirum principes familiarum, qui in familiis vestris scientia ad dirigendum, docendumque iuniores, & auctoritate ad præcipiendum polletis, ut impediretis ne delictum aliquod in suscepta arcæ translatione admitteretur. PERCUSSIT NOS DOMINUS, Oza repentina, atque improvisa morte sublato. NOBIS AGENTIBUS, per iuris ignorantiam.

V. 14. SANCTIFICATI SUNT ERGO SACERDOTES, ET LEVITAE, nimirum in diem sequentem, si qui forte immunditiam aliquam contraxerant, quæ ad vesperam usque produceretur.

V. 16. ORGANIS MUSICIS, instrumentis musicis. NABLIS. נבל *nebel*, *utrem*, *lagenam*, aut *hydriam* significat: hinc translatum nomen ad musicum instrumentum, quod Interpretes nunc *psalterium*, nunc *lyram* transferunt; illudque esse videtur quod ab Italis dicitur *Cornamusa*, & instar habet utris pleni. LYRIS, Hebr. כנרות *chinnoroth*, *organa*, ut vertit Vulgatus Psalm. CXXXVI. 2. aut cytharas. CYMBALIS. Hebr. מצלתים *metsiltaim*, *tintinnabula*, *crepitacula*: nam צלל *tsalal*, *tinnire* aliquando significat. RESONARET IN

IN LAETITIAE. Ex Hebr. Pagninus vertit: *Audire facientes exaltando vocem in lætitia*.

V. 17. CONSTITUERUNTQUE LEVITAS, qui scilicet cantores essent. HEMAN FILIUM IOEL. Princeps hic fuit cantorum in familia Caathitarum. Vide dicta supra cap. VI. num. 39. DE FRATRIBUS EIUS, scilicet Levitis. ASAPH, qui fuit princeps cantorum in familia Gersonitarum. ETHAN, qui fuit princeps cantorum in familia Merari.

V. 18. IN SECUNDO ORDINE: cantores inferiores: nam qui præcedenti versiculo numerati sunt, cantorum principes erant. IANITORES. Vel prius erant ianitores, vel nunc constituti sunt.

V. 19. CYMBALIS. Vide dicta num. 16.

V. 20. NABLIS. Vide dicta num. 16. ARCANA CANTABANT. Hebr. est על-עלמות *bal balamot*, quod verti potest, *Pro occultis*, ut est in titulis Psalm. IX. & XLV. Hebræorum aliqui dicunt genus carminis fuisse, cuius initium fuerit, *Pro occultis*, ad cuius similitudinem, rythmum, & canendi modum illi Psalmi compositi sint. Alii volunt, *balamot* genus quoddam esse musici instrumenti: quam sententiam hic amplectitur Emmanuel Sa. Alii putant, *Pro occultis* idem esse ac *Pro virginibus*: eadem enim vox Hebraica utrumque significat, & occulta, & virgines, quæ occultæ domi a parentibus haberi solent. Itaque Psalmus, & canticum *Pro occultis* idem erit ac Psalmus ex eorum genere, & eo modo compositus quo solent componi cantiones, & epinicia, quæ a virginibus cantari solebant, ut ex pluribus Scripturæ locis discimus, quas Psalm. LXVII. iuvenculas tympanistrias vocat. Tandem apte ad vulgatam nostram editionem dici potest, arcana cantasse, nimirum admirabilia Dei opera, quæ captum nostrum superant.

V. 22. PRO OCTAVA CANEBANT EPINICION. In Hebr. est על-השמינית *balhascеminith*, quod etiam vertere possis *super octava*. Hebræi, & Chaldæus Interpres musicum instrumentum putant octo chordarum. Huic sententiæ favent Septuaginta, qui non semel in Psalmis, ubi numerum aliquem absolute legimus, & de cantu, aut sono sermo est, instrumentum eius numeri chordarum intellexerunt, *chordis* de suo adiectis, ut Psalm. XXXII. 2. cum in Hebræo sit, *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem psallite illi*, ipsi adiecerunt *chordarum*. Psalmo etiam XCI. 4. Hebræus habet: *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, in decem, in psalterio*: itidem chordas adiecerunt, *In decachordo psalterio*, quod etiam in Psalm. CXLIII. 9. ab iisdem servatum est. *Epinicion*, lætum carmen, quale in victoria cani solet.

V. 22. PROPHETIAE PRAEERAT: canentibus Dei laudes præfectus erat, illud munus exercendo quod Italice dicimus *Mastro di capella*, cuius officium est, musicas cantiones artificiose componere, & curare ut musici concinne, & modulate canant.

V. 23. IANITORES ARCAE, scilicet ubi collocata fuisset: fortasse etiam in via curabant ne quisquam prope accederet. Sic Mediolani magistratuum anteambulones, qui turbam submovent, Ianitores appellantur, Uscieri, vel Portieri: erant & alii duo, de quibus versiculo sequenti. Fortasse præibant duo, & alii duo arcam pone sequebantur.

V. 26. CUMQUE ADIUVISSET DEUS LEVITAS, &c. Sententia est, Levitas in ferenda arca a principio sensisse mirabili se alacritate perfusos in sacro illo onere subeundo, Deo id agente, ut clare cognoscerent gratam sibi esse hanc arcæ gestationem.

V. 27. PORRO DAVID, &c. Hæc usque ad finem capitis explicata sunt II. Reg. VI. a num. 13. & deinceps.

TIRINI.

Vers. 12. AFFERTE ARCAM, humeris vestris, & non plaustro: illicitum enim portari arcam ab aliis quam a Levitis ut vers. 2. dixerat: & Numer. IV. 15. expresse decernitur.

V. 13. NE UT A PRINCIPIO, cum nempe ex Cariathiarim nuper arcam deduximus cap. XIII. QUIA, vos Levitæ, NON ERATIS PRAESENTES, nempe baiulando arcam humeris vestris, ut oportebat, PERCUSSIT NOS DOMINUS, occidendo Ozam, SIC ET NUNC FIAT. Hinc, & ex versu sequenti patet, cau-

sam percussi Ozæ fuisse neglectum legis divinæ, quæ iubebat arcam, cum transferenda esset, non aliis quam Levitarum humeris transferri, ut fusius dixi II. Reg. vi.

V. 18. OBEDEDOM, ET IEHIEL IANITORES. Vers. 24. vocantur iidem *ianitores arcæ*: & vers. 23. duo alii illis in eodem munere iunguntur. Nempe hi quatuor designati iam erant ianitores & custodes introitus ad locum arcæ, seu ad tabernaculum quod Rex David in arce Sion pro custodia arcæ tetenderat, ut dicitur vers. 1. huius capitis. Sed ex nunc in devehenda quoque arca iubebantur obire idem suum munus, nempe submovere alios, alios admittere ad arcæ viciniam, prout cuiusque dignitas, aut ordo postularet: simili fere modo quo solent œconomi Regis in publica pompa, a Regis lateribus arcere arcendos, admovere admovendos.

V. 19. CYMBALA AENEA vocantur quæ ex solo ære, sine admixtione alterius materiæ conflata sunt, & artificioso concussu vel collisione concrepant: qualia sunt sistra, crotali, & alia his similia. Quo etiam refero tintinnabula, & pelves, quæ percussione resonant. De tubis agitur vers. 24. & sequenti.

V. 20. IN NABLIS. *Nablum*, seu *Nablium*, instrumentum est quod aerem excipit ab utriculo, & eumdem per fistulam reddit cum modulato sono, sine inflatu cuiusquam. *Utriculum* Latini vocant, Græci ἀσκὸν, & qui eo utitur *Ascaules*, & *Utricularius* vocatur. Forte istud Davidicum pluribus compactum erat fistulis, ut sonum magis varium ederet: videturque idem esse cum eo quod sanctus Hieronymus *a Symphoniam* vocat.

V. 21. Per *arcana*, & *octavam*, indicantur illi Psalmi qui talibus titulis insigniti erant, qualis est Psalmus IX. & Psalmus XLV. quorum titulus est *Alamoth*, quod Noster nunc *arcana* vertit, nunc *occulta*. Et sunt illi duo Psalmi ad illum temporis articulum quo solemniter translata est arca, sic accommodati, ut in illam rem videantur a Davide ex professo compositi fuisse. Psalm. IV. VI. & XI. titulum habent *Super seminith*, quod Noster vertit, *In octava*, vel *pro octava*: videturque instrumentum fuisse octachordum, verbi gratia cithara octo chordis instructa; sicut erant aliæ heptachordæ, & decachordæ: In his octachordis cani iubebatur epinicium, id est carmen triumphale, seu pro victoria: quale continent Psalmi iam citati.

V. 22. Per *prophetiam* intelligitur melodia, seu laudes Deo decantandæ, ut dixi I. Reg. X. 5. Sequitur:

V. 26. CUMQUE ADIUVISSET DEUS LEVITAS in deferenda arca: ut nempe sine ulla offensione ad fastigium usque arcis Sion, per viam sat acclivem deferretur. Nam quod Hebræi dicunt, arcam nulli oneri Levitis fuisse, reliquis illorum fabulis adiungendum. Ita Abulensis, & Sanctius *b*.

V. 27. STOLA BYSSINA eadem est cum ephod lineo, ut alibi *c* dixi. Unde & Septuaginta verterunt *ephod byssinum*. Byssus autem est linum subtilius.

(*a*) Hieron. Epist. ad Dardanum Tom. IV.
(*b*) Sanctius in II. Reg. VI. vers. 13.
(*c*) Exod. XXXVIII. & I. Reg. XII. vers. 18.

GORDONI.

Vers. 2. ILLICITUM EST, &c. Noluit Deus ut arca curru portaretur, sed humeris Levitarum.

V. 11. VOCAVITQUE DAVID SADOC, ET ABIATHAR. Putant aliqui hos duos simul gessisse pontificatum. Sed de hoc dixi II. Reg. cap. VIII. vers. 17.

V. 21. PRO OCTAVA. Hebr. *Super seminith*. Aliquibus est instrumentum octo chordarum, quod a numero hoc accepit nomen. Vide Psal. IV. & VI. Erat & aliud a victoria nomen habens, Hebr. *Nezab*. Ceterum *epinicium* hoc loco est canticum. Vide Psal. IV. in titulo.

V. 22. PROPHETIAE PRAEERAT, id est Dei laudibus: ergo dirigebat, aut præfectus elevationum vocis, magister cantorum. Hinc subditur: ERAT QUIPPE VALDE SAPIENS. Ex quo certe patet, *prophetare* hoc loco, non esse futura prænuntiare, sed laudare Deum, ut alibi aliquoties. Septuag. ἄρχων τῶν ᾠδῶν.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. NISI A LEVITIS. Vide Num. cap. IV. vers. 5. & 15.

V. 13. PERCUSSIT. Designat repentinam mortem Ozæ.

V. 16.

V. 16. Nablis. נבל *nebel*, *lagena*, & per translationem musicum instrumentum, vulgo *cornamusa*.

V. 17. Recensentur cantorum principes in suis familiis. Vide cap. vi. vers. 39.

V. 20. Arcana cantabant, pro occultis. Hanc vocem habes explicatam in titulo Psalm. ix. *Arcana* sunt admirabilia Dei opera, & præsertim opus incarnationis.

V. 23. Ianitores arcae, ne quis prope accederet.

V. 26. Adiuvisset: alacres fecisset ad subeundum sacrum onus.

V. 27. De his quæ sequuntur, vide II. Reg. vi. 13.

CAPUT XVI.

Constituta arca in tabernaculo fœderis, oblatisque victimis, & populo a David benedicto, ordinantur varia Levitarum ministeria coram arca, interposito cantico divinæ laudis.

1. ATtulerunt igitur arcam Dei, & constituerunt eam in medio
tabernaculi, quod tetenderat ei David: & obtulerunt holo-
causta, & pacifica coram Deo. 2. Cumque complesset Da-
vid offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in no-
mine Domini. 3. Et divisit universis per singulos, a viro us-
que ad mulierem, tortam panis, † & partem assæ carnis bu-
balæ, & frixam oleo similam. 4. Constituitque coram arca
Domini de Levitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorifi-
carent, atque laudarent Dominum Deum Israel: 5. Asaph principem; & secun-
dum eius Zachariam. Porro Iahiel, & Semiramoth, & Iehiel, & Mathathiam,
& Eliab, & Banaiam, & Obededom: Iehiel super organa psalterii, & lyras:
Asaph autem ut cymbalis personaret; 6. Banaiam vero, & Iaziel sacerdotes, ca-
nere tuba iugiter coram arca fœderis Domini. In illo die fecit David principem
ad confitendum Domino Asaph, & fratres eius.

8. (*b*) Confitemini Domino, & invocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius.

9. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia eius.

10. Laudate nomen sanctum eius: lætetur cor quærentium Dominum.

11. Quærite Dominum, & virtutem eius: quærite faciem eius semper.

12. Recordamini mirabilium eius, quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius.

13. Semen Israel servi eius: filii Iacob electi eius.

14. Ipse Dominus Deus noster: in universa terra iudicia eius.

15. Recordamini in sempiternum pacti eius: sermonis, quem præcepit in mille generationes.

16. Quem pepigit cum Abraham: & iuramenti illius cum Isaac.

17. Et constituit illud Iacob in præceptum: & Israel in pactum sempiternum;

18. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.

19. Cum essent pauci numero, parvi & coloni eius.

20. Et transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

21.

21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis Reges.
22. (c) Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.
23. (d) Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare eius.
24. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius.
25. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos.
26. Omnes enim dii populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.
27. Confessio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco eius.
28. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium.
29. * Date Domino gloriam, nomini eius, levate sacrificium, & venite in conspectu eius: & adorate Dominum in decore sancto.
30. Commoveatur a facie eius omnis terra: ipse enim fundavit orbem immobilem.
31. Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnavit.
32. Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis sunt.
33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit iudicare terram.
34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.
35. Et dicite: Salva nos Deus salvator noster, & congrega nos, & erue de gentibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.
36. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.
37. * Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini, Asaph & fratres eius,
ut ministrarent in conspectu arcæ iugiter, per singulos dies, & vices suas. 38.
Porro Obededom, & fratres eius sexaginta octo; & Obededom filium Idithun,
& Hosa, constituit ianitores. 39. Sadoc autem sacerdotem, & fratres eius sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon, 40. ut offerent holocausta Domino super altare holocautomatis iugiter, mane & vespere,
iuxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli. 41. Et
post eum Heman, & Idithun, & reliquos electos, unumquemque vocabulo suo
ad confitendum Domino: Quoniam in æternum misericordia eius. 42. Heman
quoque & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala, & omnia musicorum
organa, ad canendum Deo: filios autem Idithun fecit esse portarios. 43. Reversusque est omnis populus in domum suam; & David, ut benediceret etiam domui suæ.

(a) II. Reg. vi. 17. (b) Psal. civ. 1. Isa. xii. 4. (c) Psalm. civ. 15. (d) Psalm. xcv.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 29. *Date Domino gloriam nomini eius*. Nec hic omittas *Domino*.

V. 37. *Reliquit itaque ibi*. Hic non est scribendum *dereliquit* decompositum, pro composito *reliquit*.

Lectionum Varietas.

V. 3. *Et partem assa carnis bubala*. Scibendum videtur *bubula*, mutata vocali prima in quintam, ut II. Reg. vi. vers. 19.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verf. 2. BENEDIXIT, id eſt bene precatus eſt. IN NOMINE, id eſt invocato nomine.

V. 3. ASSAE, & BUBALAE. Addita hæc ab Interprete ad maiorem explicationem. FRIXAM OLEO SIMILAM. Alii *pultem*; alii *lagenam*, ſcilicet vini. LXX. *collyridam*.

V. 7. CONFITENDUM, id eſt laudandum, ſcilicet Pſalmo ſequenti.

V. 8. CONFITEMINI, &c. Vide Pſal. CIV.

V. 15. PRAECEPIT, ſcilicet obſervandum.

V. 18. FUNICULUM, id eſt ſortem ſeu portionem.

V. 19. PARVI, id eſt pauci. COLONI EIUS. Hebr. *peregrinantes in ea*.

V. 21. CALUMNIARI. Hebr. & LXX. *opprimere*. PRO EIS, id eſt propter eos.

V. 22. CHRISTOS, id eſt Reges, vel Sacerdotes. MALIGNARI, id eſt affligere.

V. 23. CANTATE, &c. Hæc ex xcv. Pſal. EX DIE IN DIEM, id eſt ſingulis diebus. SALUTARE, id eſt ſalutem, ſeu auxilium.

V. 24. GLORIAM, id eſt opera glorioſa.

V. 25. NIMIS, id eſt valde.

V. 27. CORAM EO; quaſi dicat: Eſt laude digniſſimus, & magnificentiſſimus.

V. 29. DECORE SANCTO. Hebr. *decore ſanctitatis*. LXX. *in habitaculo ſancto eius*.

V. 30. COMMOVEATUR, ſcilicet timore. TERRA, id eſt terræ incolæ: ſic infra.

V. 31. CAELI, id eſt cæli incolæ.

V. 32. MARE, id eſt mundus, qui infra *ager* dicitur & *ſaltus*; piſces vero & arbores, homines. PLENITUDO, id eſt quidquid in eo eſt.

V. 34. CONFITEMINI, &c. Hæc ex Pſal. cv. *confiteri* autem, pro laudare, ſeu gratias agere.

V. 37. FRATRES, id eſt cognatos.

V. 39. SACERDOTEM, ſcilicet ſummum. TABERNACULO, ſcilicet Moyſis. Vide inf. cap. XXI. & II. Paralip. cap. I.

V. 31. VOCABULO SUO, id eſt nominatim; vel quaſi dicat viros nominatos, ſeu magni nominis.

V. 43. BENEDICERET, id eſt bene precaretur.

E S T I I.

Verf. 22. NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS, ET IN PROPHETIS MEIS NOLITE MALIGNARI. De Patriarchis ſermo eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob; ut ſenſus ſit, Deum præcepiſſe Regibus, ne Patriarchas tangerent ad nocendum, neve mali quid eis inferrent. Patriarchas autem illos fuiſſe Prophetas manifeſtum eſt, de Iacob, & Iſaac in primis in ſuis benedictionibus. At vero quomodo iidem *chriſti*, id eſt uncti, dicantur, non perinde manifeſtum eſt. Quidam unctos intelligunt, quia vocatione divina peculiariter electi, & ſegregati erant ad cultum unius Dei, quæ ſegregatio, & electio ſit quædam unctio. Alii unctos intelligunt unctione ſpirituali, id eſt unctione gratiæ Dei, quomodo quilibet iuſtus unctus dici poteſt. Alii denique ſic unctos dictos putant, quia de ipſis orti ſunt Reges, & Sacerdotes, qui per externam unctionem inſtituebantur. Sed dici poteſt idem ſignificari per unctos, & per Prophetas; & ideo unctos, quia Prophetas. Legimus enim III. Reg. XIX. præceptum fuiſſe Eliæ ut Eliſeum ungeret in Prophetam, & Azael in Regem Syriæ: neuter tamen eorum legitur externo aliquo unguento perfuſus fuiſſe; ſed ſimpliciter iuſſu Dei renuntiati ſunt, alter Rex, alter Propheta. Et proinde illa unctio non fuit aliud quam divina vocatio, ſeu deſignatio ad tale munus.

V. 35. SALVA NOS DEUS SALVATOR NOSTER, ET CONGREGA NOS, ET ERUE DE GENTIBUS. Simile quid eſt in Pſal. cv. Quæritur quomodo oret David, vel cœtus ille a Davide collectus, congregari populum Iſraeliticum de gentibus, ſeu nationibus, cum tempore Davidis non-

nondum essent in gentes dispersi. Pro responsione, qui hæc verba tribuunt Davidi auctori, dicunt eum spiritu prophetico prævidisse futuram populi captivitatem: unde & oret ultima parte huius cantici pro reditu ex captivitate, & congregandis dispersis. Aliorum sententia est non omnino reiicienda, hanc coronidem cantico isti adiectam fuisse ab Esdra sacerdote, qui putatur auctor esse huius Libri (Constat enim tum ex genealogiis initio recensitis, tum ex fine Libri secundi, sciptum esse post captivitatem) addidisse autem Esdram istos versiculos ultimos ad hoc, ut Levitæ, qui ministrabant in secundo illo templo, assidue orarent pro congregatione populi ex captivitate: quia licet quidam tunc fuerint reducti, maxima tamen pars adhuc in captivitate variis locis detinebatur.

MARIANAE.

Vers. 1. CORAM DEO; id est, coram arca obtulerunt hostias.

V. 3. ET PARTEM ASSAE CARNIS BVBALAE. Vocem Hebr. *espar* quidam deducunt ab *es*, *ignis*, & *par*, *vitulus*, quasi sit pars carnis vitulinæ igne assæ, quæ singulis dabatur. Hebræus putat singulas litteras eius vocis poni pro integra dictione, ac significare unam e sex vituli scilicet partibus: ingeniosum commentum. Sept. *laganum e sartagine* dixerunt, nescio quid in eo secuti. ET FRIXAM OLEO SIMILAM. Sept. *collyridam*, id est tortam frixam. Hebr. vox *asisah*, *lagenam* potius significat, scilicet vini, tum hic, tum Cant. II. 5. *Fulcite me floribus*, Hebræi *lagenis*. Hebræus pari modo ex singulis litteris dictiones eliciens, ait significare unam e sex hin, scilicet partibus. Continet hin duos congios, sic sexta pars duos sextarios.

V. 4. RECORDARENTUR OPERUM EIUS. Hebr. *Ad commemorandum*, supple opera eius, scilicet Dei, constituit David coram arca Levitas.

V. 5. SECUNDUM EIUS; id est, qui post eum, scilicet Asaph, secundas partes & locum teneret. SUPER ORGANA PSALTERII. Sept. *Organis & nablis*. Hebr. *In vasis nablorum*, constituit Iehiel, & alios.

V. 7. IN ILLA DIE FECIT DAVID PRINCIPEM. Hebr. *In die illa tunc dedit David in principio* (id est inchoavit) *ad laudandum Dominum in manu Asaph*; id est, intium fecit subiecto psalmo laudum Dei, Asaph ministro & cantore. Sequitur Psalmus.

V. 8. CONFITEMINI DOMINO, id est laudate. ADINVENTIONES EIUS, id est opera eius.

V. 11. ET VIRTUTEM EIUS. Hebr. *fortitudinem*, *robur*, id est arcam, in qua mira est operatus. QUAERITE FACIEM EIUS SEMPER. *Facies* etiam *Dei* vocatur arca, ubi Deus habitare videbatur.

V. 13. SEMEN ISRAEL SERVI EIUS. *Servi* in genitivo. FILII IACOB ELECTI, in nominativo. Hebr. & Sept. utrumque in nominativo posuerunt.

V. 17. ET CONSTITUIT ILLUD IACOB IN PRAECEPTUM: ET ISRAEL. *Iacob*, & *Israel*, in dativo: sic Sept.

V. 18. FUNICULUM. Funiculis metiebantur agros; inde *funiculum* prædium, seu possessio vocatur. Ergo Chanaan erit possessio tua.

V. 19. CUM ESSENT PAUCI NUMERO. Sic Sept. Alioqui Hebr. *Cum essetis viri numeri*, id est pauci: & memento hic מתים *methim* per Sceva, *homines*, id est *mortales* significare. PARVI ET COLONI EIUS. Hoc etiam ex Sept. Hebr. *Quasi parum* (id est res exigua) *& peregrini in ea*. In Psalmo CIV. ubi hic Davidis Psalmus ponitur, *Paucissimi & incolæ eius*, in Vulgata: nam Hebr. eadem utrobique sunt verba.

V. 20. TRANSIERUNT DE GENTE IN GENTEM, quasi peregrini, scilicet Abrahæ posteri. Non dimisit quemquam

V. 21. CALUMNIARI EOS. In Psalmo CIV. *Non reliquit hominem nocere eis*. Hebr. vox *opprimere* hic certe significat: sic Sept. PRO EIS; id est, propter eos corripuit Reges.

V. 22. NOLITE MALIGNARE, id est malefacere, affligere meos Prophetas.

V. 25. SALUTARE EIUS. Hebr. *salutem eius*, scilicet annuntiate semper vobis datam.

V. 26. OMNES ENIM DII POPULORUM, IDOLA. Sic Sept. in Psalmo XCV. vers. 5. *dæmonia*. Vox Hebr. *rem nihili* significat, & ex eo *idola*. Porro idola, dæmonia sunt. I. Corinth. VIII. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo*.

V. 27. CONFESSIO, id est laus. ET

MAGNIFICENTIA. Hebr. *Et decus*. CORAM EO; id eſt, laude digniſſimus eſt.

V. 28. AFFERTE; id eſt, confitemini in illo eſſe. GLORIAM ET IMPERIUM. Hebr. *Gloriam, & robur*.

V. 29. ADORATE DOMINUM IN DECORE SANCTO. Hebr. *in decore ſanctitatis:* & vide Hieronymum pro *hadrath* hic poſuiſſe *decus*, qui verſ. 27. pro ea voce poſuerat *magnificentiam*.

V. 30. COMMOVEATUR A FACIE EIUS. Hebr. *Metuite a facie eius*.

V. 31. CAELI; id eſt, cæli incolæ lætentur.

V. 32. TONET MARE. Hebr. *Tumultuabitur mare*, id eſt piſces, qui nati ſunt. PLENITUDO; id eſt, quidquid in eo eſt, tumultuabitur.

V. 33. TUNC LAUDABUNT. Hebr. *Exultabunt*, *canent*. Rebus ſine ſenſu vocem dat. Proſopopœia.

V. 35. ET EXULTEMUS IN CARMINIBUS TUIS. Hebr. *Ad lætandum in laude tua*, collige nos de gentibus.

V. 36. ET HYMNUM DOMINO. Hebr. *Et lauda* (pro laudate) *Deum*. Sept. *Et laudaverunt Dominum*. David reliquit qui laudarent Deum.

V. 37. PER SINGULOS DIES, ET VICES SUAS facerent Aſaph, & fratres. Sic perſpicue quæ Hebr. obſcura, *Ad verbum* (id eſt rem) *dici in die ſuo*; id eſt, ut facerent diebus ſingulis, quæ in illis fieri opus erat.

V. 39. CORAM TABERNACULO. Moyſis tabernaculum in Gabaon erat. IN EXCELSO, id eſt altari, ubi altare holocauſtorum erat. Conſtituit electos

V. 41. UNUMQUEMQUE VOCABULO SUO. Hebr. *Qui deſignati ſunt in nominibus*, id eſt nominatim ad id munus deſignati, ad laudandum Deum. Abiit David

V. 43. UT BENEDICERET ETIAM DOMUI SUAE; id eſt, lætitiæ partem cum domo ſua communicaret, conviviis, & ludis inſtitutis. David dimiſſo populo domum ſuam rediit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ATTULERUNT IGITUR ARCAM DEI, &c. Tres priores verſus huius capitis confer cum II. Samuel. VI. verſ. 17. 18. 19. nam ſunt omnino iidem. Vide ibi notas.

V. 5. IEHIEL SUPER ORGANA PSALTERII. Aut hic Iehiel diverſus eſt ab eo qui paulo ante hoc verſu nominatus fuit; aut idem ipſe qui huic peculiari miniſterio præficitur: unde reddunt: *Iehiel autem cum iſtrumentis nablorum*, &c.

V. 7. IN ILLO DIE. Hebr. *In die ipſa tunc*; id eſt, in illa ipſa die, ſumma cura ac diligentia, quam primum: iſtud enim ſignificat adiecta vox *tunc*. Quidam, *Tunc eodem die*. FECIT DAVID PRINCIPEM AD CONFITENDUM DOMINO. Hebr. *Dedit David in capite confitendum ipſi Iehovæh*. Quidam: *Hoc autem in primis conſtituit David, ut per Aſaph, & fratres eius laudaretur Dominus*. Alii: *Poſuit David in principio*, ſeu *initio ipſo*, *ad celebrandum Iehovam*, id eſt in initio ipſo laudum; quaſi dicat: Cum primum pervenit arca in tentorium quod illi paraverat, dedit David pſalmum qui ſequitur, ad laudandum Dominum per Aſaph, & fratres eius. Vel, *Poſuit David ſtatim initio in manu Aſaph, & fratrum eius pſalmum ſequentem ad laudandum Dominum*. Nonnulli: *Tradidit David primum hunc pſalmum ad celebrandum Iehovam, in manum Aſaphi, & cognatorum eius*. Hiſpanicus Interpres: *Dio David principio a dar a cantar ſus Pſalmos, a Aſaph &c. con el pſalmo ſiquiente*.

V. 8. CONFITEMINI DOMINO, &c. Ab hoc verſu uſque ad 22. incluſive, ſunt omnia eadem omnino cum Pſalmo CIV. a verſ. 1. uſque ad verſ. 15. incluſive, excepto uno, aut altero verbulo. ET INVOCATE NOMEN EIUS. Hebr. *Et vocate in nomine eius*. Varie exponunt. I. *Petite*, *poſtulate*, *implorate* ſalutem in nomine Iehovæh; non in nomine deaſtri cuiuſvis. II. *Rite eum colite*. Vide de hac locutione Geneſ. IV. verſ. 26. III. *Proclamate nomen eius*; id eſt, prædicate, profitemini, publice glorificate. NOTAS FACITE. Hebr. *Notificate*, *divulgate*, *propalate*, *pandite*. ADINVENTIONES EIUS: עלילותיו *ghalilothau* ampliſſimæ eſt ſignificationis. Vide Deuteronom. XXII. 14. Hic reddunt, *Opera*, *actiones*, *operationes*, *facta*, *facinora illuſtria*, *mores*, *maxima facta*, *admiranda ſtratagemata*, *conatus*, *ſtudia*, *molimina*, *conſilia*, *eius*.

V. 9. CANTATE EI, ET PSALLITE EI. Quidam diſtinguunt: *Cantate ei* ore, & *pſallite* mente, ſeu inſtrumentis muſicis. Imperite: nam ut differant שיר *ſchir*, & זמר *zamar*, docuimus in comm. ad Iudic. v. 3. Rectius alii: *Cantate ei*, ſolita ſeu vulgari oratione: *pſallite* carmine, & modulata, numeriſque aſtricta cantione. Alii utrumque verbum eodem ſignificato ſummunt, & volunt geminari, ut moneat diu multumque canendum: Iterum atque iterum cantate. NARRATE OMNIA MIRABILIA EIUS. Hebr. *Meditamini in omnibus arduis eius*. Varie alii convertunt. I. *Loquimini*, *colloquimini*. *confabulamini*, *habete ſermonem*, *diſſerite de omnibus mirabilibus*, ſeu *miraculis eius*. II. Philoſophate, ſtudete, exercete vos *in omnibus mirabilibus eius*. נפלאות *niphlaoth* omnia iſta ſua notione ambit, *arduis*, *excelſis*, *ſublimibus*, *difficilibus*, *abſconditis*, *velatis*, *ſeparatis*, *ſelectis*, *eximiis*, *humanum captum ac vires ſuperantibus*, *mirificis miraculis*, *admirandis*, *eius*. Vide Exod. III. 20. & Ioſue III. 5. ſic infra verſ. 12. 24.

V. 10. LAUDATE NOMEN SANCTUM EIUS. Varie Hebr. reddunt. I. *Laudibus vos efferte in nomine ſanctitatis eius*. II *Gloriamini in nomine ſancto eius*. III. *Iactate vos ipſos in nomine ſanctiſſimo eius*; quaſi dicat: Exiſtimate vos beatiſſimos, qui habeatis Deum tam propitium. Omnis veſtra gloriatio debet eſſe, quod filii Dei vocemini, & ſancti ſitis per gratiam ipſius. IV. *Gratulamini vobis propter auguſtiſſimum illud nomen Domini*, *cuius tam inſigniter numen experti eſtis*.

Buchananus:

> *Nomen eius*, *numen eius una nobis gloria*.

Bochius:

> *Eius & auguſtum vobis ſit gloria nomen*.

Montanus.

> *Sanctum nomen erit gloria maxima*,
> *Vobiſque eximium decus*.

Ego ſublimiorem concipio ſenſum: *Excedere mente vos facite*: vel *efferte vos extra vos*: *mente excedite in nomine ſancto eius*: ſic enim verbum hoc accipitur in Hithpahel, I. Samuel. XXI. 13. id eſt, quaſi ebrii, inſani, & extra vos rapti præ gaudio ac lætitia, quod talem ac tantum habeatis Deum, iactamini, & immenſum gloriamini, in nomine ſancto eius. Simili locutione uſus eſt Paulus II. Corinthior. v. 13. *Sive mente excedimus*, *Deo*: *ſive ſobrii ſumus*, *vobis*.

V. 11. ET VIRTUTEM EIUS. Heb. *Et firmitudinem*, *robur*, *eius*. Exponunt, Id eſt arcam, & propitiatorium, quæ erant præſentiæ potentiſſimi & robuſtiſſimi Dei ſymbola, ubi Deus vim ſuam & potentiam oſtentabat: ſic II. Paralipom. VI. 41. & Pſalm. LXXVII. 61. & Pſalm. CXXXI. 8. Quidam: *Et robur impetrate ab illo*.

Buchananus:

> *Robur eius*, *pignus eius ſacroſanctum roboris petite*.

Alii: *Et ne ceſſetis*.

FACIEM EIUS. Diverſe exponunt. I. Arcam, ubi præſentiam ſuam exhibebat: ut bis idem dicat diverſis vocibus ad auxeſim. II. Locum ubi ipſe colitur, nempe tabernaculum, ſeu ſacram ædem. Vide Geneſ. IV. verſ. 16. III. Favorem, gratiam, benevolentiam eius. IV. Sublimius quidam, Chriſtum, qui eſt facies & imago Dei.

V. 12. SIGNORUM ILLIUS. מופתים *mophethim*, *prodigia*, *portenta*, *oſtenta*, opera maxima & ſtupenda ſupra omnes naturæ vires, ad oſtendendam divinam virtutem, iram, vindictam, favorem, benevolentiam. Vide in Exod. IV. 21. ET IUDICIORUM. משפטים *miſcphatim*, id eſt facta memorabilia, & admiranda divinæ providentiæ; vel vindictæ ſupplicia graviſſima in AEgyptios, & alias gentes. Vide Exodi VI. 6. & XII. 12. ſic infra verſ. 14. Quidam exponunt: Quam iuſta & æqua ſunt omnia quæ locutus eſt ore ſuo! Aliqui *iudicia oris eius*, accipiunt quæ decreto & imperio Dei fiunt. Alii legem, præcepta ſcripta legis ore Dei promulgata; quaſi dicas *iura*: ſic Exod. XXI. 1. & XXIV. 3.

V. 13. SEMEN ISRAEL. Pro hoc, Pſalmo CIV. verſ. 6. ſcribitur *ſemen Abrahami*, per Iſaac, & Iacob: nam, ne intelligeretur *ſemen Abrahæ* ex Iſmaele, vel filiis Cethuræ, aut ex Eſau, expreſſit *ſemen Iſaelis*, & adiecit *filii Iaacob*. His enim tantum patribus, & ſemini eorum factæ ſunt divinæ promiſſiones de ſemine benedicto. Sed in Pſalmo exprimitur Abrahæ nomen, quoniam ipſi primum, & ampliſſime facta eſt promiſſio terræ Chenaham,

ham, & benedicti seminis, & fuit pater credentium.

V. 14. IN UNIVERSA TERRA IUDICIA EIUS. Vide supra vers. 12. Exponunt: Cuius legibus & statutis universa terra regitur: cuius iura servat omnis orbis: vel qui ius & iudicandi potestatem habet per universam terram, penes ipsum est imperium omnium terrarum: totum orbem tamquam Rex & Monarcha moderatur.

Buchananus:

Ille rerum rector unus, orbis unus arbiter.

Montanus:

... & omnibus
Terris iudicia is constituit sua.

Bochius:

.... per omnem
Cuius iura patent terram.

Aliqui reddunt: *Cuius exempla per universum orbem nota sunt*, id est exempla, & argumenta omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, veritatis, fidei eius.

V. 15. RECORDAMINI. In Psalm. CIV. vers. 8. scribitur, *Recordatus fuit*, scilicet Iehovah. PACTI EIUS, vel *fœderis eius*. Exponunt, Id est eorum quæ vobis promisit, quæ a vobis & stipulatus est. Vide Genes. XV. 18. & XVII. 7. & 9. SERMONIS QUEM PRAECEPIT IN MILLES GENERATIONES. Hebr. *Verbum præcepit mille*, vel *millesimæ*, *generationi*. Illud, *In mille generatioaes*, potest iungi cum *præcepit*; id est, quod præcepit servandum in mille generationes: vel cum *recordamini*; id est, ne excidat memoria eius in omne ævum: qui sensus aptior est, & quadrat cum priore membro: unde quidam reddunt: *In mille ætates verbi quod præcepit*, subaudi *recordamini*. *Mille generationes*, numerus finitus pro infinito, in omnes ætates, in omnia sæcula, in omnem posteritatem, cunctis futuris sæculis. Quidam transferunt: *Et promissionis quam nuntiavit ad infinitas generationes*. Alii: *Quidquid enim promisit, costantissime servabit, etiamsi mille sibi mutuo generationes succedant*; quasi dicat: Tandem præstat quod ex pacto promisit.

Buchananus:

...., mille sancta in sæcla necti fœdera.

Montanus:

... ac sui
Mille in sæcula crediti verbi.

Bochius:

.... nec verba futuros
Irrita quæ præcepit, erunt per mille nepotes.

V. 16. QUEM PEPIGIT CUM ABRAHAM. Vide Genes. XII. vers. 2. 3. & cap. XIII. vers. 15. 16. & cap. XV. vers. 5. & 18. & cap. XVII. vers. 7. 9. & sequentibus, & cap. XVIII. vers. 18. & 19. & cap. XXII. vers. 17. ET IURAMENTI ILLIUS CUM ISAAC. Vide Gen. XXII. vers. 16. 17. 18. & cap. XXVI. vers. 3.

V. 17. ET CONSTITUIT ILLUD IACOB IN PRAECEPTUM. Vide Genes. XXVIII. vers. 13. & 14. & cap. XXXV. vers. 11. & 12. Plurifariam convertunt. I. *Et statuit illud ipsi Iahacob in præceptum*. II. *Quod confirmavit ipsi Iahacob statuto*, vel *in statutum*; id est, ut sit ratum & firmum, quemadmodum solent esse rata & firma statuta, & decreta regia. III. *Namque rem confirmavit, ut esset Iahacobo decretum*; id est, ut esset vice legis. IV. *Quod lege constituit cum Iahacobo*. V. *Et quia firmum id esse voluit, certa velut lege obligavit se Iahacobo*. VI. *Quod stabilivit etiam Iahakobo in statutum*.

Buchananus:

.... Isaci
Sancita nato lege non mutabili.

Bochius:

.... statuit soboli pro lege tenendum
Isacidæ ....

Montanus:

.... certaque præstitit,
Et firmata Iacob ....

V. 18. FUNICULUM HEREDITATIS VESTRAE, id est hereditatem, possessionem vestram, funiculis mensoriis sorte distributam: hypallage. Vide in Deuteron. XXIII. vers. 9.

V. 19. CUM ESSENT. Hebr. *In existendo vos*, vel *existentibus vobis*. Psalm. CIV. 12. scribitur, *In existendo eos*, vel *existentibus illis*. PAUCI NUMERO. Heb. *Mortales numeri*. Vide de hac locutione Genes. XXIV. 30. & Deuteronom. XXXIII. 6. Quidam reddunt: *Cum essetis homunculi admodum exiguo numero*. PARVI, ET COLONI EIUS. Varie Hebr. transferunt: 1. *Velut parum, & perigrinantes in ea*; 2. *Et pauco tempore peregrini in ea*; 3. *Plane*

ne pauci, & inquilini in ea; 4. *Immo propemodum nulli, & in terra illa peregrini;* 5. *Et exigua familia, & peregrini in ea terra.*

V. 20. ET TRANSIERUNT DE GENTE IN GENTEM, &c. Summa peregrinationum trium Patriarcharum hoc versu continetur, quæ fuse describuntur a Genes. xi. usque ad finem Libri.

V. 21. NON DIMISIT QUEMQUAM, &c. Versum hunc multifariam ex Hebr. transfundunt. I. *Non dimisit hominem ad calumniandum eos: & corripuit super eos Reges.* II. *Non permisit homini ad opprimendum eos*, vel *ut vim inferret eis: & corripuit pro eis Reges.* III. *Numquam tamen permisit ut quisquam vim illis faceret: quin potius illorum gratia Reges castigavit.* IV. *Non permisit homini cuiquam opprimere eos: etiam reprehendit propter eos Reges, dicens.* Buchananus:

Vimque duram præpotenti dextera ab illis arcuit.
Et minis Reges potentes tetricis compescuit.

Montanus:

Hos nullis hominum fraudibus ac malis
Permisit; potius consuluit viris,
Reges corripiens ....

Bochius.

.... ne quis
Auderet tellure manus inferre nocentes
Ignota cuiquam: quin Reges terruit ipsos,
Vimque metu, pœnisque nefas compescuit omne.

Veritatem huius versus habes Genes. xii. in Pharaone, & Genes. xx. in Abimelech: item Genes. xxvi. in Abimelech, & Exodi a cap. vii. usque ad xii. in Pharaone.

V. 22. CHRISTOS MEOS. Quidam exponunt, Principes meos, quasi Reges a me unctos & consecratos, & invisibili Spiritus sancti oleo seu gratia perfusos. Abraham *princeps Dei* vocatur Genes. xxiii. 6. & talem se gessit apud Reges Sodomæ, & Ghomorræ, Genes. xiv. & cum Abimelech Rege Pelisthæorum, Genes. xxi. fœdus paciscitur. Isaac, & Iacob magni & præpotentes, etiam apud gentes exteras habiti. Isaac fœdus iniit cum Abimelech Geraræ, Genes. xxvi. Iacob timent circumquaque gentes, Genes. xxxv. Alii, *Unctos meos*, scilicet in Prophetas, ut statim se explicat. Plerique, *Unctos meos*, id est electos, & consecratos mihi per Christum: metonymia signi pro re significata. ET IN PROPHETIS MEIS. Abraham *Propheta* vocatur Genes. xx. 7. Isaac ventura prædicit de posteritate duorum filiorum, Genes. xxvii. Iacobi vero admiranda sunt vaticinia de rebus venturis duodecim tribubus, Genes. xlix. Aliqui explicant, *Et Prophetas meos*, quasi dicat: Quos ego familiariter alloquor, quibus multa revelo, & qui alios meis verbis alloquuntur, & verbum meum populo meo annuntiant. NOLITE MALIGNARI. Hebr. *Ne malefacietis: ne quidquam mali faciatis: ne malo afficitote: abstinete iniuriam: ne sitis iniurii, nihil mali inferatis.*

V. 23. CANTATE DOMINO OMNIS TERRA, &c. Ab hoc versu usque ad vers. 33. inclusive, omnia sunt eadem cum toto Psalmo xcv. paucis exceptis, quæ annotabimus. Notant, hunc Psalmum compositum a Davide ad provocandum omnes gentes ad laudes Dei, postquam per Evangelium ad Christum vocatæ sunt: in quo agitur de salute & liberatione per Christum, de Ecclesiæ instauratione, & gloria: quem hic peculiariter decantari iusserit in nova arcæ deportatione, & recens erecto eidem tentorio. Non est probandum, quod quidam volunt, hunc Psalmum partem fuisse Psalmi civ. cum quo hic coniungitur; sed inde decisum ab Esdra, aut alio collectore Psalmorum, ad explendum numerum 150. Psalmorum: cum potius hic David tres suos Psalmos ex parte coniunxisse videatur, atque ad rem præsentem accommodasse: cum sane præcipuum huius Psalmi argumentum, & institutum, non sit arca, sed Christus. OMNIS TERRA. Quidam ad Israeliticam restringunt: Tota hæc terra, id est vos omnes Israelitæ: metonymia. Sed rectius est: Vos omnes gentes totius orbis ad evangelium vocatæ, & liberatæ per Christum. ANNUNTIATE. בשרו *basseru*, proprie *evangelizate*, quo verbo Græco usi quoque sunt LXX. ut sit allusio ad Christi evangelium toto orbe diffusum: nec sine causa verbum Hebraicum a carne dicitur, quasi dixeris, *Incarnate*; quod Evangelium nihil aliud sit quam incar-

natio Filii Dei. Vide I. Samuel. IV. vers. 17. SALUTARE EIUS. Hebr. *Ieschuhah eius*, *salutem eius*, *Iesum eius*, ut recte alludat ad nomen æterni Filii Dei. Vide in Genes. XLIX. 18. Salutem, liberationem a peccato, morte, satana, quam ille attulit mundo. Quidam reddunt, *Vestræ salutis vindicem*. Hoc uno versu contraxit duos priores Psalm. XCV. qui ita habent, *vers.* I. *Cantate Iehovæh canticum novum: cantate Iehovæh omnis terra: vers.* 2. *Cantate Iehovæh, benedicite nomen eius: evangelizate de die diei salutem eius.*

Canticum novum. Diversimode exponunt. I. *Novum*, id est novi Testamenti, novi beneficii collati per Christum, Evangelii. II. *Novum*, ad differentiam veterum canticorum Miriæ, Mosis, Deboræ, Annæ. III. *Novum*, a novis hominibus Spiritu Dei per Christum renovatis canendum. IV. *Novum*, id est non vulgare, sed rarum, insolitum, inauditum, mirabile, exquisitum, eximium, pulchrum, elegans, pretiosum, mira arte, & sapientia compositum, præstantissimum, ut solent esse nova respectu veterum, cuius comparatione cetera cantica obsolevisse videantur: sic *Nomen novum*, Apocalyps. II. 17. *Canticum novum*, Apocalyps. V. vers. 9. *Cælum novum*, & *terram novam*, & *Ierusalem novam*, Apocalyps. XXI. 1. & II. V. *Novum*; id est, quod non antiquatur, senescit, aut evanescit; sed iugiter instauratur, innovatur, & perpetuo in Ecclesia viget, dum perpetua Dei erga se beneficia percipit in Christo, ac continenter recolit, prout sequentia ostendunt. Sic Psal. XXXII. 3. & Psalm. XXXIX. 4. BENEDICITE NOMEN EIUS; id est, celebrate, laudate, prædicate, maiestatem, dignitatem, potentiam, gloriam, & cetera attributa eius, vel ipsum Deum, nam DEUS est suum nomen. Quidam, *Numen eius*. Notant, binis his primis versibus ter repeti verbum *Cantate* in honorem sacræ Triadis. Vide Euthymium.

V. 24. GLORIAM EIUS. כבוד *cabod*, *gravitatem*, *honorem*, *gloriam*, *dignitatem*, *excellentiam*, *splendorem*, *maiestatem*, *claritatem*, &, ut Paulus sapientissime interpretatur, *æternum gloria pondus eius*: sic vers. 28. & 29.

V. 26. IDOLA. De voce אלילים *elilim* vide Levit. XIX. 4. Hic quidam vertunt *vacuitates*; alii *vana*, *vanitates*, *meræ nugæ*: nonnulli *ludibria*; plerique *nihili*, *nihilitates*, *nullius momenti*; aliqui *statuæ*: nec desunt qui *stultitiæ impotes*. DOMINUS AUTEM CAELOS FECIT, id est creavit omnia: synecdoche; quasi dicat: Est omnipotens.

V. 27. CONFESSIO. הוד *hod*, proprie *celebritas*, a qua aliquis celebratur, & quæ celebrem & gloriosum eum reddit. Vide Numer. XXVII. vers. 20. Varie hic reddunt, *Pulchritudo*, *decus*, *decor*, *laus*, *gloria*, *potentia*, *dignitas*, *gratulatio*, *reverentia*, *veneratio*, *maiestas*, *robur*, *fortitudo*, *splendor*. ET MAGNIFICENTIA. הדר *hadar*, *decor*, *pulchritudo*, *ornatus*, *honor*, *decentia*. Hic alii varie reddunt, *Maiestas*, *elegantia*, *auctoritas*, *dignitas*: sic infra vers. 29. Quidam exponunt: *Pulchritudo, & decor faciebus eius*; id est, in cultu eius qui viget in Ecclesia, exterius quidem nihil turpe, aut indecorum, nihil superstitiosum aut absonum; sed omnia decenter, pulchre, ornate, decore, & apte fiunt. Alii: *Potentia, & pulchritudo ante illum*, vel *apud eum*; id est, insunt illi; quasi dicat: Potentissimus, & pulcherrimus est. Nonnulli: *Decorus & elegans est*. Plerique: *Laudatissimus, celeberrimus ipse est: tum etiam honoratissimus, ornatissimus, decentiæ, & auctoritatis plenissimus*. Abstracta enim vim superlativam habent. Vide Psalm. CIII. vers. 2. FORTITUDO, ET GAUDIUM IN LOCO EIUS. Quidam exponunt, Id est apud eum, penes eum; quasi dicat: Totus est in se, & solus aliis auctor roboris, & gaudii. Sed rectius, *In loco eius*, id est in sacra æde, tabernaculo, templo, ecclesia, vel cælo. Psalm. XCV. vers. 6. aliter effertur hic locus: *Firmitudo, & decor in sanctuario eius*. *Firmitudo*. עוז *ghoz*, *obfirmatio*, *robur*, *fortitudo*, *potentia*. Possit intelligi arca, ut supra vers. II. vel regnum & imperium Christi, opibus, & potentia fundatum, & obfirmatum, ut I. Samuel. II. 10. & hic infra vers. 28. ET DECOR. תפארת *tiphereth* aiunt esse *decorem*, *ornatum*, *ornamentum*, *splendorem*, *gloriam*, *magnificentiam*, Græce μεγαλοπρέπεια. Noster secutus LXX. *pulchritudinem* vertit Psalm. LXXVII. vers. 61. quo loco quidam *arcam* intelligunt, quod sese gloriosum in ea Deus exhiberet; ut antea appella-

lavit eam *robur*, quod ex ea robur suum exerceret. Alii, *robur* ibi, ipsam arcam accipiunt, & *tiphereth*, *decorem*, ipsum cultum eius decenter & decore institutum: quo putant respexisse Paulum I. Corinth. XIV. vers. 40. cum hortatur ut in Ecclesia *omnia decore*, *decenter*, & *secundum ordinem fiant*. Volunt etiam Paulum vim vocis huius nunc *coronam*, nunc *gloriam* reddidisse: interdum utrumque simul complexum: Philippens. IV. vers. 1. *Gaudium*, & *corona*; & I. Thessalonicens. II. 19. *Et gaudium*, & *corona gloriæ: vos enim estis gloria nostra*, & *gaudium*: atque hanc phrasim, addito nomine gaudii, desumpsisse Paulum ex Ezechiel. XXIV. 25. *Gaudium decoris*. Sed nec dubito ad hunc Paralipom. & ad illum Psalmi locum respexisse: nam hic vox *gaudii*, Psalm. *decor*, *corona*, ponitur. Nec aliene in Psalmo cultus Dei decens, & decorus, qui in Ecclesia peragitur, intelligetur. IN SANCTUARIO EIUS. מקדש *mikdasch*, proprie *sanctuarium*, *sacrarium*, *asylum*, *ædem sacram*, *ubi sacra reponebantur*, significat. Noster *sanctificationem* dicere solet, & Psalm. LXXVII. 69. *sanctificium*. Quidam hic tabernaculum, seu templum accipiunt; alii cælum; aptius plerique Ecclesiam Christi. Iam locum varie exponunt. I. *Fortitudo*, & *gloria in sanctuario eius*; id est, interior Ecclesiæ cultus (nam de exteriore præcedente membro locutum volunt) & fortitudo animi propria Christianæ religionis virtus, & actus aliarum virtutum gloria digni. II. *Potentia*, & *maiestas in sanctuario eius*; id est, vis & maiestas Dei maximopere elucet in Ecclesia. III. *Robur*, & *ornatus in sanctuario eius sunt*. IV. *Potentia*, & *ingens gloria illius relucet in ipsis cælis*, *quos sibi pro habitaculo peculiarius delegit*. Aptior expositio erit. *Robur*; id est, regnum Christi, & ornatus divini cultus in Ecclesia, quæ *sanctuarium* Dei est, quam maxime vigent.

V. 28. AFFERTE DOMINO, &c. Notant, imperativum הבה *habah*, non tam esse imperantis, quam desiderantis, & hortantis, seu amice compellantis, & efflagitantis ut aliquid fiat: & quando sequitur aliud verbum, reddi posse *eia*, *age*, *quæso*, *sodes*, & id genus; sed non sequente alio verbo, ut hic, utrumque includere, *eia age*, *da*, *adduc*, *cedo*, *affer*; unde hic reddes: *Eia agite*, *sodes date*, *tribuite*, *cedite*, *parato*, *adducite*, *afferte*, *ipsi Iehovæ*. Quidam ex יהב *iehab*, quod vertunt *onus*, *pondus*, Psalm. LIV. 23. hic reddunt: *Ponderose tribuite*, *pondus portate*, *onus imponite*, *ipsi Iehovæh*; ut significet, Deum non modo honore & gloria laudis afficiendum, sed etiam onere & pondere donorum ac munerum, quæ illi offerantur, iuxta illud Exod. XXIII. vers. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Restius erit: *Date pondus Iehovæh*, &c. *gloriam*, &c. id est *pondus gloriæ*, ut Paulus loquitur. GLORIAM, ET IMPERIUM. Varie reddunt. I. *Potentiam*, & *fortitudinem*. II. *Maiestatem*, & *omnipotentiam*. III. *Robur*, & *potentiam*. IV. *Gloriam*, & *potentiam*, id est laudem fortitudinis; quasi dicat: Confitemini Deum esse fortem. V. *Gloriam*, & *robur*: exponunt: *Et robur*, id est laudem amplissimam & vehementissimam; quasi dicas robustissimam: sic enim accipitur nomen *roboris*, ubi agitur de gloriæ & maiestatis divinæ prædicatione, ut Exod. XV. 2. & Psalm. VIII. 3. & alibi; quasi dicas *robur gloriæ*, id est gloriam potentissimam, quemadmodum interpretatur Christus Matth. XXI. 16. unde hic reddunt, *Honorem*, & *laudem*. Noster עז *ghoz*, pro regno & imperio, opibus, & potentia obfirmato, accepit, ut supra vers. 27. nempe regno Christi, seu Ecclesia.

V. 29. DATE DOMINO. Iam tertio repetitur verbum *Date*: notant id fieri in honorem summæ Trinitatis. GLORIAM NOMINI EIUS. Hebr. syntactice, *Gloriam nominis eius*, id est quæ respondet nomini ipsius, dignam nomine eius, vel qua dignum est nomen eius; seu aptam, congruentem, nomini eius; quasi dicat: Glorificate eum pro dignitate nominis eius. Quidam, *Gloriam nominis eius debitam*. Alii, Id est nominatissimam, & celeberrimam, qualis convenit maiestati eius. Nonnulli: *Fateamini esse augustissimum nomen illius*. LEVATE SACRIFICIUM. Aptissime convertit; sed Psalm. XCV. 8. *Tollite hostias* reddidit. Quidam: *Levate*, *afferte*, *arripite munus*, seu *munera*. Hebr. *Levate minchah*, *fertum*, *sacrificium cibarium*, *farinaceum*, de quo late Lev. cap. II. Sublimius intelligunt sacrificium farinaceum, & incruentum sa-

cræ

cræ Euchariſtiæ, quod continenter peragitur in Eccleſia, & levatur in altum manibus ſacerdotum. ET VENITE IN CONSPECTU EIUS. Hebr. *Et venite faciebus*, ſeu *ad facies eius*. Pſalm. xcv. 8. ſcribitur, *Et venite atriis eius*, vel *ad atria eius*, id eſt ad tabernaculum, ſeu templum, vel potius ad eccleſiam: idem eſt *ad facies eius* & *ad atria eius*, quia Deus in Eccleſia præſentiam ſuam exhibet. IN DECORE SANCTO. Hebr. *In decore ſanctitatis*. Diverſe exponunt. I. In decore ſancto tam interno quam externo cultus divini. II. *In ſplendoribus ſanctuarii* eius. III. *In magnifico ac ſplendido ſanctuario*, id eſt templo, vel in eccleſia. IV. *Veneraturi magnifice ſanctam maieſtatem illius*. V. *Cum ſancta pompa*. Hiſpanicus, *Enſu hermoſo ſanctuario*, vel *ſacrario*. VII. *Quemadmodum meretur ſacroſancta maieſtas illius*. Noſter Pſalm. XXVIII. 2. & Pſalm. XLV. 8. reddidit, *In atrio ſancto eius*.

V. 30. COMMOVEATUR A FACIE EIUS OMNIS TERRA. Varie reddunt imperatium היל chilu ex Hiphil. I. *Tremite, pavete, contremiſcete, a faciebus eius univerſa terra*. II. *Metuite ab ipſo quotquot habitatis in terra*. III. *Revereatur faciem eius univerſa terra*. IV. *Formidate a conſpectu eius tota terra*; quaſi dicat: Si tantum timore Dei agamini, circuminduimini benedictionibus, quæ his quatuor verſibus ſubiiciuntur.

Buchananus:

Omneſque rerum termini.
Deum tremant, ac diligant.

Montanus:

Cuius numina vultus
Omnis terra tremens colat.

Bochius:

Eius & immenſum reverentia terreat orbem.

V. Poſſis exponere: *Anxie, & cum dolore expectate, ſuſtinete*, ſeu *præſtolate, a faciebus eius*: ſic ſumitur id verbum Geneſ. VIII. 10. & 12. VI. ex primæva verbi notione reddes: *Afficiamini cruciatu, dolore angimini, dolete, diſcruciamini, a faciebus eius omnis terra*: ut vim veræ pœnitentiæ exprimat. IPSE ENIM FUNDAVIT ORBEM IMMOBILEM. Hebr. verbum תכון ticcon eſt paſſivum, quod varie reddunt. I. *Etiam firmabitur orbis, qui non labetur*. II. *Etiam orbis firmatus eſt, ut nutare nequeat*. III. *Etiam firmabitur orbis ne commoveatur*; id eſt, erit firmus & ſtabilis, pace perpetua fruetur, pace perenni ac felici; nullis bellorum, aut aliarum calamitatum procellis agitabitur, aut quatietur. Ergo timor Domini parit tranquillitatem animi, & corporis. IV. *Etiam ſtabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur*. V. *Quare ſtabilietur orbis, nec vacillabit amplius*: ſcilicet in Chriſto firmiſſima petra, cui innixus fuerit, nullo rerum adverſarum ictu concutietur, nulla vi, aut oppugnatione diaboli, & impiorum, de conſtantia, de pietate, ac tranquillitate animi depelletur; ſed invictum robur retinebit. Apte quidam totum hunc verſum ita reddunt: *Contremiſcat a facie eius omnis terra, etiamſi firmata ſit ut non moveatur*. Particula *etiam* Hebr. pro *etiamſi*.

V. 31. EXULTET TERRA. Hic primum occurrit verbum גול ghil, quod ex agnatis verbis aiunt denotare tripudium, ſeu exultationem, ſeu volutationem, quando quis aperit, & revelat gaudium cordis externis geſtibus; ideo geſtum gaudii magis ſonare quam internum cordis gaudium, ut cum quis ſaltat, gyros facit, & volutat ſe circuitionibus, & circumrotationibus: & quantum ad ſonum vocis attinet, Græcum ἀγγαλλιάω non multum ab Hebræo diſſonare: quo uſus eſt Lucas 2. verſ. 47. ad exprimendum Hebraicum *gil*, quo uſa eſt Deipara, *Et exultavit ſpiritus meus*, &c. & Eliſabeth, verſ. 44. *Exultavit præ gaudio infans in utero meo*. Per *exultare*, *geſtire*, *tripudiare*, reddunt. Hic, & præcedens verſus, quibuſdam additis, & immutatis, ita concipiuntur Pſalmo xcv.

Verſ. 9. *Dolete de faciebus eius omnis terra*.

Verſ. 10. *Dicite in gentibus*: *Iehovah regnavit, etiam ſtabilietur orbis, nequam dimovebitur*: *iudicabit populos in rectitudinibus*.

Verſ. 11. *Lætabuntur cæli. & exultavit terra*. Quidam exponunt: *Promulgate inter gentes*: *Dominus gubernandi munus*, ſeu *regni gubernacula ſuſcepit*: *proinde non agitabitur orbis*; *ſed firmiter perſiſtet per regnum Chriſti*: *quia ius dicet ex ſumma æquitate ac rectitudine, quam rectiſſime*. Alii: *Narrate exteris nationibus Dominum ſuſcepiſſe regnandi provinciam*: *quare ſtabilietur orbis, nec vacillabit amplius*: *quippe per æquitatem iudicabit populos omnes Dominus*.

iudi-

Buchananus.

Narrate cunctis gentibus
Regnare Dominum, qui ligat
Orbem catena immobili, &
AEquis gubernat legibus.

Bochius:

Et regnare Deum populos vulgate per omnes:
Qui stabilem solida mundum compage coercet,
Nec minus æquali ratione gubernat eumdem.

Orbem, hic quidam futurum intelligunt, Hebræor. II. 5. qui sane orbis nullis mutationibus obnoxius est. Alii Ecclesiam, quæ semper firma & stabilis, dum mundus erit, persistet, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Quod LXX. & Noster dixerunt, *Etenim correxit orbem terræ*, allusum putarunt ad recreatum, instauratum, reformatum, emandatum, & correctum mundum novis Christi legibus, & institutis: quo etiam facit Hebraicum *ticcon*, *apparabitur*, *præparabitur*, *dirigetur*, *instruetur*, *ordinabitur*, *rectificabitur*, *orbis*.

Verum sciendum, versum illum decimum Psalmi xcv. olim adiectis duabus voculis, ita apud multos in Ecclesia lectum: *Dicite in gentibus*, vel *in nationibus*: *Quia Dominus regnavit a ligno*; insigni vaticinio regni Christi per crucem. S. Iustinus Martyr in Dialogo adversus Tryphonem, pag. 297. & 298. monet duas illas voces, *A ligno*, a septuaginta Interpretibus positas, sed a Iudæis eorum translatione sublatas: atque in eum modum præter S. Iustinum legerunt Tertullianus adversus Iudæos, cap. x. & cap. XIII. & adversus Marcionem, cap. XIX. & XXI. Lib. III. S. Ephrem Syrus sermone de S. Cruce, Auctor nomine S. Cypriani Tractatu de montibus Sion, & Sina. S. Augustinus, Cassiodorus, Arnobius in Psalm. xcv. vers. 10. S. Leo Papa serm. IV. de Passione Domini, Ambrosiaster in I. Corinth. xv. S. Gregorius homilia VI. in Ezechiel. S. Isidorus de vocatione gentium, cap. xv. Sanctus Bernardus sermon. I. de Resurrectione Domini: denique idem canitur in Ecclesia in Hymno, *Vexilla Regis prodeunt*, cuius auctorem quidam S. Ambrosium, alii Theodulphum Aurelianensem, plerique Venantium Fortunatum Pictaviensem Episcopum faciunt. Eodem etiam modo legitur in Psalterio veteri Romano, quo etiamnum utitur Ecclesia S. Petri Romæ in Vaticano, & etiam in antiquo Psalterio, quo olim Hispaniarum Ecclesiæ utebantur, dicto *Mozarabe*.

Pudet referre quæ nonnulli vanissime & imperitissime de hoc loco differunt. Veritas est, eas duas voculas numquam in Hebræo fuisse, neque in hoc Paralipom. loco, neque in Psalmo xcv. neque a sacro & divino Auctore positas; neque eas Latinum Vulgatum Interpretem, quem probat Ecclesia, umquam agnovisse. Potuit esse ut a LXX. additæ fuerint, ut vult S. Iustinus; vel iam olim ex pia aliqua interpretatione irrepserint. Illud certissimum, in codicibus Græcis septuag inta Interpretum, qui hodie extant, non inveniri, ut etiam ex S. Hieronymo, Theodoreto, Euthymio apparet, qui earum nullibi meminere: & mirum plane, si a LXX. additæ fuere, ita potuisse Iudæos eas ex omnibus eorum codicibus abradere, ut ne vestigium earum in illis alicubi reperiatur. Eam tamen lectionem esse pie & sancte exosculandam, cum propter Patres, qui eam laudant, tum propter usum & usurpationem Ecclesiæ, non dubitaverim.

V. 31. Et plenitudo eius; id est, & quod ipsum implet, nempe pisces, & insulæ.

V. 33. Coram Domino. Quidam, *Ad præsentiam Iehovæ*, *ante faciem Iehovæ*, id est Christi venientis in mundum. Quia venit iudicare terram. Psalm. xcv. 13. bis dicitur: *Quia venit ad iudicandum terram*. Fere omnes exponunt: *Quia venit* in primo adventu in carne: & *quia venit* in secundo adventu ad iudicandum orbem: & uterque adventus fuit lætissimus; sed secundus piis tantum, nam impiis orribilis. Alii utrumque *venit*, de secundo adventu capiunt: nonnulli utrumque de primo adventu, quod est rectius. Aliqui reddunt: *Cum venerit*: *nam venit ad iudicandum terram*. בא *ba* potest esse participium *veniens*, pro præsenti; sed rectius est ut sit præteritum *venit*, ob certitudinem prophetiæ; vel ut ostendat gaudium futurum ob adventum Christi in terras. Exponunt: *Ad iudicandum terram*; id est, ad regendum, gubernandum, moderandum; vel ad administrandum, & ad iu-

iudicis partibus fungendum in ea: sic sumitur id verbum Genes. XIX. 9. & I. Samuel. IV. 18. & cap. VIII. vers. 5. 6. & 10. nam Christus legem Evangelii, iura, & statuta sancta praescripsit, secundum quae viverent homines: Ecclesiam suam toto orbe diffusam, regit ac gubernat. Alii: *Ad vindicandum*, *asserendum*, *terram*, ex peccato, morte, satana: *ad agendum causam terrae*, ad propugnandum, & liberandum eam a satanae tyrannide. Sic sumunt id verbum Iudicum II. vers. 18. & cap. III. vers. 10. Psalm. XCV. 13. additur hoc emistichium: *Iudicabit orbem in iustitia, & populos in fide sua*, vel *in veritate sua*. Varie alii, *Ex fide sua*, *per fidem suam*; id est, rectissime ac fidelissime, optima fide gubernabit, reget, moderabitur populos: non per fucum, aut fraudem, aut violentiam.

V. 34. CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS, &c. Hic versus idem est cum versu 1. Psal. CV.

V. 35. SALVA NOS, DEUS SALVATOR NOSTER, &c. Hic versus pene idem est cum vers. 47. Psal. CV. ET CONGREGA NOS, ET ERUE DE GENTIBUS. Exponunt: Id est, congregatos contine, ne dissipemur: nam antea fuerat regnum divisum, & Beniaminitae in primis a Davide alienati, supra cap. II. vers. 29. DE GENTIBUS, vel *ex gentibus istis*, apud quas multi Israelitarum profugi, captivi, aut inquilini fuerant, donec regnum ad Davidem pervenit: ut actum fuisse constat ex historia Iudicum, & Saulis. Alii exponunt: Collige, & congrega nos in unum absque dissidiis & seditionibus civilibus: & erue, libera, serva nos a gentibus exteris, hostibus populi Dei. ET EXULTEMUS IN CARMINIBUS TUIS. Infinitum להשתבח *lehishtabbeach* in formula Hithpahel verbi שבח *schabach*, varie reddunt. I. *Ad gloriendum in laude tua*, vel *ut gloriemur de laude tua*; id est, ut iactemus nos habere eum pro Deo, qui dignus est omni laude, & gloria. II. *Ut commenderis in laude tua*. III. *Ut lauderis*, sive *ut laudemur*, *in laude tua*. IV. *Ut laudibus te efferamus* V. *Et canemus laudes tuas*. VI. *Ad laudationibus commendandum nos in laude tua*. VII. *Et gloriam tuam celebremus*. Ex verbo: *Ad provehere*, *evehere*, *promovere*, *commendare laudationibus nos facere in laude tua*. Potest accipi active; *Ut nos te laudibus promoveamus*: vel passive, *Ut nos laudibus promoveamur*, sive gloriemur in laude tua.

V. 35. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL, &c. Hunc quoque versum habes Psalm. CV. 48. Vide in Psalm. XL. 14. AMEN. De hac voce vide Numeror. V. 22. ET HYMNUM DOMINO. הלל *hallel* quidam pro imperativo capiunt: *Et lauda Dominum*; quasi mutuo se invicem exhortarentur, ut unusquisque laudaret Deum. Alii volunt esse infinitivum: *Et laudare Iehovam*. Hispanice, *Alabar a Dios*: quod sumi volunt pro nomine, *Et laudem ipsi Iehova*: Quidam: *Et laudem dicendo ipsi Iehovae*: vel, *Et laudando Iehovam*: vel, *Et laus* sit *ipsi Iehovae*.

V. 37. PER SINGULOS DIES, ET VICES SUAS. Heb. *Ad verbum diei in die suo*. Varie alii: *Ad rem per singulos dies*; id est, ad quotidianum ministerium, prout quilibet exigebat dies. II. *In re diei in die suo*; id est, faciendo singulis diebus quod faciendum erat in unoquoque die. III. *Iuxta eum morem quem constituerat de die in diem*. IV. *In rem diei in die suo*; id est, prout opus erat in diem quotidie. V. *Iuxta demensum*, *ordinarium*, *constitutum*, *singulis diebus*. Vide similem locutionem Exod. V. 13. & 19. & XVI 4. & Levit. XXIII. 37.

V. 38. OBEDEDOM, ET FRATRES EIUS. Heb. *Hobed-Edom*, *& fratres eorum*. Propter relativum plurale *eorum*, subaudiunt quidam ex fine versus, *Hobed-Edom*, *& Chosah*, *& fratres eorum*, sive *cum fratribus ipsorum*.

V. 39. CORAM TABERNACULO DOMINI IN EXCELSO, QUOD ERAT IN GABAON. Erat id tabernaculum quod extruxerat Moses in deserto, diversum ab eo quod David tetendit arcae in Ierusalem, supra cap. VI. vers. 1. Sane Mosaicum tabernaculum primum fuit in Silo Iosue XVIII. 1. deinde in Nobe, I. Samuel XXI. hic iam dicitur fuisse in Gabaone: sed quomodo, aut quando, aut a quo, vel ob quam causam e Nobe in Gabaonem traslatum fuerit, plerique ignorari existimant: alii coniectantur, post caedem sacerdotum Nobe a Saule patratam, & post excisam eam urbem, I. Samuel. XXII. idem tabernaculum in Gabaonem translatum. Vide infra cap. XXI. vers. 29. & II. Paralipomen. I. vers. 3. 5.

3. 5. & 6. Notant, ordinarium Dei cultum fuisse Gabaone, ac proinde eo destinatos sacerdotes ad sacrificia; extraordinarium arcæ, in Ierusalem; ac ideo impositos ei Levitas.

V. 40. IUXTA OMNIA QUAE SCRIPTA SUNT IN LEGE DOMINI, QUAM PRAECEPIT ISRAELI. Heb. *Et ad omne scriptum in lege Iehovæh, quod præcepit super Israelem.* Quidam: *Et ut facerent prorsus ut scriptum est in lege Iehovæ, quam præcepit Israeli.* Alii: *Et ad præstandum quidquid scriptum est in lege Iehovæ, quod imperavit Israeli.*

V. 41. AD CONFITENDUM DOMINO: QUONIAM IN AETERNUM MISERICORDIA EIUS; id est, ut celebrarent, seu laudarent Iehovah hymnis, & psalmis, quorum argumentum esset æterna Dei benignitas. Vel ut decantarent Deo psalmos, quibus sempiterna eius beneficencia & pietas prædicatur. Sic II. Paralip. v. 13.

V. 42. HEMAN QUOQUE, ET IDITHUN, &c. Priorem partem huius versus nostra translatio ordine Hebraicorum verborum expressit (*Et cum eis Heman, & Ieduthun, tubæ, & cymbala audire facientibus, & vasa cantici Elohim.*) Alii diversimode. I. *Cum eis, inquam, reliquit Hemanem, & Iedutbunum, cum tubis, & cymbalis, ut resonarent, & cum instrumentis cantici Dei*; id est, ut concentum facerent cum instrumentis quibus cantica divina personabant. II. *Et iuxta eos erant Heman, & Ieduthun canentes tubis, & cymbalis, concentum facientes musicis istrumentis, & canticis divinis.* III. *Et cum eis Heman, & Iuduthun, qui tubis, & cymbalis faiebant audire, & instrumentis cantus Dei.* IV. *Penes ipsos autem Hemanem, & Ieduthunem, tubas, & cymbala pro resonantibus, & instrumenta musica Dei*; subaudi, reliquit David, a vers. 37. supra.

V. 43. REVERSUSQUE EST OMNIS POPULUS, &c. Vide de hoc vers. II. Samuel. VI. 19. & 20.

MENOCHII.

Vers. 1. ATTULERUNT, &c. Horum explicationem habes II. Reg. VI. a num. 17. & deinceps.

V. 4. RECORDARENTUR OPERUM EIUS: eius opera memorarent, & celebrarent. Vatablus vertit, *Ad narrandum.*

V. 5. SECUNDUM EIUS, secundum ab eo: fortasse vicarium eius significat. In Greco est δευτερεύων αὐτῷ. Vide infra cap. XXVIII. II. Paralip. num. 7. SUPER ORGANA PSALTERII. Ex Hebr. cum Vatabl. verti potest, *Cum instrumentis nablorum.* Quid nablum sit, lyra, aut cymbalum, vide cap. superiore num. 16.

V. 8. CONFITEMINI DOMINO. Commodius suo loco explicabitur hic Psalmus cum reliquis.

V. 37. ASAPH. ET FRATRES EIUS, Levitas scilicet, & cantores.

V. 38. IANITORES: de quorum munere dictum est supra cap. IX. num. 17.

V. 39. IN EXCELSO QUOD ERAT IN GABAON, ubi erat tabernaculum a Mose Dei iussu constructum, cuius cura Sadoc non tamquam Pontifici (nam hoc tempore hoc munere fungebatur Abiathar) sed tamquam in eo sacrorum principi demandata est. Vide dicta II. Reg. VIII. num. 17.

V. 41. HEMAN, qui princeps erat cantorum, ut dictum est supra cap. XV. num. 17. AD CONFITENDUM DOMINO, laudes Domini musicis modis exequendo. QUONIAM IN AETERNUM, &c. Hoc erat quasi intercalare carmen, quod inter canendum crebro ingeminabant.

V. 43. UT BENEDICERET DOMUI SUAE. Vide dicta II. Reg. VI. 20.

TIRINI.

Vers. 2. BENEDIXIT David POPULO, duplici benedictione: una spirituali, dum bene illi precatur, Deumque rogat, ut populi pietatem, cælestium, terrestriumque rerum abundantia compenset; altera corporali, cum discedentem populum xenio & hospitali ferculo prosequitur. Ita I. Reg. XXV. 27. numera quæ Abigail ad Davidem offert, benedictionem vocat. Simili modo vers. 43. dicitur David benedixisse etiam domui seu familiæ, & aulæ suæ.

V. 3. DIVISIT UNIVERSIS...TORTAM PANIS. Hebræum חלה *chala*, noster Interpres vertit subinde *tortam*, ut hic; subinde *collyridam*, ut II. Reg. VI. 16. subinde *crustulam*, ut Exodi XXIX. 2. Erat vero

vero genus placentæ, cui ad conciliandum saporem, admixtum erat aliquid dulciarium. De quo vide Rhodiginum *a*. Et partem assae carnis bubalae. Ex II. Reg. vi. verf. 19. patet legendum *bubulæ*. Hebr. אשפר *espar*, quod frustum carnis significat, videtur Noster in duas partes dissecuisse, hoc modo, אש פר *es par*, id est *bos ignitus*, seu *assatus*; ideoque reddidit *assam carnem bubulam*, seu vitulinam. Similis ratio excipiendi cum xenio populi apud multas nationes olim in usu fuit, & est etiamnum hodie apud nonnullas, ut in Hispania pluribus locis, cum ad festum aliquod solemnius celebrandum populus concurrit. Quod officium vulgo *Caritatem* vocant *b*; ut Græci olim *Agapen*. Et similam oleo frixam. Hebr. אשישה *basisah* solum in genere significat id *quod hominem exhilarat*, maxime in convivio. Unde pro rerum, ac temporum oportunitate varie Interpretes vertunt: nunc *similam oleo frixam*, ut hic: nunc *laganum*, ut hic Septuaginta, vel *artolaganum*, vel *lalangium* (sunt ex secundarum mensarum bellariis, ex pane, saccaro, aliisque palato demulcendo idoneis confecta) nunc *flores* vertunt, ut Cant. ii. 5. *Fulcite me floribus*: nunc *lagenam*, supple vini; ut hic plerique recentiores vertendum contendunt, credo, ne vinum mensæ Davidicæ defuisse videatur,

V. 8. Confitemini Domino: & verf. 23. Cantate Domino omnis terra. Duo Psalmi sunt, rudiori primum opere in hac arcæ translatione compositi a Davide, sed postmodum magis expoliti, numerisque suavioribus donati, in Psalterium traslati sunt: prior ordine civ. posterior xcv. ubi eosdem explicatos invenies.

V. 39. Sadoc autem sacerdotem, scilicet summum nuper a Saule constitutum, iussit David eo munere fungi, non in arce Sion coram arca fœderis, sed in Gabaon coram tabernaculo Domini, a Moyse olim concinnato in deserto Sinai; Abiatharum vero iussit sacerdotio fungi Ierosolymis coram arca. Cum enim iure successionis deberetur ea dignitas Abiatharo, utpote filio Achimeleci Iniuste a Saule occisi; nollet tamen David Sadoco, recens sibi conciliato, ut dixi cap. xii. verf. 28. forsan ex pactis conventis, & propter egregia merita, in eodem munere quo a Saule condecoratus fuerat, publice per Davidem continuato, non posset quidquam derogare; sic munus utriusque distribuit pacis & concordiæ causa, ut unus Pontificatu fungeretur in Gabaon, alter in urbe Ierosolyma.

(*a*) Rhodig. Lib. IX. lect. antiq. cap. xvi.
(*b*) Proleg. de Idiotif. Hebr. num. xi.

GORDONI.

Verf. 5 Secundum eius: ut sit secundus ab eo, aut substitutus, δευτερεύων αὐτῷ. De nablo iam dixi cap. xv.

V. 39. In Gabaon. Ibi erat tabernaculum, quod construxit Moses, in quo loco constitutus est Sadoc sacrorum princeps: nam Pontificatum adhuc gerebat Abiathar.



CAPUT XVII.

Cogitanti David ædificare domum Domino, promittitur filius qui illam sit ædificaturus; unde David gratias agit, Dei erga se bonitatem extollens.

1. Cum (a) autem habitaret David in domo sua, dixit ad Na-
than Prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca
autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Et ait Nathan ad
David: Omnia quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim
tecum est. 3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Na-
than, dicens: 4. Vade, & loquere David servo meo: Hæc
dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habi-
tandum. 5. Neque enim mansi in domo, * ex eo tempore quo eduxi Israel,
usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio
6. manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni iudicum Israel,
quibus præceperam ut pascerent populum meum, & dixi: Quare non ædificastis
mihi domum cedrinam? 7. Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David:
Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem,
ut esses dux populi mei Israel. 8. Et fui tecum, quocumque perrexisti: & in-
terfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magno-
rum, qui celebrantur in terra. 9. Et dedi locum populo meo Israel: plantabi-
tur, & habitabit in eo, & ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atte-
rent eos, sicut a principio, 10. ex diebus quibus dedi iudices populo meo Israel,
& humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit
tibi Dominus domum. 11. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos,
suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: & stabiliam regnum eius.
12. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius usque in æternum.
13. Ego erò ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam
non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. 14. Et statuam eum
in domo mea, & in regno meo, usque in sempiternum: & thronus eius erit
firmissimus in perpetuum. 15. Iuxta omnia verba hæc, & iuxta universam vi-
sionem istam, sic locutus est Nathan ad David. 16. Cumque venisset Rex Da-
vid, & sedisset coram Domino, dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ
domus mea, ut præstares mihi talia? 17. Sed & hoc parum visum est in con-
spectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: &
fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus. 18. Quid ultra ad-
dere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, & cognoveris eum?
19. Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti omnem magnificen-
tiam hanc, & nota esse voluisti universa magnalia. 20. Domine, non est simi-
lis tui: & non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus
nostris. 21. Quis enim est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra,
ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine
sua atque terroribus eiiceret nationes a facie eius, quem de AEgypto liberarat?
22. Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, & tu

Do-

Domine factus es Deus eius. 23. Nunc igitur Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo, & super domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es. 24. Permaneatque & magnificetur nomen tuum usque in sempiternum: & dicatur: Dominus exercituum Deus Israel, & domus David servi eius permanens coram eo. 25. Tu enim Domine Deus meus revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: & idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te. 26. Nunc ergo Domine, tu es Deus: & locutus es ad servum tuum tanta beneficia. 27. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te: te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

(a) II. Reg. VII. I.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *Ex eo tempore quo eduxi Israel*. Non est addendum *de terra AEgypti*, sed subaudiendum.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PELLIBUS. Sic etiam LXX. at Hebr. *cortinis*.

V. 3. NOCTE, scilicet sequente diem quo dixerat præcedentia; nisi forte nocte dixerat eadem.

V. 5. NEQUE ENIM, &c. quasi dicat: Constitui ego tempus quo sit ædificandum, id quod nondum advenit. DOMO, id est templo stabili. ET IN TENTORIO; pro, & tentorii.

V. 6. MANENS; pro, quamdiu mansit.

V. 9. PLANTABITUR; pro, plantatus est; id est, fixas a me sedes accepit. Hebr. *Plantavi eum*. COMMOVEBITUR. LXX. *Perturbabitur*.

V. 10. AEDIFICATURUS .... DOMUM, id est familiam, seu posteritatem numerosam daturus.

V. 11. VADAS, scilicet per mortem. SUSCITABO, id est excitabo. DE FILIIS TUIS. LXX. *de ventre tuo*.

V. 13. FUIT, scilicet Saul.

V. 16. SEDISSET, id est mansisset. Vide II. Reg. VII. 18.

V. 17. FUTURUM. Hebr. & LXX. *longinquum*. SUPER OMNES HOMINES. Id additum ab Interprete. Hebr. sensus est: Ut solent esse viri excellentes.

V. 18. COGNOVERIS, id est amaveris, seu faveris.

V. 19. PROPTER FAMULUM TUUM, id est mea causa. IUXTA COR TUUM, id est pro tua bona voluntate.

V. 23. FAMULO TUO. Hebr. & LXX. *super servum suum*.

V. 25. REVELASTI AURICULAM; quasi dicat: Indicasti, seu aperuisti mihi. UT AEDIFICARES, &c. id est, te ei daturum posteritatem.

ESTII.

Vers. 11. SUSCITABO SEMEN TUUM POST TE: & deinde vers. 12. ET FIRMABO SOLIUM EIUS USQUE IN AETERNUM. Nempe complendum id erat in Christo ex eius stirpe per succedentes Reges nasciturо. Et sic etiam intelligitur quod mox sequitur vers. 14. ET STATUAM EUM IN DOMO MEA, ET IN REGNO MEO USQUE IN SEMPITERNUM, ET THRONUS EIUS ERIT FIRMISSIMUS IN PERPETUUM. Nota autem, Davidi promissam fuisse non perpetuitatem regni temporalis, sed tantum perpetuitatem regni in genere, in posteritate tamen sua secundum successionem carnalem. Et fuit hæc promissio completa: nam Christus secundum carnem ex Davide ortus est.

V. 13. ET MISERICORDIAM MEAM NON AUFERAM AB EO, SICUT ABSTULI AB EO QUI ANTE TE FUIT. Sensus est, quod regnum in posteritate

Sa-

Salomonis esset mensuram, quod non fuit Sauli concessum. Ex his ergo verbis nullo modo potest constitui Salomonem esse salvatum: nam tantum de regni perpetua successione sermo est, quomodo illa ad vers. 11. est explicata; non autem de iustitia, aut salute æterna.

MARIANAE.

Vers. 2. DEUS ENIM TECUM EST: tibi favet, placet quod cogitas. Verba Nathan ad David, cum vellet ædificare templum.

V. 3. NOCTE ILLA FACTUS EST SERMO DEI. Non patitur Deus diu suos aberrare, præsertim qui illi volunt placere.

V. 5. SED FUI SEMPER MUTANS LOCA TABERNACULI. Hebr. *Et fui e tabernaculo in tabernaculum, & e tentorio* (scilicet in tentorium) quasi dicat: Non habui fixam habitationem, sed loca subinde mutabam. ET IN TENTORIO; pro, tentorii loca mutans.

V. 6. MANENS CUM OMNI ISRAEL. Hæc verba Hieronymus iunxit cum superioribus. Hebr. & Sept. iungunt cum sequentibus, sic: *In omnibus* (scilicet locis) *quibus ambulavi in* (pro cum) *omni Israel, num verbum locutus sum uni Iudicum Israel?* sic Hebr. habent.

V. 7. CUM IN PASCUIS SEQUERERIS GREGEM. Hebr. *De caulis*, aut *mapalibus*, *de post pecus*. Sept. *Ex ovili post greges tulit te ut esses dux populi*.

V. 8. FECITQUE TIBI NOMEN QUASI UNIUS MAGNORUM, QUI CELEBRANTUR IN TERRA. Hebr. *Nomen sicut nomen magnorum* (scilicet Regum) *qui in terra*, scilicet sunt. Dedi locum populo meo Israel:

V. 9. PLANTABITUR. Hebr. *Plantavi eum*, scilicet populum; aut *plantabo*, ut Sept. ET HABITAVIT IN EO. Heb. *Habitabit sub se*, in loco suo, nulla vi inde motus. Sept. *Et habitabit apud se ipsum*.

V. 10. SICUT A PRINCIPIO, EX DIEBUS QUIBUS DEDI IUDICES. Hæc sic iungenda sunt. Quod sequitur, ET HUMILIAVI UNIVERSOS, iunge cum superioribus, *Atterent eos*; aut vero illud, *Ex diebus*, &c. legatur per parenthesim. ANNUNTIO ERGO TIBI; id est, hæc erit merces tua, quod domum ædificabit tibi Dominus. De se loquitur Deus in tertia persona. Porro *ædificare domum*, est filios, & nepotes multos dare.

V. 13. EGO ERO EI IN PATREM. Hæc verba iuncta cum illis vers. 14. *Et statuam eum in domo mea, & in regno meo usque in sempiternum*, cum de Salomone, & aliis Regibus intelligi non possint, de Christo potius accipi debent. MISERICORDIAM MEAM NON AUFERAM AB EO, SICUT ABSTULI AB EO QUI ANTE TE FUIT, id est Saul, a quo abstulit regnum.

V. 16. ET SEDISSET CORAM DOMINO David. Hebr. *Ad facies Domini*: ea est arca. DIXIT: QUIS EGO SUM, DOMINE DEUS ..... UT PRAESTARES MIHI TALIA? Hebr. *Quoniam perduxisti me usque huc*, scilicet ut me Regem faceres, qui nihil sum. Præterea locutus es

V. 17. IN FUTURUM. Hebr. & Sept. *in longinquum*. ET FECISTI ME SPECTABILEM. Hebr. *Et aspexisti me iuxta ordinem hominis excellentiæ*, id est excellentem; quasi dicat: Me quasi excellens essem aspexisti, mihique consuluisti, providentiam ad posteros extendens. SUPER OMNES HOMINES. Additum ab Interprete.

V. 18. QUID ULTRA ADDERE POTEST DAVID? id est, quid amplius petam? CUM ITA GLORIFICAVERIS SERVUM TUUM. Hebr. *Ad gloriam servum tuum*; id est, quid petam ad gloriam mihi, qui servus tuus sum? ET COGNOVERIS EUM. Hebr. *Et tu servum tuum nosti*. Initium hoc omnis boni, cognosci a Deo. Non est Deus ut tu

V. 20. EX OMNIBUS QUOS AUDIVIMUS. Hebr. *Iuxta omnia quæ audivimus*: sic Sept. sed nimirum pro Kaph, Hieronymi codex Beth habuit, quæ litteræ similes sunt. Utra lectio verior, divinare non est opus. Hieronymi lectio placet.

V. 21. ET FACERET POPULUM SIBI, ET MAGNITUDINE SUA ATQUE TERRORIBUS. Hebr. *Ut poneret tibi nomen* (o Deus) *magnalia atque terribilia ad eiiciendum a facie populi tui, quem redemisti, ex Ægypto gentes*. Constructio implicita. Hieronymus sententiam expressit.

V. 24.

V. 24. CORAM EO. Hebr. *coram te*: sic Sept. scilicet permaneat domus servi tui.

V. 25. REVELASTI AURICULAM SERVI TUI; id est, indicasti mihi quod velles mihi domum ædificare. ET IDCIRCO; id est, tanti beneficii fiducia audeo precari quæ dicta sunt. Priora beneficia ad maiora aditum patefaciunt. TU ES DEUS: ET LOCUTUS ES AD SERVUM TUUM TANTA BENEFICIA. Hebr. *Bonum hoc*, scilicet quod illi ædificares domum, *revelasti*. Erit ergo domus mea felix:

V. 27. TE ENIM DOMINE BENEDICENTE. Hebr. *Tu Domine benedixisti, & benedicta (est) in æternum*, scilicet domus mea. Sept. totidem verbis.

MALVENDAE.

Vers. 1. CUM AUTEM HABITARET DAVID, &c. Confer totum hoc caput cum toto cap. VII. II. Samuel. nam sunt omnia eadem, paucis exceptis: & hic nonnulla contractius dicuntur. Vide ibi Comm.

V. 2. SED FUI SEMPER MUTANS LOCA TABERNACULI, ET IN TENTORIO. Hebr. *Et fui de tentorio in tentorium, & de tabernaculo*. Explicant: In profectione Israelitarum, quando filii Israelis non erant fixuri alicubi castra, arca Dei erat sub tentorio, ac proinde tamquam in itinere describitur de tentorio in tentorium: at quando figebantur castra, tunc erigebatur tabernaculum conventus ordinarium, & arca erat in tabernaculo suo; & proinde additur, *Et tabernaculo*: egrediebatur enim ordinarie e tabernaculo suo arca vehenda. Alii: *Sed fui de tentorio in tentorium, & de tabernaculo*, subaudi *in tabernaculum*; quasi dicat: Habitavi in tabernaculo, non illo quidem fixo ac permanente, sed quod subinde locum mutabat. Hic, *De tabernaculo in tabernaculum*, non significat varietatem tabernaculi, sed loci in quo erat tabernaculum. Nec falso possit varietas quoque tabernaculi intelligi: nam tandem de tabernaculo Mosaico translata fuit in Davidicum, II. Samuel. VI. 17. & supra cap. XV. vers. 1. Alii: *Sed fui transiens*, vel *ambulans, de tentorio in tentorium, & de tabernaculo in tabernaculum*. Nonnulli: *Sed essem de tentorio in tentorium itans etiam extra tabernaculum*; ut cum capta fuit a Pelisthæis, cum inde delata, cum ad publicos conventus adduceretur huc illuc.

V. 9. NEC FILII INIQUITATIS ATTERENT EOS. Hebr. varie alii reddunt. I. *Et non addent filii iniquitatis inveterascere ipsum*; id est, veteratorie cum ipso agere, vel veteri more opprimere ipsum. II. *Neque pergant iniquitati dediti terere eum*. III. *Et non addent filii iniquitatis ad inveterare ipsum*, id est consumere, vel ut consumant eum.

V. 10. QUOD AEDIFICATURUS SIT TIBI DOMINUS DOMUM. Hebr. *Et domum ædificavit tibi* IHUH, pro quo II. Samuel. VII. 11. dicitur: *Quia domum faciet tibi* IHUH; id est, dabit tibi amplam posteritatem, & regnum in successores stabiliet. Vide similem locutionem Exod. I. 21. & Genes. XVI. 12.

V. 17. ET FECISTI ME SPECTABILEM SUPER OMNES HOMINES. Plurifariam ex Hebræo convertunt. I. *Et monstrasti me in ordine hominis excellentiam*; id est, facies, constitues, ostendes me mundo excellentissimum in ordine hominum, qui ad summa fastigia deliguntur, quales sunt principes, ac Reges; quasi dicat: Ostentabis me inter principes excellentissimum ac supremum. Abstractum vim superlativi habet. II. *Qui aspexisti me iuxta formam hominis in dignitate existentis*. III. *Et vidisti me iuxta dispositionem hominis, hominis*, inquam, *excellentiæ*, id est excellentis: subaudiunt secundo vocem *hominis*, ut regimen subaudiant, quod האדם *haadam*, non sit in regimine; quasi dicat: Iam inde ab initio prævidisti, & decrevisti me futurum de numero hominum præcellentium, & eximiorum. IV. *Et vidisti me secundum conditionem, statum, hominis gradus*, seu *dignitatis*, id est magni, cum tamen sim parvus, & contemptibilis. V. *Et respexisti me secundum ordinem, formam, hominis, qui est ascensio*. VI. *Et respicias me ut respici solent homines præstantes*, VII. *Et prospexeris mihi secundum rationem humanam de hac excellentia*. Ex verbo: *Et videbis me secundum legem hominis ascensionem*. תור *tor*, a ירה *iarah*, *institutio, constitutio, dispositio, doctrina, lex*: nec dubium

bium quin sit decurtatum a תירה *torah*, aliis a תור *tur*, *dispositio*, *forma*, *ordo*, *series*, *ratio*, *status*, *gradus*, vel proprie *indagatio*, *indago*, *exploratio*, quæ fit ordine & serie. מעלה *maghalah*, *ascensio*, *elevatio*, *gradus*, *dignitas*, *excellentia*. Nec desunt qui hic reddant, VIII. *Et vidisti me secundum terminum hominis*, *excellentiam*; id est, vidisti me evectum ad summum fastigium, ad terminum humanæ conditionis. IX. Nonnulli ita exponunt: *Et vidisti me tamquam exploratione*, *indagine hominis gradus*: aiunt esse Hebraismum pulcherrimum; id est, sicut indagari & explorari solet magnus aliquis, hoc est perquiri, seu exquiri, quem omnes scilicet observant, & adeunt.

V. 18. QUID ULTRA ADDERE POTEST DAVID? Hebr. *Quid addet ultra David ad te?* II. Samuel. VII. 20. plenius dicitur: *Quid addet David ultra loqui ad te?* Quidam hic reddunt: *Quid addet ultra David petere a te?* Aliqui: *Quid perget adhuc David loqui apud te*, *de honore*, *quo honoras servum tuum*.

V. 19. DOMINE, PROPTER FAMULUM TUUM. Hebr. IHUH *in transitione servi tui*, sive *in transactione servi tui*; id est, quod ita transegeris cum servo tuo. II. Samuel. VII. 21. dicitur, *In transitione verbi tui*.

V. 24. PERMANEATQUE, ET MAGNIFICETUR NOMEN TUUM USQUE IN SEMPITERNUM. Nos Hebræa verbatim transfudimus (*Et creditum fuit*, *& grande factum fuit nomen tuum usque ad æternum*.) Alii sic: *Ratum fiat*, inquam verbum tuum, *ut magnificetur nomen tuum in sempiternum*. Nonnulli: *Et cum statum erit* verbum tuum, *magnificetur nomen tuum usque in sæculum*.

MENOCHII.

Vers. I. CUM AUTEM HABITARET, &c. Totum hoc caput explicatum est II. Reg. VII.

TIRINI.

Vers. 9. ET DEDI LOCUM, supple stabilem, POPULO MEO. Commemorat beneficia tum Davidi, eiusque familiæ, tum reliquo omni populo cælitus collata; spondetque, eadem divina manu ac potentia, qua subacti fuerunt Israelis hostes, conservatum quoque iri Israelitas in læto otio, & stabili pace. Non quod omnimoda libertas, & integra pax, plerumque otium concedendum sit (nam sæpe id non expedit: & constat, non raro posthac tum a vicinis hostibus, tum ab inquilinis turbatum fuisse Israelis imperium) sed non esse affligendum populum, SICUT A PRINCIPIO, CUM IUDICES POPULO PRAEESSENT; id est, eo modo quo iudicum temporibus subinde affligebatur, verbi gratia a Madianitis, Ammonitis, Moabitis, & Philisthæis: quæ afflictio pene similis videbatur AEgyptiacæ servituti. Porro quod hic dicitur, Israelitas ultra non sic afflictum iri, intelligendum de tempore longissimo, & sub conditione, si de novo Deum non provocent suis sceleribus ad similes, aut maiores plagas infligendas: uti provocarunt tempore sequentium Regum, atque ita merito similes, si non graviores, pœnas dederunt Assyriis, & Chaldæis.

Reliqua huius cap. explicata habes II. Reg. VII.

CAPUT XVIII.

Prælia David, & tributa gentibus imposita, atque officiarii eius.

1. FActum (*a*) est autem post hæc, ut percuteret David Phi-
listhiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias
eius, de manu Philisthiim, 2. percuteretque Moab, & fie-
rent Moabitæ servi David, offerentes ei munera. 3. Eo
tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regio-
nis Hemath, quando perrexit ut dilataret imperium suum
usque ad flumen Euphraten. 4. Cepit ergo David mille
quadrigas eius, & septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum,
subnervavitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reserva-
vit sibi. 5. Supervenit autem & * Syrus Damascenus, ut auxilium præberet
Adarezer Regi Soba, sed & huius percussit David viginti duo millia virorum.
6. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, & offerret mu-
nera. Adiuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat. 7. Tulit quoque
David pharetras aureas, quas habuerant servi Adarezer, & attulit eas in Ierusa-
lem. 8. Nec non de Thebath, & Chun, urbibus Adarezer, æris plurimum, de
quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa ænea. 9. Quod cum
audisset Thou Rex Hemath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adar-
ezer Regis Soba, 10. misit Adoram filium suum ad Regem David, ut postula-
ret ab eo pacem, & congratularetur ei, quod percussisset & expugnasset Adar-
ezer: adversarius quippe erat Thou Adarezer. 11. Sed & omnia vasa aurea, &
argentea, & ænea consecravit David Rex Domino, cum argento, & auro, quod
tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quam
de Philisthiim, & Amalec: 12. Abisai vero filius Saruiæ percussit Edom in Val-
le Salinarum, decem & octo millia: 13. & constituit in Edom præsidium, ut
serviret Idumæa David: salvavitque Dominus David in cunctis, ad quæ perrex-
erat. 14. Regnavit ergo David super universum Israel, & faciebat iudicium
atque iustitiam cuncto populo suo. 15. Porro Ioab filius Saruiæ erat super exer-
citum, & Iosaphat filius Ahilud a commentariis. 16. Sadoc autem filius Achit-
ob, & † Ahimelec filius Abiathar, sacerdotes: & Susa, scriba. 17. Banaias
quoque filius Ioiadæ super legiones Cerethi, & Phelethi: porro filii David,
primi ad manum regis.

(*a*) II. Reg. VIII. 1.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 5. *Syrus Damascenus*, & vers. 6. *Et posuit milites in Damasco*. Quidam addita una littera *r*, scribunt *Darmascenus*, & *Darmasco*, ut est hebraice; sed quia eadem urbs significatur, cuius nomen absque littera *r* celebrius est, præstat retinere quod est notissimum.

Lectionum Varietas.

V. 16. *Et Abimelec filius Abiathar*. Quidam Libri, consentanee Hebræo, scribunt *Abimelec*, mutata littera Heth in Beth. Vide Notationes nostras Psalm. lI, 2.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. MUNERA, id est tributum.
Vers. 3. HEMATH; id est, ad Hemath usque pertingentis.

V. 4. CENTUM QUADRIGIS, scilicet 400. equis. Hebr. *centum curribus*.

V. 7. PHARETRAS. Alii *clypeos*. LXX. *torques*.

V. 10. ADORAM, qui alias *Ioram*. UT POSTULARET AB EO PACEM. Hebr. & LXX. indicant potius, *Ut salutaret eum*, quamquam *postulare*, seu *rogare pacem* id etiam significat Hebr. phrasi.

V. 11. VASA, scilicet missa a Thou, ut indicant Hebr. & LXX.

V. 12. EDOM, scilicet simul cum Syris.

V. 14. IUDICIUM ATQUE IUSTITIAM, id est iudicium iustum; quasi dicat: Iuste regnum administrabat.

V. 15. A COMMENTARIIS: scilicet negotia notabat, regique referebat, vel res gestas scribebat.

V. 16. SACERDOTES, scilicet summi. SCRIBA, id est legis peritus, vel legum scriptor.

V. 17. CERETHI, ET PHELETHI, id est *exterminatores*, & *admirabiles*, secundum Hieronymum. Hi qui fuerint vide II. Reg. VIII. PRIMI AD MANUM; id est, quorum opera in primis utebatur.

E S T I I.

Vers. 11. SED ET OMNIA VASA AUREA, ET ARGENTEA, ET AENEA CONSECRAVIT REX DAVID DOMINO, &c. Commendatur hic magna pietas Davidis, qui cum prohibitus esset a Domino ne ipse ædificaret templum Domini, propterea quod multum sanguinem fudisset in præliis; tamen ad explendum tam pium illud suum desiderium, voluit quam proxime accedere, ut quia non liceret ædificare, saltem materiam præpararet filio ædificaturo; atque adeo consecravit omnia Domino: quo verbo significatur, quod ita iam ea deputabat ad usum sacrum, ut postea non liceret ea in usus profanos ullo modo expendere.

V. 13. ET CONSTITUIT IN EDOM PRAESIDIUM, UT SERVIRET IDUMAEA DAVID. Nempe tunc impleta est illa prophetia quæ fuerat indicata Rebeccæ gestanti uterum, & consulenti Dominum Gen. XXV. *Maior serviet minori*. Sensus enim est. Populus qui ex maiori, id est Esau, seu Edom, orietur, serviet populo qui nascetur ex minori filio, id est Iacob, qui & Israel dictus, ex cuius posteris erat David, qui iam Idumæam subiugaverat.

V. 17. BANAIAS QUOQUE FILIUS IOIADAE SUPER LEGIONES CERETHI, ET PHELETHI. Hebr. non est *legiones*, sed tantum *super Cerethi*, & *Phelethi*. In Lib. Reg. frequentissima est horum mentio; sed prima mentio est sub temporibus Davidis. Unde apparet hos fuisse a Davide primum constitutos. Ac proinde improbabilis eorum sententia est qui per Cerethi, & Phelethi intelligunt septuaginta seniores, quos Moyses instituit. Quidam dicunt fuisse duas cognationes, quæ numquam recedebant ab aula

la Davidis, eo quod essent velut custodes corporis eius. Paraphrastes Chald. *Cerethi*, interpretatur sagittarios; *Pheletbi*, fundibularios. Non quod voces hoc significent, sed quia hæ duæ legiones hoc militare officium habebant, ut altera sagittis, altera fundis uteretur, quorum armorum tunc temporis maximus erat usus in bello. Unde legimus II. Reg. 1. quod post mortem Saulis, David præcepit ut docerent filios Iuda arcum, eo quod Saul a sagittariis fuisset circumdatus, & superatus. Itaque hac occasione videntur hæ duæ legiones a Davide institutæ fuisse.

MARIANAE.

Vers. 1. PHILISTHIIM percussit David. Gotth. addit *quindecim*: unde? GETH, ET FILIAS EIUS. Sept. ϗ κώμας αὐτῆς, *vicos eius*.

V. 2. OFFERENTES EI MUNERA. Hebr. *afferentes munus*; id est, tributum annuum afferebat Moab: sic vers. 6. Percussit David Regem Soba.

V. 3. REGIONIS HEMATH. Hæc est Antiochia. Hebr. *in Hemath*: sic Sept. vel *ad Hemath*, quo significatur Adarezer ad eam fugisse, aut ibi percussum. Potest etiam significare, eo loco esse regnum eius: quod Hieronymus secutus est. QUANDO PERREXIT UT DILATARET IMPERIUM SUUM USQUE AD FLUMEN EUPHRATEN. Hebr. *Cum ad statuendum manum suam in flumine Euphrate*: sic Sept. *Manum* Hieronymus posuit pro *imperio*. Alii pro *loco*, pro *termino*. Porro relativum *eius* potest & ad David referri, aut ad Adarezer.

V. 4. SEPTEM MILLIA EQUITUM cepit David. Sept. *equorum*. SUBNERVAVITQUE OMNES EQUOS CURRUUM. Hebr. & Sept. *currus*, pro *equos curruum*. Sed cur *subnervavit*, & non potius sibi retinuit? fortasse quoniam inter leges regni scriptum est, Non multiplicabit sibi equos: sic Hebræa.

V. 6. ET POSUIT MILITES IN DAMASCO, victo scilicet Damasceno. Hebr. *Et posuit David in Syriæ Darmasco*: sed suppleri aliquid debet. Hieronymus *milites* dixit; Sept. *præsidium*; alii *præfectos*; id est, in formam provinciæ redegit eam regionem amoto Rege. ADIUVITQUE EUM DOMINUS. Hebr. *Et servavit Dominus Davidem*: incolumem præstitit: sic vers. 13. id verbum vertit Hieronymus, ubi eadem sententia repetitur. Heb. *Darmasco* hic, & *Darmascenus* vers. 5. habet.

V. 7. PHARETRAS AUREAS. Sept. *torques*, Hebr. *peltas*, seu *clypeos*, tulit David ab Adarezer.

V. 10. MISIT ADORAM, ut fœdus cum David faceret. ET CONGRATULARETUR EI. Hebr. *Et benediceret ei*: sic Sept. quod ad gratulationem potest referri, aut ad munera allata. QUOD PERCUSSISSET ET EXPUGNASSET. Heb. *Quod bellasset cum Adarezer, & percussisset eum*. ADVERSARIUS QUIPPE. Sept. & Hebr. *Quoniam vir bellorum Thou erat Adarezer*; id est, bella gerebat cum eo: & quidem ut *vir pacis* vocatur *amicus*, Psal. XL. 10. *Homo pacis meæ*: sic *vir belli* recte accipitur pro *hoste*.

V. 11. SED ET OMNIA VASA AUREA. Ex II. Reg. VIII. vers. 10. intelligitur, hæc verba cum præcedentibus iungi, ut Hebr. iunguntur. Sic enim ait ibi: *Et in manu eius*, id est David, *erant vasa aurea*. Itaque congratulatus est ei quod vicisset Adarezer, & quod abstulisset illi vasa aurea. Et proximo vers. additur: *Ipsa quoque sanctificavit*. Itaque illud, *In manu eius*, quod est in Lib. Reg. hic suppletur.

V. 13. ET CONSTITUIT IN EDOM PRAESIDIUM. Sic Sept. Hebr. *præfectos*: scilicet amotis Regibus in formam provinciæ redegit Idumæam.

V. 14. ATQUE IUSTITIAM. Posset *iustitia* pro benignitate & misericordia sumi, ut II. Reg. VIII. 15. sed Interpretes omnes *iustitiam* vertunt, ut est etiam Hebr. & Græc. Ergo iustitiam faciebat David.

V. 16. SACERDOTES fuerunt Sadoc, & Ahimelec, scilicet sumi: aliquamdiu duo fuere Pontifices, aut principes sacerdotum. De quo in Lib. Regum.

V. 17. CERETHI, ET PHELETHI. De his II. Reg. VIII. 18. PRIMI AD MANUM REGIS erant filii David. Præsto erant, ut inter primos, ubi opus erat, ministrarent. Filios Regum exerceri, & ministrare, verum est.

MALVENDAE.

Verſ. I. FACTUM EST AUTEM POST HAEC, &c. Conferendum hoc caput cum cap. VIII. II. Samuel. nam omnia ſunt eadem paucis exceptis: inde petendi Comm.

V. 3. UT DILATARET IMPERIUM SUUM USQUE AD FLUMEN EUPHRATEN. Hebr. *Ad ſtatuere manum ſuam in fluvio Pherathis*. II. Samuel. VIII. I. ſcribitur, *Ad reducendum manum ſuam in fluvio Pheratis*. Vide Comm. ibi. Hic vero varie reddunt: *Ita ut conſtitueret potentiam ſuam*, vel *ut ſtatueret terminum ſuum*, vel *fines ſuos*, vel *ut collocaret præſidium ſuum*. *Manus*, ut Latinis, pro turma, & copiis militum. Quidam hoc ad Haderghezerem referunt; alii rectius ad Davidem: *Cum proficiſceretur David ad iniiciendum manum ſuam verſus flumen Euphraten*. Nec deſunt qui exponant: *Ad ſtatuenda trophæa*, ſeu *triumphalia monumenta ſua ad flumen Euphraten*: ſic *manus* vocabulum ſumi notant II. Samuel. XVIII. 18.

V. 5. SYRUS DAMASCENUS. Hebr. *Aram Darmeſek*, id eſt *Syria Darmeſek*: ſic verſu ſequente. II. Samuel. VIII. 5. & 6. *Aram Dameſek* ſcribitur, id eſt Syria Damaſci; ſed idem utrumque eſt. Ego vocis דרמשק *darmeſek* nullam aliam etymologiam hariolari ſcio, niſi meridionalis ſeu auſtralis ſaccus, quod Damaſcus ſit auſtralior pars Syriæ univerſæ: vel *marmor Parium læve, terſum*, quaſi *diſcurſationis*; quod forte is lapſis ibi effoderetur.

V. 7. ET POSUIT MILITES IN DAMASCO. Hebr. abeſt vox *milites*, ſed tantum eſt, *Et poſuit David in aram Darmeſek*: verum ſubaudiendum, *Et poſuit David*, ſeu *ſtationarios in aram*, &c. ex II. Samuel. VIII. ver. 6.

V. II. SED ET OMNIA VASA AUREA, ET ARGENTEA, ET AENEA. Hebr. *Et omnia vaſa auri*, *&c. argenti*, *&c. æris*. Plerique ſuperioribus annectunt initio verſus: *Et miſit Hadoramum filium ſuum*, *&c. & omnia vaſa aurea*, *&c. argentea*, *&c.* ſcilicet miſit ad eum. Quidam: *Miſit Hadoramum filium ſuum*, *&c. cum quibuslibet inſtrumentis aureis*, *argenteiſque*, *ac æreis*. Qui ſenſus firmatur e II. Samuel. VIII. 10. *Et miſit Thobi Ioramum filium ſuum*, *&c. & in manu eius fuerunt vaſa argenti*, *& vaſa auri*, *& vaſa æris*. Noſter ſequentibus annexuit: *Sed & omnia vaſa aurea*, *&c. conſecravit David*, *&c.*

V. 14. REGNAVIT ERGO DAVID SUPER UNIVERSUM ISRAEL. Vide II. Samuel. V. 5.

V. 16. AHIMELECH. Hic II. Samuel. VIII. 17. & alibi dicitur *Achimelech*. אבימלך *Abimelech* ſonat *Pater meus Rex*: אחימלך *Achimelech*, *Frater meus Rex*.

V. 17. PRIMI AD MANUM REGIS, id eſt primarii, primores, ſummi adminiſtri ad latera Regis, vel quorum opera in primis utebatur Rex. Quidam notant hos adeptos ſummum honoris gradum in aula, ſed ad certa officia aut munera non fuiſſe deſtinatos; ſed ad quæcumque Rex eos extra ordinem, prout negotiorum, rerumque gerendarum ratio exigebat, eis voluiſſet imponere. Alioqui volunt eſſe Hebraiſmum, & Hiſpaniſmum *Ad manum Regis*, id eſt præſto, prompti, paratique. Hiſpanicus Interpres, *Del conſeio*, *o continos del Rey*; id eſt, vel *a conſiliis*, vel *aſſiduis Regis*.

MENOCHII.

Verſ. I. FACTUM EST AUTEM, &c. Explicationem huius capitis habes II. Reg. VIII. ET TOLLERET GETH, ET FILIAS EIUS, &c. Hoc non dicitur capite illo VIII. II. Reg. Senſus eſt, occupaſſe Davidem urbem Geth, quæ erat una ex quinque præcipuis urbibus Philiſthæorum, & circumiectas villas metropoli ſubiectas.

V. 17. FILII DAVID PRIMI AD MANUM REGIS: præcipui erant, alioſque dignitate antecedebant: quod idem ſignificatur II. Reg. VIII. 18. cum dicitur: *Filii autem David ſacerdotes erant*.

TIRINI.

Verſ. 3. REGIO HEMATH eſt Antiochia Syriæ. Ideo autem hic exprimitur, ut differentia notetur inter hanc Syriæ partem cuius metropolis eſt Antiochia, ab alia cuius caput eſt Damaſcus, cuius propterea Rex hic verſu quinto vocatur *Syrus Damaſcenus*. Sed huic prævaluit David, & tributum iniunxit,

xit, ut dicitur verſ. 6. altero uſus eſt amico, & confœderato, ut patet ex verſu 9. licet partem regni ipſius, quam tyrannice ſibi uſurparat Adarezer, eo devicto David iure belli expilarit, verſ. 8. Capite ſeq. verſ. 6. habes aliam Syriæ partem dictam Maacha; item aliam Meſopotamiam: de quibus vide Geographos.

V. 12. In Valle Salinarum. Hæc vallis inter Syriam eſt & Palæſtinam, non longe a mari mortuo, quod & ſalſiſſimum appellatur, ob ſalſuginem, & ſalis ex ea aqua concreſcentis abundantiam. Et ſpectat ad terminos Idumæorum, quibus locus ille fatalis fuiſſe videtur ob crebram iſtic cladem ab Iſraelitis acceptam: nam, ut hanc omittam Abiſai victoriam, qua cæſa ſunt octodecim millia; Ioab in eadem valle cecidit alia duodecim millia Idumæorum, ut ex titulo Pſalmi LIX. colligit ſanctus Hieronymus *a*, ubi id de Ioab expreſſe affirmatur. Deinde Amaſias Rex Iuda IV. Reg. XIV. 17. dicitur percuſſiſſe filios Seir, ſeu Edom, vel Eſau, id eſt Idumæos, *decem millia in Valle Salinarum*, præter alia eorumdem decem millia, quos e rupe in ſubiectam vallem præcipites dederunt, II. Paralip. XXV. 12.

V. 16. Ahimelec filius Abiathar. In Hebræo, Chald. & Græco eſt *Abimelec*: & hic eſt genitivi caſus, & nomen parentis Abiathari *b*, quia Abiathar manſit una cum Sadoco Sacerdos ſummus uſque ad initium regni Salomonis, a quo demum privatus eſt ea dignitate, III. Reg. II. 27. Niſi malis dicere, hunc Abimelech eumdem eſſe cum Abimelech filio Abiathari, infra cap. XXIV. 6. & parentem filio ſuo eumdem ſecum honorem communicaſſe, ut olim Eli fecerat, & Samuel, I. Reg. II. 12. & cap. VIII. verſ. 1. Ita Mariana.

Reliqua huius cap. explicui II. Reg. VIII.

(*a*) Hieron. in Tradit. Hebr. ad Libros Regum.
(*b*) I. Reg. XXII. verſ. 20.

GORDONI.

Verſ. 1. Filias eius. Sept. χάμας αὐτῆς ἐκ χειρὸς ἀλλοφύλων. Deo auctore res acta.

V. 3. Hemath, Antiochia poſtea dicta, ut plerique hunc locum interpretantur. Vide II. Reg. cap. VIII.

V. 3. Vide citatum caput VIII. de numero vario, ac cur ſubnervavit equos curruum: forte ſaucitatos, & inutiles. Cetera nota ſunt.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Geth abſtulit, & villas circumpoſitas.

V. 17. Filiis David. Hi alios dignitate antecedebant, *Sacerdotes* vocati II. Reg. cap. VIII. verſ. 18.

CA-

CAPUT XIX.

Hanon Rex Ammon, servis David, qui ad consolandum de patris morte venerant, contumelia affectis, a David invaditur, ac vincitur una cum Syris auxiliaribus.

1. ACcidit (*a*) autem ut moreretur Naas Rex filiorum Ammon,
& regnaret filius pro eo. 2. Dixitque David: Faciam mi-
sericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pa-
ter eius gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum
eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram
filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon: 3. dixerunt prin-
cipes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quod
David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadver-
tis, quod ut explorent, & investigent, & scrutentur terram tuam, venerint ad
te servi eius. 4. Igitur Hanon pueros David decalvavit, & rasit, & præcidit
tunicas eorum a natibus usque ad pedes, & dimisit eos. 5. Qui cum abiissent,
& hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contume-
liam sustinuerant) & præcepit ut manerent in Iericho, donec cresceret barba
eorum, & tunc reverterentur. 6. Videntes autem filii Ammon, quod iniuriam
fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta ar-
genti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba,
currus & equites. 7. Conduxeruntque triginta duo millia curruum, & Regem
Maacha cum populo eius. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Me-
daba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum. 8.
Quod cum audisset David, misit Ioab, & omnem exercitum virorum fortium:
9. egressique filii Ammon, direxerunt aciem iuxta portam civitatis: Reges au-
tem qui ad auxilium eius venerant, separatim in agro steterunt. 10. Igitur
Ioab, intelligens bellum ex adverso & post tergum contra se fieri, elegit viros
fortissimos de universo Israel, & perrexit contra Syrum. 11. Reliquam autem
partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui; & perrexerunt contra filios
Ammon. 12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem supe-
raverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium. 13. Confortare, & agamus vi-
riliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod
in conspectu suo bonum est, faciet. 14. Perrexit ergo Ioab, & populus qui
cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugavit eos. 15. Porro filii Am-
mon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem eius, &
ingressi sunt civitatem: reversusque est etiam Ioab in Ierusalem. 16. Videns au-
tem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, & adduxit Syrum, qui
erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum.
17. Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, & trans-
ivit Iordanem, irruitque in eos, & direxit ex adverso aciem, illis contra pu-
gnantibus. 18. Fugit autem Syrus Israel: & interfecit David de Syris septem
millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus princi-
pem,

pem: 19. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, & servierunt ei: noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

(a) II. Reg. x. 1.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. GRATIAM. Hebr. & LXX. *misericordiam*.

V. 4. DECALVAVIT. Id ab Interprete additum.

V. 5. MANDASSENT, id est nuntiandum curassent.

V. 9. AGRO, scilicet urbis Medaba.

V. 15. CIVITATEM, scilicet Medaba.

V. 16. FLUVIUM, scilicet Euphratem.

V. 18. SEPTEM MILLIA. II. Reg. x. dicuntur *septingenti*: scilicet intelliguntur illic currus electi & excellentes solum, hic autem omnes currus. PEDITUM. Id omissum fuerat II. Reg. x. sola equitum mentione facta.

V. 16. TRANSFUGERUNT AD DAVID. Hebr. & LXX. *Fecerunt pacem cum David*.

E S T I I.

Vers. 18. INTERFECIT DAVID DE SYRIS SEPTEM MILLIA CURRUUM, ET QUADRAGINTA MILLIA PEDITUM. II. Reg. cap. x. habetur: *Occidit David de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum*. Quæritur quomodo concilietur hæc dissonantia. Respondeo quantum ad prius, fuisse tantum currus septingentos, sicut dicitur in Libro Reg. Dicuntur autem hoc loco fuisse septem millia currum, quia quilibet currus habebat decem pugnatores; atque ita erant septem millia hominum pugnantium in curribus; qui proinde dicuntur hic *septem millia curruum*, hoc est militum in curribus pugnantium. Qua phrasi etiam alibi Scriptura utitur. Quod ad posterius dicendum est, nullam esse repugnantiam; sed quod ibi omissum est, hic expressum habetur, & contra. Nempe hic ponitur numerus peditum devictorum, & in Libro Regum numerus equitum.

M A R I A N AE.

Vers. 2. PRAESTITIT ENIM MIHI PATER EIUS GRATIAM, scilicet Rex Ammonitarum. Hebr. *Quia fecit pater eius mecum misericordiam*. Me beneficiis sibi obstrinxit. Cum David fugeret Saulem, fortassis ad Ammonitas etiam abiit, quippe finitimos. Quid proceres Ammon?

V. 3. HONORIS CAUSA IN PATREM TUUM. Hebr. *Num honorans David patrem tuum in oculis tuis* (id est coram te) *quia misit tibi consolatores*; quasi dicant: Num ea potissimum de causa misit ut honoraret patrem tuum, & non potius ut Provinciam exploraret? Rex Ammon,

V. 4. PUEROS DAVID. Sic Sept. Græce, & Hebr. *servos*. DECALVAVIT, ET RASIT. Hebr. *Rasit eos*: sic Sept. Nobilitatis signum cæsaries; ignominia ea abrasa continetur apud omnes gentes. De quo etiam Arist. Lib. Rhet. I. II. Reg. x. 4. ait rasisse dimidium barbæ. ET PRAECIDIT TUNICAS EORUM A NATIBUS USQUE, &c. Hebr. *Et abscidit vestes eorum in medio*, id est per medium, *usque ad nates*.

V. 5. QUI CUM ABIISSENT, ET HOC MANDASSENT DAVID. Hebr. *Et abierunt, & nuntiarunt David super viris*. Itaque non ipsi, sed alii id indicarunt. PRAECEPIT UT MANERENT IN IERICHO, DONEC CRESCERET BARBA EORUM. Simul cum barba capilli crevere; licet de eis non loquatur.

V. 6. VIDENTES AUTEM FILII AMMON QUOD INIURIAM FECISSENT. Hebr. *quod fœtuissent*, id est rem fœtidam cum David fecissent. Pravam conscientiam metus sequitur, bonam fiducia.

V. 7.

V. 7. Conduxeruntque triginta millia curruum. Ingens numerus, multo minor II. Reg. x. 6. Ibi electi, hic omnes. Ibi peditatus prætermissus, hic additur.

V. 10. Ioab intelligens bellum ex adverso, et post tergum, id est a fronte, & a tergo urgere hostes velle. Elegit viros fortissimos. Hebr. *Et elegit ex omnibus electis in Israel.* Sept. *Elegit ex omni iuventute Israel*: nimirum *bar* vox Hebr. & *iuvenem*, & *electum* significat: ea variæ interpretationis occasio.

V. 11. Auxilio erit mihi. Id Ioab dixit Abisai. Hebr. *Eris mihi in salutem*: sic Sept. Contra, si hostes te superarint, ero tibi in praesidium; pro, *etiam ego servabo te*: sic Sept. Verba Ioab ad Abisai.

V. 15. Et ingressi sunt civitatem, scilicet Medaba, ad quam pugnatum est, vers. 7. & ubi castra Ammonitarum erant.

V. 16. Transfluvium, scilicet Euphratem. Vocavit in auxilium eos Syros, Syrus qui cis flumen erat.

V. 17. Irruitque in eos, David scilicet. Hebr. *Venit ad eos*, id est contra eos. Et direxit ex adverso aciem. Hebr. *Et instruxit aciem ad eos* (id est contra eos) *& instruxit David aciem belli contra Syrum.* Repetitio quam Hieronymus abstulit. *Et pugnaverunt cum eo*, scilicet Syri. Quod Hieronymus dixit, Illis contra pugnantibus.

V. 19. Servi Adarezer, id est subditi. Syri qui Ammonitis erant opitulati, cum victos se viderent, transfugerunt ad David. Hebr. *Et pacem fecerunt David.* Noluitque ultra Syria auxilium praebere: sic Sept. *auxiliari*. Hebr. *Et servare noluit Syria amplius filios Ammon*: scilicet noluit illis favere.

MALVENDAE.

Vers. 1. Accidit autem ut moreretur Naas, &c. Totum hoc caput conferendum cum toto cap. x. II. Samuel. nam sunt omnia eadem paucis exceptis: inde petendi Comm.

V. 4. A natibus usque ad pedes. Hebr. *usque ad* מִפְשָׂעָה *miphsaghah*, quæ vox alibi in Scriptura non legitur: eam varie elucidant: aiunt esse *partem corporis sub natibus, ubi est pedum digressio, sive ubi incipit gressus*: sic honeste eam partem appellatam volunt, quasi digressionem, seu gressum; sicut & pedum nomine eadem pars appellatur, ut Iudic. III. 24. & I. Samuel. XXIV. 4. *Tegit pedes suos*; pro eo quod est, alvum exonerat: & II. Samuel. XIX. 24. *Fecit pedes suos*, pro pilum pudendorum. Unde hic divermode reddunt: *Usque ad digressionem, gradationem, gradificationem, nates, verenda, pudenda, usque ad summas coxendices*, ubi gressus incipit. Pro hac voce II. Samuel. x. 4. scribitur, *Usque ad* שְׁתוֹתֵיהֶם *schethothehem*, id est *posituras eorum*, id est *podices, nates*, quod idem est. Aliqui notant in Samuele intelligi posteriora; hic vero anteriora. Quidam hic reddunt, *Usque ad gressum*, id est pedes: qui sensus eodem recidit.

V. 6. Mille talenti argenti, id est centies centum millia, & vigesies centies milliones regalium Castellanorum. Vide II. Reg. xv. 19.

V. 7. Triginta-duo millia curruum. Immanis plane numerus, sed ex ore Spiritus sancti, inviolabilis veritatis: quem quidam eludere conati, audaci temeritate adiecta vocula reddunt: *Triginta duo millia peditum currus, & Regem Mabacah cum populo suo.* Inepte quoque Lyranus: *Triginta duo millia hominum pugnantes in curribus.* Maior hic numerus quam in Samuele ponitur; sed mos Scripturæ pervulgatus, alicubi dicere quæ alibi reticet. Medaba: de qua urbe vide Num. XXI. 30.

V. 10. Igitur Ioab intelligens bellum ex adverso, et post tergum contra se fieri. Nostra Translatio ipsa Hebraica verba numeravit (*Et vidit Ioab, quia fuit facies cæsionis ad eum, facies, & posterior.*) Alii dilucidius sic: *Et vidit Ioab quod esset facies belli contra se ante, & retro*; id est, quod instructa esset acies adversum se, & a fronte, & a tergo. Quidam: *Videns autem sibi imminere prælium, & a fronte, & a tergo.* Nonnulli: *Quamobrem videns Ioab obversam esse contra se aciem a fronte, & a tergo.*

ME-

MENOCHII.

Verf. 1. ACcidit autem, &c. Totum hoc caput explicatum est II. Reg. x.

TIRINI.

Verf. 4. Decalvavit. Id in Hebræo, Chaldæo, & Græco non habetur, sed solum *rasit*, nempe dimidiam capitis partem, & barbæ, ut habes II. Reg. x. 4. Neque ibi dicitur præscidisse se vestes *a natibus usque ad pedes*; sed præscidisse *vestes medias usque ad nates*, nempe a pedibus usque ad cingulum, ita ut nates detegerentur: hoc enim maiori probro erat ac dedecori.

V. 7. Triginta duo millia curruum (metonymice continens pro contento) sunt totidem millia equitum e curribus pugnantium, pro more illius temporis. Nam equites vocabantur non ii soli qui equis insiderent, sed etiam qui equis currum cui armati inerant protrahentibus veherentur. Patet Isaiæ xxi. 7. *Vidit currum duorum equitum*; id est, in quo duo vehebantur: & versu 9. *Vir bigæ equitum*: & cap. xxii. 6. *Currum hominis equitis*. Et quis alioquin Cantic. 1. esset *equitatus in curribus Pharaonis?* aut quo sensu diceretur vers. 18. David *interfecisse de Syris septem millia curruum*?

Reliqua huius capitis habes II. Reg. cap. x.

GORDONI.

Verf. 7. Triginta millia curruum. Aliter II. Reg. cap. x. sed, ut ibidem dictum est, nunc totus numerus, nunc etiam præcipuus poni potuit: non enim in numero integro, vel fracto est sita victoria.

CAPUT XX.

Bella a David prospere acta adversum Ammonitas ac Philisthæos, & in his occiditur gigas senos habens digitos, hoc est simul 24.

1. FActum (*a*) est autem post anni circulum, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, congregavit Ioab exercitum, & robur militiæ, & vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque, & obsedit Rabba: porro David manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, & destruxit eam. 2. Tulit autem David coronam Melchom de capite eius, & invenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit: 3. populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, & contererentur: sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon: & reversus est cum omni populo suo in Ierusalem. 4. (*b*) Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos, in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliavit eos. 5. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, * in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethæi, cuius hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. 6. Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. 7. Hic bla-

blaſphemavit Iſrael: & percuſſit eum Ionathan filius Samaa fratris David. Hi ſunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu David, & ſervorum eius.

(*a*) II. Reg. x. 7. & xi. 1. (*b*) II. Reg. xxi. 18.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *In quo percuſsit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethai*. Multæ ſunt hic varietates. In primis omittitur a quibuſdam nomen *Saltus*, ſed immerito. Deinde pro *Bethlehemites*, quidam ſcribunt *Lehemites*, ut nec hebraice additur *Beth*, verum illud huius expoſitio eſt. Ad hæc alii nominativum *Bethlehemites* mutant in genitivum *Bethlehemitis*, aut *Lehemitis*: quo modo liceat ex Hebræo vertere. Inſuper ſunt qui mutent in accuſativum *Bethlehemitem*, aut *Lehemitem*, quæ eſt interpretatio LXXII. ſed inepte egerunt qui tranſpoſitis ſyllabis ſcripſerant *Helemitis*, aut *Hebemitis*. Porro qui ſcripſerunt *Lahami*, vocem hebræam, ita ut hebraice legitur, ſupponere ſtuduerunt. Poſtremo ſecundum caſum *Gethai*, alii commutarunt cum quarto *Gethæum*, quod hebræa utrumque patiantur: legat qui volet noſtras in varias Bibliorum lectiones Notationes.

N O T A T I O.

V. 5. Duo Pariſienſium exemplaria Di. o. & Ge. o. cum textu Gloſſæ ordinariæ legunt: *In quo percuſsit Adeodatus filius Saltus Lehemitem fratrem Goliath Geth*: nimirum ſic ex Hebræo vertas אֶת־לַחְמִי *ipſum lahmi*, ſive *lehemitem*: אֵת enim particula perſonam deſignat patientem. Atque eo modo LXX. tranſtulerunt: ϗ ἐπάταξεν ἐλεανὰν υἱὸς ἰαῒρ τὸν λαχμὶ ἀδελφὸν γολιὰθ τοῦ γεθθαίου. Verum accipitur quandoque אֵת pro præpoſitione; atque ita hoc loco accipiendum Hebræi quidam exiſtimant, ut ſenſus ſit, מֵאֵת־לַחְמִי *de lahmi*; id eſt, qui de genere erat Bethlehemitarum. Atque ea expoſitio alteri Latinorum lectioni adſtipulatur; huic, inquam, lectioni quæ omnium pene eſt codicum, & enarratorum. *In quo percuſsit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites*, ſeu potius, quod Magdalii correctorium probat (quamquam idem ſignificetur) *Lehemites* (ut in Paralipomenis Hebraicarum Quæſtionum Auctor legi notat) *fratrem Goliath Get*. Suffragatur huic lectioni, atque interpretationi Liber Regum ſecundus (cap. xxi. 19.) cuius primo & viceſimo capite hoc ipſum ſtratagema ad hunc modum narratur: *In quo percuſsit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum*. Utrobique autem interpretatus eſt propria nomina Latinus Interpres, forte quod nominibus his Davidem ſignificari exiſtimaret, ut multi noſtrorum Tractatorum cum Hebraicarum Quæſtionum Auctore intelligunt. Ceterum D. Alphonſus Toſtatus multis rationibus oſtendit, non Davidis, & Goliatis monomachiam, quæ xvii. capite I. Regum deſcribitur, hoc loco intelligendam; ſed Elchanæ, ſeu Adeodati, quem Ioſephus Ephan cognatum Davidis vocat, cum Goliatis illius fratre, quem Philiſtinorum fortiſſimum appellat: ἠρίστευσεν, inquit Ioſephus, ἐφάνης ὁ συγγενὴς αὐτοῦ. μονομαχήσας γὰρ τῷ πάντων ἀνδρειοτάτῳ τῶν παλαιστινῶν ἀπέκτεινεν αὐτὸν, ϗ τοὺς ἄλλους εἰς φυγὴν ἔτρεψε. Non ſic Latina Frobenii editio narrat. Inique autem ſuſtulerunt ex Paralipomenis quidam nomen Saltus: *In quo percuſsit Adeodatus filius Bethlehemitis fratrem Goliath Gethæum*: nequaquam enim prætermittendum eſt. Sed eo addito non incommode legatur *Bethlehemitis*, ſeu *Lehemitis*: tam enim ad patrem, quam ad filium referri Hebræum poteſt. Atque hoc modo Epanorthotes legendum docet. „ Antiqui, inquit, & generaliter antequam „ connexerunt inducentes quaſdam novitates, „ habent omnes Latini ſic: *In quo percuſsit* „ *Adeodatus Helemitis fratrem Goliath Gethai* „ *&c.* " quamquam in ſyllaba ſecunda erravit ſcriba: *Helemitis* enim ſcribendum videtur fuiſſe, quomodo Brugenſium antiquiſſimum exemplar habet: ſed & Hunnæi correctiſſimus codex O, *Helemites* legit. Verum inverſas eſſe ſyllabas priores ſit ex Hebræo veriſimile. Imitati vero ſunt Hebræi textus cum vocem, tum ambiguitatem qui ſcripſerunt. *In quo percuſsit Adeodatus filius Saltus Lahami fratrem Goliath Gethæum*: ſic enim habent Biblia, & Dionyſii Carthuſiani Commentaria in ædibus Quentelianis excuſa.

Fratrem Goliath Getthai. Noſtrorum manuſcriptorum tredecim cum Lyrano, quarto caſu

casu *Getthæum* legunt. Utroque autem modo reddi cum Hebræa possunt: patiuntur enim tam ad fratrem Goliatis, quam ad ipsum Goliatem referri: atque utrumque Getthæum fuisse, Scriptura testatur. Non constat tamen vere fratres fuisse: frater enim dici potuit prioris posterior dumtaxat, quod fortitudine, magnitudineque similis esset: & ob hoc fortassis etiam ipso prioris nomine Goliath nuncupatus est: nam quem *fratrem Goliath Getthæum* Paralipomena nominant, *Goliath Getthæum* II. Regum Liber appellat.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. POST ANNI CIRCULUM, scilicet a bello gesto contra socios Ammonitarum. LXX. *Anno sequenti*. Hebr. *In anni reversione*, seu *conversione*; quasi dicat, In principio sequentis anni. DESTRUXIT, scilicet David vocatus postea a Ioab. Vide II. Reg. XII.

V. 2. MELCHOM, idest *Regis eorum*, ut vertunt LXX. quidam tamen putant esse idoli nomen. AURI PONDO TALENTUM, pro pondus talenti auri.

V. 3. TRAHAS, idest ferrea rastra; quamquam Hebr. tantum fit mentio serrarum, & carpentorum. LXX. legunt *serras, & ascias ferreas, & tribulos*.

V. 4. RAPHAIM, idest *gigantum*.

V. 5. ADEODATUS FILIUS SALTUS. Hebr. & Chald. *Elchanan filius Iabir*. BETHLEHEMITES. Hebr. & LXX. *Lachmi*: forte est nomen gigantis: vel intellige, Elchanan fuisse Bethlehemitem.

V. 6. RAPHA. Nomen gigantis.

V. 7. BLASPHEMAVIT; idest, probris affecit. IN MANU, idest per manum.

ESTII.

Vers. 2. TULIT AUTEM DAVID CORONAM MELCHOM DE CAPITE EIUS... FECITQUE SIBI INDE DIADEMA. In Libro Regum habetur: *Et tulit coronam Regis eorum*. Vox Hebræa *Melchom* ambigua est, ad *Regis eorum*, & ad idolum Ammonitarum. Interpres noster semel uno modo vertit, semel altero modo. Unde obiicitur, quasi David hic fecerit contra legem Deuteronomii capite septimo, ubi dicitur: *Sculptilia eorum igne combures, & non concupisces aurum, & argentum de quibus facta sunt*. Ad quod respondetur: Si legimus *Regis eorum*, nulla quæstio est; si autem intelligatur fuisse diadema idoli illorum, dicendum, præceptum illud Deuteronomii tantum intelligi de civitatibus, & populis, qui erant intra terminos terræ promissæ, ut patet ex eodem loco. Populus autem Ammonitarum intra illos terminos non continebatur. Septuaginta habent: *Et accepit coronam Melchom Regis eorum de capite eius*. Interim idoli nomen quoque fuisse patet IV. Reg. XXIII. Ierem. vero XLIX. est ambiguum, sicut & hic.

V. 5. ADEODATUS FILIUS SALTUS. Vide supra cap. XI. tum etiam I. Reg. XXIII. ubi vocatur Elchanan; tametsi II. Reg. XXI. etiam, ut hic vocetur *Adeodatus*. Sed vox Hebræa eadem est.

MARIANAE.

Vers. 1. POST ANNI CIRCULUM. Hebr. *Ad tempus reversionis anni*, id est vertente anno, aut aperiente se vere. Hebræi a mense Nisan initio veris annum inchoant, tunc equis pabulum, viris cælum benignum ad induenda arma. Sept. *anno sequenti* dixerunt. CONGREGAVIT IOAB EXERCITUM, ET ROBUR MILITIAE. Hebr. *Et duxit Ioab robur copiarum*. DESTRUXIT EAM, scilicet Rabba. Id David fecit, sed a Ioab vocatus, II. Reg. XII.

V. 2. CORONAM MELCHOM. Hebraice, *Regis eorum*: sic Septuaginta. Ipse Hieronymus II. Reg. XII. 30. *Tulit diadema Regis eorum*: In Tradit. tamen, tum hic, tum in Lib. Regum ait de idolo intelligendum: quæ vox quia Hebr. significat *Rex eorum*, ea occasio fuit variæ interpretationis. Et sane talenti pondus quis capite sustineret, ut maxime talentum ad Mosaici decimam esset redactum siclos trecentos? FECITQUE SIBI INDE DIADEMA. *Et fuit super caput David*. Sept. *Et erat in capite David*, scilicet in aliam formam auro redacto. MANUBIAS QUO-

QUE URBIS PLURIMAS TULIT. Hebr. *prædam*: nam *manubiæ* pecunia est ex præda vendita redacta. Sed & *prædam* promiscue ea vox sæpe significat.

V. 3. ET FECIT SUPER EOS TRIBULAS, ET TRAHAS. *Traha* & *tribula* idem, quo segetes teruntur in area. Hebr. *Et serravit in serra, & tribulis ferri*. ET FERRRATA CARPENTA. Hebr. *& in ferris*: quam repetitionem ut vitaret Hieronymus, posuit pro ea *ferrata carpenta*. Percussit David quosdam de genere

V. 4. RAPHAIM, id est *gigantum*: id significat ea vox, nec est nomen proprium: sic vers. 6. & 7. ET HUMILIAVIT EOS. Hebr. *Et humiliati sunt*, a Davide scilicet.

V. 5. ADEODATUS FILIUS SALTUS BETHLEHEMITES. Hic est David, de quo II. Reg. XXI. 19. Hieronymus in Tradit. Hebraice haberi ait: *Elchanan filius Iabir Leemites*. Sept. *Elchanan filius Iair Lachmi*: & videntur *Lachmi* ponere in accusativo, quasi nomen eius gigantis quem occidit: certe Hebr. in accusativo est. Verum ut hunc locum conciliarent cum II. Reg. XXI. 19. ubi *Elchanan Bethlehemites* esse dicitur, *Lachmi*, quod hic ponitur, trasferunt in *Bethlehemites*, putantes Hebraica certe esse viriata hoc loco, & pro *Ethlachmi* legendum Hebr. *Bethlachmi*: de quo non dispuco. Is ergo occidit FRATREM GOLIATH. In Libro Regum non ponitur *fratrem*, & fortassis ibi deest, & ex hoc loco suppleri debet: aut tam is quem occidit David, quam hic illius frater vocabantur *Goliath* cognomento. De quo plura in eo loco Lib. Reg.

V. 6. HOMO LONGISSIMUS. Sept. *Vir prægrandis*. Hebr. *Vir mensuræ*, id est magnus, de quo superius cap. XI. vers. 23.

V. 6. BLASPHEMAVIT. Hebr. *Convitiatus est*. PERCUSSIT EUM IONATHAN. Hieronymus in Trad. censet hunc fuisse Nathan Prophetam. IN MANU, id est per manum, DAVID, ET SERVORUM EIUS ceciderunt hi gigantes. Hinc colligunt, Elchanam, seu Adeodatum fuisse David, atque ita Hieronymus in Tradit. alioqui quo pacto cecidissent in manu David? Sed expedita responsio, si dicamus *Et servorum eius*, perinde esse ac si diceret, *Id est servorum eius*: &, pro *id est*. Id facit Rex, quod per milites facit.

MALVENDAE.

Vers. 1. FACTUM EST AUTEM, &c. Priorem partem huius versus expositam habes II. Samuel. XI. 1. QUANDO IOAB PERCUSSIT RABBA, ET DESTRUXIT EAM. Vide hanc historiam II. Samuel. XII. vers. 26. 27. 28. & 29. & Comm. ibi.

V. 2. TULIT AUTEM DAVID CORONAM MELCHOM, &c. Hunc versum, & sequentem confer cum II. Samuel. XII. 30. & 31. nam sunt omnino iidem.

V. 4. POST HAEC INITUM EST BELLUM, &c. Hunc, & quatuor versus sequentes confer cum II. Samuel. XXI. vers. 18. 19. 20. 21. 22. nam pene sunt iidem: inde sumendi Comm.

V. 5. BETHLEHEMITES. Recte quidam Latini codices habent *Lebemitem*, ut sit accusandi casus, & nomen proprium fratris Goliathi: ut etiam diserte Hebræa, & LXX. habent *Lahmi*. Hebræorum tamen nonnulli את *eth*, hic capiunt pro מן *min*, & subaudiunt: *Qui fuit de Lahmi*, id est de Beth-lechem, seu de Bethlehemitis: ut conveniat hic locus cum altero II. Samuel. XXI. 19.

V. 8. QUI CECIDERUNT IN MANU, &c. Hebr. *Et ceciderunt in manu*, &c. Illud quidam non ad tres tantum gigantes prænominatos referunt, sed etiam ad omnes gigantes qui fuerunt in Ghatho. IN MANU DAVID, ET SERVORUM EIUS. Illud &, pro *id est* accipiunt, quod servi Davidis auspiciis eius gigantes exciderint: sed possit intelligi etiam ductu Davidis, nedum auspiciis, sublatos Ghathi gigantes.

MENOCHII.

HOc etiam caput explicatum est II. Reg. Itaque satis erit indicare loca.

V. 1. FACTUM EST AUTEM, &c. Vide II. Reg. XI. 1. & cap. XII. 26.

V. 4. POST HAEC INITUM EST BELLUM. Quæ hic habes usque ad finem capitis, explicata sunt II. Reg. XXI. 18. & deinceps.

TIRINI.

Verſ. 2. TULIT DAVID CORONAM MELCHOM: quod nomen quia eſt idoli, putant aliqui, non fuiſſe hoc diadema Regis, ſed idoli Ammonitarum. Sed quomodo auſus fuiſſet David ex auro idoli ſibimet diadema conficere, cum Deuteronomii VII. diſerte caveatur? *Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces argentum, & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumet quidquam ex eis*. Ergo *Melchom*, ſeu, ut in Hebræo eſt, *Malcham*, idem eſt quod *Regis eorum*. Neque eſt quod quemquam terreat pondus talenti, quod erat 125. librarum Romanarum, quale nemo facile patietur capiti ſuo imponi. Nam non debebat immediate capiti infigi, ſed ſupra caput in throno, & conopœo regio affigi: quod inde ſublatum iuſſit David ſuo deinceps throno, & conopœo alligari, ut vertici ſedentis perpetuo immineret.

V. 3. TRIBULAS, ET TRAHAS, ET FERRATA CARPENTA FECIT TRANSIRE SUPER Ammonitas. *Tribula*, & *traha*, iſtrumentum illud eſt quo ſegetes teruntur in area. Quin & plauſtris, & rotis ferratis teri fruges, colligo ex illo Iſaiæ XLI. verſ. 25. *Poſuit te quaſi plauſtrum triturans novum, habes roſtra ſerrantia*. Eo igitur modo egit David in Ammonitas humi ſtratos rotas, & plauſtra ſerrantia, & tribulas ferreis cuſpidibus horrentes, quomodo agricola tribulas immittit in fruges, quas in area triturat. Hebraice, & Græce eſt: *Diſcerpſit eos ferris, & raſtris ferreis*, & II. Reg. XII. 31. *Serravit, diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum*; Græce, *per fornacem*, nempe ut ſolent lateres; quaſi dicat: Ammonitæ coniecti ſunt in ignitum clibanum, ſeu fornacem, ſicut in illum coniiciunt lateres, prorſus ad illorum typum ſeu exemplar: nam & talia ibi patiebantur, qualia lateres igne coquendi: neque magis ex eorum dolore & cruciatu dolebat, aut curabat David, quam doleret aut curaret figulus, qui formatos e luto lateres in fornacem coquendos immittit. SIC FECIT DAVID, non uni civitati Rabba, ſed CUNCTIS URBIBUS FILIORUM AMMON. Crudelia profecto, & horrenda ſupplicia, & forſan ad id tempus ſine exemplo: niſi quod aliquid fere ſimile præceſſerit in Gedeone, qui, ut eſt Iudic. VIII. 16. *tulit ſeniores civitatis, & ſpinas deſerti ac tribulos, & cum eis contrivit atque comminuit viros Socoth*. Sed poſterioribus ſæculis talia frequentius uſurpata legimus: nam Proverb. XX. 26. mentio huius fit tamquam uſitati ſupplicii, & Manaſſes ſerra diſſecuit Iſaiam, & Azael Rex Syriæ mulieres prægnantes IV. Reg. VIII. Et Ammonitæ eadem quæ iam a Davide paſſi ſunt, exercuerunt poſt in Iſraelitas Galaad, Amos I. 13. forſan id numquam facturi, niſi prius in Davide exemplum habuiſſent.

Petes, an peccarit David ita ſæviendo in Ammonita. Negat Abulenſis, eo quod gravem iniuriam contra ius gentium intuliſſent legatis Davidis. Sed hoc crimen ad ſolum Regem, & aulicos, ac conſiliarios illius ſpectabat: non item ad omnes reliquas urbes filiorum Ammon, quas tamen eodem ſupplicii genere omnes involvit David. Unde probabilius eſt, peccaſſe hic Davidem, & quidem graviſſime. Quod minus mirabimur, ſi conſideremus, hæc tam crudelia patraſſe Davidem eo tempore quo adhuc hærebat in luto adulterii Bethſabee, & homicidii Uriæ, neque pœnituerat de tantis ſceleribus. Solent vero tales ex uno in aliud ſcelus ruere, & magis magiſque ſordeſcere in dies, ut docet Concilium Tridentinum, & Doctores paſſim. Atque ita fuerit enormis hæc ſævitia appendix quædam ſermonis, ſeu hiſtoriæ Uriæ, qua ſpeciatim peccaſſe dicitur David II. Reg. XV. 5.

GORDONI.

Verſ. 1. POPULUM AUTEM. De hoc vide ſupra II. Reg. cap. XII. verſ. 30. & 31. ubi quæ hoc fere capite narrantur, ſunt explicata.

V. 4. & 5. DE GENERE RAPHAIM, gigantum. ADEODATUS. Vide II. Reg. XXI. verſ. 19. ubi non eſt *fratrem*, ſed hic recte ſuppletur. Septuag. *Digiti eius ſex & ſex*, viginti & quatuor.

CAPUT XXI.

David populum numerando Deum offendens, peste quam ex tribus elegerat percutitur, donec Deum oratione placaret, & altare in area Ornan Iebusæi erigeret.

1. Onsurrexit (*a*) autem satan contra Israel: & concitavit Da-
vid ut numeraret Israel. 2. Dixitque David ad Ioab, & ad
principes populi: Ite, & numerate Israel a Bersabee usque
Dan: & afferte mihi numerum ut sciam. 3. Responditque
Ioab: Augeat Dominus populum suum centuplum, quam
sunt: nonne, domine mi Rex, omnes servi tui sunt? quare
hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur
Israeli? 4. Sed sermo Regis magis prævaluit: egressusque est Ioab, & circuivit
universum Israel; & reversus est Ierusalem: 5. Deditque Davidi numerum eo-
rum, quos circuierat: & inventus est omnis numerus Israel, mille millia & cen-
tum millia virorum educentium gladium: * de Iuda autem quadringenta septua-
ginta millia bellatorum. 6. Nam Levi, & Beniamin non numeravit: eo quod
Ioab invitus exequeretur Regis imperium. 7. Displicuit autem Deo quod iussum
erat, & percussit Israel. 8. Dixitque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc
facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. 9. Et locutus est
Dominus Gad Videntem Davidis, dicens: 10. Vade, & loquere ad David, & dic ei:
Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do, unum quod volueris, elige, &
faciam tibi. 11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus:
* Elige quod volueris: 12. aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te fu-
gere hostes tuos, & gladium eorum non posse evadere: * aut tribus diebus gla-
dium Domini, & pestilentiam versari in terra, & Angelum Domini interficere
in universis finibus Israel: nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me.
13. Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius
mihi est ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius,
quam in manus hominum. 14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel: &
ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. 15. Misit quoque Angelum in
Ierusalem, ut percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, & miser-
tus est super magnitudine mali: & imperavit Angelo, qui percutiebat: Sufficit,
iam cesset manus tua. Porro Angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebu-
sæi. 16. Levansque David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cæ-
lum & terram, & evaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ieru-
salem: & ceciderunt, tam ipse quam maiores natu vestiti ciliciis, proni in ter-
ram. 14. Dixitque David ad Deum: Nonne ego sum, qui iussi ut numerare-
tur populus? Ego, qui peccavi: ego, qui malum feci: iste grex quid comme-
ruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum
patris mei: populus autem tuus non percutiatur. 15. Angelus autem Domini
præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, extrueretque altare Domino Deo
in area Ornan Iebusæi. 19. Ascendit ergo David iuxta sermonem Gad, quem
lo-

locutus ei fuerat ex nomine Domini. 20. Porro Ornan cum suspexisset, & vidisset Angelum, quatuorque filii eius cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum. 21. Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obviam de area, & adoravit eum pronus in terram. 22. Dixitque ei David: Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino: ita ut quantum valet argenti accipias, & cesset plaga a populo. 23. Dixit autem Ornan ad David: Tolle, & faciat dominus meus Rex quodcumque ei placet: sed & boves do in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium: Omnia libens præbebo. 24. Dixitque ei Rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. 26. (*b*) Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti. 27. Præcepitque Dominus Angelo: & convertit gladium suum in vaginam. 28. Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusæi, immolavit ibi victimas. 29. Tabernaculum autem Domini, (*c*) quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon. 30. Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: * nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

(*a*) II. Reg. xxiv. 1. Infra xxvii. cap. xx. (*b*) II. Paralip. iii. 1. (*c*) Exod. xxxvi. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *De Iuda autem quadringenta*. Non supponas minorem numerum *trecenta* pro maiori *quadringenta*, ut quidam.

V. 12. *Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos*. Pro *famem* quidam scribunt *pestilentiam famis*, minus recte: plerique vero *pestilentiam* tantummodo, nulla addita mentione *famis*, idque pessime.

Ibidem. *Aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra*. Non mutes nomen *pestilentiam* cum nomine *mortem*, quod illi faciunt qui mox supra *pestilentiam* male scripserant.

V. 30. *Nimio enim fuerat timore perterritus*. Non præponas nomini *timore*, præpositionem *in*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. SATAN, id est adversarius, scilicet diabolus.

V. 3. PECCATUM, id est perniciem, seu pœnam peccati.

V. 5. MILLE MILLIA. Vide II. Reg.

V. 6. INVITUS EXEQUERETUR. Hebr. *abominabile iudicaret*. LXX. *pudori erat*, id est turpe putabat.

V. 9. VIDENTEM, id est Prophetam. TRIUM TIBI OPTIONEM DO. Hebr. *Tria ego extendo super te*, id est tibi propono. LXX. *Tria ego tollam contra te*, seu *super te*.

V. 12. TRIBUS ANNIS. II. Reg. xxiv. dicitur *septem*: forte *septem* pro *multis* positum more Scripturæ. Adde, quod numero maiori comprehenditur minor. LXX. etiam II. Reg. habent *tres*.

V. 16. CILICIIS. Hebr. & LXX. *saccis*.

V. 19. ASCENDIT; id est, locus erat editior.

V. 23. TRIBULAS, scilicet rustica instrumenta.

V. 15.

V. 24. Gratuita, id eſt ab aliquo gratis data.

V. 25. Sexcentos. Vide II. Reg. cap. XXIV.

V. 26. De caelo, ſcilicet miſſo.

V. 30. Praevaluit, id eſt potuit. Obsecraret. Hebr. & LXX. *Quæreret*.

ESTII.

Verſ. 10. TRium tibi optionem do, unum quod volueris, elige. Ecce manifeſtum teſtimonium liberi arbitrii contra Calvinum, qui illud homini adimit. Ubi enim optio datur, & electio, dubium non eſt quin ſit libertas arbitrii.

V. 11. & 12. Elige quod volueris: aut tribus annis pestilentiam: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos... aut tribus diebus gladium Domini, et mortem versari in terra. II. Reg. XXIV. ſic legitur: *Aut ſeptem annis veniat tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua*. Quæritur quomodo hic non ſit antilogia ſeu contrarietas. Ad primum facilis eſt reſponſio: nam hoc loco peſtilentia famem ſignificat. Proponuntur autem in Lib. Reg. tantum tres anni famis peſtilentialis; hic vero ſeptem, nimirum ſimul comprehenſis annis famis qua Iſraelitæ quarto iam anno premebantur propter iniuſtam oppreſſionem Gabaonitarum a Saule factam, de quo II. Reg. XXI. Quod autem hoc loco dicitur, *Aut tribus diebus gladium Domini & mortem*, idem eſt quod in Lib. Reg. dicitur: *Aut certe tribus diebus erit peſtilentia*: utpote quod peſtilentia vere ſit gladius Domini & mors.

V. 25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. Vocatur hic Ornan II. Reg. ultimo *Areuna Iebuſæus*. Sed maior difficultas eſt, quomodo his non repugnet quod ibi dicitur, David emiſſe aream ſimul cum bobus, argenti ſiclis quinquaginta, quod pretium longe minus eſt eo quod hic expremitur. Varii varie reſpondent. Sed commodiſſima reſponſio videtur, quam Gloſſa huius loci ſuggerit. Nempe cum David primum tantum quæreret aream pro altari ædificando, quod ſtatim eam emerit una cum bobus, ad ſacrificium faciendum, quinquaginta tantum ſiclis argenti, id quod II. Reg. ultimo expreſſum ſit; at vero in ipſa oblatione ſacrificii, certior a Deo factus quod eodem loco vellet ſibi quoque templum poſtea ædificari, totum deinde locum, quantus ædificando templo ampliſſimo ſatis eſſet, emerit aucto ſupradicto pretio uſque ad ſexcentos ſiclos auri, id quod hoc loco commemoratur. Atq; idcirco, ſcilicet in Lib. Reg. tantum dicitur area empta, hic vero totus locus.

Nota autem, quod in area Ornan ſeu Areuna Iebuſæi, hominis gentilis, ædificandum denuntiatur templum, nempe ad ſignificandum quod ſibi Deus etiam gentiles tandem vellet cum Iudæis in unum populum & Eccleſiam congregare.

MARIANAE.

Verſ. 1. COnsurrexit autem satan, &c. Sic Sept. Hebr. *Stetit ſatan contra Iſrael*, cacodæmon.

V. 2. A Bersabee usque Dan. Termini gentis ad auſtrum, & ſeptemtrionem: ſcilicet totum populum numerari iubet David. Ioab recuſat facere

V. 3. Quod in peccatum reputetur: Hebr. *ſit in peccatum*: Israeli. Quid in eo commiſit populus? nimirum conſenſit, aſſentatus eſt Regi, ut fere genus id obſequii homines putant.

V. 4. Sed sermo Regis magis praevaluit, id eſt non potuit Ioab reſiſtere. Hebr. *Verbum Regis roboratum eſt ſuper Ioab*, id eſt urgebat, feſtinabat: ſic Hebræus. Dedit Ioab Davidi

V. 5. Numerum eorum, quos circuiret. Hebr. *numerum cenſus*, ſeu *viſitationis*. Quadraginta septuaginta millia. Goth. *trecenta ſeptuaginta millia*: ſed quocumque modo, hic numerus poteſt in ſuperiori includi, ſcilicet in mille millia, & centum millia virorum quos in Iſrael numerat, & ponit: quod magis arbitror, aut ultra illum putare. Sane magnus numerus pro ea gente. II. Reg. XXIV. 9. *De Iſrael octingenta millia, de Iuda quingenta millia*. Quid ſi hic 370. millia diceremus de Iuda, locus uterque ſatis conſentiret, ſi hic in priori al-

alter numerus includatur, ibi secus. Sed quid de quingentis millibus quos in Iuda ponit in Lib. Regum? forte trecenta millia legantur. Quo modo ex Israel, & Iuda evadent millia, & centum millia, quæ hic ponit.

V. 6. INVITUS EXEQUERETUR. Hebr. *Abominabile putaret*. Hieronymus in Trad. ait, Levi, & Beniamin non numeratos, eoque ex iis tribubus nullos peste periisse: e Levitis quidem, quia Deo sacri; e Beniamitis, quia extincti ferme non multo ante ob Levitæ uxorem afflictam, non multi numero erant.

V. 9. LOCUTUS EST DOMINUS AD GAD VIDENTEM DAVIDIS, id est Prophetam, quem scilicet David consulere solebat.

V. 10. TRIUM TIBI OPTIONEM DO. Hebr. *Tria ego extendo super te*, id est tibi propono.

V. 11. ELIGE QUOD VOLUERIS. Hebr. *Accipe tibi*; id est, adverte quæ dicam. Sept. *Elige tibi*.

V. 12. TRIBUS ANNIS FAMEM. Sic Hebr. & Sept. Multi codices Latini *pestilentiam* habent, alii *pestilentiam famis*, ut Gotth. & Regia. Quæ varietas unde irrepserit, II. Reg. XXIV. 13. dictum est, ubi septem annis futuram famem prædicitur, nescio an librariorum lapsu cum notæ numerorum ternarii, & septenarii Hebr. similes sint. Deinde, cum in diebus, & mensibus per ternarium procedat, idem in annis fecisse consonum est. Postremo Sept. eo loco *tribus annis* dixerunt; quos si veram lectionem retinuisse dicimus, dicendum esset Hebraicos, & Latinos codices omnes vitiatos. TE FUGERE HOSTES TUOS. Hebr. *Deficiens* (aut *consumptus*) *a facie hostium tuorum*. ET GLADIUM EORUM NON POSSE EVADERE. Hebr. *Et gladius hostium tuorum ad apprehendentem*; id est, te apprehendat. AUT TRIBUS DIEBUS GLADIUM DOMINI, ET PESTILENTIAM VERSARI IN TERRA. Hebr. *gladius Domini, & pestis in terra*, scilicet sit. David respondet:

V. 13. EX OMNI PARTE ME ANGUSTIAE PREMUNT: SED MELIUS MIHI EST UT INCIDAM IN MANUS DOMINI. Hebr. *Angustia mihi valde. Incidam obsecro in manus Domini*. Eligit pestem, quoniam exæquat omnes, divitem, inopem; fames, & bellum in inopes grassantur maxime: sic Hebræus.

V. 15. MISERTUS EST Deus. Hebr. *Pœnituit*: sic Sept. SUFFICIT. Id Deus Angelo dicit. Hebr. *multum*. CESSET MANUS TUA. Hebr. *Remitte manum tuam*, o Angele.

V. 16. VESTITI CILICIIS. Hebr. *saccis*. PRONI IN TERRAM, Hebr. *super facies suas*, David, & maiores natu ceciderunt.

V. 17. ISTE GREX; quasi dicat: Sunt ut oves quæ ducuntur ad mortem, neque evadere possunt: non illi peccarunt, sed ego.

V. 18. ANGELUS AUTEM DOMINI, non qui percutiebat, sed alius: nam is e pravis erat. Bonis ad ea ministeria Deus non utitur: sic Hieronymus Ezech. XXX. Ioel. III. ad Ephes. II. sed satan, qui incitavit ad numerandum, is pœnam sumpsit.

V. 19. ASCENDIT. Locus erat sublimis, ubi erat area Ornan in monte Moria, ad ortum Ierusalem.

V. 20. ABSCONDERUNT SE: scilicet viso Angelo timuerunt Ornan, & filii.

V. 22. AREAE TUAE Hebr. non est *tuæ*, neque in Sept. Gotth. *Da mihi locum in area*. QUANTUM VALET ARGENTI ACCIPIAS. Hebr. *In argento pleno da illum mihi*; id est, quantum valet, nolo ut de pretio quidquam detrahas in gratiam meam. Quid Ornan? Præter aream offert boves.

V. 23. IN SACRIFICIUM. Hebr. *in munus*, seu *oblationem*. Sept. *In sacrificia do boves, & alia*. Quid David? Non vult offerre sacrificia

V. 24. GRATUITA. Sic Sept. Hebr. *gratis*, id est de alieno; aut *gratis*, id est temere, & frustra. Id enim ea vox *binam* etiam significat: neque enim Deo placet sacrificium de rapina. Porro quæ dantur Regibus, vix sponte dantur.

V. 25. SICLOS AURI IUSTISSIMI PONDERIS SEXCENTOS. II. Reg. XXII. 24. quinquaginta argenti siclis emisse ait. Magnum intervallum, sed area sexcentis siclis stetit, boves quinquaginta. IUSTISSIMI PONDERIS. Hebr. & Sept. *ponderis*, scilicet iusti & regii.

V. 29. TABERNACULUM AUTEM Do-

Domini. Tacitæ obiectionis solutio, cur eo loco obtulit David sacrificia; nam præter Domini præceptum fecit; sed Moysis tabernaculum procul erat in Gabaon. Simul novi templi constituendi Ierosolymis necessitatem explicat.

MALVENDAE.

Vers. 1. Consurrexit autem satan contra Israel, &c. Conferendum est totum hoc caput, exceptis duobus ultimis versibus, cum II. Samuel. xxiv. atque inde plurimum petendi Comm. *Consurrexit*. Hebr. *Et stetit*; vel *& institit*: vim, & instantiam, & pertinaciam id verbum indicat. *Satan*. Hic primum hæc vox diabolo proprie tribuitur: universe sonat *osorem*, *inimicum*, *adversarium*: sed absolute & antonomasice malignus ille spiritus dicitur *Satan*, quod Dei, humanique generis sit implacabilis, & maximus hostis, & adversarius: quo nomine sæpissime in novo Testamento appellatur.

V. 12. Et gladium eorum non posse evadere. Hebr. *Et gladium inimicorum tuorum in attingentem*, למשגת *lemassegeth*; id est, ut gladius hostium tuorum sit in assequentem, & attingentem te, ut te persequatur, & attingat. Quidam: *Et gladium inimicorum tuorum attingentem*. Alii volunt esse participium pro infinitivo. *Et gladium inimicorum ad apprehendendum, attingendum te*; id est, teque apprehendat gladius hostium tuorum: ut למשחית *lemaschchith*, *ad perdendum*, למנצח *lamnatztzeach*, *ad vincendum*, &c. Nonnulli reddunt: *Gladio inimicorum tuorum assequente*.

V. 17. Populus autem tuus non percutiatur. Hebr. *Et in populo tuo non ad plagam*. Quidam: *Et in populum tuum ne sit plaga*, vel *ne plaga sæviat*. Alii: *At contra populum tuum ne* sit *ad* afficiendum *plaga*, seu *cædes*, *strages*.

V. 26. Obtulitque holocausta, et pacifica. Notant esse prolepsim: nam non tunc sunt simul oblata holocausta, & pacifica; sed oblato ibi primum holocausto, & accepto signo divinæ gratiæ, igne de cælo in holocaustum delapso, postea ibidem sacrificia, cum holocausta, tum pacifica fuisse immolata, ut apparet ex versu 28. infra. Et exaudivit eum in igne de caelo super altare holocausti. Observant hoc esse primum sacrificium in quod ignis de cælo descendisse aperte in Scriptura dicatur: nam in illo Abelis non aperte dicitur, sed intelligitur, Genes. iv. 4. in primo illo Aharonis, non ex cælo, sed a facie Domini, id est ab arca, & propitiatorio ignis erupisse scribitur, Levit. ix. 24. in illo Gedeonis, non e cælo, sed e petra ignis ascendit, Iudic. vi. 21. simile factum in sacrificio Manue, Iudic. xiii. 19. & 20. at hic primum ignis in sacrificium e cælo dilapsus refertur: quo signo volunt consecratam loci sanctitatem, ubi postea condendum erat templum.

V. 29. Ea tempestate erat in excelso Gabaon. Vide supra cap. xix. vers. 39.

V. 30. Ire ad altare. Hebr. *Ire ad facies eius*, scilicet tabernaculi & altaris, quod erat in Gabaone. Quidam: *Ire ante ipsum*, tabernaculum in Gibhone. Nimio enim fuerat timore perterritus. Exponunt: Id est, tantopere consternatus erat, ut ne consistere quidem posset propter gravitatem præsentis mali, supra vers. 19. Ita impeditum est Davidis consilium; Dei autem impletum est, qui hac occasione populo suo locum quem elegit ad collocandum nomen suum, palam demonstravit, Deuteron. xii. 5. & seqq.

MENOCHII.

Vers. 1. Consurrexit autem satan, &c. Totum hoc caput explicatum est II. Reg. xxiv.

TIRINI.

Vers. 12. Aut tribus annis famem. II. Reg. xxiv. 13. dicitur: *Aut septem annis veniet tibi fames*: & ita etiam ibidem est in Hebræo, nisi dicas ex similitudinis vocum Hebraicarum quibus ternarius, & septenarius significantur, errore positos esse *septem annos* loco trium. Certe Septuaginta etiam ibi nonnisi trium annorum meminerunt: & cum in diebus, ac mensibus per ternarium procedatur, verisimile est etiam in annis ita fa-

factum fuisse. Qui tamen errorem excusare volet, dicat cum Sanctio *a*, Prophetam initio comminationis proposuisse famem *septem annorum*, uti in Libris Reg. habetur; sed cohorrescente Davide, mitioremque pœnam urgente, eamdem ad triennii spatium contractam fuisse, ut hic legimus. Simile habes Genesis XVIII. ubi a quinquaginta iustis delabitur Angelus ad decem. Et Ezechiel. IV. pro *fimo humano* ob preces Prophetæ indulgetur ei *bovinis*.

V. 13. MELIUS MIHI EST UT INCIDAM IN MANUS DOMINI. Atqui Susanna, Daniel. XIII. 23. ait impiis iudicibus: *Melius mihi est incidere in manus vestras*. Et Eccles. XXII. idem comprobatur. Respondeo: David loquitur de sola pœna corporali, & temporali, in qua infligenda Deus longe magis misericors est quam soleant homines, & maxime hostes: Susanna vero, & Ecclesiasticus agunt de pœna æterna, & malo etiam spirituali, puta morte animæ per adulterium: & præ illis prudenter eligunt potius quodvis malum corporale, & temporale. Aliæ sunt ergo manus Dei quas optat David, aliæ quas fugit Susanna, & Ecclesiasticus: optat David paternas ex amore castigantes, fugit Susanna, & Ecclesiasticus iudiciales æternis flammis scelera punientes.

V. 14. MISIT ERGO DOMINUS PESTILENTIAM IN ISRAEL. II. Reg. XXIV. 15. additur, *De mane usque ad tempus constitutum*. Nempe cœpit sævire pestis ipso illo articulo quo illam præelegit David, puta a summo mane, quo ibidem versu II. dicitur surrexisse David, & a Propheta Gad iussus est unum e tribus eligere. Duravitque eadem plaga triduo, ait Abulensis, quia triduanum spatium fuerat a Deo per Prophetam illi pœnæ præstitutum. Vel usque ad vesperam primi diei, quod tempus præstitutum a Deo erat sacrificio iugi & quotidiano a meridie offerendo. Ita Hebræi, ut testis est S. Hieronymus *b*. Cui ex parte subscribunt Dionysius, Caietanus, Hugo, Lyranus, & Emmanuel Sa. Nam sub id tempus videtur David sacrificio suo in area Areuna Iebusæi placasse iratum Dominum, neque verisimile est exspectasse secundum, vel tertium diem.

V. 18. ORNAN IEBUSAEI. Hic in II. Lib. Reg. cap. XXIV. vocatur *Areuna*, & quidem Rex vers. 23. nempe fuerat regulus inter Iebusæos, priusquam Ierosolymam expugnasset David. Ita Mariana.

V. 25. DEDIT DAVID ORNAN PRO LOCO SICLOS AURI SEXCENTOS, id est bis mille quadringentos aureos *c*. Atqui II. Reg. XXIV. 24. dicitur emisse aream, & boves, argenti siclis quinquaginta, id est florenis Belgicis quinquaginta, qui non conficiunt totos septemdecim aureos. Respondeo: Pro parva area condendo altari necessaria, itemque pro bobus dedit, quinquaginta argenteos: neque enim latiore spatio tunc egebat. Ast vero pro reliqua area, quam templo condendo destinavit, quæ vasta erat & ampla, addidit postmodum sexcentos siclos aureos. Prius illud pretium expressit Liber Regum, posterius Paralipomenon. Tradunt Hebræi, hanc Areunæ aream, in qua templum conditum fuit a Salomone, fuisse non solum in monte Moria, quod certum est ex II. Paralipom. sed etiam eo loco, ubi Abraham filium suum Isaac iussus fuerat immolare. Et ita sensit etiam Iosephus, sanctus Hieronymus *d*, & pene omnes antiqui Patres.

V. 26. ET EXAUDIVIT EUM DOMINUS IN IGNE DE CAELO SUPER ALTARE HOLOCAUSTI. Solebat enim Deus igne cælitus in hostiam immisso testari, gratum sibi esse sacrificium, ut docui variis exemplis III. Reg. XVIII. 24.

(*a*) Sanct. in II. Reg. XXIV. 13.
(*b*) Hieron. in Trad. Heb.
(*c*) Prolegom. de Ponderibus.
(*d*) Ioseph. Lib. I. Antiq. cap. XIV. Hieron. in Trad. Hebr.



CAPUT XXII.

Præparat David necessaria ad ædificandum templum Domini, quod Salomoni præcipit ut extruat, Deumque semper sedulo colat, exhortans principes ut illi sint auxilio.

1. DIxitque David: Hæc est domus Dei, & hoc altare in holo-
caustum Israel. 2. Et præcepit ut congregarentur omnes
proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad
cædendos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus Dei.
3. Ferrum quoque plurimum ad clavos ianuarum, & ad
commissuras atque iuncturas præparavit David: & æris pon-
dus innumerabile. 4. Ligna quoque cedrina non poterant
æstimari, quæ Sidonii, & Tyrii deportaverant ad David. 5. Et dixit David: Sa-
lomon filius meus puer parvulus est & delicatus; * domus autem, quam ædifi-
cari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præpa-
rabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præpara-
vit impensas. 6. Vocavitque Salomonem filium suum: & præcepit ei ut ædifica-
ret domum Domino Deo Israel. 7. Dixitque David ad Salomonem: Fili mi,
voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei, 8. sed factus
est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella
bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram
me: 9. filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requie-
scere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam Pacificus vo-
cabitur: & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius. 10. (a) Ipse ædi-
ficabit domum nomini meo, & (b) ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in pa-
trem: firmaboque solium regni eius super Israel in æternum. 11. Nunc ergo fili
mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo,
sicut locutus est de te. 12. Det quoque tibi Dominus prudentiam & sensum,
ut regere possis Israel, & custodire legem Domini Dei tui. 13. Tunc enim pro-
ficere poteris, si custodieris mandata & iudicia, quæ præcepit Dominus Moysi
ut doceret Israel: confortare & viriliter age, ne timeas, neque paveas. 14. Ecce
ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum
millia, & argenti mille millia talentorum: æris vero & ferri non est pondus,
vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparavi ad universa im-
pendia. Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque
lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, 16. in auro, &
argento, & ære, & ferro, cuius non est numerus. Surge igitur, & fac, & erit
Dominus tecum. 17. Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adiu-
varent Salomonem filium suum. 18. Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus
vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes
inimicos vestros in manus vestras, & subiecta sit terra coram Domino, & coram
populo eius. 19. Præbete igitur corda vestra & animas vestras, ut quæratis Do-
mi-

minum Deum vestrum: & consurgite, & ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, & vasa Domino consecrata, in domum quæ ædificatur nomini Domini.

(a) II. Reg. VII. 13. III. Reg. v. 5. (b) II. Reg. 7. 14. Hebr. 1. 5.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *Domus autem, quam ædificari volo Domino*. Non mutes passivum *ædificari* in activum *ædificare*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. DOMUS DEI, id est locus aptus templo, vel ubi Deus coli vult.

V. 2. PROSELYTI, id est advenæ.

V. 4. AESTIMARI. Hebr. & LXX. *numerari*.

V. 5. DELICATUS, id est tener. QUAM AEDIFICARI VOLO. Hebr. *quæ ædificanda*. TALIS. Hebr. *magnifica*, & *excellens*. OMNES PRAEPARAVIT IMPENSAS. Hebr. & LXX. *in multitudine* id est abundanter.

V. 9. PACIFICUS. Hebr. *Selomoth*.

V. 14. PAUPERTATE. Modeste dictum. VINCITUR ENIM, &c. Hebr. *Adeo multum est*. AD UNIVERSA IMPENDIA. Hebr. & LXX. *quibus tu adde*.

V. 18. OMNES INIMICOS VESTROS. Hebr. & LXX. *habitatores terræ*. VESTRAS. Hebr. & LXX. *meas*.

ESTII.

Vers. 8. NON POTERIS AEDIFICARE DOMUM NOMINI MEO, TANTO EFFUSO SANGUINE. Hieronymus Lib. I. contra Iovinianum dicit hoc intelligi de sanguine Uriæ, & falli eos qui referunt ad bella a Davide gesta. Sed magis falli videtur ipse Hieronymus. Etenim quod David hic dicit sibi dictum a Domino, id omnino videtur referendum ad revelationem sibi factam per Nathan II. Reg. VII. & I. Paralip. XVII. Atqui tunc David nondum fuderat innocentem sanguinem Uriæ. Nec obstat huic intellectui, quod hoc loco referatur seu exprimatur causa quæ dictis locis non exprimitur. Non enim infrequens est, Scripturam diversis locis rem aliquam gestam referentem, uno loco aliquid exprimere, quod alio loco tacuit. Itaque tantum propter bella frequentia ab eo gesta, sicut & hic quod dicitur: *Multum sanguinem effusisti, & plurima bella bellasti*. Posterius prioris videtur tantum explicatio. Prohibitus est templum ædificare per se David, sicut & nunc habentur in Ecclesia irregulares, & inidonei ad sacras functiones, qui saguinem etiam tantum tamquam iudices sanguinis fuderunt.

V. 10. IPSE ERIT MIHI IN FILIUM; ET EGO ERO ILLI IN PATREM. Hæc verba ab Apostolo Paulo, ad Hebræos cap. 1. referuntur ad Christum. Sed utrum ad Christum secundum litteram pertineant, alia quæstio est. Nam & illud, *Os non comminuetis ex eo*, ad litteram scriptum erat de agno paschali, & tamen ab Evangelista mystice ad Christum accommodatur. Ita & in proposito dicendum videtur hanc sententiam, sicut & reliqua verba præcedentia, & sequentia litteraliter ad Salomonem referri, sed longe perfectius, & excellentius mystice ad Christum pertinere. *Et propterea*, inquit Augustinus, Lib. XVII. de Civit. cap. VIII. & IX. *permisit Deus Salomonem tam turpiter deficere ad idola, ut intelligeretur has promissiones in eo non fore perfecte complendas, sed in Christo per ipsum figurato*. Vide nostra in dicto loco ad Hebr. 1.

MA-

MARIANAE.

Verſ. I. HAEc EST DOMUS DEI. Extruere templum in ea area conſtituit. Hebr. *Hæc ipſa domus Dei*, ſcilicet erit, aut eſt, hic ædificari debet. Iubet ut congregarentur

V. 2. PROSELYTI. Sic Sept. *peregrini*, *advenæ*. AD CAEDENDOS LAPIDES ET POLIENDOS. Hebr. *Ad cædendum lapides ghazith*, id eſt *politos*, ut Sept. vertunt: nimirum in lapicidinis prius cædebantur, poſtea poliebantur. Ergo *politos*, id eſt ut polirentur, quod expreſſit Hieronymus.

V. 3. AD COMMISSURAS ATQUE IUNCTURAS, præparavit ferrum: ſcilicet clavi non ſolum portis ſervire debebant, ſed & ad nectendum inter ſe aſſeres, tabulas. Ligna cedrina

V. 4. NON POTERANT AESTIMARI. Hebr. *ad non numerum*, id eſt innumera ligna cedrina.

V. 5. TALIS. Hebr. *Magnifica & excellens eſſe debet domus*. OMNES PRAEPARAVIT EXPENSAS. Hebr. & Sept. *In multitudine abundanter præparavit David ante mortem*.

V. 7. VOLUNTATIS MAEE FUIT. Hebr. *Ego fui cum corde meo*; id eſt, volui ædificare domum. NOMINI DOMINI; id eſt, quæ domus Domini vocetur.

V. 8. PLURIMA BELLA. Hebr. *magna bella*. EFFUSO SANGUINE CORAM ME, id eſt me vidente, & ſciente: aut *coram me*, id eſt nimis multo ſanguine: nam vox *coram Domino*, Geneſ. x. 9. auget ſignificationem, ut *robuſtos venator coram Domino*. Porro Hebr. additur *in terram*, ſcilicet effuſo. Ideo non poteris ædificare domum. Filius id faciet.

V. 9. PACIFICUS VOCABITUR Hebr. *Selemo erit nomen eius*, ſic Sept. ſane *Selemo*, *pacificum* ſignificat.

V. 10. IPSE ERIT MIHI IN FILIUM. Hoc, & quod proxime ſequitur, magis in Chriſtum convenit quam Salomonem. Tu ergo fili ædifica domum. Dabit Deus prudentiam,

V. 12. UT REGERE POSSIS ISRAEL. Hebr. *Et præcipiat tibi ad Iſrael*; id eſt, te dirigat Deus, ut populum regas: quid enim ſunt Reges ſine Dei ope & inſtinctu? ET CUSTODIRE, ſcilicet præcipiat tibi; id eſt, te dirigat, ut cuſtodias legem.

V. 13. PROFICERE POTERIS, id eſt proſperaberis, ſi cuſtodieris legem quam Deus dedit Moyſi. UT DOCERET ISRAEL. Hebr. *ad Iſrael*, vel *ſuper Iſrael*: ſcilicet de rebus Iſraelis, aut & illum ea doceret, illi traderet, quod Hieronymus expreſſit. Ego paravi impenſam:

V. 14. AURI TALENTA CENTUM MILLIA. Si hæc talenta Moſaicis paria eſſent, aurum pertingeret ad milliones mille ducentos ſeptuaginta quinque. Argenti par valor. Supra fidem, tantam auri, & argenti copiam Davidi fuiſſe. De talenti huius pondere propius vero quod III. Reg. IX. 28. dictum eſt. Aut quod Lib. de Pond. & menſ. dixi ex Eupolemo, hæc Davidis talenta ſicli pondere fuiſſe, id eſt drachmarum quatuor: ſic in ſtructuram templi circiter milliones unum David reliquerit. VINCITUR ENIM NUMERUS MAGNITUDINE æris, & ferri. Hebr. *Quoniam ad multitudinem fuit*, id eſt multum. AD UNIVERSA IMPENDIA. Hebr. *Et ſuper ipſa addes*. Sept. *Et appone bis*; hoc eſt, de tuo ad impenſam adiice. Cernis pacem eſſe. Deus dedit.

V. 18. OMNES INIMICOS VESTROS IN MANUS VESTRAS. Hebr. *In manu mea habitatores terræ huius*. Sept. *In manu mea habitantes terram Deus dedit*.

V. 19. PRAEBETE IGITUR CORDA VESTRA ET ANIMAS VESTRAS, id eſt voluntates. IN DOMUM QUAE AEDICATUR. Hebr. *Ad domum ædificatam* adducite arcam: ſic Sept. pro, *quæ ædificatur*, aut *ædificabitur*, ut Gotth. habent.

MALVENDAE.

Verſ. I. DIXITQUE DAVID: HAEC EST DOMUS DEI, &c. Notant, hunc verſum nectendum cum verſ. 28. ſuperioris capitis: nam 29. & 30. interiecti ſunt per parentheſim. HAEC EST DOMUS DEI, ET HOC ALTARE IN HOLOCAUSTUM ISRAEL. Hic ædificabitur domus Dei, hic ſtatuetur altare, &c. Hebr. *Iſte ipſe domus* IHUH, *Dei*, *&*

iſte

iste altare ad holocaustum Israeli. Quidam reddunt: *Hic est locus Iehovæ Dei*, *& hic locus altaris ad holocaustum pro Israele*; quasi dicat: Nunc demum video hunc locum Deo esse gratum, & statum ac destinatum esse a Deo, ut ipse in eo maneat, & ut nos ipsi in eodem ordinarium cultum exhibeamus.

V. 2. PROSELYTI. גרים *gherim*, *tracti*, *advenæ*, *peregrini*. Notant aliqui, hic non dici hos fuisse proselytos; sed LXX. & Noster affirmant, qui ita vocem *gerim* acceperunt. Fortasse illi intelligi possint de reliquiis AEmorræorum, &c. de quibus I. Reg. IX. 20. & 21. Quidam volunt, peregrinos istos fuisse in postremo gradu & ordine apud Israelitas, ideo constitutos in viliore isto munere. Alii existimant, penuria artificum Israelitarum, accitos peregrinos peritos cædendorum lapidum. AD CAEDENDOS LAPIDES ET POLIENDOS. Hebr. *Ad cædendum lapides* גזית *ghazith*, id est *vulsionis*, id est *vulsos*, *detonsos*: alii *dolatos*, *politos*: nonnulli *cæsos*, vel *cæduos*. ET AD COMMISSURAS ATQUE IUNCTURAS. Duabus vocibus unam מחברות *mechabberoth* reddidit, quæ propriæ *consociationes* significat, id est *iuncturas*, *commissuras*. Quidam *concatenationes* exponunt.

V. 5. PUER PARVULUS EST, ET DELICATUS. Hebr. *Puer & tener*, seu *mollis*. Vide infra cap. XXIX. vers. 1. DOMUS AUTEM QUAM AEDIFICARI VOLO DOMINO, TALIS ESSE DEBET, UT IN CUNCTIS REGIONIBUS NOMINETUR. Nos hic Hebræa verbatim more nostro repræsentavimus (*Et domus ad ædificare* IHUH, *ad grande facere*, *ad supra nomini*, *& decori omnibus terris*.) Alii diversimode. I. *Et domus ædificanda Iehovæ*, *ad magnificandum in supra ad omnem*, *& ad gloriam in omnibus terris*; quasi dicat: Domus ædificanda summo Deo, supremæ erit magnificentiæ, sic ut & nominetur, & glorificetur in omnibus terris. II. *Domus autem ædificanda est Iehovæ*, *ad magnificandum*, *ad excellentiam*, *ad nomen*, *& gloriam in omnibus terris*; id est, ædificandum est templum plenum magnificentia, excellentia, & gloria, sive honore, atque magni nominis apud exteras gentes; quasi dicat, Templum magnificentissimum, excellentissimum, & nominatissimum. III. *Domus autem ædificanda est Domino magnifica*, *quæ sublimitatem*, *nomen excellens*, *decusque abeat in universis nationibus*. IV. *Domus vero illa ædificanda Iehovæ*, *& magna facienda est sursum*, id est *summe*, *ad nomen*, *& quidem ornatissimum obtinendum apud omnes terras*. Hispanicus interpres: *La casa que se ha de edificar a Iehova*, *ha deser magnifica por excelencia*, *para nombre y honrra*, seu *que sea nombrada*, *y honrrada en*, vel *por*, *todas las tierras*.

V. 7. VOLUNTATIS MEAE FUIT. Hebr. *Ego fuit cum corde meo*; id est, ego apud me statueram. Quidam: *Quod ad me attinet*, *erat mihi in animo ædificare*, &c. sic infra cap. XXVIII. vers. 2. NOMINI DOMINI, id est numini, maiestatique IHUH, vel quæ vocaretur de nomine IHUH, seu domus IHUH.

V. 8. MULTUM SANGUINEM EFFUDISTI, ET PLURIMA BELLA BELLASTI. Quidam per præsens vertunt: *Sanguinem copiosum effundis*, *& bella magna geris*; id est, bellis nimis occupatus es. Vide II. Samuel. VII. vers. 5. Sed multo rectius est, Deum noluisse sibi templum ædificari ab homine, animo bellis, & cædibus, & si iustis, inquieto ac perturbato: ad hæc statu reipublicæ, militaribus curis nondum plene constituto: sed a pacifico Rege, & regno in pace composito: ut indicaret domum suam decere omnem sanctimoniam, munditiem, puritatem, ac cultum pacificum & quietum: quem sensum sequentia confirmant. CORAM ME. Hebr. *Ad facies meas*. Quidam exponunt, *Me sciente*, *& vidente*. Alii, *Me approbante*. Nonnulli, *Vere quam plurima*: ut Genes. X. 9. *Magnus venator coram Domino*; id est, revera maximus.

V. 9. FILIUS QUI NASCETUR TIBI, &c. Hunc versum, & duos sequentes confer cum II. Samuel. VII. vers. 12. 13. 14. 15. & 16. atque inde summe Comm.

V. 12. PRUDENTIAM. שכל *sechel*, *intellectum*, *ingenium*, *industriam*, *prudentiam*, *attentionem*, *secundationem*, *successum*, denotat. Vide in I. Samuel. XXV. 3. UT REGERE POSSIS ISRAEL. Ex verbo: *Et præcepit te super Israelem*. Varie alii reddunt. I. *Et præcipiet tibi super Israel*; id est, mandabit tibi ut cures, ut Israel vivat secundum legem Dei. II. *Et præcipiet*

cipiet de te Israeli, ut te in verum & legitimum Regem habeat. III. *Dabitque tibi præcepta ad Israelem*. IV. *Cum mandatis istruet te super Israelem* V. Possis reddere: *Et ordinavit, commendavit, decrevit, te super Israelem*, nempe in Regem super Israelem: vel commendavit te, imposuit te Israeli. Nam hunc interdum esse usum verbi צוה *ezivuah*, lexicographi exemplis te docebunt.

V. 14. IN PAUPERTATE MEA, vel *secundum paupertatem meam*, nam est Hebr. duplex lectio, per Beth, & per Caph. Vel sic modeste de suis opibus loquitur; vel quod revera tam ingens opulentia, respectu divinæ, ac eius quæ templum Dei decebat, pauperies, & inopia fuerit. Alii reddunt, *In afflictione mea, in oppressione mea*; id est, in molestiis diuturnis, & bellis, quibus agitatus sum, supra vers. 8. AURI TALENTA CENTUM MILLIA. Latissimus campus hic Explanatoribus, ac sacrarum monetarum tractatoribus omnes ingenii nervos intendendi: nos quam brevissime rem abstrusissimam expediemus. Tremelius, & Iunius utramque summam, hanc auri, & sequentem argenti, breviter ita concipiunt: Id est, *amplius quinquies centies mille daleros in auro, & totidem in argento*. Alii aiunt esse ducatorum Hispanicorum milliones mille ducentos septuaginta quinque. Plerique eorumdem ducatorum milliones mille quadringentos octoginta quinque. Nonnulli duodecimam partem tantum ingentium istarum summarum: nam talentum hic capiunt pro duodecima parte dumtaxat talenti aurei Mosaici, quod continebat tria millia siclorum aureorum, id est uncias auri nostrates 1500. nimirum pretio & æstimatione talenti argentei, in duodecupla porportione argenti ad aurum. Aliqui volunt talentum hic non continuisse nisi trecentos siclos, hoc est decimam partem talenti Mosaici, videlicet pretio & æstimatione talenti argentei, in decupla proportione argenti ad aurum: atque tunc resultare summam centum viginti millionum escudorum auri in auro Hispanicorum. Quo putant respexisse Iosephum Lib. VII. Antiquitat. cap. XI. quando hic non numerat nisi decem millia talenta auri, nimirum ad normam & præscriptum talentorum Mosaicorum, tribuendo unicuique talento magno tria millia siclorum: quæ sane efficiunt centum millia talentorum auri minorum, quæ hic memorantur: quo unumquodque constabat 300. siclis auri, eratque summa centum & viginti millionum, uti diximus. Nec desunt qui contendant, *talenta* hic pro siclis accipienda: emergetque summa quadringentorum millium escudorum auri in auro Hispanicorum, hoc est ducentarum millium unciarum auri nostrarium. Piget iam aliorum sententias recitare. Sane Mosaicum talentum continuisse 3000. siclos, dubitari non potest, & fere omnes agnoscunt. Vide Exodi XXXVIII. 24. ad cuius normam, quæ hic numerantur centum millia talenta auri, efficient mille & ducentos milliones escudorum auri in auro Hispanicorum. Immanis, & inaudita, atque propemodum incredibilis summa; sed, ut mihi plane videtur, quæ maxime cum Scriptura congruat. ET ARGENTI MILLE MILLIA TALENTORUM, id est decies centies mille talenta, seu unum millionem talentorum argenti: si cuilibet talento argenti 3000. siclos, ex valore & pondere Mosaici talenti, tribuamus, resultabit duodecim millium milliorum regalium Castellanorum summa. Quidam notant in argento tantumdem esse, nempe valore ac pretio, quam centum millia talenta auri, decupla proportione argenti ad aurum; ut tantumdem reliquerit David in argento, quantum in auro. Aliqui volunt hanc summam efficere ducatorum Hispanicorum mille centum octoginta octo milliones. Quidam non nisi duodecimam partem huius ingentis summæ accipiunt, nempe pretio & valore talenti æris in duodecupla proportione æris ad argentum. Plerique talento hic non nisi 300. siclos assignant, nempe decimam partem talenti Mosaici; atque sic confici summam mille ducentorum millionum regalium Castellanorum: & hoc significasse Iosephum, cum hic non memorat nisi centum millia talenta argenti, nempe ad pondus, & valorem talentorum Mosaicorum, tribuendo unicuique talento 3000. siclos: quæ sane conficiunt decies centies mille talenta minora argenti, quæ hic memorantur: quorum unumquodque non nisi 300. siclis argenti constabat; resultabatque summa mille ducentorum millionum regalium Castellanorum. Nonnulli *talenta* hic pro siclis accipiunt,

voluntque summam esse quadringentorum millium regalium Castellanorum, seu ducentarum millium unciarum argenti nostratium. Exiguæ sane opes, nec pro Davide, aut templo. Nos Scripturæ consentanee in duodecim mille milliones regalium Castellanorum facile propendemus.

V. 18. CORAM DOMINO, ET CORAM POPULO EIUS. Exponunt: Id est, terra hæc in subiectione est Iehovæ, & populi eius; sive paret ei, & eius populo. Alii: Id est, ut illius cultui, & populi usui sit exposita.

MENOCHII.

Vers. 1. HAEC EST DOMUS DEI, &c. id est, hic locus aptus est templo ædificando: vel hic locus est in quo Deus coli vult.

V. 2. PROSELYTI. *Proselyti* dicuntur qui cum non sint ex genere Israel, sacra tamen Hebræorum susceperunt, & circumcisione consignati sunt.

V. 5. PUER PARVULUS EST, ET DELICATUS. Hæc verba non tam ætatem significant, quam valde teneram, & delicatam educationem, mollissimam item temperamenti naturam, & rerum inexpertam ætatem, ut notavit Pineda Lib. III. de reb. Salom. cap. 11. num. 2. qui etiam addit, vocem נער *nahar*, id est *puer*, cui hæc teneritudo coniungitur, frequenter dici de iuvenibus, aut adolescentibus. Vel dicitur Salomon puer parvulus, comparatione operis quod erat faciendum. Sic mediocris Orator cum Cicerone, aut Demosthene comparatus, dicitur Puer.

V. 8. MULTUM SANGUINEM EFFUDISTI, &c. Abulensis quæst. IV. in cap. v. Lib. III. Reg. existimabat hanc totam sanguinis commemorationem non alio pertinere quam ad significandas bellicas occupationes, quæ distinerent subinde David, ut huic tantæ molitioni operam dare non posset. Itaque quæ hoc versiculo dicuntur eamdem causam templi a Davide non ædificati continebunt, quam Salomon attulit cum scriberet ad Regem Tyri, III. Reg. v. 3. *Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit ædificare domum Domini Dei sui, propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum eius*. Abulensem sequitur Pineda de reb. Salom. Lib. V. cap. v. num. 13. late de hoc disputans, & Salian. Tom. III. anno mundi 2990. & deinceps: quos vide.

V. 9. PACIFICUS. Hebr. *Selomoh*, *Salomon*. Noster Interpres vocabuli interpretationem posuit loco proprii nominis.

V. 10. IPSE AEDIFICAVIT, &c. Vide dicta II. Reg. VII. 13.

V. 12. SENSUM, crediderim significari solertiam ad excogitandum, & iudicandum acute de rebus propositis.

V. 13. MANDATA, ET IUDICIA, legem divinam, secundum quam dirigendæ actiones, & iudicia exercenda.

V. 14. IN PAUPERTATE MEA. Modestiæ causa ita loquitur David. AURI TALENTA CENTUM MILLIA, &c. Talentum unum auri continet tria millia siclorum aureorum. Siclus unus æquiualet quatuor coronatis aureis; siclus vero argenteus æquivalet quatuor regalibus Hispanicis; talentum vero argenti tria millia argenteorum siclorum continet. AD UNIVERSA IMPENDIA; id est, ad omnes fabricæ usus, & necessitates. In Hebr. est *Et his addes*; id est, aliud aurum, argentum, &c. ad eumdem finem contribues.

V. 17. PRAECEPIT: adhortatus est. TRADIDERIT INIMICOS VESTROS, &c. Victoriam concesserit de hostibus, contra quos expeditiones bellicas suscepistis.

V. 18. SUBIECTA SIT TERRA CORAM DOMINO, &c. Hoc est, nec sit ullus qui contra populum Israeliticum audeat arma movere, sentiens se Deum nostrum infensum, & infestum habiturum, cuius potentiam maxime timent. Immo subiecta etiam terra est, quia Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, & Philisthæi tributa pendunt, II. Reg. VIII. 6. & 14. & alibi. Illud etiam, *coram Domino*, significare videtur Dominum peculiari cura populum Israeliticum gubernasse, ac si Rex illius esset.

V. 19. PRAEBETE CORDA VESTRA, &c. Corda, & animas vestras in Domini obsequium, & legum eius observationem inclinate. SANCTUARIUM, templum, quod hoc eodem versiculo domum nomini Domini ædificatam appellat.

TIRINI.

Verf. I. HAEc EST DOMUS DEI; id eſt, hoc loco condi debet templum Domini, nempe in area Areunæ Iebuſæi in monte Moria. Ita DIXIT, id eſt decrevit, DAVID, nempe revelatione, & iuſſu Dei.

V. 5. SALOMON PUER PARVULUS EST. Ita potuiſſe vocari Salomonem, qui tunc annum vitæ agebat circiter vigeſimum primum (loquor de tempore quo iam unctus erat Rex, vivente adhuc, & iubente patre, anno regni eius ultimo) docui I. Reg. XVI. II.

V. 14. AURI TALENTA CENTUM MILLIA faciunt mille ducentos ſeptuaginta quinque aureorum in ſpecie. MILLE MILLIA TALENTA ARGENTI totidem milliones aureorum conficiunt, uti docui in tractatu de monetis. Ergo in ſolis duabus iſtis ſpeciebus, puta auro, & argento, reliquit David Salomoni bis mille quingentos & quinquaginta milliones aureorum. AERIS VERO, ET FERRI NON poterat PONDUS æſtimari: uti nec copia lignorum *ſetim*, & *marmorum*. AD UNIVERSA IMPENDIA. In Hebræo, Chaldæo, & Græco eſt: *His adde univerſa impendia*, ſeu res alias neceſſarias, quæ impendi debebunt tanto operi perficiendo. Præparat enim David quæcumque poterant præparari.

GORDONI.

Verſ. 9. & 14. PACIFICUS. Hoc indicat *Selomoh*: & ita ut fieret, a Domino eſt. Sed magna vis auri, talenta 100000. Vide Exod. XXV.

Ex Eiusdem Auctario.

V. I. & 14. Deſignat locum templo, & neceſſaria ad id parat. Talentum auri dat ſiclos auri 3000. & ſiclus aureus quatuor coronatos. Siclus argenteus dat quatuor regales Hiſpanicos.

V. 18. SUBIECTA SIT TERRA CORAM DOMINO. Pendebant nunc Davidi tributa Syria, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, & Philiſthini, II. Reg. cap. VIII. verſ. 6. & 14.

CA-



C A P U T XXIII.

David senex, Salomone Rege designato, numeratorum Levitarum officia designat; Moysique filii Levitis annumerantur.

1. IGitur David senex & plenus dierum, Regem constituit Sa-
lomonem filium suum super Israel. 2. Et congregavit omnes
principes Israel, & Sacerdotes atque Levitas. 3. * Numera-
tique sunt Levitæ a triginta annis, & supra: & inventa sunt
triginta octo millia virorum. 4. Ex his electi sunt, & di-
stributi in ministerium domus Domini, viginti quatuor mil-
lia: præpositorum autem & iudicum sex millia. 5. Porro
quatuor millia ianitores: * & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ
fecerat ad canendum. 6. (*a*) Et distribuit eos David per vices filiorum Levi,
Gerson videlicet, & Caath, & Merari. 7. Filii Gerson: Leedan, & Semei. 8.
Filii Leedan: princeps Iahiel, & Zethan, & Ioel, tres. 9. Filii Semei: Salo-
mith, & Hosiel, & Aran, tres: isti principes familiarum Leedan. 10. Porro
filii Semei, Leheth, & Ziza, & Iaus, & Baria: isti filii Semei, quatuor. 11.
Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porro Iaus, & Baria non habuerunt
plurimos filios, & idcirco in una familia, unaque domo, computati sunt. 12.
Filii Caath: Armam, & Isaar, Hebron, & Oziel, quatuor. 13. (*b*) Filii
Amram: Aaron, & Moyses. (*c*) Separatusque est Aaron ut ministraret in
Sancto sanctorum, ipse, & filii eius in sempiternum, & adoleret incensum Do-
mino secundum ritum suum, ac benediceret nomini eius in perpetuum. * Moy-
si quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi. 15. Filii (*d*) Moy-
si: Gersom, & Eliezer. 16. Filii Gersom: Subuel primus. 17. Fuerunt autem
filii Eliezer: Rohobia primus: & non erant Eliezer filii alii. Porro filii Roho-
bia multiplicati sunt nimis. 18. Filii Isaar: Salomith primus. 19. Filii Hebron:
Ieriau primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaam quartus. 20. Filii
Oziel: Micha primus, Iesia secundus. 21. Filii Merari: Moholi, & Musi. Filii
Moholi: Eleazar, & Cis. 22. Mortuus est autem Eleazar, & non habuit filios,
sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum. 23. Filii Musi: Moholi, &
Eder, & Ierimoth, tres. 24. Hi filii Levi in cognationibus & familiis suis,
principes per vices, & numerum capitum singulorum, qui faciebant opera mi-
nisterii domus Domini, a viginti annis & supra. 25. Dixit enim David: Re-
quiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Ierusalem usque
in æternum. 26. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, &
omnia vasa eius ad ministrandum. Iuxta præcepta quoque David novissima,
supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis & supra. 28. Et erunt sub
manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, & in exedris,
& in loco purificationis, & in sanctuario, & in universis operibus ministerii
templi Domini. 29. Sacerdotes autem, super panes propositionis, & ad similæ
sacrificium, * & ad lagana azyma, & sartaginem, & ad torrendum, & super
omne pondus atque mensuram. * Levitæ vero, ut stent mane ad confitendum

& canendum Domino: ſimiliterque ad veſperam 31. tam in oblatione holocauſtorum Domini, quam in ſabbatis, & Calendis, & ſolemnitatibus reliquis; iuxta numerum, & cæremonias uniuſcuiuſque rei, iugiter coram Domino. 32. Et cuſtodiant obſervationes tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarii, & obſervationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, ut miniſtrent in domo Domini.

(*a*) Supra vi. 1. (*b*) Supra vi. 1. (*c*) Hebr. v. 6. (*d*) Exod. xx. 22. & xviii. 3.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 3. *Numeratique ſunt Levitæ a triginta annis, & ſupra*. Non diminuas numerum decade una, ſcribens *viginti* pro *triginta*, ut multi.

V. 5. *Et totidem pſaltæ canentes Domino in organis*. Grammatica exigit ut *pſaltæ* legatur, non *pſaltes*, plurale inquam, non ſingulare.

V. 29. *Et ad lagana azyma, & ſartaginem, & ad torrendum*. Non interponas coniunctionem *&* ante *azyma*, quod plerique. Denique non iudicarunt Correctores, *ad torrendum*, mutandum cum *ad ferventem ſimilam*, vel ad *ferventem* tantummodo; multominus utramque lectionem copulandam, uti illi faciunt, de quibus noſtræ Notationes.

Notationes.

V. 29. Pro eo quod quidam codices habent, *Et ad torrendum*, alii habent, *Et ad ferventem ſimilam*, atque hanc lectionem Epanorthotes noſtræ editionis genuinam eſſe adſtruit: eique facile aſſentiar, quod plerorumque manuſcriptorum etiam correctiſſimorum, & antiquiſſimorum eam ſcripturam eſſe comperiam. Noſtra unum & viginti, Hentenii decem, Pariſienſium quatuor cum Abulenſi Epiſcopo, *Et* (*a*) *ad ferventem ſimilam* legunt. Altera lectio complurium eſt typis excuſorum codicum (illi enim fere Moguntinæ editioni primogenitæ artis typographicæ proli conſimiles ſunt.) Sed pauciſſimorum manuſcriptorum (ex noſtris unum G.) dumtaxat ita habet. Verum non pauca utramque lectionem coniungunt: ſeptem ad hunc modum: *Et ad ferventem ſimilam, & ad* (*b*) *torrendum*: quæ & Pariſienſium correctio eſt: duo ad iſtum: *Et ad torrendum* (*c*) *ſimilam*: quorum unum Antuerpienſe eſt Plantini ære redemptum: alterum Leodienſe ex S. Iacobi Abbatia mutuo acceptum, in quo *τὸ ferventem* transfoſſum eſt. Lectio autem iſta, *Et ad torrendum*, ut & aliæ multæ, ex Hebraicis ſumpta eſt quæſtionibus, quas quod Hieronymo noſtræ editionis auctori adſcriberentur, nonnulli in primis ſequendas exiſtimarunt. Sunt autem earum quæſtionum in hunc locum verba iſta: „ Quod „ vero in codicibus quibuſdam habetur *ad* „ *ferventem ſimilam*, & in quibuſdam *ad* „ *ferventem* tantummodo, error ineſt. In Hebræo non habet in hoc loco *ſimilam*, quia „ ſimila iam paulo ſuperius nominata eſt. „ Sed *ad torrendum* in Hebræo ponitur, ut „ ſubaudias *ſpicas*. Primitiæ enim ſpicarum „ quando deferebantur, torrebantur, & grana comedebantur: quod genus cibi vulgo „ graneas vocant. “ Hæc ibi. Hebraice eſt ולמרבכת; id eſt, *& ad frixam, ſive toſtam:* ſubaudit Hebraicus Scholiaſtes *ſimilam*. Inter ea quæ pro gratiarum actione offerenda erant, numeratur Levitici vii. cap. סלת מרבכת, id eſt *ſimila frixa*, ſeu, ut noſtra habet translatio, *cocta*. Simila aqua mixta in ſartagine ferventi oleo uſque ad indurationem coquebatur; & poſtea in minutas fracta partes, iterumque oleo conſperſa offerebatur. Erat autem aliud ſacrificium ſimilæ in craticula toſtæ; aliud rurſus in clibano coctæ; denique aliud crudæ ſimilæ. Hæc enim quatuor genera & Levitici ſecundo capite deſcribuntur, & hoc loco Paralipomenon fere indicantur. Atque his præfecti erant Sacerdotes, & Levitæ ſuo ſinguli modo. Videtur igitur germana noſtræ verſionis lectio, nec reiicienda, *Et ad ferventem ſimilam*. Verumtamen an ſimilæ nomen Interpres expreſſerit, an alius quiſpiam exponendi gratia addiderit (teſtatur enim Hebraicarum Quæſtionum Auctor, ut in Hebræo, ita in Latinis quibuſdam non haberi) ſtatuere nequeo. Græci tranſtulerunt, ut etiam alibi, καὶ εἰς (*d*) τὴν πεφυραμένην, *& ad fermentatam*; poteſt aut *ſimilam* ſubaudiri, aut Hebraico more femineum genus ſubſtantivum poſitum intelligi.

(*a*) M. S. nonnulla.
(*b*) o. cavendum.
(*c*) 1. M. S. ferventem.
(*d*) G. τὰ πεφυραμένα.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 4. IN MINISTERIUM. Hebr. *Ut ſolicitarent opus*. PRAEPOSITORUM. LXX. *ſcribarum*. IUDICUM. Iidem erant propoſiti, & iudices.

V. 5. PSALTAE CANENTES. Hebr. & LXX. *laudantes*. ORGANIS, id eſt inſtrumentis. FECERAT. Hebr. *Feci*, ſcilicet ego David. CANENDUM. Heb. *laudandum*. LXX. *laudandum Dominum*.

V. 13. MINISTRARET. Hebr. *ſanctificaret*, id eſt ſancte miniſtraret. SECUNDUM RITUM SUUM. Hebr. *Ut miniſtraret ipſe*. BENEDICERET. LXX. *oraret*. NOMINI. Hebr. *in nomiue*.

V. 16. FILII, pro filiis: ſic infra proxime. PRIMUS, ſcilicet dignitate. Heb. *caput*, ſcilicet dux, ſeu princeps.

V. 24. VICES, id eſt officia. NUMERUM CAPITUM; quaſi dicat, Numerati per capita, nominatim. A VIGINTI, At ſup. *a triginta*: ſcilicet iſta fuit alia numeratio. Vide paulo inferius.

V. 27. SUPPUTABITUR; pro, ſupputandus erat.

V. 28. PURIFICATIONIS, id eſt ablutionis ſacerdotum, & victimarum. SANCTUARIO, id eſt vaſis ſacris, ut quidam interpretantur.

V. 29. SACERDOTES AUTEM. Id additum ab Interprete. TORRENDUM: ſcilicet primitiæ ſpicarum torrebantur. Alii *frigendum* vertunt.

V. 30. LEVITAE VERO. Et id ab Interprete additum.

V. 30. CAEREMONIAS. Hebr. *iudicium*, id eſt ritum, ſeu morem, aut ordinem.

V. 32. OBSERVATIONES. Hebr. *cuſtodiam*. OBSERVATIONEM, id eſt iuſſa ſervari. Hebr. *cuſtodiam*.

ESTII.

Verſ. 3. NUMERATIQUE SUNT LEVITAE A TRIGINTA ANNIS ET SUPRA. Pridem legebatur *a viginti annis & ſupra*. Sed recte Sixtina Biblia reſtituerunt *triginta*; nam ita in Hebræo, & Græco legitur, & in multis etiam MSS. Cauſa variæ lectionis fuit, quod infra verſu 27. legantur numerati Levitæ a viginti annis & ſupra: quomodo etiam ibi legunt Biblia Sixtina. Itaque intelligendum eſt, quod David primo numeravit illos a triginta annis, quia illa ætas præſcripta erat Numerorum cap. IV. Sed poſtea cum videret numerum prius collectum non ſufficere ad opera templi; deinde nec opus eſſe iam tanta ætate, ac robore ad opera templi, ſicut opus fuerat olim, ſcilicet ad transferenda vaſa tabernaculi de loco ad locum: ſpiritu divino motus, numerum Levitarum deinceps cenſuit a viginti annis. Et hoc eſt quod hoc eodem capite verſ. 25. & deinceps dicitur: *Dixit autem David: Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Ieruſalem uſque in æternum. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum. Iuxta præcepta quoque David noviſſima ſupputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis & ſupra*. Ita Scriptura, agnoſcens ſcilicet duplicem numerationem a Davide factam, ut iam explicuimus.

V. 14. MOYSI QUOQUE HOMINIS DEI, FILII ANNUMERATI SUNT IN TRIBU LEVI. Senſus eſt, quod fuerint tantum in numero Levitarum, non ſacerdotum, etiamſi Moyſes fuiſſet ſacerdos, ſicut Pſal. XCVIII. dicitur: *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius*. Moyſes enim tantum extra ordinem fuit a Deo conſtitutus ſacerdos ad conſecrandum Aaronem, & filios eius ſacerdotes perpetuos quod non debebat fieri oblatione ſacrificii, ut patet. Hoc ergo hic iterum repetitur, ut conſtet a Deo nonniſi Aaronis poſteros ſacerdotes conſtitutos.

MARIANAE.

Verſ. 3. NUMERATIQUE SUNT LEVITAE A TRIGINTA ANNIS ET SUPRA. Multi Latini codices legunt, *A viginti annis*. Regia etiam; ſed Hebr. & Græc. reclamant, tum inter

La-

Latinos Gotth. Porro Hebr. *A filio triginta annorum*, id est ætate. ET INVENTA SUNT TRIGINTA OCTO MILLIA VIRORUM. Hebr. *Et fuit numerus eorum per capita sua ad viros* (pro viri) *triginta octo millia*, scilicet Levitæ.

V. 4. EX HIS ELECTI SUNT. Hebr. *Ex his Lenazzeah*, quam vocem quidam vertunt *ad urgendum*, id est *præfecti*: quod posuere Sept. Hieronymus dixit *electi*. At Hebræus explicat *ad canendum*, seu *modulandum*. Itaque ex his ad canendum (&) super opus Domini designati sunt viginti quatuor millia. Ita hic summa comprehendit, quos proxime in varia ministeria distribuit. Ex hac vero significatione vocis *Lenazzeah* multi Psalmorum tituli facile intelliguntur. PRAEPOSITORUM AUTEM. Hebr. *Et præpositorum sex millia*. Ad hæc canentes

V. 5. ORGANIS, id est instrumentis, scilicet musicis. QUAE FECERAT AD CANENDUM. Hebr. *Quæ feci*. Sed genera, tempora, & personæ in Hebr. lingua solent permutari. Sept. *Quæ fecerat ad laudandum Dominum*: scilicet quatuor millia designavit ex illis triginta millibus. DISTRIBUIT EOS DAVID PER VICES. Hebr. *Divisit eos David divisiones*, id est custodias, sic Hebr. Scholium, *qui sabbatis singulis præsto ad ministeria esse deberent*. Sept. *Divisit eos David per dies*. Quod si in una familia pauci essent,

V. 11. IN UNA FAMILIA, UNAQUE DOMO COMPUTATI SUNT. Heb. *Et fuerunt ad domum patris ad supputationem unam*; id est, ex duabus una familia facta est, ne scilicet quia pauci erant, sæpe ad singulos ministeria recurrerent. Ex his etiam Aaron est separatus.

V. 13. UT MINISTRARET IN SANCTO SANCTORUM, Aaron scilicet. Heb. *Ad sanctificandum ipsum sanctitatem sanctitatum*, id est tractandum sancta in sanctuario. AC BENEDICERET NOMINI EIUS. Hebr. *Et ad benedicendum in nomine eius*, scilicet populum.

V. 15. FILII MOYSI. Vide Moysis modestiam. Iosue relinquit regiam potestatem, Aaroni posteros sacerdotes facit, filios suos inter Levitas relinquit. Id est secutus hoc loco David.

V. 22. FRATRES, id est patrueles, EARUM duxerunt filias Eleazari, qui obiit sine filiis. Hebr. *eorum*: sic Sept. sed genera permutantur.

V. 24. A VIGINTI ANNIS. Hebr. *a filio viginti annorum*: vers. 3. *a triginta annis*. Hæc discrepantia occasionem præbuit mutandi superiorem numerum, ac castigandi quasi vitiosum. Sed semel & secundo numeratos Levitas aiunt Davidis iussu prius a triginta, deinde a viginti annis: quod non displicet.

V. 25. ET HABITATIONEM IERUSALEM. Hebr. *Et habitabit in Ierusalem populus*.

V. 26. NEC ERIT OFFICII LEVITARUM; quasi dicat: Extructo templo, quod propediem erit, multi ex Levitis vacabunt; eoque multis ministeriis sunt addicti. Neque tantis viribus erit opus ut antea, cum tabernaculum, & vasa eius portabant. Quod si prius a triginta annis numerabantur, & deinceps a viginti numerentur, magnus erit numerus; ideo multa ministeria excogitavit David.

V. 27. IUXTA PRAECEPTA QUOQUE DAVID NOVISSIMA, SUPPUTABITUR NUMERUS FILIORUM LEVI A VIGINTI ANNIS. Ego sic verterem: כי, id est *ideo, in verbis* (id est ordinatione) *David ultimis, ipsi* (viri) *numerus filiorum Levi a filio* (id est ætate) *viginti annorum*: ut plures sint, quia multa ministeria.

V. 28. ET IN LOCO PURIFICATIONIS. Sept. *Et ad purificationem omnium sanctorum*; quasi dicat: Ad eos spectat mundare sancta omnia, tum loca, tum vasa. ET IN UNIVERSIS OPERIBUS. Hebr. *Et* (ad) *opus ministerii domus Domini*; quasi dicat: Summa, cuncta templi ministeria ad Levitas spectant.

V. 29. SACERDOTES AUTEM. Hæc nec Hebr. est, nec in Sept. sed potius quo sequuntur, Levitis etiam tribuuntur. Noster Sacerdotibus tribuit. Monuisse sat est. AD SIMILAE SACRIFICIUM. Hebr. *Ad similam, ad oblationem*. ET AD TORRENDUM. Hebr. *ad tostum*, seu *frixum*: videlicet primitiæ spicarum torrebantur. Multi Latini codices, & cum iis Gotth. habent *ad ferventem similam*, sed vitiose. SUPER OMNES PONDUS ATQUE MENSURAM. Hebraicæ voces *midah*, & *mensurah*, utraque *mensuram* significat. Kimhi ait hoc modo distingui: prior vox *mensuram*

ram magnam, posterior *parvam* significat: hoc Pagn. sequitur in sua versione. Alii putant priori voce significari mensuram longitudinis, posteriori molis, sive liquores sint, sive arida. Hoc Hieronymus est secutus Levit. XIX. 35. ubi cum eæ voces iungantur, ut hic, pro *midah*, *regulam* vertit, pro *mesurah*, *mensuram*. Sept. hoc loco pro *midah*, ἀποσιρωτὸν posuere, vox insolens, sed pro qua Interpres *pondus* vertit, quod hoc loco Hieronymus est secutus. Porro Levitæ, aut Sacerdotes, ut AEdiles Romæ, mensuris erant præfecti, ne qua fraus iis vitiatis contingeret: sive quia pondera, & mensuræ in templo servabantur, quod in aliis gentibus solemne erat, ne a populo scilicet vitiarentur fraude; uti Lib. de Pond. & mens. cap. XXIV. diximus copiosius: seu quia quæ ad certam mensuram in templo offerebantur, ea mensurare ad eos pertinebat.

V. 30. LEVITAE VERO. Neque hoc in Hebr. est, neque in Sept. UT STENT MANE. Hebr. *Et ad standum mane*, & *mane*, id est diebus omnibus mane. AD CONFITENDUM. Hebr. *laudandum*, supple stent; quasi dicat: Hoc etiam ad Levitas spectat.

V. 32. CUSTODIANT OBSERVATIONES, Levitæ scilicet. Hebr. *custodiam*. ET RITUM SANCTUARII, ET OBSERVATIONEM FILIORUM AARON FRATRUM SUORUM. Hebr. *Custodiam sanctuarii*, & *custodiam filiorum Aaron fratrum suorum*, ne scilicet in eos irruant homines pravi: sic Sept. Verum per *custodiam* nihil prohibet *ritus*, seu *observationes* intelligere, uti Hieronymus posuit, cum dixit: *Custodiat ritum sanctuarii*, & *observationem filiorum Aaron*.

MALVENDAE.

Vers. 1. IGITUR DAVID SENEX. Recte monet hunc versum ad antecedentia pertinere, nec esse sequentibus nectendum, quod manifestum est cum ex XXVIII. & XXIX. capitibus, ubi hæc historia fusius recensetur; tum ex eo quod sequens constitutio totius regni, tam ecclesiastica quam politica, longo intervallo ante mortem Davidis facta est, ut suis locis ostendetur: hoc enim versu continetur superioris exhortationis, & mandati causa: unde causaliter reddunt: *Nam eum David senuisset*, &c. ET PLENUS DIERUM. Hebr. est verbum: *Et saturatus erit*, vel *fuit diebus*: seu, *Et satur dierum factus esset*. Exponunt: Id est, cum ad satietatem usque plenus esset dierum. Non longissime vixerat David, nam tum non excesserat septuagesimum annum (vide I. Reg. 1. 1.) sed bella, & labores ita ei vires, & valetudinem fregerant, ut se iam ætate gravem, atque annis fessum sentiret.

V. 3. NUMERATIQUE SUNT LEVITAE A TRIGINTA ANNIS, ET SUPRA, &c. nimirum ex lege Numer. IV. vers. 2. & 3. & cap. VIII. vers. 24.

V. 4. EX HIS ELECTI SUNT, &c. Subaudiunt: *Et dixit David: Ex his erunt*, &c. propter verbum primæ personæ *feci*. quod sequente versu ponitur. EX HIS ELECTI SUNT, ET DISTRIBUTI IN MINISTERIUM DOMUS DOMINI. Hebræa nos verbatim reddidimus (*De istis ad vincere super ministeriale domus* IHUH.) Alii diversimode. I. *Ex istis ad fortiter agendum super opus domus Iehovah*; id est, ad communia officia, & opera domus Iehovæ. II. *Ex istis fuerunt ad urgendum opus domus Iehovæ*, vel *ad præessendum super opus domus Iehovæ*. III. *Ad solicitandum super opus*, &c. IV. *Ex his qui præessent operi domus Iehovæ*. Vis verbi ea est, Ad contentiose, strenue, impigre, acriter, prævalide victoriose, triumphaliter peragendum opus domus Iehuæh; quasi dicat, Ad vincendum, triumphandum in opere domus Iehovæh. PRAEPOSITORUM AUTEM ET IUDICUM. שׁוטרים *schoterim*, & שׁפטים *schophetim*. Notant hisce duobus nominibus idem significari, ut primum sit dignitatis & honoris, alterum officii iusdicendi. Verum ipse non dubitarim distinguere, ut *schophetim* fuerint iudices, *schoterim*, eorum ministri, & executores. Vide Exod. V. 6. Dubium autem, num ii quatuor mille iudices, & executores fuerint super omnem populum, an super Levitas tantum eorum contribules: mihi primum verosimilius videtur, ut David toti Israeli dederit iudices, & ministros ex ordine Levitico, seu ecclesiastico: alioqui pro sola tribu Levi nimius videtur numerus quatuor millium iudicum, & executorum. Vide infra cap. XXVI. vers. 30. & 32. & II. Paralipom. XIX. 8.

V. 5.

V. 5. ET TOTIDEM PSALTAE CANENTES DOMINO. Hebr. *Et quatuor millia laudantes Iehovæh*? Intelligunt annumeratis discipulis cum ducentis octoginta octo doctoribus, infra cap. XXV. vers. 7. IN ORGANIS QUAE FECERAT AD CANENDUM. Hebr. in prima persona: *In instrumentis quæ feci ad laudandum*. Quidam: *Quæ feci, inquit, ad laudandum*. Hinc colligunt Davidem hactenus loqui a vers. 4. & ipsum dicere, se omnes istas Levitarum classes instituisse.

V. 6. ET DISTRIBUIT EOS DAVID. Notant, nimirum ex præcepto Dei per Gadem, & Nathanem Prophetas, II. Paralipom. XXIX. 25. Vide II. Paralipom. VIII. 14. PER VICES FILIORUM LEVI. Hebr. *Partes, distributiones, partitiones, ipsis filiis Levi*: illud *filiis* est dativi casus. Quidam, *Iuxta, secundum, per filios Levi*; id est, omnes posteros trium filiorum Levi, &c. Aliqui, *In ordines filiis Levi*. GERSOM VIDELICET, ET CAATH, ET MERARI. Hebr. in dativo, *Ipsi Gherson, Kehath, & Merari*. Quidam, *In Gerson, Kehath*, &c. Alii totum versum pespicuitatis causa ita convertunt: *Distribuit autem eos David distributionibus, secundum filios Levi, in Gerschonitas, Kehathitas, & Meraritas*.

V. 7. FILII GERSON. Hebr. in dativo, *Ipsi Ghersunitæ*, pro ipsis Ghersunitis. Quidam: *Ghersunitas distribuit in Labadan*, &c. subaudiunt verbum *distribuit*, e præcedenti versu. Alii: *De*, vel *e Gersonitis erant Labdan*, &c. LEEDAN. Heb. *Lagbdan*. Hic supra cap. VI. vers. 2. vocatur *Libni*.

V. 8. EILII LEEDAN. Quidam reddunt: Ex *posteris*, vel *posterorum Lebdanis*, nempe qui temporibus Davidis venerunt in censum: sic vers. 9. & 10. ac deinceps. PRINCEPS IAHIEL, ET ZETHAM, ET IOHEL, TRES. Nonnulli reddunt: *Quisque primarius, Iechiel, & Zetham, & Ioel, tres*; id est, omnes ii tres in familia Lahdanis erant primores. Vide versum sequentem.

V. 9. TRES: ISTI PRINCIPES FAMILIARUM LEEDAN. Hebr. *Tres: isti capita patrum Lebdan*. Quidam: *Tres, isti primores paternarum familiarum Lahdanis*, sive *inter Lahdanitas*. Sed existit hoc loco difficultas. Si isti sunt ex posteris Simhi fratris Lahdanis, vers. 7. quomodo possunt esse primores familiarum Lahdanis. Plerique solvunt, Simhi initio huius versus non intelligendum illum fratrem Lahdanis de quo supra vers. 7. & infra vers. 10. sed filium Lahdanis nepotem alterius Simhi fratris Lehdanis; vel filium filii, seu nepotem Lahdanis: nam genus in duas summas familias divisum est, Lahdaniticam, & Simhiticam. Unde initio huius versus exponunt, *Filii*, seu *posteri Simhi*, filii, vel nepotes Lahdanis. Initio autem versus 10. *Et filii*, seu *posteri Simhi*, scilicet Ghersonis.

V. 11. ET IDCIRCO IN UNA FAMILIA, UNAQUE DOMO COMPUTATI SUNT. Hebr. *Et fuerunt domui patris, visitationi uni*. Alii varie reddunt. I. *Et fuerunt domui patris in numeratione una*. II. *Et fuerunt in familia patris in supputationem unam*; id est, istæ duæ familiæ reputatæ sunt pro una, sive ex duabus tenuibus coaluit una plena familia. III. *Sed fuerunt iuxta paternam familiam in eodem censu*. IV. *Fuerunt in familia paterna recensionis unius*.

V. 13. UT MINISTRARET IN SANCTO SANCTORUM. Hebr. *Ad sanctificandum eum sanctitatem sanctitatum*, sive ut is sanctificaret, seu consecraret res omnes templi sacrosanctissimas. Quidam: *Ut sanctificaret ipse sanctitatem sanctitatum*, id est sanctum sanctorum, sive rem sacrosanctam, vel sacrificium sanctum. Alii, *Ad sanctificandum rem sanctam sanctarum*, Nonnulli: *Ut is sanctis præesset in Sancto sanctorum*, id est in æde sacra. AC BENEDICERET NOMINI EIUS; id est, laudaret, prædicaret, celebraret nomen eius. Hebræa alium etiam ferunt sensum: *Ad benedicendo populo in nomine eius*.

V. 14. ANNUMERATI SUNT IN TRIBU LEVI. Hebr. *Vocabuntur super baculum Levi*. Quidam: *Æstimabuntur de tribu Levi*. Alii: *Ascensentur tribui Levi*.

V. 17. FUERUNT AUTEM FILII ELIEZER: ROHOBIA PRIMUS. Heb. *Et fuerunt filii Elihezer, Rechabiah caput*. Quidam: *Fuerunt autem posteri Elihezeris sub Rechabia primario*. NIMIS. Hebr. *ad supra*, id est valde, summe. Vide supra cap. XXII. 5. & infra cap. XXVI. vers. 25.

V. 22.

V. 22. ACCEPERUNTQUE EAS FILII CIS FRATRES EARUM. Utrumque pronomen Hebr. est masculeum, *eos*, *eorum*: vel est enallage generum: vel feminis tribuit genus masculeum, quod ipsæ masculorum vice fuerint in hercifcunda hereditate.

V. 23. TRES. Intelligunt primores, seu primarios paternarum familiarum suarum.

V. 24. HI FILII LEVI IN COGNATIONIBUS, &c. Hunc versum ex verbo nos reddidimus (*Isti filii Levi domui patrum suorum*, *capita patrum*, *numeratis eorum*, *in numero nominum*, *craniis eorum*, *faciens ministerialis*, *servitio domus* IHUH, *de filio viginti anni*, *&* *supra*. (Alii clarius. I. *Isti filii Levi per domos patrum suorum*, *principes familiarum ordinationibus suis*, *in numero nominum capitum suorum*, *facientes opus in ministerium domus Iehovæ*, *a filio viginti annorum*, *&* *supra*. II. *Isti sunt filii Levi per familias suas*, *principes familiarum*, *in enumerationibus suis*, vel *cum enumeratis ipsorum*, *secundum numerum nominum per capita sua*, *facientes opus in ministerio domus Iehovæ*, *a filio viginti annorum*, *&* *supra*. III. *Hi sunt filii Levi secundum domum patrum suorum*, *capita patrum iuxta officia sua*, *&* *iuxta numerum nominum*, *&* *secundum capita eorum qui faciebant opus in ministerio domus Domini*, *ab eo qui natus erat viginti annos*, *&* *supra*. IV. *Hi sunt Levitæ per familias paternas suas*, *primarii paternarum familiarum cum numeratis ipsorum*: *pro numero nominum viritim*, *exercentes opus in ministerio domus Iehovæ*: *a nato viginti annos*, *&* *deinceps*. HI FILII LEVI, &c. Notant esse conclusionem, qua ostendit Hezra, se in hoc, & tribus sequentibus capitibus rationem habere legitimæ numerationis a Davide factæ postquam adducta fuit arca, supra cap. XVI. vers. 37. ad stabiliendum cultum Dei: non autem alterius illegitimæ antea ab eo factæ, quam Spiritus sanctus in Scriptura multis nominibus damnat. Vide II. Samuel. XXIV. & supra cap. XXI. & infra cap. XXVII. vers. 24. QUI FACIEBANT OPERA. Hebr. Singulare, *Faciens opus*, maiorem emphasim habet; quasi dicat: Unusquisque faciens opus. Quidam: *Exercentes opus in ministerio*, &c. id est, dono, & vocatione instructi ad hoc exercendum, ex lege Numer. IV. A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Vide infra vers. 27.

V. 25. DIXIT ENIM DAVID: REQUIEM DEDIT DOMINUS, &c. Aliqui reddunt, & exponunt: *Cum dixisset David*: *Quietem dedit Iehova*, &c. id est, cum sedata ira Dei, & recepta in urbem arca, stationarium Dei cultum instrueret: ut ostendunt sequentia.

V. 26. NEC ERIT OFFICII LEVITARUM, UT ULTRA PORTENT TABERRACULUM. Hebraica interpunctio ita distinguit: *Et etiam Levitis*; subaudi, dixit: *Non ad levare tabernaculum*; id est, non ad vos amplius pertinebit: non erit vestrum ultra portare tabernaculum: vel non erit opus ut Levitæ posthac portent tabernaculum. Aliqui reddunt: *Atque etiam Levitis*: *Non est portandum tabernaculum*, &c.

V. 27. IUXTA PRAECEPTA QUOQUE DAVID NOVISSIMA. Hebr. *Quia in verbis David posterioribus*, sive *posteris*, aut *postremis*. Quidam: *Itaque iuxta verba Davidis novissima*; id est, iuxta ordinationem posteriorem. Alii: *Nam in actis Davidis posterioribus*; id est, in legitima illa dispositione quam postea effecit David, cum Deus ei reconciliatus esset, & cultus Ierusalaimis institutus. SUPPUTABITUR NUMERUS FILIORUM LEVI A VIGINTI ANNIS, ET SUPRA. Hebr. *Ipsi numerus filiorum Levi*, *de filio viginti annorum*, *&* *ad supra*. Quidam: *Fuit numerus filiorum Levi*, &c. Alii: *Numerus Levitarum fuit horum*, *nempe a nato viginti annos*, *&* *deinceps*: puta secundum numerationem communem Israelitarum omnium: quia liberi ad illam ætatem usque significabantur appellatione טף *taph*, id est *parvulorum*. Addit Iunius: *Etsi id mihi ex quorumdam locorum analogia credibile videtur esse*, *Levitas inde a puero fuisse catechumenos ad vigesimum annum usque*: *post vigesimum fuisse admissos in observationem ministerii*, *ad quod erant instituti*, *sed theoricon solum ad quintum & vigesimum usque*: *ex eo tempore fuisse occupatos in secundaria quadam administratione*, *donec trigesimum attigissent*, *prout in Numeror.* IV. *vers.* 3. *&* *cap.* VIII. *vers.* 24. *monuimus*: *atque in hunc modum a Davide*, *Ghade*, *&* *Nathane Prophetis legitime constitutum esse ex verbo Dei*, *ut diserte dicitur II. Pa-*

Paralipom. VIII. *verſ.* 14. *& cap.* XXIX. *verſ.* 25. Hæc Iunius : quibus conciliat loca hic diverſa : nam ſupra verſ. 3. deliguntur a Davide Levitæ a triginta annis, & ſupra; at verſ. 24. & 27. a viginti annis, & ſupra . Alii conciliant , duas factas a Davide Levitarum recenſiones, priorem a trigeſimo anno, ex præſcripto legis Numeror. IV. verſ. 2. & 3. poſteriorem, etiam inſtinctu Dei, a vigeſimo anno, maiori extenſione, & ut plures includerentur: proinde hic dici, *Nam in actis Davidis poſterioribus* . Rationem autem huius amplioris recenſionis reddi verſ. 26. nam quod Moſes elegerit robuſtiorem ætatem , id fuit, quod tum Levitæ deportaturi eſſent tabernaculum , & omnia vaſa, ſeu inſtrumenta eius humeris , quamdiu tabernaculum erat deambulatorium, & inſtabile: at iam conſtructo templo, & fixo tabernaculo, cum iam Levitæ amplius illud deportaturi non eſſent, non erat illis neceſſaria robuſtior ætas , tanto oneri ferendo idonea ; ſed ad reliqua miniſteria par erat viginti annorum ætas, ac proinde ea ætate diligi. Sed vide Numeror. IV. 3. & Numeror. VIII. 24.

V. 28. ET ERUNT SUB MANU FILIORUM AARON. Hebr. *Quia ſtatio eorum manui filiorum Aharonis*. Quidam : *Quia ſtatus eorum ad manum filiorum Aharon*. Putant reddi rationem cur facta fuerit nova , & amplior recenſio Levitarum a vigeſimo anno: quod eorum ſtatum iuniorem moderaturi, temperaturi , domaturi , ac recturi eſſent ſacerdotes , iuxta quos Levitæ in templo habitaturi eſſent. Alii : *Statio inſuper eorum fuit ad manum filiorum Aharon* , id eſt ad latus , vel e regione filiorum Aharon; hoc eſt, quemadmodum Aharonitæ ſerviebant templo, ita alii Levitæ ; ſed diverſa utrorumque erant officia . Aliqui : *Et illorum ſtatio* , ſeu functio , *erat ad iuſſum filiorum Aharonis* . Nonnulli : *Conſtitutio autem eorum erat , ut eſſent ad manum filiorum Aharonis* ; id eſt , ordinata, & præſcripta functio erat miniſtrantium, muſicorum, atque ianitorum, ut oſtenditur tribus capitibus ſequentibus . IN VESTIBULIS , ET IN EXEDRIS. Hebr. *Super atria, & ſuper exedras* . Quidam , *Super atria, & ſuper aulas*. Alii, *In atriis, & in cubiculis*. Nonnulli, *Præfecti atriis, & apothecis*. ET IN LOCO PURIFICATIONIS, ET IN SANCTUARIO. Hebr. *Et ſuper mundationem omni ſanctitati* . Quidam , *Et ſuper mundificationem ad omnem ſanctitatem*. Alii, *Et in purificatione omnis ſanctitatis*; id eſt, in emundatione omnium vaſorum ſacrorum . Nonnulli , *Et præfecti purgatione cuiuſque rei ſanctæ*.

V. 29. SACERDOTES AUTEM SUPER PANES PROPOSITIONIS. Vox *Sacerdotes* non eſt Hebraice ; ſed recte potuit ſubaudiri. Hebraice, *Et pani ordinationis* . Aliqui , *Et in pane ordinationis* , ſeu *ordinato*. Alii , *Et pro pane ordinationis* , ſcilicet providendo , & apparando . Quidam : Id eſt præfecti pani diſpoſitionis. Levitarum munus erat apparare panes propoſitionis ; ſacerdotum vero, eos ponere, ac mutare ſingulis ſabbatis: Levitic. XXIV. 5. & ſeqq. Sic in reliquis quæ hoc verſu ſubiiciuntur. ET AD TORRENDUM. In aliquibus codicibus, *Et ad ferventem ſimilam*. Quidam hic reddunt, *Et ad tenerum* : intelliguntque grana tenera in ſpicis, quorum certa menſura toſta offerebatur in Paſchate : & offerre quidem erat ſacerdotum, præparare vero Levitarum. Sed vide in Levit. VI. 21. ET SUPER OMNE PONDUS, ATQUE MENSURAM . Hebr. *Et omni menſuræ , & menſioni* . Quidam , *Et ad omnem menſuram , & menſuram*; id eſt , ad omnem menſurandi ſpeciem : nam diverſæ erant in templo menſuræ. Alii, *Et in omni menſura , & menſura*; id eſt , in omni menſura maiore, & minore: vel in omni menſura liquidorum , & menſura aridorum , ſeu continuorum . Nonnulli, *Item cuique menſuræ , & dimeſioni*. Exponunt: *Menſuræ*, id eſt quantitati rerum aridarum, aut liquidarum, quæ ad res ſacras adhibebantur. *Et dimenſioni* , id eſt ſpatiis in quæ perſonæ, ſacrificia , &c. recipiebantur. De diſcrimine vocum משורה *meſurah*, & מדה *middah*, vide in Levitic. XIX. verſ. 35. Hiſpanicus Interpres, *Y para toda medida y cuenta*. Aliqui , *Ad omnem menſuram , & cenſum*, ſeu *quantitatem*.

V. 30. UT STENT MANE AD CONFITENDUM, &c. coram arca in tentorio, quod ei tetenderat David in civitate Tzionis ; & ædificato templo, in ipſo atrio, &c.

V. 31.

V. 31. IN OBLATIONE HOLOCAUSTORUM DOMINI, tunc ante templi constructionem, in Gabaone, ubi fiebant holocausta, & reliqua sacrificia, supra cap. XVI. vers. 39. & 40. postea in templo Ierosolymis. IUXTA NUMERUM, ET CAEREMONIAS UNIUSCUIUSQUE REI, IUGITER CORAM DOMINO. Hebræa nos verbotenus reddidimus (*In numero secundum iudicium super eos iuge, faciebus* IHUH.) Alii varie. I. *In numero iuxta rationem super eos, iugiter coram Iehovah*; id est, statis temporibus numeratis secundum dispositionem legis quæ eis erat imposita: ut sunt solemnitates tabernaculorum, & azymorum, &c. II. *In numero*, subaudi solito, & certo, quem oportebat adesse: *secundum ordinem super eos iugiter*, id est iuxta ritum quem semper observare debebunt: *coram Iehova*: istud pertinet ad illud vers. 30. *Ut stent*, &c. III. *Numero, & ritu, qui erat eis præscriptus, idque iugiter, ante conspectum Iehovæ*. IV. *Numero certe prout ratio incumbebat illis iugiter, coram Iehova*.

V. 32. ET CUSTODIANT OBSERVATIONES TABERNACULI FOEDERIS. Hebr. *Et observabunt observantiam tentorii conventus*, quod tunc erat in Gabaone: postea templi. ET RITUM SANCTUARII. Hebr. *Et observantiam sanctitatis*. Aliqui, *Et observationem rei sanctæ*, sive rerum sacrarum, & Deo consecratarum. Nonnulli, *Et observationem sanctitatis*, scilicet quæ requiritur circa res sacras; id est, se sanctos & mundos præstabunt in sacris tractandis. ET OBSERVATIONEM FILIORUM AARON; id est, deferent filiis Aharonis sacerdotibus omnem cultum & observantiam, tanquam dignitate antecedentibus; & facient quæ illis imperabunt.

MENOCHII.

Vers. 1. REGEM CONSTITUIT SALOMONEM. Vide III. Reg. cap. 1.

V. 2. OMNES PRINCIPES ISRAEL, principes tribuum, & familiarum, vel omnes principes exercitus: nam cap. XXV. sequenti num. 1. habemus: *Igitur David, & magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph*, &c.

V. 3. A TRIGINTA ANNIS ET SUPRA, usque scilicet ad extremam ætatem. Licet enim Num. VIII. 25. dicatur de iisdem Levitis: *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt*: &c. intelligitur de ponderum gestatione, quæ constituta iam fixa tabernaculi sede cessabat: atque ideo ad reliqua ministeria, quæ leviora erant, habiles esse poterant etiam ii qui annum quinquagesimum excessissent. Ita sentit Abul. quæst. x. Dionysius, & Lyranus. TRIGINTA OCTO MILLIA, Levitarum scilicet, sacerdotibus non comprehensis: quod patet quia viginti quatuor millia attributa sunt domus ministerio, sex millia iudicum, aut præpositorum munus exercebant, quatuor millia ianitores, & totidem cantores, quæ omnia erant munera Levitica, non autem sacerdotalia, simulque sumpti triginta octo millium summam conficiunt.

V. 3. IN MINISTERIUM DOMUS DOMINI, sacerdotibus scilicet subserviendo circa victimas, & libamenta, & instrumenta sacrificiorum se occupando, &c. PRAEPOSITORUM... ET IUDICUM. Idem sunt præpositi & iudices, quorum munus erat Israelitarum causas, quæ iuxta Regem finiebantur, iudicare: quod patet II. Paralipom. XIX. 8. ubi habemus: *Constituit Iosaphat in Ierusalem Levitas, & & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, ut iudicium, & causam Domini iudicarent habitatoribus eius*. Vide infra cap. XXVI. 29.

V. 5. QUATUOR MILLIA IANITORES, qui portas atriorum per vices custodirent. Porro in quolibet atrio tres erant portæ, scilicet ad orientem, meridiem, & aquilonem: atria vero tria, quorum interius Levitis, & Sacerdotibus erat destinatum; proximum vero ambiens Leviticum, solis Israelitis; tertium vero, quod duo enumerata complectebatur, omnibus patebat etiam gentilibus, & in hoc, quod admodum amplum erat, plures fortasse quam tres portæ erant. Munus Ianitorum erat portas custodire, immundos arcere, & curare ne quid fieret ad portas, aut circa atria, quod orantes interpellaret, &c. Vide dicta supra capite IX num. 17. PSALTAE CANENTES DOMINO IN ORGANIS. De cantoribus vide dicta cap. XV. a num. 17. & deinceps.


V. 6. DISTRIBUIT EOS PER VICES, &c. Distributi erant cantores per viginti quatuor vices, ut habemus infra cap. xxv. num. 9. atque ita hebdomada evoluta novi succedebant iis qui ministerium suum expleverant. PER VICES FILIORUM LEVI. Filii Levi tres fuerunt, Caath, Gersom, & Merari. Omnes ergo supra recensiti Levitæ divisi fuerunt per vices, hoc est per familias, quæ a filiis Levi nomen habebant, quælibet autem illarum familiarum adhuc dividebatur per alias minores familias, ut infra dicetur.

V. 7. FILII GERSOM: LEEDAN, ET SEMEI. *Leedan* alio nomine vocatur *Lebni*: itaque Num. III. 18. dicitur quod Gersom duos habuit filios, Lebni, & Semei.

V. 8. IAHIEL, ET ZETHAN, ET IOHEL. Infra cap. xxvi. num. 21. hæc nomina filiorum Leedan diversa ponuntur: nam qui hic appellatur *Iahiel*, ibi dicitur *Iahieli*; *Zethan* vero, & *Iohel* appellantur *Ledan*, & *Gersonni*. Sæpe dictum est apud Hebræos unum & eumdem hominem binomium aliquando, & trinomium fuisse.

V. 9. FILII SEMEI, &c. Hic *Semei* non est frater Leedan, de quo mentio facta est num. 7. sed alius, forta se Iohel, cuius immediate ante nomen positum fuerat.

Hoc ergo pacto genealogia hæc ordinanda est,



Rem ita se habere patet: primo quia cum dicitur in textu, *Filii Semei Galomith, Hosiel, & Aran*, additur, *Isti principes familiarum Leedan*: secundo quia filii Semei, qui fuit filius Gersom, genealogia ponitur num. 10. absoluta genealogia filiorum Leedan: tertio quia eodem num. 10. enumeratis filiis Semei, Leheth, Ziza, Iaus, & Baria, dicitur, *Filii Semei quatuor*; si autem unus tantum Semei fuisset, diceretur Filii septem, quorum tres numerati essent versiculo 9. quatuor autem versu 10.

V. 13. MINISTRARET IN SANCTO SANCTORUM; hoc est, esset summus Sacerdos. Solus autem Pontifex ingredieba-

batur Sancta sanctorum semel tantum in anno in die propositionis: Levit. xvi. 2. ad Hebr. ix. 30. 10. 1. IPSE, ET FILII EIUS: nam Pontificatus Hebræorum per successionem ad posteros transmittebatur. ADOLERET INCENSUM: nam quotidie unus de sacerdotibus cremabat bis incensum super altare thymiamatis, mane, & vespere, Exod. xxx. 7. BENEDICERET NOMINI EIUS IN PERPETUUM: in officiis nimirum sacerdotalibus, quæ faciebant Aaron, & filii eius benedicebant Domino, quia erant sacra ministeria in Dei laudem instituta. Benedicebant etiam sacerdotes populo: & benedictionis formulam habemus Num. vi. 23.

V. 14. ANNUMERATI SUNT IN TRIBU LEVI; hoc est, Levitarum tantum munere functi sunt, nec fuerunt sacerdotes, aut Pontifices, ut filii Aaron.

V. 15. FILII MOYSI GERSOM, quem habuit ex Sephora filia Iethro sacerdotis Madian. Vide dicta Exod. ii. 22. ELIEZER: alter Mosis filius, quem incircumcisum secum parentes deferebant in AEgyptum, ideoque prope abfuit Moses a morte, quam illi intentavit Angelus. Vide dicta Exod. iv. 24.

V. 16. SUBUEL PRIMUS. Cum dicitur *primus*, satis indicatur etiam alios genuisse, licet eorum nomina taceantur. Vel certe *primus* primogenitum significat, quod etiam unigenitum convenit. Hic Subuel dicitur infra cap. xxvi. 24. fuisse præpositus thesauri.

V. 17. ROHOBIA PRIMUS, primogenitus, & unigenitus.

V. 18. FILII ISAAR: SALOMITH PRIMUS, &c. Isaar secundus fuit filiorum Caath, ut habetur hoc cap. num. 12.

V. 19. FILII HEBRON, qui tertius erat filiorum Caath, supra num. 12.

V. 20. FILII OZIEL, qui quartus est inter filios Caath. supra num. 12.

V. 21. FILII MERARI. Merari erat filius Levi, supra num. 6. & constituit unam ex tribus præcipuis familiis Levitarum.

V. 22. ACCEPERUNT EAS FILII CIS FRATRES EARUM, earum propinqui, iuxta Domini legem. Vide Num. xxxvi. 7. & cap. xxvii. eiusdem Lib. num. 3. & deinceps.

V. 24. HI FILII LEVI, omnes scilicet supra recensiti toto hoc capite. PRINCIPES PER VICES, id est per sortes, vel familias. ET NUMERUM CAPITUM SINGULORUM. Sententia est, sub horum quolibet fuisse certum numerum Levitarum. A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Prius Levitæ a trigesimo anno ministeria sua obire incipiebant, quia frequenter gravia onera circumferenda erant, ut in deserto; ideoque robusta ætate viri, quia labori pares essent, eligebantur. Iam vero fixis tabernaculo sedibus Ierosolymis, imminutus erat labor, quare citius ministrare incipiebant Levitæ, nec quinquagesimo anno missionem impetrabant. Vide dicta supra num. 3. & quæ duobus sequentibus versiculis 25. & 26. dicuntur in textu.

V. 25. REQUIEM DEDIT, stabilem sedem.

V. 26. OMNIA VASA AD MINISTRANDUM: quæ necessaria sunt ad sacrificia. Vide dicta num. 24.

V. 27. IUXTA PRAECEPTA DAVID NOVISSIMA, &c. Deinceps, ut divino instinctu statuit David, a vigesimo anno & supra Levitæ computabuntur inter templi ministros. Dicuntur *præcepta novissima*, quia extremo vitæ suæ tempore hæc a Davide statuta sunt.

V. 28. SUB MANU FILIORUM AARON, sub potestate summorum Sacerdotum, qui ab Aaron genus ducunt. IN CULTUM DOMUS DOMINI, cantorum, ianitorum, iudicum, &c. ministeria exercendo. IN VESTIBULIS, ET EXEDRIS, ad portas, & ingressus templi, per atrias, & cubicula, in quibus sacra supellex asservatur. IN LOCO PURIFICATIONIS, ubi scilicet lavantur sacerdotes, & victimæ. ET IN SANCTUARIO. Levitæ ministrare dicuntur in sanctuario, cum in loco magis sacro quam sint portæ, aut atria, munera sua exercent, ut cum cantores tempore sacrificii canebant in atrio sacerdotum ubi erat altare holocausti.

V. 29. SUPER PANES PROPOSITIONIS: ipsi enim sacerdotes accepta simila a filiis Israel, formabant panes propositionis. Itaque hoc ministerium excipitur, ut etiam sequentia, ne quis existimaret Levitas ea exercuisse. AD SIMILAE SACRIFICIUM: de quo vide dicta Levit. ii. 1. LAGANA. Vide dicta

Exod.

Exod. XXIX. 2. SARTAGINEM: lagana enim oleo frigebantur in sartagine. Vide dicta ibidem. AD TORRENDUM: quod fiebat in primitiis spicarum, Levit. II. 14. SUPER OMNE PONDUS, ET MENSURAM. Vide dicta Exod. XXX. 13. ad illa verba, *Iuxta mensuram templi*, &c.

V. 30. AD CONFITENDUM, ET CANENDUM; id est, ad laudandum Deum: hoc enim significat confiteri in sacris Litteris. Adhibebatur cantus mane, & vesperi tempore sacrificiorum.

V. 31. SABBATIS, ET CALENDIS; qui dies festi erant Hebræis. IUXTA NUMERUM, canticorum scilicet quæ canenda præscribebantur.

V. 32. ET CUSTODIENT, &c. Sententia est, debuisse Levitas ritus sacros ad unguem servare, tam in custodia templi, & atriorum, quam in canendi tempore, & modo, &c. OBSERVATIONEM FILIORUM AARON, id est iussa summorum Sacerdotum. FRATRUM SUORUM, qui & ipsi erant ex tribu Levi. UT MINISTRENT IN DOMO DOMINI; id est, præsto esse debent & prompti ad ministrandum in iis quæ opus fuerint in templo Domini.

TIRINI.

Verf. 6. DISTRIBUIT DAVID Levitas PER VICES, per classes, sicut distributi erant sacerdotes: ut sic bis quotannis recurrerent singularum classium vices, quibus *a sabbato ad sabbatum*, id est integra una hebdomada deserviebant in templo. Vide cap. sequ. vers. 31.

V. 11. IAUS ET BARIA NON HABUERUNT PLURIMOS FILIOS. Id est, duo isti simul non habebant plures filios, quam unus solus ex prænominatis: idcirco cum alii singuli, seu singulorum filii constituerent singulas classes, horum duorum familiæ simul iunctæ non nisi unam classem confecerunt.

V. 13. SEPARATUSQUE EST AARON: olim iussu segregatus ex omni Israele, ut sacerdotio fungeretur, & nunc quoque eius filii, & posteri a Davide ad idem munus segregati sunt.

V. 14. MOYSI... FILII ANNUMERATI SUNT IN TRIBU LEVI. Magna Moysis modestia, nihil sibi, suique posteris præ reliquis suæ tribus arrogantis. Iosue relinquit regiam potestatem; fratri suo Aaroni, eiusque filiis sacerdotalem dignitatem: proprios filios suos in communi Levitarum grege relinquit. Idem quoque institutum tenet hoc loco David.

V. 24. FILII LEVI .... A VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Bis ergo numerari iussit David Levitas, semel *a triginta annis & supra*, ut patet vers. 3. Et hi erant qui actu serviebant templo in præcipuis muneribus. Iterum *a viginti annis & supra*, ut dicitur hoc vers. & 27. Et hi parabantur ut in locum aliorum paulatim succederent, interim ritus necessarios, & cæremonias addiscebant, exercebanturque in minoris momenti ministeriis, ad nutum & præscriptum aliorum.

V. 16. NEC ERIT OFFICII LEVITARUM, UT ULTRA PORTENT TABERNACULUM, ET OMNIA VASA EIUS, propediem nempe, quando templum stabile constructum fuerit: quare qui talibus solebant ministeriis vacare, ni velimus otiosos esse, aliis servitiis impendamus oportet, quæ vers. 28. & seqq. recensentur.

V. 29. SACERDOTES AUTEM &c. Hæc verba neque in Hebræo sunt, neque apud LXX. sed omnia ministeria quæ hic quasi pro solis sacerdotibus subiiciuntur, etiam Levitis ibi assignantur, quia muneris horum erat ea parare; sacerdotum vero, iam parata offerre Deo in sacrificium. SUPER OMNE PONDUS, ATQUE MENSURAM. Id est, quæcumque ad certum pondus, aut mensuram in templo offerenda erant, ea omnia mensurare debebant Levitæ. Quamquam etiam ab eosdem spectaret (ut olim ad AEdiles Romæ.) iusta, & ex legis præscripto, pondera, mensurasque adservare in templo, ut si successu temporis a populo fraude aliqua vitiari contingeret, ad horum collocationem instaurari perpetuo possent. Ita Villalpandus, Mariana, & alii.

GORDONI.

Verf. 22. FRATRES EARUM erant patrueles. Obiit Eleazar sine filiis: cuius filias duxerunt filii Cis.

V. 24. VIGINTI ANNIS ET SUPRA. Quomodo ergo vers. 3. *a triginta annis & supra*? Certe, iubente Davide, bis numerati sunt Levitæ: & primo quidem a tri-

triginta annis, secundo a viginti annis, scilicet excogitatis novis ministeriis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. NUMERATIQUE SUNT LEVITAE A TRIGINTA ANNIS, ET SUPRA. Si hoc est ad extremam aetatem, quomodo ergo Num. VIII. vers. 25. cessant Levitae qui explent annum quinquagesimum? Abulensis interpretatur cessasse quidem a ferendis ponderibus, & rebus gravioribus, non tamen a levioribus ministeriis. INVENTA SUNT TRIGINTA OCTO MILLIA, sane Levitarum, uti hic numerat.

V. 4. Hi iudices praeerant causis, quae per legem definiebantur.

V. 5. QUATUOR MILLIA IANITORES serviebant per vices. Tria atria erant, & quodlibet tres portas habebat.

V. 6. Hi cantores erant per viginti quatuor vices, ac proinde omni hebdomada novi succedebant.

V. 16. SUBUEL PRIMUS, primogenitus: & iterum vers. 17.

V. 24. Vide versum tertium. De oneribus gravioribus sermo est, & qua aetate imponi debeant. Olim, & in deserto, non ante annum tricesimum, ubi molestior erat labor; nunc vero incipiant ab anno vigesimo.

V. 28. IN EXEDRIS, cubiculis, ubi erat sacra supellex. ET IN LOCO PURIFICATIONIS, ubi lavantur homines, & victimae.

V. 29. PANES PROPOSITIONIS: Hos panes formabant sacerdotes: haec ministeria, & insequentia non exercebant Levitae. LAGANA frigebantur in sartagine. De his alibi.

CAPUT XXIV.

Familiarum Eleazar & Ithamar vices viginti quatuor in ministerio Domini a David designantur, reliquorumque Levitarum familiae similiter sorte distribuuntur.

1. PORRO (*a*) filiis Aaron hae partitiones erant: Filii Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. 2. (*b*) Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante partem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, & Ithamar. 3. Et divisit eos David, id est Sadoc de filiis Eleazari, & Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas & ministerium. 4. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sexdecim: & filiis Ithamar per familias & domos suas octo. 5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarii, & princeps Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar. (6.) Descripsitque eos Semeias filius Nathanael scriba Levites, coram Rege, & principibus, & Sadoc sacerdote, & Ahimelech filio Abiathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium & Leviticarum: unam domum, quae ceteris praeerat, Eleazar: & alteram domum, quae sub se habebat ceteros, Ithamar. 7. Exivit autem sors prima Ioiarib, secunda Iedei, 8. tertia Harim, quarta Seorim, 9. quinta Melchia, sexta Maiman, 10. septima Accos, octava Abia, 11. nona Iesua, decima Sechenia, 12. undecima Eliasib, duodecima Iacim, 13. terciadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab, 14. decimaquinta Belga, decimasexta Emmer 15. decima-

ma-

masceptima Hezir, decimaoctava Aphses, 16. decimanona Phetcia, vigesima Hezechiel, 17. vigesimaprima Iachin, vigesimasecunda Gamul, 18. vigesimatertia Dalaiau, vigesimaquarta Maaziau. 19. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, & iuxta ritum suum sub manu Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israel. 20. Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, & de filiis Subael, Iehedeia. 21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Iesias. 22. Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Iahath: 23. * filiusque eius Ieriau primus, Amarias secundus, Iahaziel tertius, Iecmaan quartus. 24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir. 25. Frater Micha, Iesia: filiusque Iesiæ, Zacharias. 26. Filii Merari: Moholi & Musi. Filius Oziau: Benno. 27. Filius quoque Merari: Oziau & Soam & Zachur & Hebri. 28. Porro Moholi filius: Eleazar, qui non habebat liberos. 29. Filius vero Cis, Ierameel. 30. Filii Musi: Moholi, Eder, & Ierimoth. Isti filii Levi secundum domos familiarum suarum. 31. Miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David Rege, & Sadoc, & Ahimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum, tam maiores, quam minores: omnes sors æqualiter dividebat.

(a) Levit. x. 1. (b) Num. III. 3.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 23. *Filiusque eius Ieriau primus, Amarias secundus*. Non omittas vocem *primus*, ut ab Interprete datam, quamvis hebraice non legatur.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PARTITIONES, scilicet in classes.

V. 2. ITHAMAR, scilicet in Heli, & eius posteris usque ad Salomonis tempora.

V. 3. MINISTERIUM: scilicet ut per hebdomadas ministrarent singulæ familiæ sacerdotum, itemque, ut infra dicitur, Levitarum.

V. 4. IN PRINCIPIBUS VIRIS; id est, quantum ad principes viros attinet.

V. 6. PRINCIPIBUS QUOQUE; pro, & coram principibus. ELEAZAR; pro, nempe Eleazaris.

V. 19. DOMUM DOMINI, scilicet partem eam quæ dicebatur *Sanctum*, & *Hechal*, ad thymiama adolendum. Vide Heb. IX. Nota vero, quod in quaque horum familia unus erat princeps sacerdotum: & sic Dion. cap. IV. cæl. Hier. vocat Zachariam principem sacerdotum. IUXTA RITUM, &c. id est eo ritu quem Deus per Aaron patrem eorum servari præceperat.

V. 31. CONTRA, scilicet ex altera parte. FRATRES, id est cognatos. AEQUALITER, scilicet quantum ad ministeria templi. Hebr. LXX. aliquanto aliter, sed forte eodem sensu.

ESTII.

Vers. 6. DESCRIPSITQUE EOS SEMEIAS .... SCRIBA LEVITES CORAM REGE, ET PRINCIPIBUS, ET SADOC SACERDOTE, &c. Quæret aliquis in qua potestate fecerit David quæ hoc, & superiori capite circa sacerdotum, & Levitarum ministeria constituisse narratur. Respondeo, quod sicut divinitus admonitus erat de templi figura, eiusque ædificatione filio deman-

dan-

danda, ut constat ex iis quæ dicuntur infra cap. XXVIII. ita credendum est, eum hæc quoque fecisse monitu divino; quare & fecit non absoluta regia potestate, sed adhibito simul summo Sacerdote, & aliis, ut hic narratur. Et sane eum hæc monitu divino fecisse, argumento quoque est quod ex omnibus his quæ a Davide hic constituta leguntur, nemo postea ausus fuerit mutare.

V. 7. EXIVIT AUTEM SORS PRIMA IOIARIB, & tandem

V. 9. OCTAVA ABIA. De hac sorte seu vice Abia fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ, ut patet Lucæ I. Ex quo constat eum non fuisse summum Sacerdotem, quod Ambrosio in Lucam scribenti excidit, sed tantum unum ex sacerdotibus inferioribus, seu secundariis. Quod si summus Sacerdos fuisset, non certam vicem expectare debuisset, sed tantum semel in anno fuisset ingressus in Sancta sanctorum: id enim erat officium summi Sacerdotis. Iam vero Zacharias obtulit incensum seu thymiama in ordine vicis suæ, id quod a sacerdotibus per singulos dies mane, & vesperi fiebat, ut patet Exod. XXX.

MARIANAE.

Vers. 2. SACERDOTIOQUE FUNCTUS EST; id est, sacerdotium mansit penes Eleazar, & Abiathar. Quod vero de sacerdotio hic dicitur, de omni sacerdotio intellige: nam Ithamar non fuit Pontifex.

V. 3. AHIMELECH. Duo summi Sacerdotes, seu Principes sacerdotum fuerunt Davidis tempore, Sadoc de posteris Eleazar, & Abiathar de posteris Ithamar. Quis ergo hic *Ahimelech?* Alii esse ipsum Abiathar, qui vocaretur etiam *Abimelech*: quidam filium Abiathari, cui concedente patre is honor delatus sit. SECUNDUM VICES SUAS. Sept. *secundum computationem suam*: sic Hebr. scilicet qui quo tempore deberet ministrare, designabatur.

V. 4. IN PRINCIPIBUS VIRIS; id est, principes viri plures inventi sunt e filiis Eleazar quam e filiis Ithamar: neque enim omnes numerabantur, sed capita. Ea capita Principes sacerdotum vocantur, quomodo Dionys. cap. IV. de cælesti Hierarch. Zachariam vocat Principem sacerdotum. PRINCIPES PER FAMILIAS. Hebr. *Capita ad domum* (pro ad domos) *patrum*.

V. 5. PRINCIPES DEI; id est, in iis quæ ad Deum pertinent, in rebus divinis erant principes filii Eleazar, & filii Ithamar.

V. 6. AHIMELECH FILIO ABIATHAR. Iuxta ea quæ vers. 3. dicta sunt potest intelligi aut quod esset de posteritate Ithamari filii Aaron, aut quod esset filius Abiathari eius, qui, cæso patre, & fratribus a Saule, fugit ad David. Et coram eo, Davide, & Sadoc ait descripta esse sacerdotum capita. UNAM DOMUM, QUAE CETERIS PRAEERAT, ELEAZAR (pro Eleazari) ET ALTERAM DOMUM, QUAE SUB SE HABEBAT CETEROS, ITHAMAR. Locus difficilis. Hebraica ego sic verto: *Domus patris una possessio Eleazaro, & possessio possessio Ithamaro*. אחז *ahuz*, *possessionem* intelligo ab אחז *ahaz*, quod verbum *apprehendere* significat. Porro agri divisi per familias erant. Ithamaro non minus agri datum est quam Eleazaro eius fratri. Sic cum familiæ ab Eleazaro deductæ duplo plures fuerint quam Ithamari, factum ut Ithamari familiæ duplo maiores possessiones haberent: sic factum ut in quavis sorte simplex Eleazari posteris possessio esset, duplicata Ithamari nepotibus. Id significat *possessio possessio*, ut est Hebr. Ad hunc sensum Vulgatæ verba referantur. Aut sic: Sacerdotes in duas domos erant divisi: in Eleazari domum, quæ præcipua erat, & in domum Ithamar. Mox per vices distribuit sacerdotes, ut scirent quo tempore quisque ministraret.

V. 10. OCTAVA ABIA. De hac sorte fuit Zacharias Ioannis pater, Luc. I. vers. 5. *Sacerdos... de vice Abia*. Verum ex Eleazari posteris esset Abia, an ex Ithamari, non satis intelligitur.

V. 19. HAE VICES EORUM. Sept. *Hæc supputatio eorum*. Hebr. *Ista supputatio* (pro supputationes) *eorum*. *Supputatio* pro *præfectura*, & pro *vice* sumi potest. SECUNDUM MINISTERIA. Sic Sept. Hebr. *Ad ministeria*. SUB MANU AARON. Hebr. *In manu Aaron*, id est in loco Aaron, vice eius. Sæpe *manus* in sacris Litteris pro *loco* sumitur: neque alia

alia significatio cum his verbis consentit.

V. 26. FILIUS OZIAU. Hebr. *Filii*; pro, de filiis Oziau. BENNO inter Levitas princeps, in ea familia nullam vicem habuit, quia non erat sacerdos.

V. 27. FILIUS QUOQUE MERARI. Hebr. *Filii*: sic Sept. & sane non unus, sed quatuor filii numerantur, qui & ipsi ministrarent, ut alii qui sacerdotes non erant.

V. 28. MOHOLI FILIUS: ELEAZAR. De hoc Eleazaro filio Moholi, & quo pacto filiæ eius nupserint filiis Cis earum patruelibus, cap. XXIII. vers. 22. Miserunt sortes alii filii Levi

V. 31. CONTRA FRATRES SUOS. Alii *e regione* vertunt: scilicet ad imitationem sacerdotum sortes miserunt, ut scirent quo tempore singuli ministrarent, ut erant sortiti ipsi filii Aaron. Sept. *Sicut fratres eorum filii Aaron*. TAM MAIORES, QUAM MINORES: OMNES SORS AEQUALITER DIVIDEBAT. Hebr. *Patrum caput* (id est familiæ caput) *e regione fratris sui minoris*; quasi dicat: Capita in singulis familiis aliorum omnium, qui ex quaque familia minores erant, vices gerebant, neque enim omnes in sortes veniebant, sed capita tantum. Nostra littera omnes maiores, & minores in sortes venisse indicat.

MALVENDAE.

Vers. I. PORRO FILIIS AARON HAE PARTITIONES. Hebr. *Et filiis Aharons partitiones eorum*. Quidam: *Et filiis Aharon fuerunt suæ distributiones*; id est, sacerdotes fuerunt divisi ac distributi in suas classes; ut Levitæ superiore capite. Aliqui: *Filiorum vero Aharonis hæ sunt distributiones*. FILII AARON: NADAB, &c. Vide Exodi VI. 23. & Numer. III. 2.

V. 2. MORTUI SUNT AUTEM NADAB, ET ABIU. Vide Levit. XI. vers. I. &c. & Numer. III. 4. ANTE PATREM SUUM. Hebr. *Ad facies patris eorum*; id est, ipso aspectante, & vidente; vel ipso superstite ac vivente. Vide similem locutionem Genes. XI. 28.

V. 3. SECUNDUM VICES SUAS, ET MINISTERIUM Hebr. *Visitationi eorum in servitio eorum*. Quidam: *Ad ordinationem eorum, in ministerio eorum*; id est, ut ordinate distribuerentur in sua quisque ministeria. Alii: *In numeratione sua*, sive *in præfectura sua*, & *in ministerio suo*. Nonnulli: *In præfecturam suam ad ministerium suum*. Aliqui: *Secundum officium suum*, & *in ministerio suo*. Possis reddere: *In episcopatum suum, instigationem, visitationem, curam, administrationem, munus, in ministerio suo*, seu *cultu*, *servitio suo*. Vide infra vers. 19.

V. 4. IN PRINCIPIBUS VIRIS. Hebr. in dativo, *Capitibus virorum*. Alii, *In capitibus virorum*; id est, per capita virorum, vel recensendo singula capita, seu singulos; quasi dicat, Viritim. Plures secuti Nostrum, *In capitibus virorum*; id est, in primoribus, primariis, præcipuis, virorum; quasi dicat: Si principes spectes. Aliqui reddunt: *Quo ad primarios virorum*: qui sensus melior, ex sequentibus. FILIIS ELEAZAR, PRINCIPES PER FAMILIAS SEXDECIM. Hebr. *Filiis Elhazaris capita domui patrum, sexdecim*. Quidam: *De filiis Elhazar capita per domos patrum, sexdecim*. Alii: *De filiis Elhazar fuerunt duces per domum familiarum, sexdecim*. Nonnulli: *In filiis Eleasar erant primores iuxta domos patrias*, seu *per familias, sexdecim*. Aliqui: *Posteris Elhazaris primores in paternas familias erant sexdecim*: sic mox.

V. 5. PORRO DIVISIT UTRASQUE INTER SE FAMILIAS SORTIBUS, &c. Hunc versum nos ex Hebr. ad verbum transtulimus. (*Et dispertiverunt eos in sortibus, istos cum istis: quia fuerunt principes santitatis, & principes Elohim de filiis Elhazar, & in filiis Ithamar.*) Alii varie reddunt, & exponunt. I. *Et diviserunt eos in sortibus istos cum istis*. Nempe David, & Tzadok, & Achimelech diviserunt sacerdotes in classes, non electione, sed sortitione: non seorsim filios Elhazar, & seorsim filios Ithamaris; sed istos cum istis, hoc est simul utrosque: quo sortiendi modo consultum est paci sempiternæ utriusque familiæ, ne relinqueretur querimoniæ locus, cur isti prælati, & illi subsecuti. *Quia fuerunt principes sanctitatis, & principes Elohim, de filiis Elhazar, & de filiis Ithamar*; quasi dicat: Idcirco pariter divisi sunt sortibus, quia utrique pariter erant principes sacrorum, & principes Dei; id est, non ab homine, sed a Deo electi in parte eorum Aharon, ad id ministerium. II. *Divi-*

vi-

viserunt autem eos sortibus, istos cum istis; id est, missis sortibus, omnes simul collectos distribuerunt in classes posteros Elhazaris, & Ithamaris: *quia fuerunt principes sanctitatis, & principes Dei*; id est, quia præfuerunt rebus sacris, & divinis: *de filiis Elhazar, & de filiis Ithamar*. III. *Distribuerunt autem eos sortibus, alios cum aliis*, id est promiscue, discrimen ordinum Deo sortitione relinquentes: *quamvis essent principes sacrorum, & principes Dei e posteris Elhazaris, etiam in filios Ithamaris*: occupatio, qua respondetur obiectioni huic: Non posse æqui iuris esse, si summum sacerdotium penes Elhazaris posteros sit ex iure naturæ, quia ipse maior natu erat, & ex institutione Dei, in Phinehas, Numer. XXIII. 13.

V. 6. UNAM DOMUM, QUAE CETERIS PRAEERAT, ELEAZAR: ET ALTERAM DOMUM, QUAE SUB SE HABEBAT CETEROS, ITHAMAR. *Elhazar*, & *Ithamar* sunt in Heb. dativi casus. Nostra translatio verba ipsa Hebraica fideliter reddidit (*Domum patris unam apprehensam Elghazar, & apprehensam apprehensam Ithamar.*) Alii diversimode interpretantur. I. *Domus patris una capta Elhazaro, & capta capta Ithamaro*. Id est, cum extrahebantur sortes, si una domus, seu familia Elhazaris exibat, capiebatur, id est admittebatur; at si alia, vel plures immediate & successive prodirent, non capiebantur, seu admittebantur; sed expectabatur ut sors aliqua Ithamaris exiret, ne contingeret omnes domus Elhazaris primum exire, & præferri domibus Ithamaris: si vero post egressam primam, vel aliquam Elhazaris sortem, plures, vel omnes successive & immediate prodirent Ithamaris sortes, omnes capiebantur eo ordine quo exibant: ac propterea repetitur vox, *Capta capta*. Atque hac ratione pensatam volunt paucitatem familiarum Ithamaris quæ octo tantum erant; Elhazaris vero duplo plures, nempe sexdecim. II. *Domus patris una possessio pro Elhazaro, & possessio retenta pro Ithamare*: vel *domus patris una, portio retenta pro Elhazar. & portio retenta pro Ithamar*. III. *Domus patris una adhæsit ipsi Elhazar, & propinqua alia adhæsit ipsi Ithamar*. IV. *Domus patris una retenta est apud Ithamar*. V. *Domus patris una adiuncta ipsi Elhazar, & iuncta iuncta ipsi Ithamar*. VI. *Domus patria una possessa fuit ab Eleasar, & altera possessa ab Ithamar*. VII. *In domum patris unam attributam ipsi Elhazar, attributam, inquam, ipsi Ithamar*. Pertinet istud ad verbum præcedens initio versus: *Et descripsit eos .... in domum patris unam*, &c. id est, descripsit eos in familiam unam adiunctam, sive attributam Eleazaro, & in familiam aliam attributam, attributam, inquam, ipsi Ithamar; quasi dicat: Descripsit eos distributos in duas familias paternas, nempe in familiam Elhazaris, & in familiam Ithamaris. VIII. *Domus patris una apprehensa Elhazaro, & apprehensa apprehensa Ithamaro:* sensum esse volunt, Elehazarum obtinuisse alteram familiam; hoc est, illius familiæ homines divisos fuisse in duas partes; ast Ithamari familiam unicam remansisse. Alii arbitrantur, Eleazaro cecidisse alteram familiam supra eam quam antea habebat, in sortem; unde illud, *Et apprehensa, apprehensa Ithamaro*; id est, familia unica quæ ei obtigerat, unica, ut erat, ei mansit. Sensus incertus, ac futilis. IX. *Familiam paternam unamquamque captam ex Elhazare*, id est a Deo sorte obvenientem, *& captam, captam*, id est similiter captam quamque, *ex Ithamare*. Hunc sensum ut simpliciorem superioribus aliis prætulerim. Quidam exponunt: *Domus patris una possessio Elehazaro, & possessio possessio Ithamaro*; id est, singulis familiis ex Eleazaro una possessio, seu portio, agri, vel hereditati attributa fuit; at singulis familiis Ithamaris dupla possessio, seu portio hereditatis obtigit: idcirco geminatur vox *possessio, possessio*; hoc est, duplicata possessio. Sic cum familiæ ab Eleazaro deductæ duplo plures fuerint quam Ithamari, factum ut Ithamari familiæ duplas possessiones haberent: ut tantumdem possessionum habuerint Ithamariani ac Elehazariani: & licet numero dimidio inferiores, possessionibus tamen pares fuere. Interpretatio, quæ neque in ratione, neque in æquitate ullum fundamentum habet.

V. 10. OCTAVA ABIA. Heb. *Abiiah octava*, scilicet sors. Familia Abiæ octavo loco & ordine ministrabat in templo. De hac sorte, & familia fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ: incertum autem, num hæc familia fuerit e posteris Elhazaris, an Ithamaris.

V. 19. HAE VICES EORUM SECUNDUM MINISTERIA SUA. Heb. *Isti visitatio eorum , ad servitium eorum*. Varie alii. I. *Istæ ordinationes eorum, ad ministeria eorum* . II. *Istæ munerationes eorum in ministerio eorum*. III. *Isti sunt quorum enumeratio erat in ministerio suo* , vel *quorum præfectura, episcopatus, inspectio erat in ministerio eorum*. IV. *Horum revisio eorum ad servitutem eorum* . V. *Horum fuit præfectura illorum in ministerio suo* . Exponut: *Horum*, &c. id est, his eadem cura commissa est sub summo Sacerdote, quæ Elhazari, & Ithamari sub Aharone sacerdote; ut passim in lege habetur: *illorum*, id est Aharonis, & filiorum. Vide supra vers. 3. IUXTA RITUM SUUM. Heb. *Secundum iudicium suum* . Quidam , *Iuxta rationem eorum* , sive *ut ius eorum exigit* . Aliqui , *Secundum ordinem eorum*. Alii , *Secundum normam eorum*. Nonnulli, *Secundum officium illorum*. SUB MANU AARON. Heb. *In manu*, id est per manum, sub manu, hoc est sub potestate , ductu, & imperio Aharonis, seu summi Sacerdotis.

V. 20. PORRO FILIORUM LEVI, QUI RELIQUI FUERANT , Heb. in dativo, *Et filiis Levi reliquis* . Quidam , *Et de filiis Levi residuis*. Alii, *Quod autem ad filios Levi reliquos* ; hoc est, qui nondum plene , & sigillatim enumerati fuerunt. Ghersonitarum autem primarios sigillatim enumeravit supra cap. XXIII. vers. 7. & sequentibus; & sacerdotes in hoc capite: ac proinde tantum supersunt reliqui Kehathitæ, & Meraritæ recensendi: omissi autem hactenus fuerant , quia horum ordines sacerdotibus ministrabant: ideo fuerunt hic cum illis coniungendi. SUBAEL, qui supra cap. XXIII. vers. 16. dicitur *Sebuel*. Vide de his sequentibus cap. XXIII. vers. 16. & deinceps.

V. 23. FILIUSQUE EIUS IERIAU PRIMUS. בני *benai*, vel בני *bene* , nam est duplex lectio, *Ieriihau*. Noster בנו *beno* legisse videtur, *filius eius*: non quidem alicuius ex his qui proxime antecedente versu descripti sunt, sed *Chebronis* , supra cap. XXIII. vers. 19. Aliqui hic *Benai* pro nomine proprio accipiunt: *Et Benai*, subaudi filius, *Ieriihau*. Alii eclipsin esse putant , quam implent e cap. XXIII. vers. 19. *E Chebronitis* Ieriiahu : *& filiis Ieriiahu, Amariahu secundanus*: vel, *Et filii Chebronis*: *Ieriiahu caput*, *seu primarius*, *Amariahu secundarius*, &c.

V. 26. FILIUS OZIAU: BENNO. Heb. *Filii Iagbaziiah*, *Beno*. Nonnulli *Beno* pro appellativo sumunt , redduntque : *Filii Iagbaziiæ filii illius primarii erant*.

V. 27. OZIAU, ET SOAM, ET ZACHUR, &c. Heb. in dativo : *Ipsi Iogbaziiahu*, *Beno*, *& Sobam*, &c. Quidam: *De Iagbaziia*, *Beno*, *& Sobam*, &c. quasi dicat: Iste. qui fuit de filiis Merari, habuit quatuor filios, Beno , &c. Alii hic *Beno* pro appellativo capiunt, ut superiore versu, totumque versum ita convertunt: *Filii Merari ex Iagbaziia filio eius*, *tum Schoam*, *& Zaccur*, *tum Hibri*.

V. 30. SECUNDUM DOMOS FAMILIARUM SUARUM. Heb. *Domui patrum suorum*. Quidam, *Per domum patrum suorum*, vel familiarum suarum. Alii, *Primores* , seu *primarii per domos paternas ipsorum*, vel *primores paternarum familiarum suarum*.

V. 31. MISERUNTQUE ET IPSI SORTES CONTRA FRATRES SUOS, &c. Varie Hebræa vertunt . I. *Et proiecerunt etiam isti sortes e regione fratrum suorum* ; id est, sorte quoque ii Levitæ distributi sunt in vigintiquatuor partes , seu familias: quemadmodum distributi fuerant sacerdotes eorum contribules, supra vers. 3. & sequentibus: uti viginti quatuor istæ Levitarum distributiones correspondent viginti quatuor distributionibus illis sacerdotum, & unaquæque Levitarum distributio unicuique sacerdotum distributioni sibi correspondenti adesset , ministraret, inserviret . II. *Quos coniecerunt etiam sortibus ex adverso fratrum suorum Aharonitarum* ; id est, pari ordinum numero, & respondentibus inter utrosque ordines officiis: nam hæc fuit prima Levitarum functio, nempe ministrandi sacerdotibus in servitio templi: duæ aliæ cantorum , & ianitorum , duobus proxime sequentibus capitibus exponuntur . ET PRINCIPIBUS FAMILIARUM. Heb. *Et capitibus patrum*. Quidam: *Et primoribus paternarum familiarum ex sacerdotibus*, *& Levitis*. TAM MAIORES, QUAM MIAORES: OMNES SORS AEQUALITER DIVIDEBAT. Heb. *Patrum caput e regione fratris sui parvi*. Quidam: *Familiarum princeps contra suum minorem* . Notant esse Hebraismum valde diffi-

difficilem; quasi dicat: Maiores, & minores sorte distributi sunt: ita ut nulla ratio inæqualitatis, aut maioris dignitatis habita sit; sed eo ordine, quo sors unicuique obtingebat, seu is dignior, aut inferior esset, ita locum suum, & partes tuebatur, ut prima sors Levitarum assisteret primæ sorti sacerdotum, secunda secundæ, & sic de reliquis. Alii: *E patribus, qui principem locum tenebat, missus est in sortem contra fratrem suum minorem*, id est constitutum in minore dignitate. Nonnulli: *Paternarum familiarum primarium quemque cum cognatis suis minoribus ex adverso illorum*, scilicet coniecerunt sortibus. Hispanicus Interpres: *El principal de los padres contra su hermano menor*; id est, *iuntando un grande con un menor*.

MENOCHII.

Vers. 1. PARTITIONES, scilicet in classes.

V. 2. MORTUI SUNT. Historiam habes Num. III. 4. SACERDOTIO FUNCTUS EST ELEAZAR, ET ITHAMAR; id est, fuerunt sacerdotes vivente patre; Eleazar vero etiam summus Sacerdos, successorque patris Aaronis.

V. 3. DIVISIT EOS DAVID; id est, cum Levitarum iniret numerum, seorsim numerati sunt filii Eleazar, & seorsim filii Ithamar. SECUNDUM VICES SUAS, ET MINISTERIUM: ut scilicet per hebdomadas ministrarent singulæ familiæ sacerdotum, quod etiam Levitæ servabant.

V. 4. IN PRINCIPIBUS VIRIS. Inventi sunt multo plures familiarum principes ex filiis Eleazar, & idcirco in familias sexdecim tributi fuerunt, ut filii Ithamar in octo tantum, qui erant pauciores.

V. 5. ERANT ENIM PRINCIPES SANCTUARII, ET PRINCIPES DEI. Existimo afferri rationem propter quam voluerit David sorte definiri quo ordine quælibet familia ministrare deberet; quasi diceret: Ex utroque genere tam Eleazari, quam Ithamaris erant *principes sanctuarii* sacerdotes, scilicet ministrantes in loco sancto, & *principes Dei*, id est principes magni, qui nimirum magnarum, & opulentarum familiarum erant capita: ne igitur æmulatio, contentio, aut rixa oriretur, res tota sortibus permissa est. *Principes Dei*. Vide Gen. XXIII. 6. & ibi dicta.

V. 7. EXIVIT AUTEM, &c. Recensentur viginti quatuor vices seu sortes sacerdotum, qui partim erant ex posteris Eleazar, partim ex posteris Ithamar.

V. 19. SUB MANU AARONIS, summi Sacerdotis qui Aaroni successerat, cui parere debebant inferiores sacerdotes, & Levitæ. PATRIS EORUM, ex quo omnes sacerdotes genus trahebant, & quem omnes Levitæ ut patrem venerabantur, obsequium, & obedientiam illi præstantes.

V. 20. QUI RELIQUI FUERANT, scilicet præter sacerdotes, de quibus hactenus actum est hoc capite. DE FILIIS AMRAM, qui fuit pater Aaronis, & Mosis. SUBAEL, qui erat pronepos Amram, nam erat filius Gersom filii Aaron. Vide cap. superiori num. 16. Mentio fit huius Subael, quia erat thesauri præpositus, ut habemus infra cap. XXVI. num. 24.

V. 21. DE FILIIS QUOQUE ROHOBIAE. Hic non dicitur cuius filius fuerit Rohobias; fuit autem filius Eliezer, ut habemus superiori cap. num. 17. IESIAS. Habuit Rohobias alios etiam filios, ut patet ex superiori cap. num. 17. citato; sed fit mentio tantum Iesiæ, quia erat hic princeps.

V. 22. SALEMOTH, qui superiori cap. num. 18. appellatur *Salomith*.

V. 23. FILIUSQUE EIUS, scilicet Iahath.

V. 24. FILIUS OZIEL. Oziel est quartus filiius Caath supra cap. XXIII. num. 12.

V. 26. FILII MERARI, &c. Hactenus recensiti pertinent ad familiam Caath: iam vero transit ad familiam Merari; familiam vero Gersom tacitus præterit sacer textus. Porro versiculus hic ita, quod sentiam, ordinandus est: Filii Merari: Moholi, & Musi, Oziau etiam, & Sohan, & Zachur, & Hebri: Oziau autem filium habuit nomine Benno.

V. 28. MOHOLI FILIUS ELEAZAR, QUI NON HABEBAT FILIOS. Non est sensus Moholi filium fuisse Eleazari, sed e contra Eleazarum Moholi filium liberos non suscepisse.

V. 30. FILII MUSI: MOHOLI, &c. Musi filium habuit eiusdem nominis

cum

cum patruo suo Moholi, cuius mentio facta est num. 28.

V. 31. CONTRA, id est ex altera parte. FRATRES SUOS, propinquos & cognatos suos. OMNES SORS AEQUALITER DIVIDEBAT, quo ad ministeria templi, quæ illis sorte obveniebant.

TIRINI.

Vers. 2. MORTUI SUNT NADAB, ET ABIU filii Aaronis, igne cælesti absumpti, eo quod uterentur igne profano, Levit. x. 2. & Num. III. 4. Reliquos Aaronis posteros.

V. 3. DIVISIT DAVID, per vigintiquatuor classes distribuendo sacerdotes omnes, & singulis classibus suas vices assignando, idque per sortes, ut hic dicitur vers. 5. ne quid favori datum videretur, nec quisquam queri posset se aliis postpositum fuisse.

V. 5. ERANT ENIM PARI IURE, pari decreto, OMNES PRINCIPES SANCTUARII, ET PRINCIPES DEI, id est maximi, in iis quæ ad Deum pertinent, seu in rebus divinis. Unde & *principes sacerdotum* vocabantur capita vigintiquatuor istarum classium. Et hoc sensu S. Dionysius *a* Zachariam vocat *principem sacerdotum*. Extra has classes, & supra omnes classes erat summus Sacerdos, qui *Pontifex* dicebatur.

V. 6. ABIMELECH FILIO ABIATHAR. Hinc apparet Abiatharum, summum tunc Pontificem una cum Sadoco, magnam partem functionum suarum subinde transcripsisse filio suo Abimelecho, ac nominatim curam huius distributionis sacerdotum in suas classes, & vices: forte quod ægrotaret tum temporis, vel aliis negotiis magis urgentibus detineretur.

V. 10. OCTAVA ABIA. De hac sorte fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ, Lucæ I. 5. Verum, princeps ne fuerit sacerdotum suæ sortis seu vicis, ut voluit S. Dionysius, incertum est; ut & an ex Eleazari primogeniti Aaronis posteris esset, an ex Ithamari secundo geniti.

V. 27. FILIUS QUOQUE MERARI: OZIAU, &c. Sic lege ex Hebræo, Chaldæo, & Græco: *Filus quoque Merari* fuit prædictus *Oziau*: cuius filii, præter *Bennonem*, fuerunt *Soam*, & *Zacbur*, & *Hebri*.

V. 31. CONTRA FRATRES SUOS; id est ex altera parte, seu ad exemplum & imitationem cognatorum suorum. Ita LXX. nam sicut posteri Aaronis distributi in vigintiquatuor classes, sortem iecerant, quo quique ordine in templo deservirent, ita etiam Levitæ sorte distributi sunt.

(*a*) Dion. Cel. Hierar cap. IV.

GORDONI.

Vers. 2. SACERDOTIO FUNCTUS EST ELEAZAR, ET ITHAMAR. Hoc intellige de quovis sacerdotio, nam Ithamar non fuit Pontifex: vel intellige hic Ithamarum in Heli, & eius posteris usque ad regnum Salomonis. Vide cap. VI. vers. 8. Notatur hic vers. 7. per sortes, quis ordo familiarum servandus sit. In quaque familia unus erat princeps; ac proinde erant multi principes sacerdotum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Hi mortui sunt in deserto, Num. III. vers. 4. Eleazar in summo sacerdotio successit patri Aaron.

V. 3. DIVISIT, seorsum numeravit.

V. 5. Sorte actum est, Deo volente, quo ordine ministrarent hæ duæ familiæ, & hoc ad vitandam rixam inter duas familias: nam in utraque erant ministri sanctuarii, & principes, id est opulenti, & potentes. Vide Genes. XXIII. 6.

V. 26. Post sermonem de filiis Caath, agit hic de filiis Merari. Omissa est hic familia Gerson.

CA-

C A P U T XXV.

Ex filiis Asaph, Heman & Idithun, cantoribus, psaltis, ac citharœdis, vigintiquatuor familiæ ac vices sorte distribuuntur.

1\. IGitur David, & magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes. 2. De filiis Asaph: Zacchur, & Ioseph, & Nathania, & Asarela, filii Asaph: * sub manu Asaph prophetantis iuxta Regem. 3. Porro Idithun: filii Idithun, Godolias, Sori, Iescias, & Hasabias, & Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum. 4. Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, & Iesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth: * 5. omnes isti filii Geman Videntis Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres. 6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini iuxta Regem: Asaph videlicet, & Idithun, & Heman. 7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octogintaocto. 8. Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam maior quam minor, doctus pariter, & indoctus. 9. Egressaque est sors prima Ioseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis eius, & fratribus eius duodecim. 10. Tertia Zachur, filiis & fratribus eius duodecim. 11. Quarta Isari, filiis & fratribus eius duodecim. 12. Quinta Nathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 13. Sexta Bocciau, filiis & fratribus eius duodecim. 14. Septima Isreela, filiis & fratribus eius duodecim. 15. Octava Iesaiæ, filiis & fratribus eius duoceeim. 16. Nona Mathaniæ, filiis & fratribus eius duodecim. 17. Decima Semeiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 18. Undecima Azareel, filiis & fratribus eius duodecim. 19. Duodecima Hasabiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 20. Tertia decima Subael, filiis & fratribus eius duodecim. 21. Quartadecima Mathathiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 22. Quintadecima Ierimoth, filiis & fratribus eius duodecim. 23. Sextadecima Hananiæ, filiis & fratribus eius duodecim. 24. Septimadecima Iesbacassæ, filiis & fratribus eius duodecim. 25. Octavadecima Hanani, filiis & fratribus eius duodecim. 26. Nonadecima Mellothi, filiis & fratribus eius duodecim. 27. Vigesima Eliatha, filiis & fratribus eius duodecim. 28. Vigesimaprima Othir, filiis & fratribus eius duodecim. 29. Vigesimasecunda Geddelthi, filiis & fratribus eius duodecim. 30. Vigesimatertia Mahazioth, filiis & fratribus eius duodecim. 31. Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis & fratribus eius duodecim.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Sub manu Asaph prophetantis iuxta Regem*. Non mutes genitivum singularem *prophetantis* in nominativum pluralem *prophetantes*, quod multi.

V. 5. *Omnes isti filii Heman Videntis Regis*. Nec hic mutes *videntis*, in *videntes*, quod similiter multi.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. MAGISTRATUS, id est principes. MINISTERIUM, scilicet ad canendum. PROPHETARENT, id est canerent prophetias, seu laudes Dei. SECUNDUM NUMERUM SUUM; id est, quotquot erant numerati, & ad id destinati.

V. 2. IUXTA REGEM, pro iuxta Regis imperium. Vide infra.

V. 3. FILII IDITHUN; pro, filii inquam Idithun. SEX, scilicet cum patre. SUPER CONFITENTES, &c. Hebr. *Ad confitendum, & laudandum Dominum*. LXX. *Confessionem, & laudem Domini*.

V. 5. VIDENTIS, id est Prophetæ. EXALTARET CORNU; quasi dicat: Prophetabat de Regni David exaltatione, quæ in Christo præcipue contigit.

V. 6. MANU, id est potestate. REGEM, id est Regis mandatum: vel prope Regem erant, qui forte eis in eo etiam præerat.

V. 7. ERUDIEBANT CANTICUM, scilicet ceteros tamquam doctores. Hebr. *Docti in cantico*. LXX. *Docti erant canere*. DOCTORES, Hebr. & LXX. *Periti*, seu *intelligentes*.

V. 8. PER VICES SUAS. Hebr. *Custodia contra custodiam*, id est classis una contra aliam; quasi dicat, Inter se.

V. 9. DUODECIM: scilicet tot erant in unaquaque cantorum classe.

E S T I I.

Vers. 1. QUI PROPHETARENT IN CITHARIIS, EA PSALTERIIS, EA CYMBALIS. Quidam putant, quod quoties cantores isti canebant in templo instrumentis musicis tempore sui officii, toties super eos fieret spiritus Domini, & proprie prophetarent, sicut legitur de Heliseo. Sed hoc nullam habet probabilitatem. Sunt enim distincta munia & officia Sacerdotum, Cantorum, & Prophetarum. Alii sic hunc locum interpretantur: *Prophetabant*, id est prophetias canebant. Sed constat multa alia præter prophetias ibi cantari solita. Proinde dicendum videtur, quod sicut nomen Prophetæ aliquando generale est ad omnes eos qui peculiariter vacant cultui divino; unde illud: *Numquid & Saul inter Prophetas?* ita *prophetare* generaliter hoc loco accipi ut sit idem quod divinas laudes, & cantica canere, sive sint prophetiæ proprie dictæ, sive non. Vide plenius ad I. Reg. cap. x.

MARIANAE.

Vers. 1. IN MINISTERIUM segregaverunt filios Asaph, scilicet domus Dei, non tamen omne, sed canendi, & modulandi. QUI PROPHETARENT, id est laudarent Deum, aut prophetias canerent aliorum, aut suas. PSALTERIIS. Pro *nablis*, quæ vox Hebr. est, Hieronymus fere *psalteria* ponit. Porro *psalterium* Lucas Tudensis in Chron. ait esse lyram decem chordarum, quæ plectro pulsatur. Hebræus *lyram* putat, neque explicat quomodo pulsetur. SECUNDUM NUMERUM SUUM; id est, quotquot erant numerati, & ad id destinati, ii ministrabant canentes, aut pulsantes. Hebr. *Et fuit numerus eorum virorum operis ad ministerium ipsorum*, scilicet qui sequitur. Sept. *Et fuit numerus eorum per capita virorum operantium in servitute eorum*.

V. 2. SUB MANU ASAPH. Hebr. *Ad manum Asaph*, id est potestatem, scilicet

illi

illi subditi. PROPHETANTIS, id est Deum laudantis: aut vere Propheta erat Asaph, per quem David Deum consulebat. IUXTA REGEM. Hebr. *Ad manus Regis*; id est, ad eius imperium prophetabat.

V. 3. PORRO IDITHUN. Hebr. *ad Idithun*, scilicet pertinebant: qui sequuntur, filii Idithun. Sed melius distinguo sic: *Porro Idithun filii, Idithun, Godialias*; ut primus filius sit patri cognominis: alioqui senarius filiorum numerus, qui ponitur illo verbo SEX, non constaret. SUB MANU PATRIS SUI. Hebr. *Ad manum*. SUPER CONFITENTES ET LAUDANTES DOMINUM. Hebr. *Ad confitendum & laudandum Dominum*. Sept. *Qui prophetabat confessionem & laudem Domino*. Hebræus ait filios Idithun cithara canere Psalmos, qui *Hodu* incipiunt, id est *Confitemini*, & Psalmos *Halcluiah*, qui sic inchoant, aut eum titulum habent.

V. 5. HEMAN VIDENTIS REGIS, id est Prophetæ; sed Propheta aut pro vero Propheta sumitur, per quem Rex consulebat Deum, aut pro cantore regio. IN SERMONIBUS DEI, vel in verbis divinis. Alii profana canebant, hic divina. UT EXALTARET CORNU. Multi Psalmi sunt, in quibus de exaltatione cornu agitur, illos puto commissos filiis Heman, idque his verbis significari. Aut prophetabat de regni David exaltatione.

V. 6. IUXTA REGEM. Hebr. *Ad manus Regis*, ut vers. 2. erant cantores distributi.

V. 7. FUIT AUTEM MUMERUS EORUM. Colligit canentium, & pulsantium numerum. QUI ERUDIEBANT CANTICUM DOMINI. Hebr. *Eruditi cantici*, pro in cantico. Sept. *Docti erant canere*. CUNCTI DOCTORES. Hebr. *Omnis intelligens*, scilicet artem canendi calens. DUCENTI OCTOGINTA OCTO. In sacerdotum sortes solum capita mittebantur, in cantorum sortes ex singulis familiis, quæ ad æmulationem sacerdotum viginti quatuor sortes fuerunt, & ex unaquaque familia duodecim viri, qui omnes eum numerum conficiunt 288.

V. 8. PER VICES SUAS. Hebr. *Custodiæ e regione*, sive *ad æmulationem*, de quo cap. XXIV. vers. 31. Levitas diximus ad æmulationem sacerdotum voluisse per sortes partiri sua ministeria. INDOCTUS. Cum vers. 7. dicat, omnes illos qui missi sunt in sortes, fuisse intelligentes, scilicet musicæ, quomodo hic dicit *indoctos* etiam in sortes venisse? sed pro *Doctus pariter & indoctus*, Hebr. est *intelligens cum discipulo*. *Discipulum* Hieronymus vocavit *indoctum*.

V. 9. IOSEPH QUI ERAT DE ASAPH. Hebr. *Ipsi Asaph, ipsi Ioseph*. Vult primam sortem Iosephi fuisse, qui filius Asaph fuit: & in hac prima sorte suppleri ex aliis debet duodenarius virorum numerus, alioqui summa ducentorum octoginta octo posita vers. 7. non constaret. Secunda sors fuit Godolias. Ac vide in his viginti quatuor sortibus cantorum, non explicari, certe de omnibus, qui filii Asaph essent, Idithun, Heman: de omnibus inquam, quia de quibusdam satis intelligitur ex iis quæ de horum trium filiis dicta sunt vers. 2. 3. & 4. ut de Ioseph, Iesbacassa, Mellothi. Falendum, omnia capita sortium esse filios illorum trium virorum, quibus viginti quatuor filios attribuit, quot fuere sortes, licet in plerisque nomina mutata videantur esse hic in sortibus, & ubi initio huius capitis nomina filiorum ponuntur, quos Asaph, Idithun, & Heman habuere: sic sentit Abulensis Episc. Alf. Tostatus.

MALVENDAE.

Vers. 1. IGITUR DAVID, ET MAGISTRATUS, &c. Totus hic versus subobscuram habet in Hebræo constructionem, quam nos verbatim reddidimus (*Et separavit David, & principes militiæ servitio, filiis Asaph, & Heman, & Ieduthun prophetantes in citharis, in nablis, & in cymbalis: & fuit numerus eorum, homines ministerialis servitio eorum.*) Alii perspicuitatis causa plurifariam explicant. I. *Et divisit David, & principes exercitus, in ministerium filios Asaph, & Heman: & Iedutbun, qui prophetabant in citharis, in psalteriis, & in cymbalis: & fuit numerus eorum, qui erant viri operis ad ministerium suum*. II. *Separavit autem David, & principes exercitus, in ministerium filios Asaph, & Heman, & Iedutbun, qui prophetabant in citharis, in nabliis, & in cymbalis: fuit autem numerus eorum, numerus virorum operis*

ris in ministerio suo. III. *Segregaverunt itaque David, & principes exercitus in ministerium filios Asaph, Heman, atque Iedu-thun, cum prophetarent in citharis, nablis & cymbalis: fuitque numerus illorum virorum, qui præfecti erant operi ministerii*. IV. *Distinxit quoque David cum principibus militiæ, ad ministerium in filios Asaphi, & Hemanis, & Iedutbunis eos qui prophetabant citharis, nablis, & cymbalis: fueruntque de numero illorum viri functionis huius ad ministerium suum*. Filios Asaph. Hebr. in dativo, *Filiis Asaphi*: vel quod verbum הבדיל *hibdil* interdum construitur cum dativo, pro filios; vel exponendum in filios, per filios, inter filios, ex filiis Asaphi: sic vers. 2. 3. 4. initio. Qui prophetarent. Hebr. *prophetantibus*, seu *prophetantes*; id est, prophetias, psalmos, hymnos, sacras cantiones, seu divinas laudes cantantes. Vide supra cap. xv. vers. 22. & I. Samuel. x. 5. sic infra vers. 2. & 3. Secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes. Hebr. *Et fuit numerus eorum, homines operis ad servitium suum*. Exponunt: Id est, homines diligenter, & scite fungentes ministerio, & officio suo; quasi dicat: Omnes isti fuere musici peritissimi, & scite fungentes officio suo. Quidam: *Fueruntque de numero illorum viri functionis huius*, seu *operis*, vel *opere ad ministerium suum*, id est videri huius artis, & exercitii musici: aliqui, *ad ministerium eorum*, scilicet patrum suorum.

V. 2. De filiis Asaph. Hebr. in dativo, *Filiis Asaphi*. Vide supra vers. 1. Asarela. Iste infra vers. 14. vocatur *Iesarelah*. Sub manu Asaph. Hebr. *Super manum*. Alii, *Ad manum*. Nonnulli, *Sub potestate Asaphi*; id est, sub ductu & imperio Asaphi summi suarum familiarum præfecti, in prima musicorum classe: sic vers. 3. & 6. Prophetantis iuxta Regem. Hebr. *Prophetantis super manibus Regis*. Quidam: *Qui prophetabat ad imperium Regis*; id est, prophetias canebat de mandato Regis. Alii: *Qui prophetabat secundum manus Regis*, sive *ex præscripto Regis*; id est, hymnos decantabat propheticos, & didascalicos conscriptos a David, & in Ecclesiam receptos: sic interpretantur ex comparatione illorum qui dicuntur Hemani, & Ieduthuni traditi infra vers. 3. & 5. & ex inscriptionibus Psalmorum, in quibus nominatur Asaph: sic infra vers. 6.

Vers. 3. Sori. Hebr. *Tzeri*. Notant hunc infra vers. 11. vocari *Iitzri*. Et Mathathias, sex. At non numeravit nisi quinque, & alioqui non constat numerus viginti quatuor virorum, qui in sortes coniecti sunt, nam deest unus in his qui numerantur vers. 2. 3. & 4. Simplicissima ratio conciliandi est esse hic eclipsim unius *Simbi*, atque eam explendam e vers. 17. cui obtigit sors decima, & hic inserendus decimo loco: *Et Mathithiahu, & Simbi, sex*. Aliæ conciliandi rationes frivolæ, ineptæ, falsæ. Qui in cithara prophetabat super confitentes, et laudantes Dominum. Hebr. *In cithara prophetantis super confiteri, & laudare ipsi* IHUH. Quidam illud, *In cithara*, iungunt antecedentibus, *Ad manus patris sui cum cithara, qui prophetabat de celebrando, & laudando Iehova*; id est, de commemoratione & celebratione liberationum præteritarum, ut Psal. xxxviii. & lxxvi. in titulo; sive ad laudem universe prædicandam.

V. 4. Oziel. Hebr. *Gouziel*: qui infra vers. 18. dicitur *Ghazariel*. Subuel. Hebr. *Sebuel*. Hic infra vers. 20. appellatur *Subael*. Eliatha: qui infra vers. 27. vocatur *Eliiathad*.

V. 5. In sermonibus Dei, ut exaltaret cornu. Hebr. *In verbis Dei, ad extollendum cornu*, vel *de extollendo cornu*; id est, hymnis sacris, pertinentibus ad Regis, aut regni robur, & amplitudinem, quæ cornu elevatione fere in sacris libris exprimuntur. Vide I. Samuel. ii. vers. 10. Aliqui sublimius exponunt, sacris hymnis ad regnum Messiæ pertinentibus, sive vaticinantibus, amplitudinem regni Messiæ Iesu Christi Filii Dei vivi, Lucæ 1. vers. 69. Quidam reddunt, *In verbis divinis, ut erigeretur cornu*. Hispanicus, *En palabras de Dios para ensalcar cuerno*; id est, *para prosperidad del Reyno*.

V. 6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant. Hebr. *Omnes isti super manus patris eorum in cantico domus Iehovæh*. Quidam: *Omnes isti sub potestate patris sui in cantico in domo*

mo Iehovæ; id est, erant canentes in domo Iehovæ. Alii: *Et hi omnes erant patri suo ad manum canentes in domo Iehovæ*. Nonnulli: *Omnes isti ad manus patris ipsorum incumbebant musicæ in domo Iehovæ*. IUXTA REGEM: ASAPH VIDELICET, ET IDITHUN, ET HEMAN. Quidam iungunt, *Super manus Regis*, *Asaph*, & *Iedutbun*, & *Heman*: vel *sub potestate Regis*, *Asaph*, & *Iedutbun*, & *Heman*; subaudi, erant ii qui sequuntur; quasi dicat: Isti tres præerant omnibus aliis musicis; Rex vero præerat istis tribus. Alii exponunt, tres istos præfuisse ceteris cantoribus; Regem vero composuisse Psalmos, ac distribuisse canendos tribus istis præfectis cantorum seu musicorum. Nonnulli antecedentibus iungunt: *Quando ministerium exequebantur in domo Dei*, *ad iussum Regis*, *Asaph scilicet*, *Iedutbun*, & *Heman*. Aliqui: *Ex præscripto Regis*, *Asaph*, *ipse*, & *Iedutbun*, & *Heman*; subaudi, incumbebant musicæ, ex initio versus.

V. 7. FUIT AUTEM NUMERUS EORUM, &c. Nostra translatio hunc versum ex more, ordine, & pondere verbatim expressit (*Et fuit numerus eorum cum fratribus eorum*, *edoctis cantici* IHUH: *omnis intelligens*, *ducenti octoginta* & *octo*.) Alii clarius. I. *Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis doctis cantici Iehovæ*, id est peritis in canticis quæ pertinebant ad honorem Iehovæ: *omnes periti*, *ducenti octoginta octo*, nempe quater & vigesies duodecim, qui sequuntur. II. *Et fuit numerus eorum*, *cum fratribus suis*, *qui instituti erant in canticis Iehovæ*, *omnium eorum qui in his pollebant*, *ducenti octoginta octo*. III. *Fueruntque numero illi cum cognatis suis edoctis musicam canendam Iehovæ*: *omnes doctores ducenti octoginta octo*: supplent vocem *canendam*, quod *Iehovæ* Hebr. sit in dativo.

V. 8. MISERUNTQUE SORTES, &c. Hunc quoque versum nos ex Hebr. verbatim transfudimus (*Et cadere fecerunt sortes*, *observationem coniunctioni*, *sicut parvus sicut grandis*; *intelligens cum discipulo*.) Dilucidius alii. I. *Et proiecerunt sortes*, *custodia contra custodiam*: *sicut parvus sic magnus*: *doctus cum discipulo*; id est, classis una contra aliam classem, vel vicem; minor ætate contra maiorem; peritus cum non valde perito; quasi dicat: Nulla habita fuit ratio aut ætatis, aut eruditionis. Quidam exponunt, *Custodia e regione*, subaudi sacerdotis: significari enim putant, missas sortes ad hoc ut prima custodia cantorum e regione responderet primæ distributioni seu classi sacerdotum, & secunda secundæ, & sic deinceps. Sed horum functio musicorum instituta non fuit ut cum sacerdotibus sorte commiscerentur, quemadmodum illi alii, de quibus supra cap. XXIV. vers. 31. II. *Et iecerunt sortes custodiæ vicissim*, *ut minoris*, *sic maioris*; *ut intelligentis*, *sic discipuli*. III. *Quorum coniecerunt sortes ad observationem ex adverso illorum*, *æque parvi atque magni*, *doctorum cum discipulis*. Illud, *Ad observationem*, intelligunt ad executionem ministerii sui, vel ad classem, & distributionem functionis suæ.

V. 9. EGRESSAQUE EST SORS PRIMA IOSEPH, QUI ERAT DE ASAPH. Hebr. *Et exivit sors prima ipsi Asapho*, *ipsi Iosepho*. Quidam: *Et egressa est sors prima ipsi Asaph*, *nempe ipsi Ioseph*; id est, in gratiam Asaphi sors prima egressa est ipsi Iosepho filio Asaphi. Alii: *Sors prima educta est ipsi Asaph pro Ioseph*. Aliqui: *Egressa est sors prima in cognatione Asaph*, *pro Ioseph*. Nonnulli: *Et prodiit sors prima in Asaphum*, *Iosepho*. IPSI, ET FILIIS EIUS, ET FRATRIBUS EIUS DUODECIM, seu *duodenis*. Ita hic plerique in dativo, ut etiam in sequentibus usque ad finem capitis convertunt: & pronomen *ipsi*, etiam in sequentibus subaudiunt, ut: *Tertia Zachur ipsi*, *filiis eius*, & *fratribus eius*, nempe sors prodiit; & sic deinceps, recte quidem & apposite: nec minus recte ad rationem Hebraicam expones in Nominativo: *Ipse*, & *fratres eius*, & *filii eius duodecim*, ut in sequentibus, subaudi *fuerunt*. Iam recte observant, hanc clausulam, etiamsi in prima sorte Iosephi subticetur, procul dubio intelligendam: nimirum: *Et exivit sors prima in Asaphum*, *Iosepho*: *ipse*, & *fratres eius*, & *filii eius duodecim*, subaudi *fuerunt*; ut constet numerus 288. in viginti quatuor sortes coniectorum: nam duodenario numero constabat unaquæque sors.

V. 11. QUARTA ISARI. Hebr. *Quarta ipsi Iitzri*. Non proprium, sed gentilitium nomen esse volunt *Iitzri*, confectum a *Tzeri* proprio, supra vers. 3. proinde vertendum:

dum: *Quarta ipsi Iitzritæ*, vel pro *Iitzrita*, nempe *Tzeri*. Sed rectius est ut fuerit binomius, *Tzeri*, & *Iitzri*.

MENOCHII.

Vers. 1. MAGISTRATUS EXERCITUS, id est principes exercitus. IN MINISTERIUM, scilicet, canendi. FILIOS ASAPH, &c. Vide dicta supra cap. VI. num. 39. PROPHETARENT, canerent prophetias, sive psalmos, & Dei laudes. Vide dicta supra cap. XV. num. 22. CITHARIS. Supra cap. XV. num. 16. vocem Hebræam quam hic habemus, vulgatus Interpres *lyras* vertit. Vide ibi dicta. PSALTERIIS. Hebr. *nablis*. Vide dicta eodem num. 16. ut etiam de cymbalis. SECUNDUM NUMERUM SUUM; id est, quotquot erant ad hoc numerati, & destinati.

V. 2. SUB MANU ASAPH, id est Asapho subiecti. PROPHETANTIS IUXTA REGEM. Pagninus, & Vatablus vertunt, *Ad imperium Regis*: quos secutus Emmanuel Sa explicat, Iuxta Regis imperium.

V. 3. SUPER CONFITENTES, &c. Hebr. *Ad confitendum, & laudandum Dominum*. LXX. *Confessionem, & laudem Domini*.

V. 5. HEMAN VIDENTIS REGIS. Sicut cantores appellantur *Prophetæ*, ita etiam dicuntur *Videntes*, quæ vox alioqui in Scriptura non semel Prophetas proprie significat, eos scilicet qui obscura, aut futura prævident. Itaque Heman erat *Videns Regis*, id est cantor, aut musicus regius, aut cantoribus præfectus. IN SERMONIBUS DEI, psalmis nimirum, & prophetiis, quas canebant. UT EXALTARET CORNU; id est, ad laudandum divinam potentiam, quæ cornu metaphora designatur in Scriptura, & divinæ potentiæ, & bonitatis opera.

V. 6. UNIVERSI .... AD CANTANDUM IN TEMPLO DOMINI. Tam masculi quam feminæ cantabant in templo. Vide Abulensem quæst. XIV. IUXTA REGEM. Vide dicta num. 2. ASAPH VIDELICET, &c. Est sententia imperfecta, quia deest verbum. Sensus ergo est, hos tres fuisse principes omnium cantorum, licet sub illis essent alii viginti quatuor principes minores ex eorum filiis, a quibus viginti quatuor cantorum vices nomen habuerunt.

V. 7. NUMERUS EORUM, filiorum scilicet, Asaph, Idithun, & Heman. ERUDIEBANT CANTICUM, docebant ceteros, quippe doctores. Hebr. *Docti in cantico*. LXX. *Docti erant canere*. DOCTORES. Hebr. & LXX. *Periti*, seu *intelligentes*.

V. 8. MISERUNTQUE SORTES PER VICES SUAS. Iam distributis in viginti quatuor classes cantoribus, sorte decretum est quo ordine in templo adesse, & canere deberent. EX AEQUO TAM MAIOR QUAM MINOR, &c. Hoc est, in classibus ordinandis, super quas sortes missæ sunt, servata est æqualitas quæ fieri potuit, ita ut quælibet classis totidem haberet cantores. Deinde res sorti permissa est, ut iuxta illam primum, secundum, aut tertium locum, &c. sortirentur hæ classes, sive ex melioribus cantoribus classis aliqua constaret, sive ex deterioribus, sive prærogativas aliquas haberet, propter quas aliis præferri posset, sive non.

TIRINI.

Vers. 1. MAGISTRATUS EXERCITUS, id est principes tam politici, quam ecclesiastici, de quibus cap. præced. vers. 6. ex Levitis *a* segregaverunt in ministerium canendi & modulandi in templo, hoc enim significat hic *prophetare in psalteriis*, &c. Porro *psalterium* videtur lyra fuisse septem, octo, vel decem chordarum, quæ plectro pulsatur. Ita Lucas Tudensis in Chronico. SECUNDUM NUMERUM SUUM; id est, tanto numero quanto ad id munus destinati fuerunt, & eo ordine quo sunt sorte designati cantores.

V. 2. PROPHETANTIS, id est laudes divinas decantari curantis, IUXTA REGEM, id est iuxta Regis præscriptum: nisi velis per hoc indicari, hos non in Gabaon, ubi alii erant constituti, sed in arce Sion, functos esse cantorum officio, ubi Rex suam sedem habebat; vel in separato loco templi, ubi Rex adorare, & laudibus divinis vacare solebat. Nam in vastissimo loco templi, ut plura atria, ita etiam plura erant loca in quibus laudes Deo decantabantur. Mundi enim habebant sua loca separata ad immundis; item Rex a plebe, &c.

V. 5.

Verſ. 5. VIDENTIS REGIS. *Videns regis* eſt Propheta, ſeu curator laudum divinarum apud Regem, ut iam expoſui. IN SERMONIBUS DEI; id eſt, cum Rex vacaret *ſermonibus*, id eſt negotiis, non ſuis profanis aut politicis, ſed *Dei*, id eſt divinis, & ſacris; quaſi dicat: Rex pro ſe ſuaque familia habebat, quidem in ſua aula muſicos excellentes qui inter epulas, vel choreas, profana & ludicra canerent. Sed de his nulla hic mentio, ubi de ſolis Levitis agitur qui ſacros hymnos, & pſalmos præcinebant Regi in loco, & negotio ſacro. UT EXALTARET CORNU; id eſt, ut curaret eos pſalmos præſente Rege cani, in quibus de *exaltatione cornu* agitur, quales multi ſunt Pſalmi. Per *cornu* vero in illis intelligebatur regnum Davidis, & Chriſti filii Davidis: de quo augendo, exaltandoque pluribus pſalmis agitur, & accidebat ea materia regiis auribus certe gratiſſima, & optatiſſima. Ad populum vero ea præcinebantur, & concione quoque exponebantur, quæ ad officium, & ſolatium illius maxime ſpectabant. Quales pſalmi etiamnum plures extant.

V. 7. QUI ERUDIEBANT CANTICUM; id eſt, ceteros in canticis tum canendis, tum concinnandis inſtruebant.

V. 8. DOCTUS PARITER, de quo verſ. præced. iam actum, ET INDOCTUS, id eſt qui inſtruebatur a doctis; quaſi dicat: Diſtributi ſunt cantores per viginti quatuor claſſes, in quarum ſingulis erant duodecim magiſtri ſeu periti eius rei: ceteri adhuc diſcipuli, qui ad nutum, & præſcriptum doctorum, ſeu magiſtrorum ſuorum canere debebant laudes divinas, ſinguli per vices, & claſſes ſuas.

V. 9. SORS PRIMA IOSEPH; ſupple, cum duodenario ſuorum ſeu filiorum, ſeu cognatorum, qui reliquis eius ſortis, ſeu claſſis, cantoribus tamquam magiſtri præerant, ut iam dixi. Niſi enim hunc duodenarium hic ſuppleas, non invenies inter cantores ſummam 288. doctorum, ſeu magiſtrorum, qui verſ. 7. dicuntur deſignati fuiſſe.

(*a*) Sup. cap. VI. verſ. 33. 39.

GORDONI.

Verſ. 2. PROPHETANTIS, Deum laudantis. Ita frequenter vox *prophetare*.

V. 5. HEMAN VIDENTIS REGIS, id eſt Prophetæ Regis.

V. 7. ERUDIEBANT; id eſt, docti canere, ceteros formabant.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. In hoc ordine cantorum ſtabilito nihil obſcurum eſt. Voces, prophetia, & nomina inſtrumentorum muſicorum paſſim ſunt declarata.

V. 3. SUPER CONFITENTES, ET LAUDANTES in confeſſione magnalia Dei.

V. 5. Hic ſatis apparet hos cantores eſſe muſicos, & cantores regios, & ordinum cantoribus attribui nomen Prophetæ, & Videntis, quamvis non ſint proprie Prophetæ.

V. 8. Conſtitutis viginti quatuor ordinum claſſibus, actum ſorte quis ordo eſſet primus in ſua vice, & quis ſecundus.

CAPUT XXVI.

*Templi ianitores deſignantur, & quæ porta a qua familia ſit cuſtodienda ſorte diſ-
ponitur, item qui theſauros & vaſa ſacra cuſtodiant.*

1. DIviſiones autem ianitorum: de Coritis, Meſelemia, filius Co-
re, de filiis Aſaph. 2. Filii Meſelemiæ: Zacharias primoge-
nitus, Iadihel ſecundus, Zabadias tertius, Iathanael quar-
tus, 3. Elam quintus, Iohanan ſextus, Elioenai ſeptimus.
4. Filii autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad
ſecundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quin-
tus, 5. Ammiel ſextus, Iſſachar ſeptimus, Phollathi octavus:
quia benedixit illi Dominus. 6. Semei autem filio eius nati ſunt filii, præfecti
familiarum ſuarum: erant enim viri fortiſſimi. 7. Filii ergo Semeiæ: Othni, &
Raphael, & Obed, Elzabad, * fratres eius viri fortiſſimi: Eliu quoque, & Sa-
machias. 8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipſi, & filii, & fratres eorum for-
tiſſimi ad miniſtrandum, ſexaginta duo de Obededom. 9 Porro Meſelemiæ filii,
& fratres eorum robuſtiſſimi, decem & octo. 10. De Hoſa autem, id eſt de
filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcirco
poſuerat eum pater eius in principem) 11. Helcias ſecundus, Tabelias tertius,
Zacharias quartus: omnes hi filii, & fratres Hoſa, tredecim. 12. Hi diviſi ſunt in
ianitores, ut ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorum, miniſtrarent
in domo Domini. 13. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo, & parvis, & magnis,
per familias ſuas, in unamquamque portarum. 14. Cecidit ergo ſors orientalis,
Selemiæ. Porro Zachariæ filio eius, viro prudentiſſimo, & erudito, ſortito ob-
tigit plaga ſeptemtrionalis. 15. Obededom vero & filiis eius ad auſtrum: in
qua parte domus erat ſeniorum concilium. 16. Sephim & Hoſa ad occidentem,
iuxta portam quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam. 17. Ad
orientem vero Levitæ ſex: & ad aquilonem quatuor per diem: atque ad meri-
diem ſimiliter in die quatuor: & ubi erat concilium, bini, & bini. 18. In
cellulis quoque ianitorum ad occidentem quatuor in via, binique per cellulas.
19. Hæ ſunt diviſiones ianitorum, filiorum Core & Merari. 20. Porro Achias
erat ſuper theſauros domus Dei, & vaſa ſanctorum. 21. Filii Ledan, filii Ger-
ſonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, & Gerſonni, Iehieli. 22. Filii Ie-
hieli: Zathan, * & Ioel fratres eius, ſuper theſauros domus Domini. 23. Am-
ramitis, & Iſaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis. 24. Subael autem filius Ger-
ſom, filii Moyſi, præpoſitus theſauris. 25. Fratres quoque eius Eliezer, cuius
filius Rahabia, & huius filius Iſaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius
Zechri, & huius filius Selemith. 26. Ipſe Selemith, & fratres eius, ſuper the-
ſauros ſanctorum, quæ ſanctificavit David Rex, & principes familiarum, & tri-
buni, & centuriones, & duces exercitus, 27. de bellis, & manubiis præliorum,
quæ conſecraverant ad inſtaurationem, & ſupellectilem templi Domini. Hæc au-
tem univerſa ſanctificavit Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner,
& Ioab filius Saruiæ: * omnes, qui ſanctificaverant ea per manum Selemith, &

fra-

fratrum eius. 29. Isaaritis vero præerat * Chonenias, & filii eius, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum, & iudicandum eos. 30. Porro de Hebronitis Hasabias, & fratres eius viri fortissimi, mille septingenti, præerant Israeli trans Iordanem contra occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium Regis. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Ieria, secundum familias & cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, & inventi sunt viri fortissimi in Iazer Galaad, 32. fratresque eius robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David Rex Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & Regis.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 7. *Fratres eius viri fortissimi*. Non præponas his verbis coniunctionem copulativam.

V. 22. *Et Ioel fratres eius*. Non iudicarunt Correctores numerum pluralem *fratres* commutandum cum singulari *frater*, ut nec vers. 25. subsequenti: *Fratres quoque eius Eliezer*.

V. 28. *Omnes, qui sanctificaverunt ea*. Non est mutandum relativum *qui* in coniunctionem copulativam encliticam *que*.

V. 29. *Chonenias, & filii eius*. Non est substituendum tertio casu *filiis*, pro *filii* primo casu.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. ASAPH. Alter est iste a cantore, de quo supra.

V. 5. BENEDIXIT, scilicet dum in eius domo arca maneret.

V. 10. ID EST DE FILIIS; pro, qui erant de filiis. HABUERAT, pro habebat. PRIMOGENITUM. Apparet fuisse mortuum.

V. 11. FRATRES, id est cognati. TREDECIM, etsi non omnes hic numerati.

V. 12. SICUT ET FRATRES EORUM. Hebr. *E regione fratrum suorum*, id est per vices, ut alii eorum fratres, seu cognati.

V. 14. SELEMIAE, qui supra *Meselemia*.

V. 15. CONCILIUM, pro concilii.

V. 16. ASCENSIONIS, id est acclivem. CONTRA CUSTODIAM; quasi dicat: Custodiæ sibi invicem respondebant.

V. 17. PER DIEM, id est per singulos dies. BINI, scilicet singulis diebus. LXX. *Duo & duo per successiones*; quasi dicat, Invicem succedentes.

V. 18. CELLULIS QUOQUE IANITORUM. Alii, *Domo instrumentorum*, scilicet templi. VIA, scilicet ascensionis, seu acclivi. BINIQUE PER CELLULAS. LXX. *Duo duo per successiones*.

V. 20. SANCTORUM, id est sanctificatorum, seu dedicatorum: sic infra.

V. 21. FILII GERSONNI; id est, qui ex Gerson originem ducunt. LEDAN, ET GERSONNI, &c. pro, ex ipso, inquam, Ledan, Gersonitæ, & Iehilitæ.

V. 23. AMRAMITIS; pro, de Amramitis etiam, scilicet erant præfecti thesauris.

V. 26. SANCTIFICAVIT, id est dedicavit.

V. 29. FORINSECUS, id est extra templum, vel urbem. AD DOCENDUM, ET IUDICANDUM EOS. Hebr. *In præfectos, & iudices*, seu *præfecti, & iudices*.

V. 31. EIUS, scilicet Ieriæ.

ESTII.

Vers. 6. ERANT ENIM VIRI FORTISSIMI. Id repetitur aliquoties. Dicitur enim de ianitoribus, ad quod officium opus erat robore corporis: nempe quia valvæ templi erant valde magnæ, & graves. Atque adeo de postremo templo testatur Iosephus, quod opus fuerit viginti hominibus ad aperiendas, & claudendas eius templi valvas. Et huc pertinet

tinet quod subditur verſ.10.& 11. ubi cum dixiſſet Scriptura: FILII MESELEMIAE ROBUSTISSIMI DECEM ET OCTO: ſubiungit: DE HOZA AUTEM SEMRI PRINCEPS (NON ENIM HABEBAT PRIMOGENITUM, ET IDCIRCO POSUERAT EUM PATER EIUS IN PRINCIPEM) HELCIAS SECUNDUS, &c. Quibus verbis tantum ſignificatur, primogenitum non fuiſſe ad illud munus idoneum, & ideo alium robuſtiorem primogeniti loco conſtitutum; non autem quod nullus fuerat primogenitus. Semper enim primogenito moriente, alii fratres ordine in idem ius ſuccedunt. Et innuunt hoc etiam Hebræi.

V. 28. HAEC AUTEM UNIVERSA SANCTIFICAVIT SAMUEL VIDENS, ET SAUL FILIUS CIS, ET ABNER FILIUS NER, ET IOAB FILIUS SARUIAE. Non ſignificatur quod Samuel ſanctificaverit ea quæ fuerunt oblata ex variis victoriis David commemoratis: tunc enim Samuel erat defunctus. Sed ſenſus eſt, quod quilibet eorum qui hic nominantur, ſuo tempore de prædis hoſtium partem aliquam ſeparaverint ad uſum tabernaculi, vel templi poſtea ædificandi: ſcilicet Samuel de prædis tempore ſui principatus (fuerat enim iudex in populo) Saul de prædis ſui temporis; & ita deinceps. Hic autem commendanda occurrit magna pietas iſtorum principum, cuius origo duci poteſt ab Abraham patriarcha, qui ex præda hoſtium decimas obtulit Melchiſedech ſacerdoti. Deinde idem fecerunt principes populi Iſrael, Num. XXXI. qui devictis Madianitis, omne aurum apud hoſtes inventum conſecrarunt Domino.

MARIANAE.

Verſ. 1. DIVISIONES AUTEM IANITORUM. Sept. *In diviſiones ianuarum Coritis*. Heb. *Ad diviſiones ianitorum*; id eſt, ſuper ſortes diviſere qui forent ianitores. Obededom filii octo,

V. 5. QUIA BENEDIXIT ILLI DOMINUS. Filiorum procreatio, præſertim numeroſa, pro magna felicitate habebatur. Benedixit ergo Obededom, ſcilicet dum arca apud illum manſit.

V. 6. NATI SUNT Semei filii. Hebr. *Natus eſt*, ſingulare pro plurali. PRAEFECTI FAMILIARUM SUARUM. Hebr. *Dominantur domui* (in domo) *patris ſui*; id eſt, capita inter eius poſteros fuere.

V. 8. FORTISSIMI AD MINISTRANDUM. Hebr. *Vir virtutis*, pro viri virtutis, *ad miniſterium fuere*, ſcilicet filii Obededom, præcipui inter miniſtros.

V. 10. NON ENIM HABUERAT PRIMOGENITUM, id eſt non habebat, quia primogenitus erat mortuus. Sept. *Quoniam non erat primogenitus*, ſcilicet Semri: ſic Hebr. Alioqui qui potuit Hoſa filios habere, & non primogenitum? Significat ergo Semri non fuiſſe maiorem, ſed prælatum ceteris fratribus patris voluntate.

V. 11. ET FRATRES HOSA: ſcilicet qui non exprimuntur filii, & fratres erant inter ſe, fuere tredecim.

V. 12. HI DIVISI SUNT IN IANITORES. Hebr. *Ad hos diviſiones ianitorum*. UT SEMPER PRINCIPES CUSTODIARUM. Hebr. *Ad capita virorum* (id eſt familiarum) *cuſtodiæ* (ſcilicet pertinerent.) SICUT ET FRATRES EORUM. Hebr. *E regione fratrum ſuorum*, id eſt pro ipſis. MINISTRARENT. Hebr. *ad miniſtrandum*. Itaque non omnes ſuperius numerati miniſtrabant, ſed qui capita erant familiarum.

V. 13. MISSAE SUNT ERGO SORTES EX AEQUO, ET PARVIS, ET MAGNIS, *ſicut parvo, ſic magno*. PER FAMILIAS SUAS. Hebr. *ad domum patrum ipſorum*. Non intelligas, parvos, & magnos veniſſe in ſortes (iam enim dixit id datum capitibus tantum) ſed per *parvum*, & *magnum*, familias pauperum, & divitum intellige.

V. 14. SORS ORIENTALIS, id eſt cuſtodia portæ orientalis. Hæc præcipua erat, quippe in fronte templi aut atrii. SELEMIAE. Hic *Meſelemia* vocatur verſ. 2. VIRO PRUDENTISSIMO, ET ERUDITO. Hebr. *conſiliario in intellectu*, id eſt ſapienti.

V. 16. OBEDEDOM ET FILIIS EIUS AD AUSTRUM, IN QUA PARTE DOMUS ERAT SENIORUM CONCILIUM. Hebr. *Obededoni auſtrum*, id eſt porta auſtralis, & *filiis eius domus conciliorum*, ſeu *collectionum*. Itaque illi domui ſunt etiam deſignati cuſtodes. Sept. *domum Aſaphim* (pro quo Noſter *ſeniorum* dixit) quaſi *Aſaphim* vox Hebr. ſit nomen proprium

prium loci ; quod Hebræus sequitur .

V. 16. SEPHIM ET HOSA. Hebr. in dativo, *Suphino & Hosæ* (scilicet egressa est sors) *ad occidentem*. IUXTA PORTAM. Hebr. *cum porta*. QUAE DUCIT. Hebr. *salecheth*: pro qua Sept. *pastophorii* posuerunt, alii *proiectionis*, quod per eam sordes templi prodirent . AD VIAM ASCENSIONIS. Hebr. *In via ascensionis*, id est superiori, aut acclivi: scilicet in via ea, porta erat. CUSTODIA CONTRA CUSTODIAM; id est, per vices custodiæ erant. Verum custodiæ aliæ per vices erant, de quibus tamen hoc non dicitur. Suspicor ergo geminam custodiam his verbis significari his Levitis demandatam, & portæ templi occidentalis, & præterea domus illius.

V. 17. AD ORIENTEM VERO LEVITAE SEX. Plures ianitores ad orientem, quia ea erat præcipua ianua. QUATUOR PER DIEM; id est, per singulos dies quatuor ex iis sex custodiebant portam, totidem aquilonarem, & australem, duo alii domum concilii. Id significant ea verba: UBI ERAT CONCILIUM, BINI ET BINI: in domo Asaphim vers. 15. ubi erant *bini & bini*, id est bini sibi succedentes.

V. 18. IN CELLULIS QUOQUE IANITORUM AD OCCIDENTEM.... QUATUOR. Hebr. *Ad pharbar* (id est cellam instrumentorum) *ad occidentem quatuor*. IN VIA, BINIQUE PER CELLULAS. Hebr. *In via duo* (quæ ducit) *ad Pharbar*.

V. 19. HAE SUNT DIVISIONES IANITORUM, FILIORUM CORE, ET MERARI. Numera ianitores, invenies duos & viginti. Tot initio capitis numerantur filii Core, & filii, & nepotes Obededom, ut intelligas inter illos missas fuisse has sortes ianitorum.

V. 20. PORRO ACHIAS. Hebr. *Et Levitæ Achiæ*, id est filii, *erant super thesauros*.

V. 21. LEDAN, ET GERSONNI. Hebr. *Ledan Gersonni*, id est Gersonitæ: nam Ledan erat filius, id est e familia Gerson. IEHIELI. Hic fuit primus princeps e filiis Ledan, deinde filii eius Zathan, & Ioel frater eius. In Vulgata Rom. *fratres*, ut plerique codices Latini habent ex Sept. sed cum Hebr. lectione *frater*, consentit Vulgata Regia.

V. 23. AMRAMITIS, pro *de Amramitis*: sic Hebr. De his fuere thesauris domus Domini præfecti.

V. 24. FILIUS GERSOM, id est e posteris Gersom. Hic etiam fuit thesauris præfectus, & non dicit domus Domini.

V. 25. FRATRES QUOQUE EIUS ELIEZER. Hebr. *ad Eliezer*; id est, cognati eorum de stirpe Eliezeri fuerunt hoc ordine: Rahalia filius, nepos Isaias, & sic consequenter usque ad Selemith, qui cum fratribus suis fuit super

V. 26. THESAUROS SANCTORUM, Hebr. *sanctificationum*: scilicet quos sanctificarunt viri quos subiicit Samuel, Saul, David.

V. 27. AD INSTAURATIONEM, ET SUPELLECTILEM: Hebr. *Ad fortificandum domum Domini*: erant thesauri templi fabricæ destinati.

V. 28. HAEC AUTEM (&) UNIVERSA (quæ) SANCTIFICAVIT SAMUEL VIDENS, id est Propheta. Hebr. *Et omnia quæ sanctificavit Samuel*: & alioqui quomodo Samuel, & Saul sanctificarent quæ posteriori tempore sunt oblata? Itaque non universa illi quos nominat, sanctificarunt. OMNES QUI SANCTIFICAVERUNT EA. Hebr. *Omnis sanctificans*, id est offerens aliquid in fabricam templi. PER MANUM SELEMITH; id est, eo administro dabantur, quoniam scilicet thesauris sanctificatis præfectus erat.

V. 29. ISAARITIS, pro *de Isaaritis*, ex Hebr. id est de stirpe Isaar, qui fuit secundus filius Caath, cap. VI. vers. I. ET FILII EIUS: non *filiis eius*. AD OPERA FORINSECUS: scilicet præerant ligna cædentibus, lapicidis, culturæ agrorum templi, atque aliis operibus, quæ extra urbem. AD DOCENDUM ET IUDICANDUM EOS, scilicet qui in iis operibus versabantur. Hebr. *in præfectos & iudices*; eadem sententia.

V. 30. PRAEERANT ISRAELI. Hebr. *super præfecturam Israelis*; id est, ad eos præfectura ea pertinebat.

V. 31. RECENSITI SUNT. Hebr. *Investigati sunt* Davide Rege, numerati sunt Hebronitæ.

V. 32. FRATRESQUE EIUS, scilicet Ieriæ, qui fuit princeps Hebronitarum. ROBUSTIORIS AETATIS. Hebr. *filii roboris*, id est robusti. DUO MILLIA SE-

septingenti, scilicet ex Hebronitis omnes. Hebron tertius filius Caath, cap. vi. vers. 1. In omne ministerium Dei, et Regis, id est negotium omne divinum, & humanum. Vides e Levitis constitui qui iudices essent in populo, quique profana etiam curarent.

MALVENDAE.

Vers. 1. Divisiones autem ianitorum: de Coritis. Hebr. tres dativi: *Distributionibus portariis: Korchitis*. Quidam: *De divisionibus ianitorum: de Korchitis*; id est, de posteris Karachi. Alii: *Partes vero ianitorum: de Korchitis*; id est, classes, vices ianitorum hæ sunt: de posteris Korachi, &c. Nonnulli: *Quo ad distributiones in ianitores: ex Korachæis, Meselemia*, &c. Meselemia. Hic infra vers. 14. dicitur *Selemiahu*. De filiis Asaph. Non est hic Asaph celebris cantor ex Ghersonitis; sed ille qui dicitur *Ebiasaph*, pater Kore, filius Korachi, ex Kehathitis, supra cap. ix. vers. 19. & Exod. vi. 24.

V. 5. Quia benedixit illis Dominus; id est, beavit eum fecunda filiorum sobole, amplam sobolem dedit ei, locupletavit eum plurima prole. Vide similem locutionem Genes. cap. 1. vers. 22. & 28. Quæ benedictio ei contigit, quod in domo sua excepisset arcam Dei. Confer hunc locum cum II. Samuel. vi. 12.

V. 6. Filii, praefecti familiarum suarum. ממשלים *mimschalim* aiunt esse nomen substantivum, *dominationes, dominia, potestates, dominatus, imperia*. Alii, dominatores, præsides, præfectos exponunt: unde varie hic reddunt. I. *Filii potestatum in domo patris sui*. Sed vox *filii* non est in regimine, nisi subaudiatur regimen, *Filii, filii*, inquam, *potestatum*, &c. II. *Filii dominia habentes in domo patris sui*. III. *Præsides*, seu *qui præsidebant in familia paterna ipsorum*. IV. Nonnulli Hebræorum haud aliene: *Filii similes domui patrum suorum*; id est, æquiparabiles, seu similes maioribus suis, qui robore & fortitudine cum eis comparari poterant: ut statim subiicit: nam hæc est vis verbi משל *mascbal* in Niphal. Nec prorsus absurde reddes: *Filii proverbiatores*, seu *parabolizatores apud domum paternam eorum*; id est, qui sententias graves, & scite dicta proferre consueverant; quasi dicat: Viri ingenio, & scientia præstantes. Ex verbo: *Filii dominationes*, seu *potestates, domui patris eorum*. Italice Potestates appellant, Præsides, Præfectos.

V. 8. Fortissimi ad ministrandum. Hebr. *Vir strenuitatis, in virtute ad servitium*. Quidam: *Viri roboris, robore in ministerium*; quasi dicat: Viri omnes qui iure optimo erant præficiendi portis, quod essent viri fortissimi, & huic ministerio aptissimi. Alii: *Quisque strenuus pro sua facultate*, vel *pro virili sua, ad ministerium*.

V. 10. De Hosa autem, idest de filiis Merari. Hebr. *Et ipsi Chosah, de filiis Merari*. Notant, hoc de Hobed-Edomo, & Chosah, zeumatice intelligendum esse: nam Hobed-Edom Ethanis, seu Iedithunis Meraritæ filius erat. Vide supra cap. xv. vers. 17. & 18. & cap. xvi. vers. 38. & cap. vi. vers. 44. Non enim habuerat primogenitum, et idcirco posuerat eum pater eius in principem. *Habuerat*, pro *habebat*: quod fortasse mortuus esset: alioqui impossibile erat patrem multorum filiorum, e versu sequente, numquam habuisse primogenitum. Hebr. *Quia non fuit primogenitus, & posuit eum pater eius in caput*. Illud, *Quia non fuit primogenitus*, potest bifariam accipi. I. Quia primogenitus non erat vivus. II. *Cum ipse non esset primogenitus*. Quidam interpretantur: *Quamvis non esset primogenitus, tamen constituit eum pater eius primarium*; non in iure primogeniti, sed in functione custodiæ, quod præ aliis filiis vir impiger, ac strenuus esset. Hoc est aptissimum.

V. 12. Hi divisi sunt in ianitores, &c. Huius versus nos Hebraica verba reddidimus (*Istis partitiones portariorum, capitibus prævalidorum, observationes coniunctioni fratrum suorum, ad ministrare in domo* Ihuh.) Alii diversimode. I. *Istis divisiones ianitorum in capita virorum, custodiæ e regione fratrum suorum, ad serviendum in domo Iehovah*. Exponunt: *Istis*; id est, in prædictos viros distributum est munus ianitorum, viritim per capita singulorum: ut quemadmodum alii Levitæ cognati eorum ordinate distributi fuerant ad tuenda ministeria sua in domo Dei; ita quoque ipsi responderent in suis offi-

officiis ordinate distincti ad observandum sua ministeria in domo Iehovah. II. *De istis divisionibus ianitorum, de principibus virorum custodiarum, contra fratres suos, ad ministrandum in domo Domini.* III. *Ex istis*, vel *in hos, divisiones ianitorum per principes virorum, custodiæ contra fratres suos, ad ministrandum in domo Iehovæ*; id est, hæ sunt classes, seu vices ianitorum, ex præcipuis, seu primariis virorum, qui custodirent portas, e regione fratrum suorum: alii enim aliis respondebant. IV. *Istis facta est divisio ianitorum, ut præcipuis inter strenuos, qui haberent custodiam e regione fratrum suorum, ad ministrandum in domo Iehovæ.* V. *Ad hos facta est distributio ianitorum, ut essent capita heroum, qui custodirent e regione fratrum suorum, ad ministrandum in domo Iehovæ.* VI. *In hos factæ sunt distributiones ianitorum, per primarios viros ad custodias, ex adverso fratrum ipsorum, ad ministrandum in domo Iehovæ.* Illud, *Ex adverso fratrum suorum*, expositum habes supra cap. XXIV. vers. 31. & cap. XXV. vers. 8. Tantum momenti habet varietas translationum ad lucem locorum difficilium.

V. 13. MISSAE SUNT ERGO SORTES, &c. Hunc quoque versum nos more nostro verbo tenus ex Hebr. reddidimus (*Et cadere fecerunt sortes, sicut parvus sicut grandis, domui patrum suorum, portæ, & portæ.*) Alii. I. *Et proiecerunt sortes, sicut parvus, sic magnus, per domum familiarum suarum in singulas portas.* II. *Et iecerunt sortes tam parvo, quam magno, iuxta domum patrum suorum pro singulis portis*; vel *per domos maiorum suorum in singulas portas*; id est, ut scirent quibus ianuis præesse deberent. III. *Nam coniecerunt sortes sicut parvi sicut magni*, sive *æque parvi atque magni, in domos paternas ipsorum ad unamquamque portam.* De locutione illa, *sicut parvus sicut magnus*, vide supra cap. XXV. vers. 8.

V. 14. SORS ORIENTALIS. Hebr. *Sors ad orientem*; id est, sorte obtigit illi custodia portæ orientalis atrii exterioris: de qua vide II. Reg. cap. XI. vers. 6. & cap. XV. vers. 35. Aliqui: *Sors versus orientem*; id est, ab anteriori templi parte. Sic infra vers. 17. VIRO PRUDENTISSIMO, ET ERUDITO. Hebr. *Consulenti cum intellectu.* Varie alii: 1. *Consiliario cum industria*: 2. *Consulentis cum prudentia*, seu *consiliarii prudentis*: 3. *Qui consilio & intelligentia valebat.* Forte metathesi possis exponere: *Cernenti cum industria*: qui excubias, seu custodiam portæ gnaviter, & strenue obibat. PLAGA SEPTEMTRIONALIS. Hebr. *Ad aquilonem*; id est, ad sinistram templi partem, ubi erat porta aquilonaris atrii exterioris.

V. 15. OBEDEDOM ET FILIIS EIUS AD AUSTRUM, seu *ad meridiem*; id est, ad dexteram templi partem, ubi erat porta meridionalis atrii exterioris. IN QUA PARTE DOMUS ERAT SENIORUM CONCILIUM. Hebr. *Et filiis eius domus Asuphim.* Exponunt: *Domus collectorum*, seu *collegatorum*, id est *concilii, collegii*, domus, seu locus, ubi collegæ conveniebant. Alii: *Domus congregationum, conciliorum*, seu *comitiorum*, seu *conventuum*: quod eo convenirent qui causas haberent spectantes ad iudicium sacerdotum, seu Levitarum: vel quod ibi seniores congregati de negotiis templi consultarent. Hispanicus: *Y por sus hiios la casa dela consulta*; id est, *la guarda de la camara del consistorio.* Nonnulli exponunt: *Filiis vero eius obvenit domus congregatorum*, seu *rerum collectarum*, vel *congregatarum*, hoc est *ærarium*: locus in quo collectæ reservabantur. Ita accipiendum esse, ostendi volunt ex loco II. Paralipomen. XXV. 24. Vide infra vers. 17. & Nehem. XII. 25.

V. 16. AD OCCIDENTEM; id est, ad posteriorem partem templi, versus adytum, seu oraculum. IUXTA PORTAM QUAE DUCIT AD VIAM ASCENSIONIS. Hebr. *Cum porta schallechet, in via regia, strata via ascendente.* Plerique Hebræorum, & ex nostris Reuchlinus, Caietanus, Alphonsus Zamorensis, Sanctes, Vatablus, Forerius, Marinus, Montanus; ex protestantibus, Forsterus, Mercerus, Avenarius, Schindlerus, *portam schallecheth, portam deiectionis, proiectionis, emissionis*, interpretantur; id est, per quam sordes, & immunditiæ templi proiiciebantur, & emittebantur. Vide Isaiæ VI. 13. Hanc putant fuisse prope domum *Masach*, II. Reg. XI. vers. 6. Simile quid apud Romanos. Festus: *Stercus ex æde Vestæ XVII. Kalendas Iulias defertur in angiportum medium fere Clivi Capitolini: qui locus clauditur porta stercoraria, tantæ sanctitatis maiores nostri esse indicaverunt.* Conveniunt

cum Nostro, Sanctes, qui vertit, *Cum porta qua itur per viam ascensionis*, Leo Iudas, *Cum porta quæ vergit ad semitam superiorem*. At vero Tremellius, & Iunius, & Buxtorfius exponunt, *Cum porta iniectus*, seu *coniectus in aggere ascendente*, vel *in aggesto ascensu*; id est, cum porta quam versus terra iniecta, & accumulata est, ad parandam viam, seu ascensum, aut iter Regis in domum Iehovæ: de quo I. Reg. x. 5. & 12. & II Paralipom. ix. 11. Vide infra vers. 8. AD VIAM ASCENSIONIS. Hebr. *In strata via*, *in actu*, *ascendente*, vel *ascensionis*, *ascensus*, *gradus*. Sed מסלה *mesillah* non est in regimine. Quidam, *In strata ad ascensum*. Alii, *In semita superiore*. Nonnulli, *In aggere ascendente*. Hypallage, *In ascensu aggesto*. Plerique, *In via ascendente*, id est acclivi. CUSTODIA CONTRA CUSTODIAM, vel *custodia e regione custodiæ*; id est, ianitorum custodiæ mutuo sibi invicem respondebant: seipsum sequente versu exponit. Quidam, *Custodia ex adverso custodiæ agente*; id est, simul obeuntibus suum munus ordinibus ianitorum, & simul abeuntibus, cum alii succederent.

V. 17. PER DIEM. Hoc quidam dictum putant, ut opponatur nocti, qua portæ clausæ erant, nec indigebant custodia. Rectius alii, *Per singulos dies*: ita ut nocte quoque excubias agerent, ne aliqua vis, aut irruptio fieret. Et id zeugmatice quoque intelligendum de porta orientali; ut etiam de domo collectorum. UBI ERAT CONCILIUM, BINI, ET BINI. Hebr. *Et ipsis asuphim*, *duo & duo*. Hebræi intelligunt, duas fuisse domos conciliorum, ac proinde plurali numero dici *asuphim*, ut vers. 15. & uni domui appositos ianitores duos, & alteri domo alteros duos: ac propterea scribi hic *bini & bini*. Alii ad successionem referunt, quod binis succederent bini. Nonnulli interpretantur, *Et ad ærarium bini bini*; id est, bini qui portam vestibuli exteriorem; & alii bini qui interiorem ærarii observabant, ut exponitur sequente versu.

V. 18. IN CELLULIS QUOQUE IANITORUM AD OCCIDENTEM. Heb. *Ipsi pharbar ad occasum*. Piget hic transcribere tam multa quæ de voce פרבר *Parbar* alii congessere: adito lexica Mercerii, & Buxtorfii. Varias aliorum interpretationes ad lucem loci inferam. I. *Ad domum*, seu *cellulam instrumentorum*, *ad occidentem*. II. *Ad armarium*, seu *armamentarium ad occidentem*. Hebræi volunt fuisse locum in templo, sed extra illud, ac iuxta Sanctum sanctorum, a parte exteriore oraculi, in quo varia instrumenta templi asservabantur. III. Tremellius, Iunius, & Buxtorfius notant, פרבר *parbar* vocem esse Chaldaicam, compositam ex פרר *parar*, *divisit*, vel פריר *perir*, *frustum*, *pars*; & בר *bar*, *extra*, nempe *partem exteriorem*, vel *foras*, seu *in agrum spectantem*: unde reddunt, *In parte exteriore*, & *ad occidentem*. Quidam censent, satius esse ipsam vocem Hebræam sine interpretatione relinquere: quia cui usui *parbar* destinatum esset, ignoramus hodie. QUATUOR IN VIA, BINIQUE PER CELLULAS. Hebr. *Quatuor ad stratam viam*; *duo ad parbar*. Hic iam secundo occurrit vox *parbar*, & nusquam alibi. Varie interpretantur. I. *Erant quatuor in via strata*, *bini erant ad domum*, seu *cellulam instrumentorum*. II. *Quatuor pro via*; *duo per singulas domos instrumentorum*. III. *Quatuor in ascensu*; & *duo in parbar*; id est, quatuor ad illam viam stratam ascendentem, id est acclivem, de qua supra vers. 16. & duo ad cellulam in qua reponebantur instrumenta templi, quæ erat sita ad occidentem templi. IV. *Quatuor ad viam*, vicinam scilicet ipsi parbar: & *duo ad ipsum parbar* custodiendum. V. *Quatuor ad aggerem*, de quo supra vers. 16. *bini ad partem exteriorem*, videlicet, ad portam vestibuli ærarii exteriorem. Vide supra vers. 17.

V. 19. HAE SUNT DIVISIONES IANITORUM FILIORUM CORE, ET MERARI. Hebr. *Istæ partitiones portariorum*, *filiis Korachitarum*, & *filiis Meraritarum*. Quidam: *Istæ sunt divisiones ianitorum filiorum Koritarum*, & *filiorum Merari*. Aliqui: *Isti sunt ordines ianitorum inter filios Korach*, & *inter filios Merari*. Nonnulli: *Hæ distributiones ianitorum*, *in Korachæos*, *Meraritas*.

V. 20. PORRO ACHIAS ERAT SUPER THESAUROS, &c. Omisit clausulam Hebraicam: *Et Levitæ*: *Achiiah super thesauros*, &c. Quidam, *Et de Levitis*. Alii, *Et Levitarum*. Nonnulli, *Hi quoque Levitæ*. Aliqui exponunt, *Et Levitæ*, nimi-

mirum illi sex mille qui constituti sunt statores & iudices, supra cap. XXIII. vers. 4. nam omnes alii Levitæ hactenus iam fuere distributi in classes; at iudices illi nunc distribuuntur in præfecturas. ACHIAS ERAT SUPER THESAUROS. Quidam: *Achiia præerat thesauris*. Notant, hunc fuisse Meraritam, & Meraritarum quæstorem, ut ex sequentium comparatione apparet: incipere autem hic ab eo, quia superior versus desinit quidem in Meraritas, ex Hebræorum usu. SUPER THESAUROS DOMUS DEI, ET VASA SANCTORUM. Hebr. *Super thesauros domus Dei, & thesauris sanctitatum*. Noster distinxisse videtur, ut *thesauri domus Dei* fuerint universe quæque pretiosa ad templum pertinentia; *& thesauri sanctitatum* intelligantur peculiariter vasa seu instrumenta consecrata in cultum Dei. Alii, *thesauros domus Dei*, accipiunt cuncta sacra templi instrumenta; thesauros vero sanctitatum, id est rerum oblatarum, & consecratarum templo, nempe sacrarum oblationum. Nonnulli reddunt: *Præerat thesauris domus Dei; thesauris, inquam, rerum sacrarum*; id est, ad ministerium sacrum Meraritarum, & ad ipsos Meraritas pertinentium.

V. 21. FILII LEDAN, &c. Hunc versum nos ex Hebr. ad verbum transtulimus (*Filii Lagbdan, filii Ghersunitæ: Lagbdan capita patrum Lagbdan, Ghersunitæ, Iechieli.*) Alii diverse. I. *Filii Labdan, filii Ghersuni: de Labdan capita familiarum, de Labdan Ghersuni, Iechieli*. II. *Filii Labdan, filii Ghersunitarum, de Labdan principes familiarum, de Labdan Gersunitarum, Iechieli*. III. *De filiis ipsi Labdan, filii Ghersunitarum a Labdan*; id est, de filiis Gersunitarum, qui ducebant genus a Lahdan: principes familiarum ipsi Lahahdan; id est, ex genere Lahdanis: *Gersunni, Iechieli*. IV. *Filii Laedan, filii Gersunitarum, de Laedan, præcipui patrum; de Laedan, inquam, Gersuni, & Iehieli*, id est Gersonitæ, & Iehilitæ: singulare pro plurali. V. *In Labdanitas, & in Gerschonitas, e Labdane (primores paternarum familiarum erant e Labdane Gherschonita) Iehieli*. Exponunt: *In Gherschonitas*, id est posteros Schimhi Gerschonitæ, de quo supra cap. XXIII. vers. 9. Illa autem parenthesi (*primores paternarum*, &c.) causam reddi putant, cur e Lahdanitis quæstores Gerschonitarum constituti sunt: nimirum quia erant primarii paternarum familiarum. Vide supra cap. XXIII. vers. 8. IECHIELI. Hic supra cap. XXIII. vers. 8. dicitur *Iechiel*; quamvis alii, qui Iechieli gentilitium esse malint pro *Iechielita*, sive ex filiis, aut posteris Iechielis, ut versu sequente.

V. 24. PRAEPOSITUS AHESAURIS. Quidam, *Dux super thesauros*; id est, princeps erat illorum qui præerant ipsis thesauris. Nescio cur aliqui Hebræorum exponunt, *Qui præfuit uni ex thesauris*: nisi quod alii thesauris præfuisse dicantur. Sed illi erant ex Meraritis, supra vers. 20. & ex Ghersonitis, vers. 22. hic autem ex Kehathitis. Nonnulli interpretantur: Antecessor præerat thesauris eorum, nempe Kehathitarum, quos per quatuor familias nominavit superiore versu, de quibus supra cap. XXIII. vers. 12.

V. 25. CUIUS FILIUS RAHABIA, EA HUIUS FILIUS ESAIAS, &c. Caietanus: *Totus iste textus corruptus est: nam Hebraice non texitur genealogia filii, nepotis, pronepotis, &c. sed describuntur quinque fratres originem habentes ab eodem: nam scribitur, Rechabiahu filius eius, & Iesabiahu filius eius, & Ioram filius eius, & Zichri filius eius, & Selomith filius eius, Isti quinque fratres numerantur orti de Elihezer altero filio Mosis*. Perspicuus viri magni lapsus: nam Elihezer nullum alium habuit filium nisi hunc Rechabiahu, supra cap. XXIII. vers. 17. & alioqui non est verisimile quinque nepotes Mosis potuisse pervenire ad tempora Davidis. Rectissime igitur Noster successionem interpretatus est.

V. 28. OMNES QUI SANCTIFICAVERUNT EA PER MANUM SELEMITH, ET FRATRUM EIUS. Hebr. *Omnis sanctificans super manum Selomith, & fratrum eius*. Quidam: *Et omnes alii qui sanctificaverant aliquid, erant sub manu Selomith, & fratrum eius*. Quasi dicat: Et in summa, quicumque aliquid sanctificaverat, seu obtulerat Domino, omnia illa fuerunt in potestate Selomith, & fratrum eius. Aliqui: *Et quicumque aliquid sanctificaverat, erat hoc sub potestate Selomith, & fratrum eius*. Alii: *Quisque consecrabat, deponebat in manum Sehelomithi, ac fratrum eius*.

V. 29.

V. 29. AD OPERA FORINSECUS SUPER ISRAEL, AD DOCENDUM, ET IUDICANDUM EOS. Hebr. *Ad opus foraneum super Israelem, in statores, & iudices*. Varie interpretantur. I. *Erant in opere externo super Israelem, praefecti, & iudices*; id est, super opera externa, quae fiebant extra Ierusalaim, vel super opera rustica. Quidam intelligunt hos praefuisse operibus quae extra templum, seu urbem fiebant, ut caesoribus lignorum, lapicidis, seu latomis, cultoribus agrorum templi, &c. II. *Operi externo praeerant apud Israelitas, moderatores, & iudices*; id est, erant curatores earum rerum quae foris parandae erant ad futuram templi aedificationem, & continuationem cultus Dei. Vide Nehemiae XI. vers. 16. Illud autem, *Apud Israelitas*, ita intelligunt: Id est, in eo regni tractu qui secundum mare mediterraneum est: nam tota regio cis Iardenem, in duos tractus divisa est huius curationis ratione: nimirum secundum mare, & secundum Iardenem, ut apparet ex versu sequente. Synecdoche.

V. 30. PRAEERANT ISRAELI TRANS IORDANEM CONTRA OCCIDENTEM. Hebr. *Super visitationem, revisionem, inspectionem, episcopatum, praefecturam Israelis, de trans ipsi Iardeni ad occidentem*. Hic plerique intelligunt, ultra Iordanem respectu Ierusalem; sed tunc potius dicendum erat, *In orientem*. Rectius alii *trans* sumunt (ut est anceps dictio) respectu Iordanis versus Ierusalem, pro *cis*, *citra*: unde exponunt: *In praefectura Israelitarum a transitu Iardenis*, sive *secundum Iardenem, occidentem versus*; id est, in citeriore praefectura citra Iardenem, occidentem versus. Vide versum praecedentem. Quidam, *Super ordinationem Israelis*; id est, super opera ordinata, seu ordinanda ad ea quae sunt Dei. ET IN MINISTERIUM REGIS. Hebr. in dativo, *Et servitio Regis*. Quidam, *Et ministerio imperato a Rege*, nimirum supra cap. XXII. vers. 2. & seqq.

V. 31. HEBRONITARUM AUTEM PRINCEPS FUIT IERIA, SECUNDUM FAMILIAS ET COGNATIONES EORUM. Hebr. *Ipsis Chebronitis Ieriiah caput, ipsis Chebronitis, generationibus eius patribus*. Hebr. quatuor dativi. Dilucidius alii reddunt: *E Chebronitis Ieriiah primarius in Chebronitarum generationibus in paternas familias*. Quidam: *Ad Chebroni Ieriiah princeps, ad Chebroni secundum generationes suas per familias*. Notant additum id ad discrimen Chasabiahu, qui praecessit vers. 30. ne ille intelligeretur princeps simpliciter omnium Chebronitarum: non enim ille, sed Ieriiah fuit princeps secundum omnes familias Chebronitarum. Alii: *Inter Hebronitas, praecipuus erat Ieriiah, princeps inter Hebronitas, iuxta generationes suas, & patres*, sive *in generationibus suis per familias*; quasi dicat: Omnium Hebronitarum princeps fuit Ieriiah. QUADRAGESIMO ANNO REGNI DAVID. Exponunt, quo David maximum conventum Israelitarum habuit, & Salomonem filium sibi successorem pronuntians, omnibus cultum Dei, & structuram templi, nominatim vero filio functionum ecclesiasticarum distributiones commendavit, infra cap. XXVIII. & XXIX. RECENSITI SUNT. Hebr. *Quaesiti, requisiti fuerunt*, id est numerati, recensiti. IN IAZER GALAAD. Hebr. *Iaghzer*, vel *Iaghzir*: de qua urbe vide Numer. XXI. 32.

V. 32. IN OMNE MINISTERIUM DEI, ET REGIS. Hebr. in dativo, *Omni verbo Dei, & verbo Regis*: vel *ad omne verbum Dei, & verbum Regis*. Quidam: *In omni re Dei, & Regis*. Alii: *In*, pro, *omni negotio Dei, & Regis*, id est divino, & humano. Nonnulli: *Omni negotio Dei, & negotio regio*, id est imperato a Rege, ut supra vers. 30. Nota, Ecclesiasticis demandatam civilem, & saecularem iurisdictionem. Vide supra cap. XXIII. vers. 4.

MENOCHII.

Vers. 1. DIVISIONES IANITORUM, id est classes ianitorum. DE CORITIS. Ianitores etiam tantum fuerunt e stirpe Core, & Merari; Core autem, cuius hic mentio est, filius Aaron, ex quo sequitur, filios Core fuisse Caathitas: nam Aaron, & Moyses a Caath filio Levi genus ducebant. FILIUS CORE, DE FILIIS ASAPH. Non est sententia, Core fuisse de filiis Asaph, sed Meselemiam fuisse de filiis Asaph, qui erat de filiis Core.

V. 5. QUIA BENEDIXIT ILLI DOMI-

MINUS; id est, multos dedit filios propter arcam Dei domi receptam. Vide II. Reg. VI. II.

V. 6. PRAEFECTI FAMILIARUM SUARUM, principes familiarum, id est fortium ianitorum. ERANT ENIM VIRI FORTISSIMI, ideoque apti ut ianitores essent ad custodiam templi destinati.

V. 10. ID EST DE FILIIS MERARI, qui scilicet erant de filiis Merari. NON ENIM HABUERAT PRIMOGENITUM, scilicet superstitem, cum divisiones hæ, & classes ianitorum constitutæ sunt.

*V.*12. PRINCIPES CUSTODIARUM, principes ianitorum ad custodiam templi deputati. SICUT ET FRATRES EORUM. In Heb. est, *E regione fratrum suorum*, id est per vices, ut alii eorum fratres, seu cognati.

*V.*13. EX AEQUO ET PARVIS ET MAGNIS. Vide dicta superiori cap. num. 8.

V. 14. SORS ORIENTALIS, ut scilicet atria, & portas ad orientem custodiret.

V. 15. IN QUA PARTE DOMUS ERAT SENIORUM CONCILIUM, aula in qua cogebatur concilium seniorum, quod appellabatur *Sanedrin*. Vide Villalp. Tom. II. in secunda templi ichnographia.

V. 16. VIAM ASCENSIONIS, viam acclivem. Vatablus vertit, *In via strata ascendente*. Aliqui ex Hebræo vertunt, *Ad occidentem cum porta proiectionis*: & de porta interpretantur per quam sordes proiicerentur. Vide Villalp. Tom. II. part. II. cap. XXXII. pag 219. CUSTODIA CONTRA CUSTODIAM; quasi dicat: Custodiæ sibi invicem, & e regione respondebant.

V. 17. AD ORIENTEM LEVITAE SEX. Ad portam orientalem, quæ præcipua erat, plures constituuntur Levitæ custodes; ad portas vero minus præcipuas, quæ ad latera erant templi, tantum quatuor, quia etiam circa illas minor erat populi frequentia. QUATUOR PER DIEM, id est quatuor singulis diebus. UBI ERAT CONCILIUM, de quo num. 15.

V. 18. IN CELLULIS IANITORUM. Pagninus, & Vatablus vertunt, *Ad domum*, sive *ad cellulam instrumentorum*, in quibus scilicet cellulis instrumenta templi servabantur, quorum usus erat in sacrificiis. IN VIA, scilicet ascensionis, cui mentio facta num. 16. BINIQUE PER CELLULAS. LXX. *Duo duo per successiones*.

*V.*20. SUPER THESAUROS, &c. erat præpositus, & custos præcipuus omnium thesaurorum templi. Porro thesauri nomine significatur aurum, & argentum, sive factum, sive infectum, vasa, vestes, & universa supellex pretiosa. VASA SANCTORUM, vasa pretiosa sanctificata in usum templi, & sacrificiorum.

V. 23. AMRAMITIS, &c. id est de Amramitis, &c. ut vertunt Pagninus, & Vatablus. Sententia autem est, eos qui sequuntur, esse de Amramitis, Isaaritis, &c.

V. 24. SUBAEL AUTEM, &c. Hic Subael ex filiis Caathi erat thesaurorum princeps. FILIUS GERSOM FILII MOYSI. Fieri non potest ut Subael filius fuerit Gersom immediatus, & vixerit tempore David post tot annorum centurias. Itaque vel dicendum est aliquot generationes omissas fuisse medias inter Gersom & Subael; vel sensum esse, Subael fuisse præfectum thesauri in aliquo ex filiis, & ex progenie sua: quæ aptior responsio est, & expeditior.

V. 26. SUPER THESAUROS SANCTORUM, &c. custos auri, argenti, metallorum, & aliarum rerum pretiosarum sanctificatarum, id est templo, quod sanctum erat, oblatarum, ex præda, & manubiis a victoribus, ut hoc versiculo, & sequenti patet ex textu.

*V.*28. SANCTIFICAVIT, dedicavit, SAMUEL VIDENS, Samuel Propheta, cum rempublicam administraret. SAUL FILIUS CIS, primus Rex Israelis. PER MANUM SELEMITH. Id est, omnes qui aliquid Domino obtulerunt, per manum Selemith illud consecrarunt, tradentes illi custodiendum quod offerebant.

V. 29. ISAARITIS, &c. Isaaritæ qui erant ex stirpe Caath, docebant populum, & disceptabant causas eorum de iure Mosaicæ legis respondentes; ideoque AD OPERA FORINSECUS, ut dicitur in textu, destinati erant, quia per urbes, & vicos regni Israelitici variis locis dispositi erant, ut omnibus facilis ad eos pateret accessus, nec erant alligati ministeriis templi, ut cantores, ianitores, &c.

V. 30.

V. 30. De Hebronitis, qui erant ex filiis Caath. Praeerant Israeli. Illi nimirum mille, & septingenti Levitæ ex familia Hebron, Israeli præerant, quia iudices erant, & alia munera, & præfecturas exercebant. In cunctis operibus Domini, iudicando iuxta legem, & rudes docendo quæ ad eamdem legem pertinebant. Et in ministerium Regis, Regi in aliquibus servientes; verbi gratia, iurisdictionem illius exercentes, vel colligentes redditus, &c.

V. 31. Hebronitarum autem princeps fuit Ierias. Non fuit hic solus princeps, quia etiam Hasabias, & filii eius fuerunt principes, num. 30. Secundum familias, et cognationes, minores scilicet, quæ sub familia Hebronitarum distinguebantur. Quadragesimo, &c. ultimo scilicet regni Davidis anno. Inventi sunt viri fortissimi, Levitæ nimirum, quorum hactenus mentio facta est. Iazer: civitas Levitica in tribu Gad. Vide Adrichom. in tribu Gad num. 24.

V. 32. Fratres eius, id est viri de cognatione Ieriæ. In omne ministerium Dei, et Regis. Vide dicta num. 30.

TIRINI.

Vers. 5. Quia benedixit ei (Obededom) Dominus, scilicet multitudine, & robore prolium, in compensationem arcæ tam religiose exceptæ, & custoditæ domi suæ, II. Reg. vi. 12. Superat enim hic numero prolium omnes alios Levitas ianitores hic recensitos, ut patet ex vers. 8.

V. 10. Non enim debuerat; pro, non habebat tum temporis in vivis qui *primogenitus* fuerat: quare constituit in locum ipsius suum secundogenitum *Semri principem* & caput familiæ suæ.

V. 12. Ianitores. Non erat hoc vile ministerium, sed quale est prætorianorum militum, vel potius aulicorum etiam e primis, qui excubant in palatio Regis. Tale, immo longe nobilius, erat horum Levitarum munus excubantium in domo Domini, Regis regum, & Domini dominantium. Unde & subditur hic, fuisse principes custodiarum. Iisdem credebatur & custodia thesaurorum tum templi, tum Regis, ut dicitur vers. 20. 26. 30. & 32. Iidem præerant sartis tectis templi, vers. 27. & *operibus forinsecus*, vers. 29. verbi gratia, ligna cædentibus, lapicidis, cultoribus agrorum templi, &c. Ex iisdem etiam doctores desumebantur, & præfecti, & iudices populi tum in sacris, tum in politicis, vers. 29. 30. & 32.

V. 14. Selemiae. Hic idem est qui vers. 1. 2. & aliis vocatur *Meselemias*, iuxta consuetudinem Hebræorum sæpe capita nominum præcidentium, ut supra docui cap. iv. vers. 24. Porro

V. 15. Sic verba construe: In qua parte palatii erat domus seniorum, nempe concilium magnum Sanedrim septuaginta duorum iudicum, de quo Num. xi. Hi solebant in eam domum convenire.

V. 16. Via ascensionis vocatur acclivis illa via qua ex subiecta urbis parte ascendebatur primo ad tabernaculum in arce Sion, deinde etiam ad templum in monte Moria constructum. Custodia contra custodiam; quasi dicat: Gemina, seu duobus locis, ibi debebat esse custodia: forte propter adventantium frequentiam, & maius periculum. Patet ex vers. sequ. 18. ubi ad hanc portam occidentalem dicuntur *quatuor* Levitæ, principes custodiarum excubasse *in via* illa acclivi publica: præter *binos* alios qui *per cellulas*, id est in consuetis ædibus excubitorum templi, excubabant cum subiectis sibi cohortibus.

V. 18. In cellulis quoque ad occidentem (sic enim est in Hebræo & Græco) erant ianitorum, seu ianitores, quatuor in via, vel versus viam publicam.

GORDONI.

V. 1. Hae ianitorum divisiones, seu classes, tantum erant ex Coritis, hoc est de stirpe Core, & Merari. Fuit autem hic Core ex Caathitis, ut docet genealogia a Levi. De Mesetania est implicata oratio: sensus est, Mesetaniam fuisse de filiis Asaph, qui fuit de filiis Core: quod bene explicat textus Septuaginta in Græco.

V. 10. Non enim habuerat

PRI-

PRIMOGENITUM, superstitem, illo tempore quo factæ sunt hæ divisiones.

V. 16. VIAM ASCENSIONIS, acclivem.

V. 18. IN CELLULIS, ubi servabantur instrumenta templi. IN VIA ascensionis, & acclivi.

V. 23. AMRAMITIS, &c. Hoc est, hi sunt de quibus iam dicendum.

V. 28. SANCTIFICAVIT, dedicavit.

V. 29. ISAARITIS. Isti docebant populum, & respondebant de iure Mosaico.

V. 31. QUADRAGESIMO ANNO, ultimo regni Davidis.

CAPUT XXVII.

Recensentur duodecim principes, quorum singuli suo mense viginti quatuor millibus præerant; ad hæc principes seu præfecti tribuum thesaurorum, reliquæque substantiæ Regis, recensentur.

1. Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabant Regi iuxta turmas suas, ingredientes, & egredientes per singulos menses in anno, vigintiquatuor millibus singuli præerant. 2. Primæ turmæ in primo mense Iesboam præerat filius Zabdiel, & sub eo vigintiquatuor millia. 3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. 4. Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahohites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus vigintiquatuor millium. 5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat * Banaias filius Ioiadæ sacerdos; & in divisione sua viginti quatuor millia. 6. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta: præerat autem turmæ ipsius Amizabad filius eius. 7. Quartus, mense quarto, Asahel frater Ioab: & Zabadias filius eius post eum: & in turma eius vigintiquatuor millia. 8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Iezerites: & in turma eius vigintiquatuor millia. 9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: & in turma eius vigintiquatuor millia. 10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: & in turma eius vigintiquatuor millia. 11. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: & in turma eius vigintiquatuor millia. 12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Iemini: & in turma eius vigintiquatuor millia. 13. Decimus, mense decimo, Marai, & ipse Netophatites de stirpe Zarai: & in turma eius vigintiquatuor millia. 14. Undecimus, mense undecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: & in turma eius vigintiquatuor millia. 15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: & in turma eius vigintiquatuor millia. 16. * Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha: 17. Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: 18. Iuda, Eliu frater David: Issachar, Amri filius Michael. 19. Zabulonitis, Iesmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Ierimoth filius Ozriel: 20. filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Ioel filius Phadaiæ: 21. & dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Iaddo filius Zachariæ: Beniamin autem, Iasiel filius Abner. 22. Dan vero, Ezrihel filius Ieroham: hi principes filiorum Israel. 23. Noluit autem David numerare

eos a viginti annis inferius: quia dixerat Dominus ut multiplicaret Israel quasi stellas cæli. 24. (*a*) Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec complevit, quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis David. 25. Super thesauros autem Regis fuit Azmoth filius Adiel: his autem thesauris, qui erant in urbibus, & in vicis, & in turribus, præsidebat Ionathan filius Oziæ. 26. Operi autem rustico, & agricolis qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub: 27. vinearumque cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites. 28. Nam super oliveta & ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Ioas. 29. Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: & super boves in vallibus, Saphat filius Adli: 30. super camelos vero, Ubil Isinahelites: & super asinos, Iadaias Meronathites: 31. super oves quoque * Iaziz Agareus: omnes, hi, principes substantiæ Regis David. 32. Ionathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens & litteratus: ipse & Iahiel filius Hachamoni erant cum filiis Regis. 33. Achitophel etiam consiliarius Regis, & Chusai Arachites amicus Regis. 34. Post Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, & Abiathar. Principes autem exercitus Regis erat Ioab.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Banaias filius Ioiadæ sacerdos*. Non est substituendum secundo casu *sacerdotis*, pro primo *sacerdos*.

V. 16. *Porro tribubus præerant Israel*. Non addas *in* præpositionem ante *Israel*.

V. 31. *Iaziz Agareus*. Alii *Agarenus*, ut supra cap. v. vers. 10.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. INGREDIENTES, scilicet ad ministerium Regis, quod durabat solum per mensem unum. VIGINTI QUATUOR MILLIBUS: scilicet tot ministrabant Regi singulis mensibus.

V. 3. DE FILIIS PHARES, scilicet erat Iesboam.

V. 4. ALTER, scilicet vicarius eius.

V. 6. PRAEERAT, scilicet tamquam vicarius patris.

V. 12. DE FILIIS IEMINI, id est de tribu Beniamin.

V. 16. RUBENITIS, scilicet simul, & Gaditis.

V. 23. INFERIUS; pro, & infra. QUIA DIXERAT, &c. quasi dicat: Satis multi erant reliqui, ut opus non fuerit iuniores numerare.

V. 24. NUMERUS, scilicet a Ioab supputatus. FASTOS, id est annales.

V. 28. FICETA. Hebr. & LXX. *sycomoros*.

V. 32. LITTERATUS. Hebr. & LXX. *scriba*. FILIIS REGIS, scilicet ut pædagogus.

V. 33. AMICUS. LXX. *præcipuus amicus*, seu *socius*.

V. 34. FUIT, scilicet consiliarius.

E S T I I.

Vers. 24. ET IDCIRCO NUMERUS EORUM QUI FUERANT RECENSITI, NON EST RELATUS IN FASTOS REGIS DAVID. In Hebræo non est *idcirco*; sed legitur sententia hoc modo: *Et non ascendit numerus in numerum verborum dierum Regis David*. Non male tamen addidit Interpres *idcirco*: huius

ius enim sententiæ rationem in verbis superioribus contineri omnino apparet. Dubium tamen, utrum in eo quod dictum erat, *Nec complevit*, an in eo quod sequitur, *Quia super hoc ira irruerat in Israel*; id est, utrum ideo non fuerit numerus relatus in annales rerum a Davide gestarum; quia numeratio fuit incompleta, ut videre est capite vigesimo primo; an quia per illam populi numerationem provocata fuit in populum ira Dei, ut propterea non debuerit adscribi in annalibus. Vide Lyranum, & ab eo dissentientem Carthusianum. Forte utrumque coniunctim fuit in causa.

MARIANAE.

Vers. 1. QUI MINISTRABANT REGI. Hebr. additur *ad omne verbum*, id est in omni negotio. IUXTA TURMAS SUAS. Hebr. *ad omne verbum divisionum*; id est, in omni re quæ ad divisiones, seu turmas spectaret. INGREDIENTES ET EGREDIENTES PER SINGULOS MENSES. Hebr. *Ingredientis & egredientis mensis in mense*; quasi dicat: Quoties mensis desinebat in alterum, mutabantur turmæ, seu divisiones. VIGINTI QUATUOR MILLIBUS SINGULI PRAEERANT. Hæc est sententia: verba Hebraica, *Divisio* (seu *turma*) *una viginti quatuor millium*. Tot Regi mensibus singulis ministrabant. De quo ministerio hic agit.

V. 4. DUDIA AHOHITES, ET POST SE ALTER NOMINE MACELLOTH, QUI REGEBAT PARTEM EXERCITUS. Hebr. *Dodi Ahohites, & divisionis eius, & Michloth dux* (scilicet vicarius Dodi) *& super divisionem eius* (pro in divisione, seu turma) *viginti quatuor millia*. Et illa coniunctio *&* ante *Michloth* redundat.

V. 6. PRAEERAT AUTEM TURMAE IPSIUS AMIZABAD FILIUS EIUS, Hebr. *Et divisionis eius Amizabad filius*, scilicet dux, ut in vers. 4. & vicarius Banaiæ patris sui.

V. 7. ET ZABADIAS FILIUS EIUS POST EUM, id est vicarius Azahel patris sui. Itaque in quatuor primis divisionibus & duces, & vicarios designat, in aliis non item: sed verisimile est, omnes habuisse suos duces. Ac illud vide, ad aulæ procurationem, & ministeria, viros militares eligi, & ut noti Regi, & familiares essent milites, & ut eorum usu magnum animum susciperet.

V. 12. DE FILIIS IEMINI; id est, de tribu Beniamin erat nonus dux cum sua turma.

V. 13. NOLUIT AUTEM DAVID NUMERARE EOS. Agit de ea populi numeratione ob quam populus est punitus, cap. XXI. A VIGINTI ANNIS INFERIUS; id est, infra viginti annos noluit David populum numerari. QUASI STELLAS CAELI, quæ scilicet præ multitudine numerari non possunt: sic erat multitudo totius populi, si omnes numeraret.

V. 24. QUIA SUPER HOC IRA IRRUERAT IN ISRAEL. Hebr. *Et fuit propter hoc ira in Israelem*. NON EST RELATUS IN FASTOS. Hebr. *Et non ascendit numerus in numerum* (libri) *verborum dierum Regis David*. Hieronymus pro *verba dierum*, recte *fastos* dixit, id est annales. Forte liber ille alius erat ab his libris: nam hic numerus ponitur eorum qui inventi sunt, & numerati cap. XXI. & II. Reg. cap. XXIV.

V. 25. SUPER THESAUROS ... QUI ERANT IN URBIBUS, fuit Ionathan. Hebr. *Super thesauris in agro, in urbibus*, id est per urbes, villas, & turres. *Thesauros Regis*, aurum, & argentum vocat, iis Asmoth præerat: *thesauros agri*, horrea, ubi fructus terræ condebantur.

V. 27. VINEARUMQUE CULTORIBUS. Hebr. *vineis*. CELLIS AUTEM VINARIIS. Hebr. *Et super iis qui in vineis thesauris vini*, id est cellis vinariis.

V. 28. SUPER OLIVETA ET FICETA. Hebr. *super olivas, & sycomoros*: sic Sept. Verum in quem usum *sycomori* ficus ferentes agrestes? Credam *ficeta* potius esse, ut Hieronymus posuit. Itaque David omnibus partibus præpositos dedit.

V. 32. VIR PRUDENS ET LITTERATUS, Ionathan. Hebr. *intelligens & scriba*. Sept. συνετὸς καὶ γραμματεὺς, *intelligens & scriba*. Sed quoniam vox altera deducitur a *litteris*, ea fuit occasio Hieronymo *litteratum* vertendi. CUM FILIIS REGIS; id est, pædagogi eorum erant Ionathan, & Iahiel.

V. 33. AMICUS REGIS. Hebr. *So-*

eius. Sept. *Primus amicus Regis*, scilicet erat Chusai. Achitophel consiliarius.

V. 34. POST ACHITOPHEL; id est, post eius Achitophelis mortem, Ioiada, & Abiathar Davidi a consiliis fuere.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUI MINISTRABANT REGI IUXTA TURMAS SUAS. Heb. *Ministrantes apud Regem ad omne verbum partitionum*. Quidam: *Qui ministrabant Regi ad omnem rem, vel secundum omnem rem divisionum*. Alii: *Qui ministrabant Regi in omni negotio turmarum*. Aliqui: *Ministrantes Regi omni ordini*, vel *secundum omnem ordinem, partitionum*. Nonnulli: *Qui ministrabant Regi ordinibus in omnibus negotiis*. Alii: *Ministrantes Regi in omni negotio suarum distributionum*. Notant, ad hanc vocem, & phrasim, *partitionum*, *divisionum*, *distributionum*, quæ sæpe in hoc, & sequenti libro usurpatur, allusisse Paulum I. Corinthio. XII. vers. 4. 5. & 6. cum appellat *Divisiones gratiarum*, *Divisiones ministrationum*, *Divisiones operationum*: & Hebræor. II. vers. 4. cum vocat *Spiritus sancti distributiones*. INGREDIENTES, ET EGREDIENTES PER SINGULOS MENSES. Hebr. in singulari: *Venientis, & exeuntis mense in mense*; id est, uniuscuiusque partitionis, seu distributionis, ingredientis, & egredientis unoquoque mense. Quidam: *Quarum quæque distributio ingrediebatur, & regrediebatur*, sive *procedebat, & redibat de mense in mensem*, id est obibat munus suum. Vide similem locutionem Num. XXVII. 17. De harum autem distributionum, & copiarum ordine, vide II. Samuel. XXIV. 9. Non tam recte alii: *Ad omnem rem divisionum ingredientem, & egredientem per singulos menses*, id est occurrentem: quod *res*, sive *verbum* דבר *dabar* sit masculeum; participia vero sint feminea: ad *divisionem* ergo, sive *distributionem* unamquamque referenda sunt.

V. 2. IESBOAM. Hebr. *Iasabebam*, vel *Iasobbam*. Ita quoque appellatur supra cap. XI. vers. 11. at II. Samuel. XXIII. 8. *Ieseb-Basebeth* vocatur, vide ibi Comm.

V. 3. DE FILIIS PHARES, id est de nepotibus, seu posteris Phereth, filii Iehudæ, Genes. XXXVIII. 29. nempe fuit *Iasobbam*.

V. 4. DUDIA AHOHITES. Heb. *Dodai Achochites*, seu *Achochæus*. II. Samuel. XXIII. vers. 9. vocatur *Dodo*, de quo vide ibi Comm. POST SE ALTER NOMINE MACELLOTH, QUI REGEBAT PARTEM EXERCITUS. Heb. *Et partitio eius, & Miklotb ductor*. Alii reddunt. I. *Et divisio eius, & Mıkloth dux*; quasi dicat: Quamvis eius essent istæ copiæ militares; tamen ipse per se non præsidebat iis copiis, sed substituerat ducem suæ turmæ, quasi vicarium, ipsum Miklothum: quod ipse forsan apud Regem esset, vel aliis regni negotiis occupatus. II. *Hæc autem est turma eius, & Miklotb dux*; quasi dicat: Secunda turma attributa fuit ei, sed eius vicarius fuit Mikloth. III. *Et in ordine illius erat Miklotb princeps*, id est vicarius, & subpræfectus. IV. *Et distributio eius, deinde Miklotb antecessor*. Intelligunt, hanc distributionem primum fuisse ipsius Dodai, deinde eo extincto, fuisse Miklothi; sic de Hasaele infra vers. 7. quasi dicat: Et distributio quidem primum illius fuit; at deinde eo mortuo, eiusdem distributionis antecessor, seu ductor fuit Miklothus.

V. 5. FILIUS IOIADAE SACERDOTIS, vel *sacerdos*. Heb. *Filius Iehoiadah sacerdos caput*, vel *sacerdotis capitis*. Quidam exponunt, Filius Iehoiadah Sacerdotis summi. *Sacerdos caput*, id est *Sacerdos summus*, seu *Pontifex maximus*, ut II. Paralipom. XXXI. 10. At nec Benaiahu, nec Iehoiadah pater eius eo tempore Sacerdotes summi fuere, cum ea dignitas tunc penes Ebiatharem, & Tzadokum esset. Aliqui exponunt, *Filius Iehoiadæ sacerdotis, caput*, id est primarius, primor: vel *filius Iehoiadæ sacerdotis primarii*, seu *præcipui*, ut intelligatur vel Benaias, vel Iehoiadah pater eius sacerdos primarius: non quidem summus, sed unus de primariis, seu primoribus paternarum familiarum Aharoniticarum, de quibus supra cap. XXIV. vers. 6. quos putant in Evangeliis dici *principes sacerdotum*.

V. 6. IPSE EST BANAIAS FORTISSIMUS INTER TRIGINTA, &c. De quo vide plura supra cap. XI. vers. 22. 23. 24. 25. & II. Samuel. XXIII. vers. 20. 21. 22. 23. PRAEERAT AUTEM TURMAE IPSIUS AMIZABAD FILIUS EIUS. Hebr. *Et partitio eius Hamizabad filius eius*. Quidam: *Et in ordine eius erat*

Am-

Ammisabad filius eius, scilicet vicarius, seu subpræfectus eius, ut supra vers. 4. Alii *Et distributioni*, seu *divisioni eius*, præerat *Hammizabad filius eius*, quia idem Benaia pater eius præerat etiam ordinariis stipatoribus Regis, & prætorianis cohortibus, II. Samuel. VIII. vers. 18. quare subrogaverat filium his aliis copiis.

V. 8. SAMAOTH. Heb. *Sambuth*, qui II. Samuel. XXIII. vers. 25. dicitur *Samah*, & supra cap. XI. vers. 27. *Samoth*. IEZERITES. Heb. *Iizrach*, seu *Iizrachites*. Exponunt: *Iizrachæus*, id est de stirpe Zerach filii Iehudæ, Genes. XLIX. 31. Sic infra vers. 11. & 13. supra tamen cap. XI. vers. 27. & II. Samuel XXIII. 25. dicitur *Charodita*, seu *Charodites*, a loco: de quo vide Iudic. VII. vers. 1.

V. 10. PHALLONITES. Hebr. *Phelonita*. II. Samuel XXIII. 26. vocatur *Thaltita*, at supra cap. XI. vers. 27. etiam *Thelonita*, ut hic.

V. 15. HOLDAI. Heb. *Cheldai*. Hic supra cap. XI. vers. 30. dicitur *Cheled*.

V. 18. ELIU FRATER DAVID. Heb. *Elihu*. Notant hunc appellari *Eliab*, I. Samuel. XVI. 6.

V. 22. HI PRINCIPES FILIORUM ISRAEL. Heb. *Isti principes tribuum Israelis*. Omissa hic est tribus Aser: caussam nescimus, sed synecdochice cum aliis intelligendam nonnulli monent: nam idem de ea iudicium faciendum videtur.

V. 23. NOLUIT AUTEM DAVID NUMERARE EOS A VIGINTI ANNIS INFERIUS. Explicant: Id est, cavit ne recenserentur, cum quia sciebat non posse numerari, tum quia religione distinebatur, ne videretur inquirere in fidem promissionum Dei; ut mox subditur. QUIA DIXERAT DOMINUS, UT MULTIPLICARET ISRAEL, &c. Gen. XV. 5.

V. 24. IOAB FILIUS SARUIAE COEPERAT NUMERARE, nimirum omnes Israelitas ab anno vigesimo, & supra, II. Samuel. 24. & superius cap. XXI. quorum ii duces, & antecessores fuerunt, qui modo numerati sunt, inde a vers. 16. non absolvit autem recensionem hanc, ut hic dicitur, & supra cap. XXI. vers. 5. & 6. ET IDCIRCO NUMERUS EORUM, &c. Heb. *Et non ascendit numerus in numerum verborum dierum Regi Davidi*. Puto esse Hebraismum, *numerus in numero*, id est iustus, & exactus numerus; quasi dicat: Quia Ioab non absolvit censum; idcirco iustus numerus Israelitarum non est relatus in tabulas regias. Quidam reddunt: *Neque relatus est eorum numerus in numerum chronicorum Regis Davidis*, puta numerus integer, quia Levi, & Biniaminem Ioab non recensuerat, supra cap. XXI. vers. 6. Etsi hæc fortasse interpretatio tam bene conveniet, si dicamus, Davidem facti pœnitentia ductum recensionem a se institutam fecisse irritam, & cavisse ne in acta, & annales publicos civiles referretur. Quam rem tamen Spiritus Dei extare in Ecclesia, & servari voluit ad ædificationem nostram. *Verba dierum* proprie sunt res gestæ temporum, acta publica, annales, diaria, fasti, chronica, qui est titulus huius libri. Quæ caussa esse mihi videtur, cur Hebræi futili curiositate post versum istum adscribant margini hanc dictionem חצי *chatzi*, qua significant hic esse dimidium libri, tam primi quam secundi Paralipomenon, quem ipsi unum faciunt, quod ad versiculorum numerum attinet.

V. 25. SUPER THESAUROS AUTEM REGIS. Quidam vertunt: *Thesauris vero regiis præerant*, &c. Exponunt, Id est fisco Ierosolymitano: ut ostendit sequentis membri comparatio.

V. 26. OPERI AUTEM RUSTICO, ET AGRICOLIS QUI EXERCEBANT TERRAM PRAEERAT EZRI. Hebr. *Et super facientes operis agri, ad culturam telluris, Hezri*. Quidam: *Item exercentibus opus rusticum in agricultura, præerat Hezri*.

V. 27. VINEARUMQUE CULTORIBUS. Plerique cum Nostro pro כרמים *ceramim*, *vineis*, videntur legisse eisdem litteris, sed aliis vocalibus, כורמים *coremim*. *Et super vinitores*. Nunc legunt: *Et super vineas*; id est, super exercentes opus vinearum: metonymia. Rectius: *Et super his quæ pertinent ad culturam vinearum*. ROMATHITES. Hebr. *Haramathæus*, vel *Haramathiensis*, ex qua urbe fuit Ioseph ille in Evangelio dictus ab Arimathæa. Vide I. Samuel. I. I. CELLIS AUTEM VINARIIS. Hebr. *Et super* ea *quæ* erant *in vineis*, *thesauris vini*: vox *thesauris* est in dativo. אוצרות *otzaroth* proprie sunt *repositoria*, *reconditoria*, *thecæ*, *apothecæ*, *cellæ*, *cellaria*, *penus*, *thesauri*. Dicitur ea vox tam de reipsa reposita, quam de lo-

co

co ubi reponitur, & reconditur, ut & Latinis *thesaurus*. Quidam reddunt: *Et super ea quæ erant in vineis*, *nempe super cellaria vini*, seu *cellas vinarias*. Alii: *Et ei quod ex vineis*, vel *sed proventui vinearum, thesauris vini*: sic vers. 28. APHONITES. Heb. *Siphmites*, ab oppido *Sephan*, de quo vide Numer. XXXIV. 10.

V. 28. GEDERITES, ab urbe *Gheder*, de qua Iosue XII. 13.

V. 29. IN SARON. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Quidquid alii dicant*, *certum est Scharonem campestrem regionem esse Libano subiectam inde a Baschane*, *ex cap.* v. *vers.* 16. *supra*. Vide Comm. nostros in eum locum.

V. 30. MERONATHITES. Heb. *Meronothites*, a loco *Merom*, de quo vide in Iosue XI. 5.

V. 31. AGAREUS. Heb. *Haghrites*, seu *Hagheræus*, vel *Hagharenus*. Vide supra cap. v. vers. 10.

V. 32. ERANT CUM FILIIS REGIS; hoc est, erant eorum pædagogi, magistri, institutores, admoti eorum institutioni, curam ipsorum gerentes.

V. 34. POST ACHITOPHEL, &c. id est, post sublatum suspendio Achitophelem, fuerunt ii primarii inter consiliarios regios.

MENOCHII.

Vers. 1. SECUNDUM NUMERUM SUUM; id est, filii Israel qui Davidi ministrabant in numero certo, sunt hi qui mox recensentur. Dicitur *secundum numerum suum*, quia principum, tribunorum, centurionum, &c. certus quidam erat numerus, ut videbimus. PRINCIPES FAMILIARUM, TRIBUNI, ET CENTURIONES, &c. Sententia est: Omnes qui Davidi ministrabant ex filiis Israel, sive principes familiarum essent, sive centuriones, &c. sunt hi quos recensebimus, & hoc ordine quem recitabimus, dispositi. PRINCIPES FAMILIARUM, id est multitudinum, sive turmarum, ii nimirum qui viginti quatuor millibus præerant, ut interpretatur Abulensis, quæst. VII. TRIBUNI, mille militibus præfecti, Chiliarchæ. CENTURIONES, qui centum millibus imperant. PRAEFECTI, qui principum familiarum vices gerebant; & iis impeditis munere illius fungebantur. INGREDIENTES ad ministerium suum militare, quod per unum mensem durabat. VIGINTI QUATUOR MILLIBUS: tot enim aderant Regi per singulos menses.

V. 2. IN PRIMO MENSE, qui dicebatur Nisan, & fere Martio nostro respondet. IESBOAM, qui erat de tribu Iuda, ut qui ad familiam Phares, sicut David ipse pertinebat.

V. 3. PRINCEPS CUNCTORUM PRINCIPUM, non auctoritate, & imperio, id enim pertinebat ad principem militiæ Ioab; sed dignitate quadam, & iure præcedendi, non solum tempore (inchoabat enim annum) sed etiam loco cum res ferret ut plures convenirent.

V. 4. SECUNDI MENSIS, qui scilicet ab Hebræis dicitur *Iiar*, qui Aprili nostro respondet. DUDIA AHOHITES. In Hebræo est *Dodai*. LXX. habent Δωδία. Huius Ducis nulla est alibi mentio. Patria ostendit illum fuisse de tribu Iuda, fuit enim Ahohi oppidum eius tribus. Vide Adrichom. in tribu Iuda numer. 14. QUI REGEBAT PARTEM EXERCITUS. Erat hic vicarius Dudiæ, ut Vatablus interpretatur, & Salianus: idque ex sequenti turma confirmatur num. 6. in qua filius toti turmæ vice parentis præest.

V. 5. IN MENSE TERTIO. *Sivam* appellant Hebræi, & Maio respondet. BANAIAS, de tribu Levi, erat quippe sacerdos, & filius Ioiadæ sacerdotis. De hoc Banaia vide I. Reg. XXIII. 20.

V. 6. AMIZABAD, ut vicarius, & præfectus.

V. 7. MENSE QUARTO, mense Iunio, quem *Tammuz* dicunt Hebræi. ASAHEL FRATER IOAB, Davidis scilicet ex Saruia sorore nepos, ideoque ex tribu Iuda. FILIUS EIUS POST EUM. Vicarium, & fortasse successorem, quod indicare videtur particula illa, *Post eum*.

V. 8. MENSE QUINTO, mense *Ab*, Iulio scilicet. SAMAOTH IEZERITES. Non satis constat ex qua fuerit tribu. Si vox *Iezerites* patriam significat, ad tribum Gad pertinuisse dicemus, fuit enim Iezer, sive Iazer, civitas illius tribus, separata Levitis, ut constat ex capite sexto huius Libri numero 81. Si vero *Iezerites* patrony-

nymicum nomen sit familiæ Iezeritarum (cuius mentio est Numer. xxvi. 30.) pertinuisse dicemus ad tribum Manasse trans Iordanem.

V. 9. MENSE SEXTO, mense *Elul*, ut vocant Hebræi, qui respondet Augusto. HIRA FILIUS ACCES. Numeratur hic idem in fortibus David tam II. Reg. xxiii. 26. quam hoc Libro supra cap. xi. numero 28. THECUITES. Thecua est in tribu Iuda. Vide Adrichom. in tribu Iuda num. 236.

V. 10. MENSE SEPTIMO, mense Tizri, hoc est Septembri. HELLES PHALONITES. Supra cap. xi. numero 27. eodem modo nominatur, in II. autem Reg. capite xxiii. numero 26. dicitur de Phalti, quæ diversitas etiam est in textu Hebræo. Fuit Helles de tribu Ephraim, ut hic expresse habetur.

V. 11. MENSE OCTAVO, Octobri scilicet, quem Hebræi *Marchesuan* appellant. HUSATHITES, id est de Husathi oppido, ut videtur, tribus Iuda, nam Sobochai ex hac tribu fuisse, colligitur ex eo quod dicitur eum fuisse de stirpe Zarahi, hoc est genus duxisse a Zara Iudæ filio.

V. 12. MENSE NONO, quem *Casleu* dicunt Hebræi, & Novembri respondet. ANATHOTHITES, hoc est de Anathot, quod oppidum fuit iuxta Ierusalem, eratque iuris sacerdotalis in tribu Beniamin. DE FILIIS IEMINI, id est de tribu Beniamin. Nam de voce *Beniamin* aliquando tollitur prima syllaba *Ben*, hoc est filius, & remanet *Iamin*, vel *Iemini*, quod dexteram significat, sive dextera eius, & pro Beniamin accipitur.

V. 13. MENSE DECIMO, Decembri, quem Hebræi *Tevet* appellant. NETOPHATHITES, ex oppido Netophathi in tribu Iuda, ex filiis Zaræ filii Iuda.

V. 14. MENSE UNDECIMO, Ianuario mense, qui vocatur ab Hebræis *Seveth*. PHARATHONITES, ex oppido Pharaon in tribu Ephraim.

V. 15. MENSE DUODECIMO, Februario, quem *Adar* Hebræi dicunt. NETOPHATHITES. Vide dicta num. 13. DE STIRPE GOTHONIEL, fratris Caleb ex tribu Iuda.

V. 16. RUBENITIS, &c. etiam Gaditis, ut putat Emmanuel Sa.

V. 17. LEVITIS, exceptis iis qui sacerdotes erant, & ab Aaron genus ducebant, qui ducem habuerunt Sadoc, ut di[ci]tur hoc eodem versiculo.

V. 23. QUIA DIXERAT, &c. quasi dicat: Satis multi erant reliqui, ut opus non fuerit iuniores numerare, qui plurimi erant, magno numero succrescente sobole Israelitarum, cui Dominus benedixerat.

V. 24. IOAB FILIUS SARUIAE. Vide historiam cap. xxi. huius Libri, & II. Reg. xxiv. NEC COMPLEVIT, &c. nam tribum Levi, & tribum Beniamin non numerarunt, ut habemus supra cap. xxi. Cuius omissionis duplex fuit causa: altera quam hic habemus, plaga scilicet divinitus immissa, quæ cœptum abrupit; altera quæ exprimitur eo cap. xxi. num. 6. quia invitus exequebatur Regis imperium. NON EST RELATUS IN FASTOS REGIS. Omissus census ita est, ut ne summa quidem numeratorum in fastos referretur, distincte, & per tribus, & familias capitum numerum recensendo.

V. 25. THESAURIS QUI ERANT IN URBIBUS, ET IN VICIS, &c. Thesauri pecuniarum quas Rex colligebat ex urbibus Regni, ex tributis, quæ pendebat populus; aut etiam collectiones pecuniarum ex latifundiis, pascuis, gregibus, & armentis Regis propriis, vineis etiam, olivetis, ficetis, &c. quorum deinceps hoc capite fit mentio.

V. 29. QUAE PASCEBANTUR IN SARON. Mons, & urbs egregia in tribu Ephraim, regio etiam campestris pinguis, & fertilissima saginandi pecoribus perquam apta, quæ a Cæsarea Palæstinæ porrigitur usque ad Ioppen. Vide Adrichom. in Ephraim num. 7. IN VALLIBUS SAPHAT. Valles iuxta Maresa in tribu Iuda.

V. 30. UBIL ISMAHELITES. Vel dicitur *Ismahelites*, quod aliquo tempore in regione Ismahelitarum fuisset; vel quod egregio aliquo facinore hoc sibi cognomen peperisset; vel tandem quod vere esset Ismahelita natione, sed religione Hebræus, cui propterea camelorum cura tradita est, quia Ismahelitæ camelis abundant, & quomodo habendi sint, peritiam habent.

V. 31. IAZIZ AGAREUS: de quo idem quod de Ubil dici potest, & quo ad nationem, & quo ad religionem. PRINCI-

CIPES SUBSTANTIAE REGIS. LXX. γαζοφύλακες appellant, regiarum scilicet divitiarum quæstores, & custodes.

V. 32. PATRUUS DAVID, frater Isai patris David. LITTERATUS. Hebr. est סופר *sopher*, id est *scriba*, quod nomen legis doctoribus tribuebatur. FILIUS HACHAMONI, fortasse frater Iesbaam viri fortissimi, qui princeps inter triginta numeratur supra cap. XI. num. II. dicitur enim uterque filius Hachamoni.

V. 33. AMICUS REGIS. Consiliarius quidem Regis, sed quem Rex peculiari benevolentia prosequebatur. LXX. vocant ἑταῖρ, *socium*. Italice diceremus, *Favorito del Re*. Ita Salomonis amicum legimus Zabud filium Nathan, III. Reg. IV. 5. Vide ibi dicta.

V. 34. POST ACHITOPHEL. τὸ *Post*, Lyranus, & Mariana ad tempus referunt, ut scilicet facti intelligantur consiliarii Ioiadas, & Abiathar post mortem Achitophel. Abulensis autem, & Salianus putant, illa particula *post* significari hos duos Achitophele impares fuisse opinione prudentiæ: nam probabile non videtur, Davidem usque ad mortem Achitophelis distulisse in consilia adhibere Abiathar Pontificem, perpetuum laborum, & periculorum suorum comitem.

TIRINI.

Vers. 1. QUI MINISTRABANT REGI. Præcedentibus capitibus recensuit omnes principes qui de tribu Levi templo Domini deserviebant per vices & classes suas in variis ministeriis: hoc nunc capite recenset principes qui selecti ex omnibus tribubus serviebant Regi, tum in negotiis domesticis, tum in re militari, etiam pacis tempore, ut & armis magis assueti, & notiores essent Regi, & familiariores, & ad omnem casum semper parati. Hi distributi erant in duodecim classes, & in unaquaque classe vigintiquatuor millia bellatorum, qui toto mense uno lunari erant in armis, eo in loco, eo in munere seu officio, quo Rex pro temporum necessitate præscribebat. Reliquis dein undecim mensibus quiescebant hi ab armis, & alii totidem in locum succedebant post singulos quosque menses. Hac ratione nec gravis cuipiam erat militia, nec admodum sumptuosa, licet sine stipendiis militarent: neque præpediebat rei domesticæ, aut propriorum negotiorum curationem; cum facile cuique esset, uno mense per annum domo abesse, & sub signis ære proprio degere. Interim Regi prospectum semper erat de recenti, & tamen veterano milite; & quidem adeo numeroso, ut quibusvis hostibus resistendo esset: nam pro multitudine hostium poterat quot vellet millia ex singulis pro rata classibus evocare: quin & poterat, si opus esset, in singulis classibus numerum duplicare vel triplicare. Principes qui præerant his turmis menstruis, nominatim hic recensentur usque ad versum decimum sextum, & habebant singuli vicarium unum generalem, qui, absente, vel impedito principe, præerat toti illi exercitui. Et hoc est quod versu quarto dicitur, *post se alterum* habuisse; & vers. 7. *post eum* fuisse.

V. 16. PORRO TRIBUBUS PRAEERANT alii qui mox recensentur. Hi erant iure primogenituræ principes singuli suarum tribuum. At qui militiæ præerant, designabantur a Rege pro robore, prudentia, experientia, & talento cuiusque.

V. 23. NOLUIT DAVID NUMERARE ISRAELITAS A VIGINTI ANNIS INFERIUS, id est qui nondum essent viginti annorum: QUIA hi, ut DIXERAT, seu promiserat, DOMINUS, erant MULTIPLICATI QUASI STELLAS CAELI, hoc est innumerabiles, seu qui præ multitudine numerari non possent. Quin nec reliqui qui excedebant vigesimum annum, omnes numerati sunt: licet enim Ioab cœperit numerare, ita iubente Davide II. Reg. ult. non tamen complevit: *quia*, ut ibidem dicitur, *ira* Dei, & sævissima punitio *super hoc*, id est propter eam numerationem, *irruerat in Israelitas*. Quare & cessatum est mox ab ulteriore numeratione, *neque numerus recensitorum relatus est in fastos* regios, Davide utrumque inhibente.

V. 34. POST ACHITOPHEL, laqueo exstinctum, IOIADA, ET ABIATHAR (hic Pontifex, ille e primis sacerdotibus) erant Davidi ab intimis consiliis.

GORDONI.

Vers. 1. VIginti quatuor millia singulis mensibus Regi ministrabant. De ministerio iam dixi.

V. 28. FICETA. Sept. συκαμίνων, *sycomo-*

moros : nec discordat Hebr. ut vertit Pagninus.

V. 32. VIR PRUDENS ET LITTERATUS. Septuag. συνετὸς καὶ γραμματεύς. Noster *litteratum* vocat. Hebr. *intelligens & scriba*, סופר *sopher*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. FILII AUTEM ISRAEL SECUNDUM NUMERUM SUUM, &c. ac si diceret: Numerantur hic principes tribuum, &c. qui ministrabant Regi, disponendi, ut iam dicetur. Aderant Regi per singulos menses viginti quatuor millia. Tribunus præerat mille. PRAEFECTI sunt qui principum familiarum vices gerebant.

V. 2. Incipit a Nisan numerare duodecim menses, usque ad versum decimum quintum.

V. 21. NON COMPLEVIT, irruente ira Dei. Vide II. Reg. cap. XXI. & hic supra cap. XXI. NON EST RELATUS, scilicet distincte per tribus, & familias.

V. 29. SARON mons est, cuius regio campestris est Cæsarea Palæstinæ usque ad Ioppen.

C A P U T XXVIII.

David præparatis ad templi ædificationem omnibus necessariis, Salomonem universosque principes convocatos exhortatur ad mandata Dei custodienda, præscribens formam templi ædificandi.



1. Onvocavit igitur David omnes principes Israel, duces tri-
buum, & præpositos turmarum, qui ministrabant Regi:
tribunos quoque & centuriones, & qui præerant substantiæ
& possessionibus Regis, filiosque suos cum eunuchis, & pot-
entes, & robustissimos quosque in exercitu Ierusalem. 2.
Cumque surrexisset Rex, & stetisset, ait: Audite me fra-
tres mei, & populus meus: Cogitavi ut ædificarem domum,
in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: &
ad ædificandum, omnia præparavi. 3. Deus autem dixit mihi: (*a*) Non ædifi-
cabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis. 4.
Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem Rex
super Israel in sempiternum: de Iuda enim elegit principes: porro de domo Iu-
da, domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret Re-
gem super cunctum Israel. 5. (*b*) Sed & de filiis meis (filios enim mihi mul-
tos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno re-
gni Domini super Israel, 6. dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit * do-
mum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in
patrem. 7. Et firmabo regnum eius usque in æternum, si perseveraverit facere
præcepta mea, & iudicia, sicut & hodie. 8. Nunc ergo coram universo cœtu
Israel, audiente Deo nostro, custodite, & perquirite cuncta mandata Domini
Dei nostri: ut possideatis terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris post
vos usque in sempiternum. 9. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris
tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario: (*c*) omnia enim corda
scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum,
invenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. 10. Nunc ergo quia

elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarii, confortare, & perfice. 11. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, 12. nec non & omnium quæ cogitaverat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum, 13. divisionumque Sacerdotalium, & Leviticarum, in omnia opera domus Domini, & in universa vasa ministerii templi Domini. 14. Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum, & operum diversitate. 15. Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscuiusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ pondus argenti tradidit. 16. * Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum; similiter & argentum in alias mensas argenteas. 17. Ad fuscinulas quoque, & phialas, & thuribula, ex auro purissimo, & leunculos aureos, pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diversum argenti pondus separavit. 18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim, extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini. 19. Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. 20. Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini. 21. Ecce divisiones Sacerdotum, & Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi; & parati sunt, & noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

(a) II. Reg. VII. 13. (b) Supra IX. 7. (c) Psal. LXXI. 10.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Domum meam, & atria mea*. Cave ne scribas *altaria*, quod est *aras*, pro *atria*.
V. 16. *Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum*. Plurale *mensas* non est mutandum cum singulari *mensam*, nec pro voce *mensarum*, substituenda est vox *mensuræ* a metiendo dicta.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. FILIOSQUE SUOS. Hebr. & LXX. *filiorumque suorum*. EUNUCHIS. Quidam putant significari Essenos, qui lectioni, & orationi intenti, ab uxoribus abstinebant. IERUSALEM, scilicet eos convocavit.

V. 4. SEMPITERNUM, id est longum tempus, vel de Christo intelligendum. PRINCIPES. Hebr. & LXX. *ducem*.

V. 9. SCITO, id est cognosce.

V. 10. PERFICE. Hebr. & LXX. *fac*.

V. 11. ET TEMPLI. Hebr. & LXX. *Et domorum eius*. CELLARIORUM, scilicet circa templum. COENACULI, scilicet supremi cellarii: erant enim tres ordines. Hebr. & LXX. *Cœnaculorum eius*. ET CUBICULORUM, scilicet sacerdotum, vel thesaurorum; vel *&* pro *id est* positum. IN ADYTIS. Hebr. & LXX. *interiorum*. PROPITIATIONIS, id est propitiatorii.

V. 12. ATRIORUM; pro, nempe atriorum;

rum: scilicet atrii sacerdotum, & atrii laicorum. EXEDRARUM, id est cubiculorum. LXX. *pastophoriorum*. SANCTORUM, id est rerum Deo consecratarum, vel ad templi restaurationem oblatarum.

V. 13. DIVISIONUMQUE, scilicet ad varia ministeria.

V. 14. PER SINGULA, pro ad singula.

V. 16. DIVERSITATE MENSARUM, id est singulis mensis.

V. 19. LEUNCULOS. Alii *crateres*, LXX. *cyathos*. Vox quidem Hebraea (ut nunc legitur) *craterem* significat, aut *cochlear*, non *leonem*: idque in quatuor locis huius versus.

V. 18. QUADRIGAE. LXX. *currus*: scilicet repraesentabatur Deus super Cherubim sedens, velut super currum: unde Psalm. LXXIX. *Qui sedes super Cherubim*.

V. 19. SCRIPTA, scilicet descripta.

V. 21. NOVERUNT, pro noscent, id est obedient, seu iuvabunt exequentes, ut indicant Hebr. & LXX.

ESTII.

Vers. 2. COGITAVI UT AEDIFICAREM DOMUM, IN QUA REQUIESCERET ARCA FOEDERIS DOMINI, ET SCABELLUM PEDUM EIUS. Locutio ista haud dubie figurata est. Neque enim Deus in sua divina natura proprie pedes habet, ut egeat scabello, vel suppedaneo; sed arcam vocat scabellum pedum eius, quod super eam Deus se peculiari modo exhiberet praesentem, videlicet per exauditionem orationum, & per responsa quae inde dabat. Hic locus explicat nobis illud Psal. XCVIII. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Qui versus etsi ab Augustino intelligatur de adoratione latriae corporis Christi, quod de terra sumptum a nobis adoratur; tamen ad litteram, ut ex hoc loco ostenditur, intelligitur de arca Domini, quam iubet adorari, id est cum corporis inclinatione venerari, de qua & in Psalm. XI. dicitur: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*. Cherubin ergo erat sedes Dei, iuxta illud Psalm. LXXIX. *Qui sedes super Cherubim*; arca vero scabellum, ut hic. Nempe Cherubim in illo sacro loco sursum erant, arca deorsum. Quod si tali modo adoranda erat arca Domini, nihil vetat etiam nunc imagines Christi, & sanctorum sic adorari. Nam multo expressiorem significationem rei sacrae habet imago picta, vel sculpta, quam arca, vel cistula.

V. 19. OMNIA, INQUIT; VENERUNT SCRIPTA MANU DOMINI AD ME, UT INTELLIGEREM UNIVERSA OPERA EXEMPLARIS. Tradunt Hebraei exemplar templi, & vasorum eius Moysi in monte fuisse demonstratum, simul cum exemplari tabernaculi, & ab eo traditum fuisse Iosue, & ita deinceps per iudices usque ad Samuelem, ab hoc ad Davidem, a Davide ad Salomonem. Traditio illa fundamentum in Scriptura non habet. Simplicius est, ut intelligamus Davidem ipsum in sua persona accepisse a Deo revelationem totius figurae, & constitutionis templi per filium suum Salomonem aedificandi; ac proinde singula templi opera, sicut & olim tabernaculi, fuisse plena mysteriis.

MARIANAE.

Vers. 1. ET POSSESSIONIBUS REGIS qui praeerant. Vocem *mikneeh* omnes *possessiones* interpretantur; posset tamen sumi etiam pro *gregibus*, quos David multos habuit, & omnifariam. IERUSALEM: scilicet convocavit duces & principes, omnes praepositos, de quibus egit.

V. 2. CUMQUE SURREXISSET. Hebr. *Et surrexit Rex*, scilicet de lecto, ubi propter aetatem iacebat. ET STETISSET. Hebr. *super pedes suos*. Volui aedificare domum, ubi esset SCABELLUM PEDUM DEI NOSTRI. Sic arcam vocat, quoniam Deus inter alas Cherubini sedere supra propitiatorium credebatur, pedibus arcae inniti: inde certe responsa reddebat.

V. 4. ELEGIT PRINCIPES; id est, voluit ex Iuda Principes, & Reges populi legi. Hebr. & Sept. *In Iuda elegit ducem, & in ea elegit domum patris mei, & ex ea me voluit Regem esse*.

V. 8. AUDIENTE DEO NOSTRO; subaudi, edico vobis, ut mandata eius custodiatis.

V. 9. SCITO DEUM, o Salomon;

Prius scire, deinde quærere. Oseæ VI.3. *Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Deum*. MENTIUM COGITATIONES scrutatur Deus: sic Sept. Hebr. *Figmenta cogitationum*. יצר *iezer* est proprie *pravitas*, *astutia cogitationum*: dixerat nempe út sequeretur Deum corde perfecto, quia Deus pravitatem cognoscit.

V. 11. DESCRIPTIONEM porticus dedit David filio, id est imaginem, exemplar. ET TEMPLI. Hebr. *Et domorum eius*: sic Sept. nimirum prope porticum domunculæ erant. ET CELLARIORUM. Sic Sept. Hebræus vocem Hebr. ait significare *cellas*, seu *æraria*, ubi thesauri sanctificati erant. ET COENACULI. Hebr. & Sept. *Cænaculorum eius*: nam plura erant cubicula superiora, id *cænaculum* est. ET CUBICULORUM IN ADYTIS. Hebr. & Sept. *Et cubiculorum eius interiorum*. Porro pronomen *eius*, quod Hebr. repetitur, semper refert porticum.

V. 12. NEC NON ET OMNIUM QUAE COGITAVERAT ATRIORUM. Hebr. *Et imaginem omnis quod fuit in spiritu cum eo ad atria domus Domini*. Sept. *Et exemplar omnium quæ fuerunt in spiritu cum eo, & atriorum domus Domini*. Hinc colligunt quidam, divinitus fuisse templi formam fabricæ a Deo Davidi inspiratam. THESAUROS SANCTORUM. Hebr. *sanctitatum*, id est qui erant Deo sanctificati. Hoc est, ærariorum formam descripsit.

V. 13. DIVISIONUMQUE SACERDOTALIUM. *Divisiones* vocat turmas sacerdotum, qui ad ministeria suis temporibus conveniebant: iis exedræ in templo, ubi habitarent, designatæ erant.

V. 14. AURUM IN PONDERE. Heb. *Ad aurum, in pondere ad aurum* (scilicet exedræ deserviebant ad reponendum in eis aurum) *in omnia vasa ministerii & ministerii*, id est omnium ministeriorum. Hieronymus dixit, PER SINGULA VASA MINISTERII, id est ad singula vasa. ARGENTI QUOQUE PONDUS. Heb. *Ad omnia vasa argenti in pondere* (scilicet deserviebant exedræ.) PRO VASORUM ET OPERUM DIVERSITATE. Hebr. *Ad omnia vasa ministerii & ministerii*.

V. 15. IN CANDELABRA AUREA. Hebraica sunt implicita, sed sententia, quam expressit Hieronymus. PONDUS ARGENTI TRADIDIT. Additum ab Interprete, & a Sept. sed supplent ex vers. 14. ubi dixit: *Dedit autem David argenti pondus ad omnia vasa ministerii*.

V. 16. AURUM QUOQUE DEDIT. Iidem de suo addunt verbum *dedit*: qua ratione, diximus.

V. 17. ET THURIBULA. Alii *calamos* vertunt. ET LEUNCULOS. Alii *crateres* vertunt; ac Hebræus putat eos fuisse quibus sanguis hostiarum accipiebatur: quod in sequentibus dictum putato, quoties *leunculos* hic, aut *leones* Hieronymus ponit. Sept. *phialas*, & *cyathos* vertunt. Nimirum Hieronymus pro כפור *cepour*, ut modo est, id est *phialam*, legit כפיר *cephir*, quæ vox *leonem* significat.

V. 18. UT EX IPSO FIERET SIMILITUDO QUADRIGAE CHERUBIM, EXTENDENTIUM ALAS, ET VELANTIUM ARCAM. Videtur deesse coniunctio &, *ut ex ipso fieret*. Sic est in Goth. Sept. etiam & addunt. Hebr. etiam sic: *Et ad imaginem quadrigæ Cherubinorum aurum, ad expandentes, & tegentes super arcam*. Porro quadrigæ similitudinem *Cherubim* vocat, quibus ut currui insidebat Deus. Psal. LXXIX. 2. *Qui sedes super Cherubim*.

V. 19. OMNIA, INQUIT, VENERUNT SCRIPTA, id est descripta. Hebr. *Omnia in scriptura de manu Domini super me* (qui) *docuit omnia opera exemplaris*, seu *descriptionis*. Vides quod vers. 12. est dictum, a Deo fuisse formam fabricæ inspiratam.

V. 21. IN OMNE MINISTERIUM DOMUS DOMINI; supple, præsto erunt sacerdotes & Levitæ. ASSISTUNT TIBI, ET PARATI SUNT, ET NOVERUNT. Hebr. *Et tecum* (scilicet erit) *in omne opus omnis voluntarius in sapientia ad omne ministerium*; id est, certatim, & sponte periti artifices suas operas offerent. TAM PRINCIPES QUAM POPULUS FACERE OMNIA PRAECEPTA TUA. Hebr. *Et principes, & omnis populus ad omnia verba tua*; supple, se obedientes præbebunt. Multiplicem opem David affuturam pollicetur Salomoni.

MAL-

MALVENDAE.

Vers. I. CONVOCAVIT IGITUR DAVID OMNES PRINCIPES, &c. Notant, regressionem iam hic esse ad historiam quam cœperat narrare supra cap. XXII. de his autem principibus tribuum, & distributionum, &c. superiore cap. XXVII. abunde actum.

V. 2. CUMQUE SURREXISSET REX, ET STETISSET. Hebr. *Et surrexit David Rex in pedes suos*. Exponunt, a lecto. in quo præ senectute iacere solebat, honorem exhibens verbo Dei, quod propositurus erat: de quo ritu vide in Genes. XLIX. 32. COGITAVI UT AEDIFICAREM, &c. Hebr. *Ego cum corde meo ad ædificare, &c.* Quidam: *Ego cum corde meo statueram*, vel *ego apud me statueram*, *ædificare*, &c. Alii: *Ego cum esset mihi in animo ædificandi locum*, &c. Vide de hac locutione supra cap. XXII. vers. 7. Vide etiam de hoc Davidis consilio II. Samuel. VII. II. & sequentibus. ET SCABELLUM PEDUM DEI NOSTRI, id est arca: nam Deus veluti sedens in operculo propitiatorio arcæ, ipsam arcam pro suppedaneo habere videbatur. Inde enim tamquam pro tribunali sedens responsa reddebat.

V. 3. EO QUOD SIS VIR BELLATOR, ET SANGUINEM FUDERIS. Quidam reddunt: *Quia vir bellis occupatus es, & sanguinem fundis*. Sed vide supra cap. XXII. vers. 8.

*V.*4. DE IUDA ENIM ELEGIT PRINCIPES. Hebr. singulariter: *Quia in Iehudah elegit in ductorem*. Quidam: *Quia Iehudam elegit in antecessorem*. Vide Genes. XLIX. 8. & sequentibus. DE DOMO IUDA DOMUM PATRIS MEI, seu *de familia Iehudæ familiam patris mei*. I. Samuel. XVI. I.

V. 7. SI PERSEVERAVERIT FACERE PRAECEPTA MEA. Hebr. *Si obtinebit ad facere præcepta mea*. Quidam: *Si fortiter agat faciendo præcepta mea*: vel *si pro virili fecerit præcepta mea*: aut *si fortis fuerit faciendis præceptis meis*. Alii: *Signaviter fecerit præcepta mea*. Nonnulli: *Si firmus fuerit in exercendis præceptis meis*. SICUT ET HODIE. Hebr. *Sicut die ista*, vel *sicut hoc tempore*, subaudi facit; quasi dicat: Si perseveraverit servare legem meam. Aliqui: *Sicut hodie*, firmum ac stabilem est regnum, iungunt cum initio versus; quasi dicat, haud dubie.

V. 9. PROIICIET TE. Hic primum in Scriptura occurrit verbum זנח *zanach*, & ponitur in futuro Hiphil, cui omnia ista subiiciunt: *Elongare faciet*, *removere faciet*, *contemnet*, *abominabitur*, *repudiabit*, *repellet*, *reiiciet*, *abiiciet*, *deseret*, *desinet*, *te*: nam verbum Latinum *desino*, ex Hebraico factum putant; quasi dicat: Procul te loco movebit, penitus repellet, & abiiciet. Formula Hiphil significatum auget. Quidam reddunt: *Faciet oblivisci te in sæculum*.

V. II. ET CELLARIORUM. גנזכים *ganzaccim* quidam idem esse volunt cum גנזים *genazim*, inserta littera Caph; quasi dicat *gazaria*, ubi *gazæ* reponebantur: *gazophylacia* reddunt; alii *thesauros*, *repositoria*. Quidam componunt ex גנז *ghanaz*, *reposuit*, & זכך *zachach*, *mundus fuit*, quasi *repositoria munda*, & *pura*. Exotica vox videtur, nec alibi in sacris libris invenitur. Vide Hezræ v. 17. ET COENACULI. Hebr. pluraliter: *Et superiorum cameratorum*, *aularum*. Vide de hac voce in Iudic. III. 20. & de re vide II. Paralipomen. III. 9.

V. 12. NEC NON ET OMNIUM QUAE COGITAVERAT. Hebr. *Et structuram, deformationem, omnis quod fuit in spiritu cum eo*. Quidam, *Et deformationem*, seu *exemplar omnium, quæ secum habebat in animo*. Alii: *Denique structuram omnium quæ erant penes eum informata per spiritum*; id est, auctore Spiritu sancto, ut ipse exponit infra vers. 19. ET IN THESAUROS SANCTORUM. Hebr. *Et pro thesauris sanctitatum*, id est rerum sacrarum, seu consecratarum, sive Deo oblatarum.

V. 14. AURUM IN PONDERE PER SINGULA VASA, &c. Hunc versum subobscure nos ex ordine, & proprietate verborum Hebraicorum expressimus (*Auro in libratione auro*; *omnibus vasis servitii & servitii: omnibus vasis argenti in libratione*, *omnibus vasis servitii & servitii*.) Alii diversimode ad lucem I. *Pro auro in pondere ad aurea*, *pro omnibus vasis singulorum ministeriorum*: *pro omnibus vasis argenti in pondere*, *pro omnibus vasis singulorum ministeriorum*. II. *In auro in pondere auri*, *in omnibus vasis singulorum ministeriorum*: *in*

omni-

omnibus vasis argenteis in pondere, in omnibus vasis singulorum ministeriorum. III. *Dedit aurum in pondere in aurum*; id est, pro conficiendis vasis aureis; id est, *pro omnibus vasis singulorum ministeriorum: dedit praeterea in omnia vasa argentea argentum in pondere, pro omnibus vasis singulorum ministeriorum*. IV. *Pro auro in pondere, pro auro, ad omnia vasa diversorum ministeriorum: ad omnia vasa argentum in pondere, ad omnia vasa diversorum ministeriorum*. V. *Aurum* scilicet tradidit *certo pondere ad aurea, ad singula instrumenta cuiuscumque ministerii: tam in sancto* ubi adhibebantur instrumenta aurea, quam in atrio, ubi argentea: quomodo etiam tres sequentes versus sunt accipiendi: *argentum ad omnia instrumenta argentea certo pondere ad singula instrumenta cuiuscumque ministerii*. MINISTERII. Hebr. geminatur, *Servitii & servitii*; vel *cultus & cultus*; seu *ministerii & ministerii*; id est, singulorum, seu diversorum ministeriorum, aut cuiuscumque ministerii: sic paulo inferius.

V. 15. SED ET IN CANDELABRA AUREA, &c. Hunc etiam versum nos verbatim ex Heb. transfudimus (*Et libratio lucibulis auri, & lucernis eorum auri in libratione lucibuli & lucibuli, & lucernarum eius: & lucibulis argenti in libratione lucibulo, & lucernis eius, secundum servitium lucibuli & lucibuli*.) Alii vero varie ad sensum. I. *Et pondus pro candelabris aureis, & lucernis eorum aureis, in pondere singulorum candelabrorum, & lucernarum eorum: & pro candelabris argenteis in pondere pro candelabro & lucernis eius, secundum ministerium singulorum candelabrorum*. II. *Et pondus in candelabris aureis, & lucernis eorum aureis, in pondere candelabri & candelabri, & lucernarum eius: & candelabris argenteis in pondere, pro candelabro, & lucernis eius, secundum ministerium cuiuslibet candelabri*. III. *Pondus insuper auri in candelabra aurea, & lucernas eorum aureas, dedit, inquam, aurum in pondere pro singulis candelabris, & lucernis eorum: pro candelabris autem argenteis dedit argentum in pondere, pro candelabro, & lucernis eius, secundum ministerium cuiuslibet candelabri*. IV. *Et pondus auri ad candelabra aurea*: sive, *Et dedit aurum in pondere pro candelabris aureis, aurum quoque ad lucernas eorum*: aurum hoc erat in pondere pro singulis candelabris, & lucernis eius: *argentum quoque in pondere pro candelabro, & lucernis eius*, ut singulorum candelabrorum ministerium exigebat. V. Idest, *Pondus pro lichnuchis aureis, & lucernis eorum aureis, ex pondere cuiuscumque lychnuchi, & lucernarum eius, secundum ministerium cuiuscumque lychnuchi*. PRO MENSURA UNIUSCUIUSQUE CANDELABRI. Heb. *In pondere candelabri & candelabri*, id est singulorum candelabrorum, vel uniuscuiusque candelabri. Sic in fine versus, & versu sequenti, *mensae & mensae*, id est in quamcumque mensam, vel pro singulis mensis: & vers. 17. *crateri & crateri*, in singulos crateres.

V. 17. AD FUSCINULAS QUOQUE, ET PHIALAS, ET THURIBULA, &c. Tria haec nomina in ambiguo casu reddi possunt ex Heb. *Et fuscinae, & aspersoria, & chantari*: vel *& fuscinas, & aspersoria, & cantharos*: seu in dativo, *Et fuscinis, & aspersoriis, & cantharis*, subaudi dedit, *aurum mundum*. Quidam: *Et pro fuscinulis, & crateribus, & acerris aurum mundum*. Alii: *Item aurum mundum pro fuscinulis, pro pelvibus sparsoriis, & dimidiatis fistulis*. Nonnulli: *Item pro fuscinulis, & crateribus, & scutellis aurum purum*. ET LEUNCULOS AUREOS. Noster legit כפירי *cephire* pro כפורי *cephore*, quod aiunt esse *scyphos tectos*, seu cum operculis; alii *crateres, cochlearia, pelves*; nonnulli *malluvia*. Nos ex nativa vocis significatione, *expiatoria*, vasa scilicet ad expiandum idonea, vel quibus sanguis expiatorius victimarum excipiebatur. Quidam reddunt: *Et pro pelvibus aureis certo pondere in quamcumque pelvim: & pro pelvis argenteis certo pondere in quamcumque pelvim*.

V. 18. AURUM PURISSIMUM. מזקק *mezukkak*, exponunt *fusum, liquatum, liquefactum, subtiliatum, tenuatum, colatum, excolatum, percolatum, decolatum, defaecatum, depurgatum, depuratum, purgatissimum*. UT EX IPSO FIERET SIMILITUDO QUADRIGAE CHERUBIM Hebr. *Et ipsi structurae, vecturae, Cherubim, aurum*. Quidam: *Et pro figura equitatus, Cherubim aureos*; id est, fecit, vel monstravit facere Cherubim aureos, quibus Deus inequitaret, II. Samuel. XXII. 11. & Psal. XVII. 11. Aliqui: *Et pro similitudine* המרכבה *bammercabah*, הכרובים *baccerubim*, *currus Cherubim*: ubi

ubi appositione nominis *Cherubim* (nam *mercabah* non est in regimine) exponit seipsum, quod per currum aliud significari, & intelligi non velit nisi ipsos Cherubim ; & quod hæ duæ voces tantum inter se differant metathesi litterarum : nam *cherub*, a רכב *rachab*, *vexit*, *equitavit*, transposito dici existimant. Vide Genes. III. 24. Alii : *Et pro figuræ equitaturæ currus, id est Cherubim, aurum* ; hoc est, pro conficiendis Cherubinis super quos Deus insidebat, dedit aurum. Nonnulli : *Et ad structuram sedilis*, id est *Cherubinorum*, *aurum*. *Sedile* vocare aiunt ipsos Cherubinos, quia illis Deus insidere dicitur, I. Samuel. IV. 4. Nec desunt qui reddant : *Et ad structuram vecturæ Cherubim*, *aurum* : quod Cherubini opere automato fabricati essent, ut se motitare, & aliis sponte vehi viderentur. Vide II. Paralipom. III. 10. EXTENDENTIUM ALAS, ET VELANTIUM ARCAM FOEDERIS DOMINI. Hebr. in dativo, *Expandentibus*, *& cooperientibus super arcam fœderis Iehovæ*. Quidam, *Pro expandentibus*, *& tegentibus arcam fœderis Iehovah*. Aliqui Lamed pro He capiunt : *Qui expandebant*, *& tegebant arcam*, &c. Alii : *Ut pandentes alas tegerent arcam fœderis Iehovæ*. Vide I. Reg. VI. 23. & sequentibus.

V. 19. OMNIA, INQUIT, VENERUNT SCRIPTA, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebr. reddidimus (*Omnia in scripto de manu* IHUH *super me intelligere fecit : omnia ministerialia structuræ*.) Alii aliter. I. *Omnia in scriptura de manu Iehovah super me : intelligere fecit omnia opera similitudinis*. II. *Omnia in scriptura de manu Iehovæ super me intelligere fecit me : omnia, inquam, opera figuræ* ; id est, omnia supra dicta, manu & digito Dei scripta, misit ad me Deus, ut ea familiarius me doceret. III. *Omnia in deformatione*, sive *exemplari*, *ex manu Domini*, *qui me intelligentem reddidit*, *in omni opere deformato*. IV. *Hæc omnia de scripto*, *a manu Iehovæ incumbere mibi instruxit me* ; *omnia opera hujus structuræ*. Aliqui : *Scripturam* hanc, seu *structuram*, aut *deformationem*, sive *exemplar*. Hispanice *traça*, *modelo*, internam, & spiritualem significari putant : sed nihil vetat ut etiam externam, & corpoream, aspectabilemque intelligamus, ut etiam ipsis artificibus inserviret ;

V. 20. VIRILITER AGE, ET CONFORTARE. Hebr. *Obtine*, *& surrige*. Vide de hac locutione in Iosue I. 6. DOMINUS ENIM DEUS MEUS. Hebr. *Quia* IHUH, *Elohim*, *Elohim meus* : ut innuat mysterium sacræ Trinitatis. DONEC PERFICIAS. Quia Hebr. est infinitivus ex Kal, intransitive exponunt, *Usque ad consummari*, *compleri*, &c. hoc est, donec completum fuerit omne opus, &c.

V. 21. ASSISTUNT TIBI, ET PARATI SUNT, &c. Posteriorem hanc partem versus nos more nostro ad verbum ex Hebr. transfudimus (*Et tecum in omni ministeriali*, *omni beneficio in sapientia*, *omni servitio*.) Diverse alii. I. *Et tecum in omni opere*, *ad omnem spontaneum in scientia*, *ad omnem servitutem* : iungunt antecedentibus ; quasi dicat : Distributiones sacerdotum, & Levitarum, non solum sunt ad omne ministerium domus Elohim, quod est proprium eorum munus ; sed etiam sunt tecum in omni opere, in spontaneos, & scientes ; id est, spontanei, & gnari rerum agendarum, ut tibi adsint, cum opus fuerit. II. *Tecum*, *inquam*, *erunt in omni opere*, *omnes spontanei in sapientia in omni ministerio* : vel *omnes liberales*, *sapientes*, vel *docti* ; quasi dicat : Omnes adiuvabunt te, & sacerdotes, & Levitæ : ipsi etiam artifices ultro, & liberaliter tibi offerent operas suas doctas, ad omne opus, & ministerium templi. III. *Tecum sunt in omni opere*, *una cum omni*, *qui voluntarius est sapientia*, *ad omne ministerium*. IV. *Et penes te sunt ad omne opus omnes voluntarii instructi peritia ad omne ministerium*. De notione nominis נדיב *nadib*, *beneficus*, vide Numeror. XXI. 18. FACERE OMNIA PRAECEPTA TUA. Hebr. in dativo, *Omnibus verbis tuis* ; vel *ad omnia verba tua* ; seu *ad omnia negotia tua* ; subaudi, parati.

MENOCHII.

Vers. 1. CONVOCAVIT OMNES PRINCIPES, &c. ut nimirum comitia celebrarentur, & Salomoni regnum communi suffragio confirmaretur. DUCES TRIBUUM, quorum nomina recenientur superiori cap. num. 16. & deinceps. PRAEPOSITOS TURMARUM, qui viginti quatuor millibus præerant

erant, qui superiori capite ab initio & deinceps omnes recensentur. TRIBUNOS, ET CENTURIONES. Vide dicta superiori capite numero 1. QUI PRAEERANT SUBSTANTIAE, &c. Vide dicta superiori capite numer. 31. CUM EUNUCHIS, cubiculariis viris nobilibus, & spectata fide, & probitate. Italice diceremus *Mastri di camera*. POTENTES, ET ROBUSTISSIMOS, proceres regni, ac præsertim fortes illos Davidis, qui numerantur II. Reg. XXIII. & hoc Lib. cap. XI.

V. 2. CUMQUE SURREXISSET REX: iacebat enim lectulo affixus propter senium, & afflictas vires. Vide Abulensem quæst. VII. in hoc caput. SCABELLUM PEDUM DEI NOSTRI. Vocatur arca *scabellum pedum*, quia Deus dicebatur sedere super alas Cherubim, quæ propitiatorium inumbrabant. Vide II. Reg. VI. 2.

V. 3. DEUS AUTEM DIXIT MIHI, &c. Vide II. Reg. VII. 13. & ibi dicta. Vide etiam supra cap XXII. 8.

V. 4. IN SEMPITERNUM, regno perpetuis successionibus ad posteros meos transmisso. Porro phrasi Scripturæ, *In sempiternum*, longum tempus significat, ut docet Abulensis quæst. XV. Vel certe de Christo accipiendum est.

V. 5. ELEGIT SALOMONEM: significavit enim Davidi Dominus per Nathan Prophetam, Salomonem regnaturum, & ædificaturum templum, supra cap. XXII. 9.

V. 6. DOMUM MEAM, ET ATRIA MEA, templum, & atria circumiecta. IPSUM ENIM ELEGI MIHI IN FILIUM, &c. Vide dicta II. Reg. VII. 13. & 14.

V. 7. SICUT ET HODIE: sicut hoc tempore servantur.

V. 8. CORAM UNIVERSO COETU, scilicet adhortor vos, & rogo.

V. 9. SCITO DEUM PATRIS TUI: Deum Israel scito esse eum quem colere debeas.

V. 11. DESCRIPTIONEM PORTICUS, &c. Quam descriptionem impressam divinitus intellectui Davidis putat Caietanus, a Davide autem depictam filio Salomoni datam: quare quod dicitur num. 19. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me*, non de scriptura, & delineatione corporali, sed spirituali intelligit. Salianus autem Tom. III. anno mundi 3021. num. 56. existimat materiatam templi, & atriorum ideam divinitus Davidi datam, ut verborum textus proprietas servetur. PORTICUS. Vide dicta III. Reg. VI. 3. CELLARIORUM. Quidam apud Abulensem cellaria sub templo constituunt, in quibus ea servarentur quæ frigus amant, quale est vinum, oleum, & huiusmodi. Melius videntur sentire alii apud eumdem, qui tres statuunt in templo contignationes, in quarum secunda cellaria essent, ad supellectilem sacram servandam. Vel certe cellaria sunt cubicula intra parietes templi; de quibus vide III. Reg. VI. 5. & quæ ibi notavimus. COENACULI. Cœnaculum est suprema templi pars, quæ immediate est sub tecto. CUBICULORUM IN ADYTIS. Cubicula intelligit quæ erant in atriis, in quibus noctu Levitæ, qui ianitores erant, habitabant. DOMUS PROPITIATIONIS, Sancta sanctorum, ubi erat arca, & propitiatorium, qui etiam locus erat propitiationis Dei, qui sacrificiis, & orationibus placabatur, & supplicibus propitius reddebatur.

V. 12. EXEDRARUM, id est cubiculorum, LXX. habent *pastophoriorum*. IN THESAUROS, ad servandos thesauros templi, pecuniam, aurum, argentum, &c. THESAUROS SANCTORUM, id est rerum pretiosarum Deo consecratarum, aut ad templi restaurationem oblatarum.

V. 13. DIVISIONUMQUE SACERDOTALIUM, ET LEVITICARUM. Nam tam Sacerdotes, quam Levitæ, qui cantores erant, ianitores, &c. divisi erant in classes, & vices suas, ut supra vidimus cap. XXIV. num. 25. & 26. Hanc ergo divisionum seriem, & catalogum dedit David Salomoni. IN OMNIA OPERA DOMUS DOMINI. Significatur has divisiones statutas fuisse, ut opera & ministeria templi decore exercerentur, & ordinate. ET IN UNIVERSA VASA MINISTERII TEMPLI DOMINI. Descripsit enim David quæ vasa fieri deberent in templo, cuius materiæ, & figuræ, & ad quem usum essent adhibenda.

V. 14. AURUM IN PONDERE. Descripsit quantum auri pondus deberet impendi in ea vasa quæ aurea esse debebant; & ipsum etiam aurum tradidit, & argentum, ut habetur num. 15. proxime sequenti.

V. 15.

V. 15. IN CANDELABRA AUREA. In tabernaculo Mosis unicum fuit candelabrum, in templo vero Salomonis fuerunt plura, hoc est decem, III. Reg. VII. 49. nam cum Dominus Exod. XXV. unum iussit fieri candelabrum, non vetuit plura fieri, cum templum tabernaculo amplius esset excitatum, & populus divitiis auctus esset.

V. 16. IN MENSAS PROPOSITIONIS, quæ in templo Salomonis tot fuerunt quot erant candelabra, hoc est decem. Vide II. Paral. XLVIII. Vide Salian. Tom. III. anno mundi 3024. num. 96. PRO DIVERSITATE MENSARUM. Ex Hebræo vertunt Pagninus, & Vatablus, *Pro singulis mensis*. Itaque sensus est, designasse Davidem quantum auri insumendum esset in singulas mensas. Vulgatæ nostræ editionis verba illud significare videntur quod diceremus Italice: *Diede oro per far diverse mense per li pani di proposizione*. IN ALIAS MENSAS ARGENTEAS, quibus pateræ, & vasa ad usum sacrorum imponerentur.

V. 17. LEUNCULOS. Alii *crateres*. LXX. *cyathos*. Vox Hebræa ut nunc legitur, craterem significat, aut cochlear, non leonem, sed facilis fuit unius litterulæ mutatio in aliam per similem, Iod scilicet in Vau, vel vicissim Vau in Iod: nam כפור *cephor*, *craterem*, *cochlear*, aut *pelvim* significat, כפיר *chephir* autem *leonem*. Fortasse vasa hæc erant leunculis ornata, & speciem aliquam illorum referebant, unde affine illis nomen, & ab eadem radice deductum adhæsit. SIMILITER ET IN LEONES ARGENTEOS. Vasa eiusdem cum superioribus formæ, sed non eiusdem materiæ.

V. 18. IN QUO ADOLETUR INCENSUM, altari thymiamatis. SIMILITUDO QUADRIGAE CHERUBIM. In lateribus huius altaris expressæ erant quadrigæ Cherubim, quales non semel in Scriptura memorantur, & Ezechieli ostensæ sunt eius prophetiæ cap. I. Vide huius quadrigæ schema apud Pradum in cap. I. Ezech. Erat tamen aliquod discrimen, nam Cherubim hic (quod in Pradi figura expressum non est) alis velasse arcam dicuntur; quod ita fortasse explicare possumus, ut extensis alis duo Cherubim sedem Dei constituerent, & simul iisdem arcam velarent, quatuor vero currum gloriæ Dei traherent.

V. 19. SCRIPTA MANU DOMINI. Vide dicta num. II.

V. 21. DIVISIONES SACERDOTUM, &c. classes, & vices Sacerdotum, & Levitarum, de quibus dictum est numero decimo tertio. NOVERUNT, id est parati sunt.

TIRINI.

Vers. 1. EUNUCHIS, id est officialibus aulæ regiæ, seu palatinis, ut dixi Genes. XXXVII. 36. Porro.

V. 2. SCABELLUM PEDUM DEI NOSTRI. Sic vocabatur arca fœderis: quia Deus qui inter alas Cherubinorum supra propitiatorium sedere credebatur, pedibus suis arcæ quasi scabello inniti, atque ita responsa petentibus dare dicebatur. Vide Exodi XXV.

V. 4. DE IUDA ELEGIT *principem*: sic enim in singulari legunt Hebræa, Chaldæa, & Græca. Noster Latinus vertit in plurali PRINCIPES; quasi dicat: Deus voluit e tribu Iuda principes populi sui, id est Reges, deligi, non modo iam, sed & deinceps. Id vero se velle significavit primum Genesis XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. dein Iudic. I. 2. *Iudas erit dux belli*: denique I. Reg. XVI. 1. & II. Reg. III. 18. & cap. V. vers. 2. cap. VII. vers. 13. & alibi sæpius.

V. 9. SCITO DEUM; id est, certa & firma fide cognosce Deum: nam absque eo nemo potest aut servire, aut placere Deo: quod hic intendit David persuadere Salomoni.

V. 11. DOMUS PROPITIATIONIS est locus in quo erat figendum propitiatorium, puta Sanctum sanctorum.

V. 12. THESAURI SANCTORUM sunt æraria in quibus ea quæ Deo consecrabantur, & sic sancta fiebant, adservabantur.

V. 13. DIVISIONES SACERDOTALES, ET LEVITICAE, sunt distributiones Sacerdotum, & Levitarum per classes & vices, de quibus cap. XXIII. & seq.

V. 18. SIMILITUDO QUADRIGAE CHERUBIM. Cum enim antea in tabernaculi propitiatorio per Mosen facto non essent nisi duo Cherubini, qui quasi bigam fa-

faciebant, cui Deus insideret: iam iubetur quadriga fieri, duobus aliis Cherubinis adiectis, ut dixi III. Reg. cap. VI. & dicam Ezechiel. I.

V. 19. OMNIA VENERUNT SCRIPTA MANU DOMINI AD ME, seu descripta, & delineata manu Angeli, vicem Dei supplentis. Hinc patet, sicut olim Moysi tradita ab Angelo fuit idea tabernaculi, & omnis ornatus illius, ita nunc Davidi formam templi, & omnis suppellectilis illius, quia in multis magna fiebat mutatio, cælitus traditam fuisse. Vide III. Reg. VI.

GORDONI.

Vers. 9. TU AUTEM SALOMON. Post hanc ad filium apostrophen, proponit vers. II. formam templi. Addit cetera ad opus necessaria vers. 15. & deinceps.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. SCABELLUM. Vocatur arca *scabellum pedum*, quia Deus sedere dicitur super Cherubim. Vide II. Reg. VI. vers. 2.

V. 5. ELEGIT SALOMONEM... UT SEDERET, &c. Hoc illi per Nathan Prophetam significatum est supra hic cap. XXII. vers. 9. & II. Reg. VII. 13.

V. 11. Cœnaculum est suprema pars templi, pars cui imminet tectum. Cubicula erant in atriis. DOMUS PROPITIATIONIS, Sancta sanctorum.

V. 15. CANDELABRA. In tabernaculo mosaico unicum erat; in templo plura, III. Reg. VII. 49.

V. 16. In templo fuerunt decem mensæ propositionis, quot erant candelabra, II. Paralip. IV. 8.

V. 17. LEUNCULOS, crateres. Sept. *cyathos*. Forte quia vas hoc formam leunculi referebat. כפיר *chephir* est *leo*; כפור *chephor*, *crater*: facilis mutatio.

V. 19. SCRIPTA MANU DOMINI. Hanc descriptionem ostensionem a Deo Davidi factam putat Caietanus, per expressam in mente ideam.

CAPUT XXIX.

Recensentur impensæ a David in ædificium templi præparatæ, quibus principes ac populus plurima adiiciunt donaria: David benedicens Dominum orat pro Salomone ac populo; & sacrificiis cum ingenti lætitia oblatis, ungitur secundo Salomon in Regem pro patre David, qui anno regni quadragesimo in pace quievit.

1. 
Ocutusque est David Rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 2. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissime: 3. & super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his quæ præparavi in ædem sanctam. 4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. 5. Et ubicumque opus est aurum de auro, & ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino. 6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israel, tribuni quoque, & centuriones, * & principi-

cipes possessionum Regis. 7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum. 8. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Iahiel Gersonitis. 9. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David Rex lætatus est gaudio magno. 10. Et benedixit Domino coram universa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum. 11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria; & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes. 12. Tuæ divitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium. 13. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. 14. Quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 15. Peregrini enim sumus coram te, & advenæ, sicut omnes patres nostri. (*a*) Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora. 16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravims ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia. 17. Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas, unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, & cæremonias tuas, & faciat universa: & ædificet ædem, cuius impensas paravi. 20. Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde Regem. 21. Immolaveruntque victimas Domino: & obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, & universo ritu abundantissime in omnem Israel. 22. Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. (*b*) Et unxerunt Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem: & Sadoc in pontificem. 23. Seditque Salomon super solium Domini in Regem pro David patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israel. 24. Sed & universi principes, & potentes, & cuncti filii Regis David dederunt manum: & subiecti fuerunt Salomoni Regi. 25. Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Israel. 26. Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel. 27. Et dies quibus regnavit super Israel, fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis, & in Ierusalem annis triginta tribus. 28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria, & regnavit Salomon filius eius pro eo. 29. (*c*) Gesta autem David Regis priora, & novissima, scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis: 30. universique regni eius, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum.

(*a*) Sap. II. 5. (*b*) III. Reg. I. 34. (*c*) III. Reg. II. 11.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 6. *Et principes possessionum Regis*. Nominativo *principes* non est addendus genitivus *principum*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ECclesiam, id est cœtum. Opus namque; pro, opus autem. Hebr. & LXX. *Et opus*.

V. 2. Quasi stibinos, id est similes fuco. Hebr. *fuci*. LXX. *pretiosos*. Alii, *rutilantes*. Marmor Parium, id est candidum, a Paro insula. Hebr. *lapides marmoreos*. LXX. *lapides Parios*.

V. 3. Praeparavi, id est præparaveram; quasi dicat: Addo etiam de peculio, &c. Vide sup. cap. xxii.

V. 6. Polliciti sunt. Hebr. *Sponte obtulerunt*. LXX. *Prompti fuerunt*. Principes possessionum. Hebr. *principes operis*. LXX. *præpositi operum*.

V. 7. Solidos, id est aureos. LXX. *drachmas*.

V. 9. Promitterent. Hebr. & LXX. *offerrent*.

V. 12. Magnitudo, et imperium omnium. Hebr. & LXX. *Magnificare, & roborare*, seu *confortare omnia*.

V. 14. Promittere. Hebr. *Sponte offerre*.

V. 17. Simplicitatem. Hebr. *rectitudinem*. LXX. *iustitiam*. Simplicitate. Hebr. *rectitudine*.

V. 19 Caeremonias. Hebr. *statuta*.

V. 21. Universo ritu. Hebr. & LXX. *sacrificia*. In omnem Israel; id est, pro totius Israelis salute. LXX. *Omni Israeli*.

V. 23. Domini, id est a Domino datum. Cunctis placuit. Hebr. & LXX. *Prosperatus est*.

V. 25. Super omnem Israel. Heb. *Excellenter coram omni Israele*.

V. 29. Samuelis, scilicet I. & II. Reg. ut quidam putant: quod non facile admiserim.

V. 30. Regni eius, scilicet ratio. Temporum, id est laborum, & afflictionum. Sub eo, &c. Hebr. *Super eum, & super Israel, & super omnia regna terrarum*.

E S T I I.

Vers. 1. OPus namque grande est: neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo. Hic locus, & similia observanda sunt contra Hæreticos, qui negant ullo modo Deum in templis manufactis habitare, allegantes illud Apostoli Act. xvii. *Quod Deus cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat*. Sed eorum falso intellectui occurrit Apostolus eodem loco, cum addit, *Indigens aliquo*. Non ergo ita in templo habitat, quasi domicilio aliquo indigeret quo protegatur ab iniuriis aeris, aut etiam ut eo tamquam loco circumscribatur; sed habitatio hic a Davide dicitur templum, propter quosdam effectus præsentiæ quos in templo exhibet, & non alibi, aut in templo magis quam alibi. Illi effectus sunt exaudire preces, acceptare sacrificia, conferre gratiam, &c. Vide etiam cap. præcedenti.

V. 14. Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi. Hoc a Davide dicitur de donis corporeis. Quidquid enim rerum temporalium Deo offerimus, vel offerre possumus, id omne iam ante a Deo accepimus; & tamen Deus pro sua immensa bonitate sic acceperat, quasi nostrum sit. Nihil mirum ergo, si idem in oblationibus spiritualibus faciat. Itaque quidquid boni operis, quidquid bonæ voluntatis, quidquid denique bonæ cogitationis Deo offerre possumus, id omne per eius gratiam, & gratuitam largitatem iam ante accepimus. Et quantum ad bonam voluntatem attinet, ipse David in hac eadem

ora-

oratione testatur, eam a Deo esse, & sine Deo conservari non posse, ita orans: DOMINE DEUS... CUSTODI IN AETERNUM HANC VOLUNTATEM CORDIS EORUM, ET SEMPER IN VENERATIONEM TUI MENS ISTA PERMANEAT.

V. 29. GESTA AUTEM DAVID REGIS PRIORA ET NOVISSIMA SCRIPTA SUNT IN LIBRO SAMUELIS VIDENTIS, ET IN LIBRO NATHAN... ATQUE VOLUMINE GAD. Non est sensus, quod singuli isti omnia gesta Davidis scripserint: nam de Samuele in primis constat, eum ante Davidem mortuum: sed verisimiliter indicatur, quod Liber primus, & secundus Regum, ubi gesta omnia David continentur, incepti sint scribi a Samuele (unde & nomine Samuelis apud Hebræos inscribuntur) deinde vero partim a Nathan, partim a Gad completi sunt. Sunt tamen & aliæ sententiæ de Auctoribus, vel Auctore Librorum Regum; de quibus prolixe Sixtus Senensis.

MARIANAE.

Vers. 1. LOCUTUSQUE EST DAVID AD OMNEM ECCLESIAM; id est, omnem cœtum est allocutus David. OPUS NAMQUE GRANDE EST. Hebr. *Et opus grande est*, scilicet templi fabrica: sic Sept. Ergo coniunctio *namque* redundat in illis verbis: *Opus namque est*. NEQUE ENIM HOMINI PRAEPARARUR HABITATIO, SED DEO. Sic Sept. Quidam pro *birah*, *ædes*, seu *palatium* vertunt.

V. 2. AURUM AD VASA AUREA, ET ARGENTUM IN ARGENTEA paravi. Hebr. *Aurum ad aurum, argentum ad argentum*: sic Sept. Sed bene Hieronymus sententiam expressit. ET MARMOR PARIUM. Hebr. non est *Parium*, sed tantum *lapides marmoris*. Hieronymus eam vocem sumpsit ex Sept. & quoniam id marmor maxime celebratur ab insula Paro una ex Cycladibus.

V. 3. ET SUPER HAEC QUAE OBTULI IN DOMUM DEI MEI DE PECULIO, &c. Hebr. *Et rursus in voluntate mea in domo Dei mei* (id est, ex multo affectu quo prosequor domum Dei mei) *est mihi peculium aurum & argentum*, *do* (pro quod do) *in domum Dei mei*, *ultra omne præparavi* (id est, quod præparavi.) *Peculium* vocat rem familiarem suam, gazamque, quam ad superiora nunc adiicit.

V. 4. AD DEAURANDOS; id est, ad incrustandos parietes domorum (*tectorium* Latine) offert aurum Ophir.

V. 5. ET SI QUIS SPONTE OFFERT. Hoc cum superioribus iungitur, *Do in domum Dei mei*. Provocat alios ad offerendum & exemplo, & verbis.

V. 6. POLLICITI SUNT. Hebr. *Sponte obtulerunt*, Regis verbis moti proceres. ET PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS. Hebr. *Et principes operis Regis*, id est præfecti eius operibus, & substantiæ.

V. 7. DEDERUNTQUE IN OPERA. Hebr. *in ministerium*, id est usum domus Domini, scilicet ædificandæ. SOLIDOS DECEM MILLIA. Nimirum aurum informe, id *talenta*; & signatum obtulerunt, id *solidi* sunt. Vox Hebr. *adarchon*, *drachmam* significat (sic Sept. posuere) seu monetam eo pondere: & bene per *solidum* redditur, qui valebat denarios duodecim: idque plus minus valet auri drachma. Plura de Pond. & mens. cap. VIII.

V. 8. IN THESAUROS dederunt lapides: sic Sept. Hebr. *In thesaurum*: sic Gotth. PER MANUM IAHIEL. Erat is præfectus thesauris cum filiis, cap. XXVI. vers. 22. GERSONITIS, id est e posteris Gerson. Ego dicerem *Gersonitæ*, in genitivo, *Per manum Iahiel Gersonitæ*: sed *Gersonitis* potest etiam esse genitivus.

V. 9. CUM VOTA SPONTE PROMITTERENT, scilicet populus. Hebr. *Propter oblationem suam spontaneam*. QUIA CORDE TOTO. Hebr. *corde perfecto*. Ideo David est lætatus. Et benedixit Deum

V. 10. AB AETERNO IN AETERNUM. Gotth. *Ab æterno & in æternum*. Hebr. & Sept. *Ab æterno, & usque in æternum*, es Domine benedictus.

V. 11. ET TU ES SUPER OMNES PRINCIPES. Hebr. *Et elevatus ad omnes* (id est super omnes) *ad caput* (id est, qui ad caput, scilicet qui capita sunt) *aut elevatus ad caput*; id est, ut sis caput omnium.

V. 12. IN MANU TUA, id est in potestate tua. MAGNITUDO, ET IMPERIUM. Hebr. *Ad magnificandum, & roborandum*; id est, tu potes magnos redde-

re

re viros, & conservare in magnitudine. Quis ego, & populus,

V. 14. UT POSSIMUS HAEC TIBI UNIVERSA PROMITTERE, scilicet qui sumus? Hebr. *Ut prævaleremus virtute ad offerendum sponte, sicut hoc*; id est, sicut est factum.

V. 15. ET NULLA EST MORA. Sept. ὑπομονὴ, id est *mora*, seu *expectatio*. Vox Hebr. *mikuch*, *spem* potius significat; quasi dicat: Dies nostri declinant ut umbra, nec ulla est spes mortem evadendi. Aut, ut Hieronymus vertit, sine mora velociter occupat mors.

V. 17. POPULUM TUUM .... VIDI CUM INGENTI GAUDIO. *Ingenti* non est Hebr. neque Græce.

V. 18. CUSTODI.... HANC VOLUNTATEM CORDIS EORUM, ET SEMPER IN VENERATIONEM TUI MENS ISTA PERMANEAT. Hebr. *figmentum, seu imaginationem cogitationum cordis populi tui, & præpara cor eorum ad te*.

V. 19. AEDEM. Pro *birah* hic *ædem* vertit, vers. 1. *habitationem*.

V. 20. DEO NOSTRO BENEDICITE DOMINO. Sic Septuag. Hebr. *vestro*.

V. 21. ET UNIVERSO RITU ABUNDANTISSIME IN OMNEM ISRAEL. Hebr. *& victimas multas omni Israel*: sic Sept. quod potest intelligi, aut sacrificia multa præter supradicta esse oblata pro omni Israel; vel sacrificia, quæ dixit adeo multa extitisse ut omni Israeli sufficerent, scilicet ad epulandum.

V. 22. UNXERUNT. Hebr. *Regem constituerunt*, scilicet Salomonem. SECUNDO. Iam erat ad preces Bethsabee Rex ante proclamatus. UNXERUNT AUTEM EUM DOMINO, id est Deo præcipiente, vel in Dei obsequium. ET SADOC IN PONTIFICEM. Verisimile est *Sadoc* Saulis tempore fuisse unctum, & tamen utramque unctionem repeti, denuoque fieri hoc loco.

V. 24. DEDERUNT MANUM: scilicet manus contactu Salomoni fidem firmarunt, ut etiam hodie fit. ET SUBIECTI FUERUNT SALOMONI. Hebr. *sub Salomone*, scilicet se fore. Gesta autem David scripta sunt in Libro

V. 29. SAMUELIS: scilicet primis duobus Libris Regum, quos Samuel scripsit, sunt scripta gesta David, ibi omnium memoria extat.

V. 30. ET TEMPORUM, id est afflictionum, quas David est passus, iuxta illud Psal. XXX. 16. *In manu tua tempora mea, libera me*: sic Hebr. ubi nos, *In manibus tuis sortes meæ*. Aut *tempora* simpliciter sume pro rebus in tempore gestis, quæ in historia scribuntur, unde Annales vocantur. QUAE TRANSIERUNT SUB EO. Hebr. *super eum*. Sept. *in eo*. SIVE IN ISRAEL, SIVE IN CUNCTIS REGNIS TERRARUM. Sic Sept. Hebr. *& super Israel, & super omnia regna terrarum*, scilicet illarum, propter ה *he* demonstrativum. Vides Prophetas annales scribere non solum de Regibus Israel, sed & de gentibus aliis.

MALVENDAE.

Vers. 1. SALOMONEM FILIUM MEUM UNUM ELEGIT DEUS. Exponunt quasi dicat: Monarcham eum ita instituit, ut regnum per filios meos divisum esse nolit. Vide infra vers. 23. & 24. Noluit ut post obitum meum, regnum in filios meos divideretur; sed ut totum & integrum uni tantum Salomoni obveniret. ADHUC PUERUM ET TENELLUM. Explicant: Id est, ætate non ita provectum, & multis fratribus suis natu minorem: nam alioquin iam tum uxorem duxerat, ut ostendit ætas Rechabhami, II. Paralipom. XII. 13. Vide II. Reg. XVI. 2. & XVIII. 2. HABITATIO. בירה *birah*. Primum hic hæc vox occurrit, putant esse peregrinam, & convenire cum verbo אבר *abar*, & nomine אביר *abir*; significareque *arcem*, *palatium*, *aulam*, *basilicam*; atque a robore, & firmitudine appellari. Alii aiunt esse *arcem*, *fortalitium*, *castrum*, *ædem*, *munitionem*, *fortissimos habentem muros*, *& quæ circumvallata sit fossis*, *seu cisternis*, *aut puteis*, ut congruat cum בור *bor*, & באר *beer*. Nonnulli *regiam*, seu *regiam residentiam*, exponunt. Ego facile composuerim cum *abir*, de quo vide Genes. XLIX. 24. quasi dicas πτερύγιον, id est *pinnaculum*, qua voce usus est Interpres Matthæi IV. 5. *ædem pinnatam*, *turritam*, *pinnas habentem*, *magnificam*, *involantem*, *pennigeram*, *pinnis ornatam*. Vide in Iudic. XX. 2. ut eo nomine tem-

templum appellarit, quod pinnis superne ornatum esset, quas vulgo vocamus *almenas*; vel quod instar amplissimæ, & turritæ arcis esset, quasi Hispanice dicas *Alcaçar*. Apte quidam annotant, ex *birah* forsan effictam Græcam vocem *baris*: de qua S. Hieronymus epistola CLI. ad Principiam in explanatione Psalm. XLIV. *Cum baris verbum sit Epichorion, id est familiare Palæstinæ: & usque hodie domus ex omni parte conclusæ, & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum, bareis appellentur*: & in Ieremiæ XVII. 27. *Bareis, id est turritas domos: appellanturque Hebraice* ארמנות *armenoth*: & in Osee IX. *Bareis, magnas & in modum turrium ædificatas domus*. Vide infra vers. 19.

V. 2. ET QUASI STIBINOS. Hebr. *lapides* פוך *puch*, seu *fuci*, aut *stibii*. Quidam hic *Puch*, nomen gemmæ, seu lapidis pretiosi esse volunt, nempe *carbunculum*, aut *rubinum*. Alii *alabastrum* (nam eo nomine quoque appellari stibium scribit Plinius Lib. XXXIII. cap. VI.) seu *marmor nigrum*, *stibii colorem habens*, ex quo pavimenta conficiuntur. Aliqui, *Licet enim*, inquiunt, *dicamus ex fuco seu stibio non posse pavimenta confici, nigerrimos tamen lapides, quos nos marmor nigrum vocamus, dici figurate lapides Puch, seu stibinos, non erit absurdum affirmare: quare Vulgatus, quasi stibinos dixit: ergo Puch primo fossile illud, quod Græcis στίμμι, Latinis stibium appellatur, significat: de quo vide Dioscoridem Lib. I. cap. LIX. deinde ipsum colorem subnigrum, qui ex pulveribus metalli conficitur: & sic accipiendum II. Reg. IX. vers. 30. Isaiæ LIV. vers. 11. Ieremiæ IV. vers. 30. & hic*. De stibio tamen vide Plinium Lib. XXXIII. cap. VI. & Appendicem Henriciani Thesauri, Parte II. colum. 62. denique Fungeri Etymologicum. Nonnulli: Quia fucus, seu stibium adhibebatur ad ornatum, & venustatem oculorum, ac facierum feminarum, II. Reg. IX. 30. & Ierem. IV. vers. 30. hic reddunt *lapides stibii*, seu *fuci*, sive *ornamenti*, id est lapides ad ornatum, seu lapides pulchros, venustos; alii, *lapides rubros*: nec desunt qui *lapides rutilantes*, seu *lucidos*. ET DIVERSORUM COLORUM. Unicam vocem רקמה *rikmah* varie interpretantur: 1. *lapides fuci*, & *variegaturæ*, id est diversorum colorum; 2. & *opus variegatum*, *acu pictum*; 3. & *vestem Phrygianicam*, *Phrygianam*; 4. & *varia pigmenta*; 5. *lapides fuci*, sive *ornamenti*, & *operis Phrygiani*, seu *lapides ad ornatum*, & *ad opus Phrygianum*, nam in opere Phrygiano solent inseri lapides pretiosi. Nos aptius vertimus & *recamaturam*; id est, omnem materiam, & omnia necessaria ad opus Phrygianicum, quod nos *recamaturam*, vel *bordaturam* vocamus: Gallice *broderie*, vel *ovurage*: quod fit in vestibus, & in pannis. Vide Iudic. V. 30. ET MARMOR PARIUM. Hebr. *Et lapides* שיש *schaisch*. Exponunt omnes, *Lapides marmoris Parii*, candidissimi & præstantissimi, quod cum שש *schesch*, *bysso*, candore certare possit: quale in Pharo insula exciditur, de quo Plinius Lib. IV. cap. XII. & Lib. XXXVI. cap. V. Annotant nonnulli Hebræorum usum huius Parii fuisse in templo ad columnas, mensas, & pavimentum.

V. 3. ET SUPER HAEC, QUAE OBTULI IN DOMUM DEI MEI. Ex verbo nos istud reddidimus (*Et adhuc in bene complacere me in domo Elohim mei.*) Alii varie. I. *Et adhuc volente me erga domum Elohe mei*. II. *Propter habere me bonam voluntatem in domo Dei mei*. III. *Et adhuc ob meam affectionem*, vel *pro mea affectione erga domum Dei mei*. IV. *Et insuper, quod mihi beneplacitum sit erga domum Dei mei*. V. *Et adhuc in voluntate mea*, sive *in beneplacito meo in domum Dei mei*. VI. *Præter hæc vero, quod sum propensus animo ad domum Dei mei*. VII. *Et amplius, quandoquidem propendeo voluntate erga domum Dei mei*. VIII. *Et insuper pro bona voluntate mea erga domum Dei mei*; id est, quod unice diligam domum Dei mei. Hispanicus Interpres: *Y demas de esto, por quanto tengo mi contentamiento, en la casa de mi Dios*. Omnem hanc vim inferre verbum רצה *ratzah*, præsertim cum construitur cum Beth, ut hic, observant. DE PECULIO MEO AURUM ET ARGENTUM. Varie reddunt: 1. *Est mihi peculium auri & argenti*: 2. *Est mihi peculiare quoddam aurum & argentum*: 3. *Est mihi proprium*, seu *thesaurus*, *auri & argenti*; sive *ex auro & argento*: 4. *Est mihi in peculiari thesauro aurum & argentum*: 5. *Quod est mihi peculium aurum & argentum, trado pro domo Dei mei*, &c. Vide de voce סגלה *segbullah* Exod. XIX. 5.

EXCEPTIS HIS QUAE PRAEPARAVI IN AEDEM SANCTAM. Diversimode convertunt. I. *Insuper a toto paravi domui sanctitatis*; id est, præter totum quod paravi pro domo sanctuarii. II. *Propter gradum*, vel *excellentiam*, *ex omnibus quæ præparavi domui Sanctuarii*: iungunt antecedentibus, quod dedi domui Dei mei, ob excellentiam seu dignitatem eius. III. *Ultra omnia quæ paravi pro domo sanctuarii*. IV. *Supra quam omnia quæ præparavi in domum sanctam*.

V. 4. TRIA MILLIA TALENTA AURI. Tremellius, & Iunius annotant: *Id est*, *amplius decies octies centena millia coronatorum*, *pro æstimatione talenti communis*. *Vide Exod.* XXV. 39. Verum ego istos non capio: nam si talentum sacrum, ut ipsi statuunt, & veritas est, continebat duodecim millia coronatorum, seu escudorum auri Hispanicorum; & commune, dimidio minus, ut iidem volunt, nempe sex millia coronatorum, seu escudorum: erunt tria millia sacrorum talentorum auri, triginta & sex milliones escudorum auri; & ter mille talenta auri communia iuxta æstimationem eorumdem, conficient dimidio minus, nempe decem & octo milliones escudorum auri. Nobis tamen ex verisimiliori æstimatione talenti Mosaici. Exod. XXXVIII. 26. hæc tria millia talenta auri efficiunt triginta sex milliones escudorum auri Hispanicorum. DE AURO OPHIR. Vide I. Reg. IX. vers. 28. Hinc habes iam temporibus Davidis usitatam navigationem in Ophir, seu in Auream Chersonesum, unde aurum advehebatur. Quidam hic *Ophir* non proprium regionis, sed auri nomen intelligunt. Aurum Ophirizum, pro obrizo: de quo vide Plinium Lib. XXXIII. cap. III. & plura quæ notavimus Lib. IV. de Antichristo cap. XXXVII. ET SEPTEM MILLIA TALENTORUM ARGENTI. Tremellius, & Iunius: *Id est*, *amplius septuagies octies*, *centies mille*, *quadraginta millia dalerorum*. Nobis sunt octoginta quatuor milliones regalium. AD DEAURANDOS PARIETES TEMPLI. Varie alii reddunt: 1. *ad conglutinandum parietes domorum*; ut insinuetur per modum glutini apponendum aurum: 2. *ad complanandum parietes domorum*: 3. *ad incrustandos*, seu *obducendos parietes domorum*: 4. *ad oblinendum parietes*, &c. 5. *ad perlinendum parietes ædium*, seu *domunculorum*: 6. *ad obducendum parietes domorum*. Id est, aurum quidem ad templum Dei, argentum vero ad ædificia templo adiuncta.

V. 5. ET UBICUMQUE OPUS EST AURUM DE AURO, ET UBICUMQUE OPUS EST ARGENTUM DE ARGENTO. Hebr. quatuor dativi: *Ipsi auro*, *ipsi auro*; *ipsi argento*, *ipsi argento*. Quidam: *Aurum ad aurum*, *argentum ad argentum*; idest, dedi aurum ad conficienda vasa aurea, & argentum ad conficienda argentea: ut supra vers. 2. Alii: *Porro aurum ad ea quæ aurea esse debent*, *&* *argentum ad ea quæ argentea*. OPERA FIANT PER MANUS ARTIFICUM. Hebr. in dativo, *Et omni operi in manu fabrorum*. Plurifariam reddunt: 1. *ad omne opus in manu*, vel *per manum*, *artificum*; id est, quod fit manu artificum: 2. *& pro omni opificio manu artificum*: 3. *atque pro cuncto opere* (tradidi) *in manum artificum*. ET SIQUIS SPONTE OFFERT, &c. Posteriorem hanc partem versus nos ex verbo transtulimus (*Et quis spontaneare se faciens ad implere manum suam die*, IHUH.) Alii diverse. I. *Et quisquis sponte offert implendo manum suam hodie Iehovah*; ut invitet suo exemplo principes ad offerendum Iehovæ. II. *Et quisquis sponte offert*, *consecret manum suam hodie Iehovæ*. III. *Et quis est sponte se offerens*, *ut impleat manum suam hodie Iehovæ?* IV. *Et quis hodie sua sponte consecrat manum suam Iehovæ?* V. *Et quicumque est spontaneus*, *liberalis*, *munificus*, *ut impleat manum suam hodie ipsi Iehovæ*. VI. *Quis ergo sponte se offert*, *ut consecret ministerium suum hodie Iehovæ?* Participium ex Hithpahel מתנדב *mithnaddeb*, proprie reddes: *Et quis spontaneum*, *ultroneum*, *promptum*, *liberalem*, *munificum*, *beneficum*, *heroicum se faciens*, *reddens*, *exhibens*. Vide Exod. XXV. 2. Et coniugatio Hithpahel significatum intendit, ut ingentem ac heroicam liberalitatem & beneficientiam suadeat, *ad implere*, sive *ut impleat*, *manum suam*. Bifariam elucidant. I. *Ut impleat manum suam*, muneribus & donis; id est, ut plena, & larga manu offerat Domino. II. *Ut consecret*, *dedicet manum suam*, id est ministerium suum hodie Iehovæ. *Implere manum*, pro *consecrare ministerium*. Vide in Exod. XXVIII. vers. 41.

V. 6.

V. 6. POLLICITI SUNT ITAQUE. Ponitur quoque hic verbum נבב *nabab* in Hithpahel, ut præcedente verſu. Plerique reddunt: *Et ſponte obtulerunt*. Sed rectius: *Et ſpontaneos*, *ultroneos*, *promptos*, *liberales*, *munificos*, *beneficos*, *ſeſe exhibuerunt*: *uſi ſunt magnifica*, *&* *heroica liberalitate*. Sic verſ. 9. 17. ET PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS. Hebr. in dativo, *Et principibus*, id eſt cum principibus, *operis Regis*, id eſt *præfectis operi Regis*, de quibus ſupra cap. XXVII. verſ. 26. & ſequentibus.

V. 7. AURI TALENTA QUINQUE MILLIA. Tremellius, & Iunius, *Id eſt tricies centena millia coronatorum*. Nobis ſexaginta milliones eſcudorum auri in auro Hiſpanicorum. ET SOLIDOS DECEM MILLIA. אדרכנים *adarchonim*. Hic tantum, & Eſdræ VIII. 27. hæc vox legitur: putant exoticam eſſe, & a Græcis mutuatam, id eſt *drachmæ*: conſentiunt eſſe quartam ſicli partem, & octavam unciæ noſtratis; eſſeque proprie id quod nos regalem Caſtellanum appellamus. Hebræi non conveniunt de hoc monetæ genere: adito Scriptores ſacrarum monetarum. Rectiſſime Noſter *ſolidos* dixit: nam *ſolidus* Romanus olim fuit verus *ſolatus aureus* Francorum hodiernus ponderis granorum 64 qui eſt modus drachmæ Atticæ, regalis Caſtellani, & iulii pontificii. De *drachma*, & *ſolido*, plura Scaliger, & Snelius in re nummaria; ut interim innumeros alios omittam. Drachmas hic aureas intelligimus, id eſt ſolidos. Tremellius, & Iunius vertunt: *Et drachmarum myriadem*; *id eſt*, *dextantem talenti*, *nam talentum duodecies mille drachmas continet*, *id eſt quater mille octingentos coronatos*. Horum ſententias in re nummaria tranſcribo, non quod veras, aut veroſimiles putem; ſed ut varietatem lector inſpiciat. ARGENTI TALENTA DECEM MILLIA. Tremellius, & Iunius, *Id eſt nonagies decies ſexcenties mille daleros*. Nos ex ſolita æſtimatione exiſtimamus eſſe centum viginti milliones regalium Caſtellanorum. Iam ſi ſummas omnes colligamus, quæ David, & principes in fabricam domus Dei contulerunt, reperiemus, a Davide collata auri centum millia talenta, ſupra cap. XXII. verſ. 14. inſuper tria millia talentorum, hoc cap. verſ. 4. A principibus vero talenta quinque mille, adiectis decem millibus aureorum Hiſpanicorum, hoc verſu: quæ omnia ſunt auri centum & octo millia talentorum, id eſt mille ducenti nonaginta ſex milliones eſcudorum Hiſpanicorum auri in auro, & amplius decem millia aureorum. Inſuper a Davide collata argenti decies centies mille talenta, ſupra cap. XXII. verſ. 14. inſuper ſepties mille talenta, hoc cap. verſ. 4. a principibus autem decies mille talenta, hoc verſu: quæ omnia ſunt unus millio, & decies ſepties millia talentorum argenti, id eſt duodecim mille ducenti quatuor milliones regalium Caſtellanorum. Has omnes ſummas craſſiori minerva ad rationem Hiſpanicæ monetæ redactas collegimus: alii his addunt: demunt alii, immane quantum! res eſt in profunda antiquitate obſcurior: habes plurimos, qui de his integros tractatus conſcripſerunt: nos nullius ingenio, aut diligentiæ perſcribimus: quod nobis ex æſtimatione talenti, & ſicli Moſaici, quæ ſatis in Scriptura dilucet, equidem veroſimilius viſum eſt, repoſuimus. Vide ſummas eſſe immanes, & pene ſupra omnem humanam fidem; ſed non ſupra divinam, quæ æterna veritate ſubnixa ipſo verbo Dei in ſacris libris conſignata extat. ET AERIS TALENTA DECEM ET OCTO MILLIA; id eſt, viginti ſeptem milliones unciarum æris; ſeu duos milliones, ac ducenta, & quinquaginta millia librarum æris, unicuique libræ duodecim unciis attributis. FERRI QUOQUE CENTUM MILLIA TALENTORUM; id eſt, centum quinquaginta milliones unciarum ferri; ſeu duodecim milliones cum dimidio librarum ferri.

V. 8. ET APUD QUEMCUMQUE INVENTI SUNT LAPIDES, DEDERUNT, &c. Hebr. *Et inventum apud eum lapides*, *dederunt*. Quidam: *Et cum quo inventi ſunt lapilli*, *dederunt*, &c. Alii: *Et quiſque id quod inventum eſt apud ſe ex lapillis pretioſis*, *dederunt*. Nonnulli: *Denique lapidum quidquid erat præſto penes unumquemque dederunt in theſaurum*, &c. IAHIEL GERSONITIS. Hebr. *Iechiel Gherſunitæ*: de quo ſupra cap. XXVI. verſ. 21.

V. 11. CUNCTA ENIM QUAE IN CAELO SUNT, ET IN TERRA, TUA SUNT. Hebr. *Quia omne in cælis*, *&* *in terra*. Quidam: *Immo omnia in cælo*, *&* *in terra*;

ſubaudi ex præcedentibus, *tibi*, vel *tua ſunt*. ET TU ES SUPER OMNES PRINCIPES. Hebr. *Et elevare te faciens omni capiti*. Varie alii. I. *Et exaltans ſe ad omne in caput*; ideſt, quantumcumque ſuperbus aliquis ſe ipſum ſuper alios exaltet in principem, tibi ſubiicitur. II. *Et extollens te ad omne caput*. III. *Et exaltatio ſuper omnem qui eſt in caput*, id eſt ſuper omnem principem. IV. *Tu elevatus es ſuper omnes in caput*; id eſt, capite emines ſuper omnes, vel es caput & princeps omnium. V. *Tu te extollis ſuper omnia, ut ſis in caput*. VI. *Ut qui te extollis ſupra omnia in caput*.

V. 12. TUAE DIVITIAE, ET TUA EST GLORIA. Hebr. *Et divitiæ, & gloria de ad facies tuas*; id eſt, coram te, apud te ſunt. Alii, *A facie tua ſunt*; id eſt, a te ſunt, a te proficiſcuntur; quaſi dicat: Nihil indiges noſtris opibus, nec noſtra, ſed tua tibi reddimus, infra verſ. 14. IN MANU TUA MAGNITUDO, ET IMPERIUM OMNIUM. Hebr. *Et in manu tua ad magnificare, & ad confirmare, corroborare, fortificare, omnia*. Quidam: *Et in manu tua ad grande faciendum, & fortificandum ad omne ad omnem rem*. Alii: *Et in poteſtate tua eſt magnificare, & confortare, omnia*. Nonnulli: *In manu tua quoque eſt magnificare & corroborare omnes*; quaſi dicat: Potes omnes reddere magnos, & eorum magnitudinem conſervare. Aliqui ſuperioribus nectunt: *Et in manu tua eſt virtus & robur: in manu, inquam, tua ad magnificandum, & roborandum omnia*. Vel, *Et in manu tua vis, & potentia: in manu, inquam, tua, magnificandi, & confirmandi rem quamlibet*.

V. 13. CONFITEMUR TIBI, ET LAUDAMUS NOMEN TUUM INCLYTUM, nimirum ore, voce, prædicatione; tum etiam re & opere, nempe muneribus his & oblationibus.

V. 15. ET NULLA EST MORA. Vocem מקוה *mikuch* varie elucidant. I. *Et non ſpes*, diutius hic permanendi. II. *Et non expectatio*; id eſt, *neque eſt ut aliud expectemus*, nemo ſperat ſe non moriturum. III. *Et non congregatio*, ſeu *aduvatio*, divitiarum, opum. IV. *Et non conſiſtentia*; id eſt, ſicut umbra evanida, quæ non conſiſtit.

V. 16. OMNIS HAEC COPIA. המון *hamon*, *multitudo*, *fremitus*, *ſtrepitus*, *tumultus*, *turba*, *ſonitus*, *copia opum*: propria nomina divitiarum, opumque, quæ ſtrepitum, fremitum, ſonitum, tumultum excitant.

V. 18. CUSTODI IN AETERNUM HANC VOLUNTATEM CORDIS EORUM. Hebr. *Serva iſtud in æternum formationi cogitationum cordis populi tui*. Quidam: *Cuſtodi hoc in æternum ad creationem cogitationum cordis populi tui*; id eſt, conſerva in eis ſemper hunc animum, ut nulla in eis creetur, aut pullulet ex ulla radice mentis cogitatio adverſus hoc propoſitum. Alii: *Cuſtodi hoc in ſæculum*, appoſitive, nempe *imaginationem cogitationum cordis populi tui*. Aliqui: *Conſerva iſtud in æternum, figmentum cogitationum populi tui*; id eſt, da populo tuo bonam mentem perpetuo. Nonnulli: *Serva hoc in ſæculum, figmentum cogitationum populi tui*; id eſt, ſtudium quod in hac re declararunt, porro fove in eis.

V. 20. DEINDE REGEM. Davidem quidam intelligunt; alii Selomonem novum Regem.

V. 22. CORAM DOMINO; id eſt, in publicis illis regni conventibus, invocato Iehova habitis, vel coram arca. ET UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM. Hebr. *Et regnum detulerunt ſecundo Selomoni*; id eſt, in Regem ſecundo confirmarunt, quem prius tumultuarie pater David propter ſeditionem Adoniiæ, Regem proclamari iuſſerat, I. Reg. 1. 33. & 34. primum inter paucos auctoritate paterna regno inauguratus fuit in Ghichon: hic ſecundo in publicis regni conventibus, approbante univerſo Iſrael, inſtitutus eſt Rex. UNXERUNT AUTEM EUM DOMINO. Hebr. *Et unxerunt ipſi Iehovæh*, id eſt in honorem Iehovæh, vel auſpiciis, & auctoritate Iehovæh. ET SADOC IN PONTIFICEM, ſeu *in ſacerdotem* ſummum, abrogato Ebiathare, propter conſpirationem cum Adoniia factam, I. Reg. 1. 7. Vide ibi cap. 11. verſ. 26. & 27. & 35.

V. 23. SUPER SOLIUM DOMINI, id eſt in regno quod Iehovæh conſtituerat, & ipſi, ac ſemini ſtabiliverat.

V. 24. DEDERUNT MANUM, ET SUBIECTI FUERUNT SALOMONI REGI. Hebr. *Dederunt manum ſub Selomo-*

mone Rege, id eſt fidem, porrecta manu, ſe fore ſubditos Regi Salomoni: ſynecdoche ſymbolica: vel ſacramento ſe illi adegerunt, nam iuramenta manuum contactu fiebant, Geneſ. XXIV. verſ. 2. & 3.

V. 27. FUERUNT QUADRAGINTA ANNI. Vide II. Samuel. V. verſ. 4. & 5.

V. 29. GESTA AUTEM DAVID REGIS PRIORA, ET NOVISSIMA. Quidam: *Res autem Davidis priores, & poſteriores*, id eſt omnes & ſingulæ; quaſi dicat, A primis ad ultimas: ſic enim communis Hebræorum locutio poſtulat intelligi. Vide II. Paralipom. XVII. verſ. 3. Alii: *Geſta priora, & poſteriora*; id eſt, quæ geſſit ætate florenti, & vergente, ſeu ingraveſcente. IN LIBRO SAMUELIS. Hebr. *In verbis Samuelis*; id eſt, in duobus Libris Semuelis, quorum partes Nathan, & Ghad, qui hic nominantur, conſcripſerunt. Alii volunt, præter eas partes quas Nathan, & Ghad duobus Libris Semuelis adiecerunt, utrumque ſeorſim ſuum peculiare volumen de rebus geſtis Davidis compoſuiſſe. Quidam illud, *In verbis Semuelis*, exponunt, Id eſt in hiſtoriis, chronicis, annalibus Semuelis: & ſic in duobus ſequentibus.

V. 30. UNIVERSIQUE REGNI EIUS. Hebr. *Cum omni regno eius*. Exponunt, Id eſt cum tota regni eius gubernatione: metonymia: ſeu cum omni regnandi ratione. ET TEMPORUM, QUAE TRANSIERUNT SUB EO. Hebr. *Et temporibus quæ tranſierunt ſuper eum*. Quidam explicant: Id eſt, & fortunis, tribulationibus, afflictionibus, quæ inciderunt ei. Rectius univerſe, tempora, caſus, occaſiones rerum gerendarum.

Valentiæ 20. Aprilis 1624. ætatis meæ 58.

MENOCHII.

Verſ. 1. ECCLESIAM, cœtum eorum quos congregaverat. Vide ſuperiori cap. num 1. ADHUC PUERUM ET TENELLUM. Dicitur a Davide puer, non ſimpliciter, & abſolute, ratione ætatis, nam vigeſimum ſecundum iam agebat annum; ſed vel comparatione ſui, qui ſeptuageſimum iam ſuperabat, ſolent enim grandævi iuniores pueros etiam blandiendo appellare, vel reſpectu habito ad magnitudinem operis ſuſcepti, quod requirebat hominem omnibus naturæ, artis, doctrinæ, prudentiæ, experientiæ præſidiis cumulate inſtructum: quare additur: OPUS NAMQUE GRANDE EST, &c.

V. 2. LAPIDES ONYCHINOS: lapides colorem referentes humani unguis: ὄνυξ enim *unguem* Græcis ſignificat. ET QUASI STIBINOS. Lapidem candidum intelligit, quem alabaſtrum, ſeu alabaſtritem appellamus. Dicitur autem *lapis ſtibinus*, quod colore referat ſtibium, de quo Plinius Lib. XXXIII. cap. VI. ita ſcribit: *In iiſdem argenti metallis, invenitur, ut proprie dicamus, ſpumæ lapis candidæ, nitentiſque, non tamen tranſlucentis, ſtimmi appellant, alii ſtibium, alii alabaſtrum, &c.* MARMOR PARIUM. Non explicat Hebræus textus quodpiam genus marmoris, ſed explicandi cauſa Septuaginta *nobiliſſimum* addiderunt *marmor*, Parium ſcilicet, quod in Paro inſula exciditur, colore candidiſſimum, & bonitate primarium.

V. 3. ET SUPER HAEC QUAE OBTULI IN DOMUM DEI MEI. Pagninus ad verbum vertit ex Hebræo: *Et adhuc propter voluntatem meam in domo Dei mei, eſt mihi peculiare aurum, & argentum, quod dedi domui Dei mei*, &c. *Peculiare aurum*, intelligit pecuniam peculiariter ſepoſitam, & deſtinatam, non ad regni neceſſitates, ſed ad ea quæ Rex pro nata occaſione, aut cupiditate voluiſſet. EXCEPTIS HIS QUAE PRAEPARAVI; id eſt, præter ea quæ præparavi. IN AEDEM SANCTAM, *pro domo ſanctuarii*, ut vertit Vatablus.

V. 4. TRIA MILLIA TALENTA AURI. Sæpius dictum eſt, talentum unum auri duodecim millia coronatorum noſtratium continere; talentum vero argenti ſiclorum argenteorum tria millia; unius vero ſicli pondus eſt quatuor regalium Hiſpanicorum. DE AURO OPHIR. Vide dicta III. Reg. IX. 28.

V. 5. IMPLEAT MANUM SUAM. Significare videtur David, oblationem hanc fore quaſi ſacrificium quoddam Deo gratiſſimum, & ipſos offerentes fore quaſi ſacerdotes, & manus ſuas hac donatione conſecraturos. *Implere* enim *manum*, phraſi Scripturæ eſt ſacerdotio initiare. Vide dicta Iudic. XVII. 5.

V. 6. PRINCIPES FAMILIARUM. Vide dicta ſuperiori cap. num. 1.

V. 7. SOLIDOS DECEM MILLIA. Si-

Siclus erat femiuncia , hoc eft quatuor drachmæ: hinc ficlus, ftater, tetradrachmum idem funt. Solidus vero erat tantum fexta unciæ pars, indeque fextula dicebatur, & feptuaginta duo folidi faciebant libram : hæc enim duodecim uncias continet. AERIS TALENTA, &c. Talentum, five effet æris, five auri, five argenti, femper erat ponderis eiufdem, hoc eft librarum Romanarum centum viginti quinque.

V. 8. INVENTI SUNT LAPIDES, pretiofi fcilicet, cuiufmodi funt marmora. DEDERUNT IN THESAUROS, &c. ut fcilicet feponerentur ad templi fabricam. IAHIEL GERSONITIS. Hic enim cum duobus filiis fuis Zathan & Iohel præpofitus erat thefauris domus Domini, fupra cap. XXVI. 22. & cap. XXIII. 8. Dicitur *Gerfonites*, quia Levita erat Rex familiæ Gerfom filii Levi.

V. 9. PROMITTERENT. Hebr. & Septuaginta, *Sponte offerrent*.

V. 10. AB AETERNO IN AETERNUM: *a fæculo, & ufque in fæculum*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus, & habent etiam Septuaginta, hoc eft per totam æternitatem.

V. 11. TUA DOMINE EST MAGNIFICENTIA, &c. id eft, tu magnificus es, & potens, &c. & te magnificare, & celebrare debemus, &c. Eadem diverfis iterata phrafibus affectum animi fancti Regis produnt.

V. 12. MAGNITUDO, ET IMPERIUM OMNIUM. Hebr. & Septuaginta: *Magnificare, & roborare*, feu *confortare omnia*.

V. 13. CONFITEMUR TIBI, id eft laudamus te, ut in fecunda verficuli parte repetitur.

V. 14. PROMITTERE. Hebr. *Sponte offerre*.

V. 15. PEREGRINI ENIM SUMUS, &c. Adeo eorum quæ damus domini non fumus, ut vix brevem illorum ufum habeamus, dum peregrinamur in hac mortali vita.

V. 17. SIMPLICITATEM, finceritatem cordis, & affectus. Hebr. *rectitudinem*. Septuag. *iuftitiam*.

V. 20. ET DEINDE REGEM, approbantes quæ Rex nomine ipforum, & fuo, coram Deo fupplicandus dixerat. Iofephus Lib. VII. cap. IX. in fine, ita explicat: *Verfi deinde ad Davidem pro omnibus iis bonis quæ ipfo regnante perceperant, gratias egerunt*.

V. 21. CUM LIBAMINIBUS SUIS. Vide dicta Numer. cap. XV. num. 5. ET UNIVERSO RITU, fervato ad unguem ritu facrificiorum.

V. 22. CORAM DOMINO, non coram arca (nullum enim atrium tanto populo exulanti par effe potuiffet) fed Hierofolymis, loco quem fibi Dominus elegerat ad epulas facrificiorum pacificorum. Vide dicta Deuter. XII. II. & deinceps.

V. 23. UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM: primo enim unctus fuerat in Gihon per Sadoc, & Nathan, ut habemus III. Reg. 1. 39.

V. 24. DEDERUNT MANUM. Hebraice habetur, *Dederunt manum fub Salomone Rege*. Vulgata exponendo addidit, *Subiecti fuerunt*, ut illa porrectio manus fuerit in fignum fubiectionis.

V. 29. IN LIBRO SAMUELIS, primo fcilicet, & fecundo Regum: vel certe hi Libri Samuelis, & Gad non extant. Vide quæ diximus in Prolegom. cap. III.

V. 30. TEMPORUM QUAE TRANSIERUNT SUB EO, id eft laborum, afflictionum, & variorum cafuum. IN CUNCTIS REGNIS TERRARUM: hyperbolice dictum. Hiftoria illa complectebatur non tantum res Ifraelitici regni, fed etiam externorum.

TIRINI.

Verf. 2. QUASI STIBINOS, id eft fimiles fuco. Hebraice *fuci*, idque propter diverfitatem, feu varietatem colorum, ut fequitur: quia lapides ifti varietate colorum fucum faciunt videntibus, ut apparet in iis quos vocant *Agates*, ubi & undulatum mare, & natantes infulas, & omne genus imagines ultro innatas quafi penicillo expreffas videre eft, quæ fucum faciant, imponantque etiam oculatiffimis. MARMOR PARIUM. Hebraice tantum eft *marmor*, Sed Septuaginta, & Latinus, ut exponant quale fuerit *marmor*, adiecerunt epitheton *Parium*, ab infula Paro, una ex Cycladibus, fic dictum: quod album erat, & ceteris marmoribus præcellebat.

V. 3.

V. 3. EXCEPTIS HIS, seu præter ea quæ ex variis bello subactis provinciis sepofui in fabricam ædis sanctæ, quæ sunt ut minimum *auri talenta centum millia*, & decuplo plus *argenti*, ut dictum cap. XXII. vers. 14. Insuper IN eamdem DOMUM ET TEMPLUM DEI MEI DE MEO PECULIO, id est ex privatis thesauris meis, *do decem* alia *millia talenta auri probatissimi ex insula Ophir a*. Neque his tanti thesauris puto sat adhuc prospectum necessariis templi, quod Deo opt. max. maxime splendidum construendum est, ornamentis. Idcirco desidero ut & vos principes populi de vestro peculio, quantum cuique sponte libuerit, in id conferatis, & liberali manu Domino offeratis. Obtulerunt ergo hi principes de suo simul omnes

V. 6. & 7. AURI TALENTA QUINQUE MILLIA, ET SOLIDOS DECEM MILLIA, &c. Vide quæ dixi de ponderibus *b*. Porro per PRINCIPES POSSESSIONUM REGIS, intelliguntur præfecti gazæ regiæ, præpositi agrorum, vinearum, & gregum regiorum; de quibus supra cap. XXVII. 25. & sequentibus.

V. 17. SIMPLICITAS; Hebraice, *rectitudo*; Græce, *iustitia*: designat candorem animi, & rectam puramque intentionem, quæ a Christo vocatur *Oculus simplex*, Matth. VI. versu 22.

V. 21. TAUROS MILLE, &c. Refer non ad sola holocausta quæ proxime præcedunt, sed ad omnes victimas Domino die illa immolatas, ut ante dicitur; verbi gratia, in hostias pacificas, quæ non totæ igni absumebantur, ut fiebat in holocaustis, sed pro maiori parte cedebant offerentibus in epulum. Unde & hic subditur, VICTIMAS illas ABUNDANTISSIME fuisse IN OMNEM ISRAEL; id est, omni populo qui tum convenerat, abunde suffecisse, scilicet ad lautum epulum.

V. 22. UNXERUNT SECUNDO SALOMONEM. Prior enim unctio, quæ ad preces Bethsabee facta fuerat in Gihon, III. Reg. I. 45. tumultuario, & subitaneo opere, & coram paucis facta fuerat. Itaque conveniebat, eamdem publice, & solemniter institui, totoque Israele præsente, & consentiente iterari. Eadem opera etiam Sadocum solemniter inunxerunt in summum Pontificem: forte ne quis locus esset cavillationi, non esse legitimum Pontificem qui a Saule, tyranno potius quam Rege, intrusus esset in munus sibi non debitum, utpote vivente legitimo pontificatus herede Abiatharo, Pontificis tum defuncti filio. Et verisimile est, Abiatharum eiusque sequaces sparsisse eiusmodi rumores, sub id maxime tempus publici schismatis, quo alter Adoniæ, alter Salomoni palam favebat. Unde Salomon, qui suggerente Davide iam tum decreverat exauctorare Abiatharum, solumque Sadocum, eiusque posteros pontificatui adhibere, ne quis exinceps de illius unctione scrupulus cuipiam inhæreret, voluit eamdem hac occasione coram universo Israele seu iterari, seu comprobari.

(*a*) II. Paralip. VIII.
(*b*) In Prolegomenis.

GORDONI.

Vers. 23. UNXERUNT SECUNDO. Quamvis qui iure successionis regnum adipiscebantur, vix solerent inungi; tamen vix dum penitus firmato regno, expediebat id nunc fieri. Sadoc etiam, quamvis videatur unctus sub Saule en iterum unctum in Pontificem.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. ADHUC PUERUM. De ætate nunc Salomonis, dixi ad annum mundi 2958. & 2959. Sane cum regnare cœpit, non potuit multum abesse ab anno ætatis decimo nono.

V. 2. ONYCHINOS. Ὄνυξ, *unguis*, lapis referens colorem unguis humani. STIBINOS, alabastrum: nam colore refert stibium. MARMOR PARIUM, nobilissimum ex insula Paro.

V. 4. De talento dixi cap. XXII. in Notis.

V. 5. IMPLEAT MAMUM. Phrasi Scripturæ, offert sacrificium Deo.

V. 10. AB AETERNO IN AETERNUM, a sæculo in sæculum, ex Sept. hoc est semper.

V. 22. CORAM DOMINO: non quidem nunc in atriis templi, quæ tantam multitudinem capere non potuissent.

V. 23. SECUNDO. Vide III. Reg. I. 39.

V. 29. IN LIBRO SAMUELIS, I. & II. Regum.

gregavitque sibi currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & fecit eos esse in urbibus quadrigarum, & cum Rege in Ierusalem. 15. Præbuitque Rex argentum & aurum in Ierusalem quasi lapides, & cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna. 16. Adducebantur autem ei equi de AEgypto, & de Coa, a negotiatoribus Regis, qui ibant, & emebant pretio, 17. quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: *similiter de universis regnis Hethæorum, & a Regibus Syriæ, emptio celebrabatur.

(a) III. Reg. III. 1. (b) Exod. XXXVIII. 8. (c) Sap. IX. 10. (d) III. Reg. X. 26.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Et Dominus Deus eius erat cum eo*. Non omittas *Deus eius*.

V. 17. *Similiter de universis regnis Hethæorum*. Alii Codices scribunt *Cethæorum*. Vide III. Reg. XI. vers. 2.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 3. IN EXCELSUM, id est vehementer, seu sublimiter.

V. 5. IBI, scilicet in Gabaon. REQUISIVIT, pro adiit.

V. 12. DATA SUNT, pro dabuntur. LXX. *do*. IN REGIBUS, scilicet Israel. Vide sup. cap. XXIX.

V. 13. CORAM. Hebr. & LXX. *a facie*, id est a conspectu.

V. 16. DE COA, &c. Vide III. Reg. X. ubi eadem verba Hebr. quæ hic.

E S T I I.

Vers. 6. ASCENDITQUE SALOMON AD ALTARE AENEUM CORAM TABERNACULO FOEDERIS DOMINI, ET OBTULIT IN EO MILLE HOSTIAS. Obtulit ista Salomon in Gabaon, translata quidem iam arca in Ierusalem, sed stante ibi adhuc tabernaculo. Unde non peccavit in hoc Salomon contra præceptum legis, quo præcipiebatur non offerenda sacrificia nisi in loco quem elegisset Dominus. Quin etiam haud improbabile est, quamdiu tabernaculum, & arca non habebant stabilem locum, licuisse in aliis quoque nonnullis locis, dispensatione divina, sacrificia offerre; non in quibuscumque tamen, sed in locis fere, ubi tabernaculum fuisset aliquando, ut in Silo, Gabaa, Masphat. Sic & Samuel ipse dicitur sacrificasse in excelsis, & David excelsa non abstulit. At vero post ædificationem templi nihil tale licuit, nisi prorsus extraordinarie, ac Deo inspirante, ut fecit Elias, tametsi ille non manibus, sed oratione tantum mactatas hostias incendit. Unde & laudantur Ezechias, & Iosias, quod abstulerunt excelsa.

M A R I A N AE.

Vers. 2. PRAECEPITQUE, id est convocavit. ET PRINCIPIBUS FAMILIARUM præcepit Salomon. Hebr. *Capitibus patrum*. Sed bene Hieronymus sententiam expressit.

V. 3. IN SOLITUDINE; id est, in deserto fecit Moyses tabernaculum.

V. 4. IN LOCUM QUEM PRAEPARAVERAT EI, adduxit scilicet David arcam. Hebr. *In præparando* (id est, cum præparavit) *ei David* (scilicet locum) quoniam extendit ei tabernaculum in Ierusalem, ubi arca esset.

V. 5. ET REQUISIVIT SALOMON, scilicet altare æneum, ut in eo altari offerret sacrificia: vel *requisivit*, pro adiit illud.

V. 6. ASCENDITQUE SALOMON. Sic plerique vertunt, pro ascendere fecit.

Sept.

Sept. *Et obtulit Salomon*: quæ interpretatio placet, sive quod יעל *iabal* sit in coniugatione Hiphil, & significat *ascendere fecit*, id est obtulit: sive quod mox, ubi dicitur, *Et obtulit in eo mille hostias*, eadem prorsus vox est *iabal*. Et alioqui nulli gradus erant.

V. 10. UT INGREDIAR, ET EGREDIAR; id est, converser cum populo hoc, ut Regem decet, & regam illum, da mihi sapientiam.

V. 11. NEQUE ANIMAS EORUM; id est, exitium inimicorum non petisti.

V. 12. DATA SUNT TIBI; id est, dabuntur hæc. SUBSTANTIAM ET GLORIAM DABO TIBI. Non dicit se daturum animas hostium, quoniam Deus benignus est, aut quoniam pacificus Salomon futurus: neque ait se illi daturum dies plurimos, quoniam longæva vita non semper in bonis poni debet. IN REGIBUS: scilicet faciam ut in Regibus Israeliticis tibi similis non sit, aut fuerit.

V. 13. CORAM TABERNACULO FOEDERIS. Hebr. *De coram tabernaculo venit Salomon*; Sept. *a facie tabernaculi*: nam tabernaculum erat in Gabaon, unde venit Salomon.

V. 14. ET FECIT EOS ESSE. Hebr. *Posuit eos currus*, scilicet quos fecit. IN URBIBUS QUADRIGARUM, scilicet ubi ob læta pascua erat equorum copia, quibus currus trahebantur.

V. 16. ADDUCEBANTUR AUTEM EI EQUI DE AEGYPTO, ET DE COA. Locus difficilis ob varias interpretationes. Sane totidem verba Hebr. ponuntur III. Reg. x. 28. ut mirer quosdam Interpretes in utriusque loci interpretatione variasse. Tota difficultas in voce Hebræa *mikueh* est, quam quidam putant significare *de Coa*, quæ urbs AEgypti est, quo mercatores quasi ad emporium confluebant. Hoc sequitur Hieronymus utroque loco. Sept. in Lib. Reg. Pagn. hic. Quod si sequimur, sensus erit: Et eductio equorum, qui Salomoni (afferebantur) de AEgypto, & de Coa, negotiatores Regis ex Coa accipiebant in pretio. Verum hic sensus ut constet, & puncta Hebr. & accentus debent mutari. Alii putant *mikueh* significare *congregationem*: certe in Chald. in Lib. Reg. & vulgo Hebræi. Iuxta hanc significationem sensus est: Et eductio equorum qui Salomoni de AEgypto: & congregatio mercatorum Regis *mikueh*, pro *mimikueh*; id est, *a congregatione* (AEgyptiorum) *accipiebant in pretio*, id est pro pretio. Et memento iis locis mercatores ob pericula, non nisi congregatim ad mercatus ire. Quidam ea voce significari putant *telam byssinam*. Pagninus in Lib. Reg. Vatablus. Sensus erit: Eductio equorum, qui Salomoni, & tela byssina. Mercatores Regis telam byssinam accipiebant in pretio: forte equi gratis dabantur ab AEgyptio. In quo duplex beneficium, & quod darentur equi, & quod educendi eos facultas concederetur. Verum si hic sensus placet, accentum Hebr. *Athnach* movere loco opus erit, & transferre in proximam vocem. Sunt qui telam byssinam allatam dicant a mercatoribus Regis, scilicet Hebræis, & pro ea accepisse equos ἐν ἀλλάγματι, id est *commutatione*, ut Sept. tangunt: quod genus commercii optimum est. Verum nisi vis fiat, vix verba hunc sensum admittunt. Sept. pro *mikueh* vertunt *pretium*. Verum rationem habere omnium interpretationum non debemus. Eorum hæc sunt verba: *Et exitus equorum Salomoni de AEgypto, & pretium negotiatorum Regis pretium quod accipiebant, & emebant in commutatione*. Quid hoc?

V. 17. SEXCENTIS ARGENTEIS *quadrigam*: sic Hebr. & Græc. Plura in Lib. Regum. SIMILITER DE UNIVERSIS REGNIS HETHAEORUM, &c. Hebr. *Sic omnes Reges Cethæorum, & Reges Syriæ per manum eorum educebant*, scilicet mercatorum Salomonis, non aliunde habere eos equos poterant. Unde magnus quæstus ad Salomonem redibat, cuius nomine in AEgypto ii equi accipiebantur, aut emebantur: genus monopolii.

MALVENDAE *.

Vers. 1. CONFORTATUS EST ERGO SALOMON, &c. Confer hunc versum cum I. Reg. 11. vers. 12.

V. 2. PRAECEPITQUE SALOMON, &c. Hebr. *Et dixit Selomoh*; id est, edixit, indixit, edicto promulgavit, nimirum ut omnes ii qui hic nominantur, secum pergerent Ghibhonem, ut ex sequente versu intelligitur.

V. 3. ET ABIIT CUM UNIVER-

SA

SA MULTITUDINE, &c. Confer hunc versum cum I. Reg. III. vers. 4. UBI ERAT TABERNACULUM FOEDERIS, &c. Vide I. Reg. III. vers. 4. & I. Paralipom. XVI. vers. 39. & cap. XXI. vers. 29.

V. 4. ARCAM AUTEM DEI ADDUXERAT, &c. Historiam huius versus fuse descriptam habes II. Samuel. VI. & I. Paralipom. XIII. & XV.

V. 5. QUOD ET REQUISIVIT SALOMON. Hebr. *Et requisivit eum Selomoh*: pronomen est masculeum, & potest referri ad tabernaculum, & altare æneum, & ad Deum, eodem semper sensu.

V. 6. ASCENDITQUE SALOMON AD ALTARE, &c. יעל *iaghal* futurum, & potest esse ex Kal, *ascendit*, quod Noster secutus; & ex Hiphil, *ascendere fecit*, sive *obtulit*, per sacerdotes, ut fere alii accipiunt, & statim sumitur. Confer hunc, & septem sequentes versus cum I. Reg. III. a vers. 4. usque ad 15.

V. 10. UT INGREDIAR, ET EGREDIAR CORAM POPULO TUO. Hebr. *Ut egrediar coram populo isto, & ingrediar.* Quidam: *Qua procedam ante populum hunc, & redeam.* Exponunt, Ut versari mihi liceat cum populo isto, prout Regem decet, omni tempore: vel ut valeam obire functionem meam, quid agere debeam in administratione tanti regni. Vide I. Reg. III. 7. & Numer. XXVII. 17.

V. 13. VENIT ERGO SALOMON AB EXCELSO GABAON IN IERUSALEM CORAM TABERNACULO FOEDERIS. Hebr. *Et venit Selomoh ipsi Excelso, quod in Ghibhon, Ierusalaim, de ad facies tentorii conventus.* Quidam Lamed positum volunt pro Min: *Venit autem Selomoh ab excelso, quod erat in Ghibhon in Ierusalem, a conspectu tabernaculi ecclesiæ.* Alii: *Cum itaque rediret Selomoh Ierusalaima, a profectione ad excelsum, quod erat Ghibbone, a conspectu tentorii conventus.*

V. 14. CONGREGAVITQUE SIBI CURRUS, &c. Hic, & sequentes tres versus usque ad finem capitis, iidem omnino sunt cum I. Reg. X. versibus 26. 27. 28. & 29. inde petenda explanatio eorum.

MENOCHII.

Vers. 1. CONFORTATUS EST ERGO. Quæ habentur quatuor hisce primis versiculis huius capitis, clara sunt ex dictis III. Reg. XXXI.

V. 5. QUOD ET REQUISIVIT SALOMON, &c. id est, addit Salomon, & cœtus omnis qui cum illo erat.

V. 6. CORAM TABERNACULO. Erat enim altare holocaustorum ante fores tabernaculi.

V. 7. ECCE AUTEM IN IPSA NOCTE. Hæc explicata sunt III. Reg. III. a num. 5. & deinceps.

V. 13. VENIT ERGO SALOMON. Quæ hic habentur usque ad finem capitis explicavimus III. Reg. X. a num. 26. usque ad finem capitis.

TIRINI.

Vers. 5. ALTARE Moysis AENEUM REQUISIVIT SALOMON, adeundo illud in Gabaon, ut super eo sacrificaret Domino.

V. 10. UT INGREDIAR, ET EGREDIAR CORAM POPULO, scilicet ut Regem decet. Ea phrasi explicant Hebræi omne genus publicæ actionis, & conversationis.

V. 13. CORAM TABERNACULO FOEDERIS. Hebraice, *De coram tabernaculo.* Septuaginta, *A facie tabernaculi.* Nam tabernaculum fœderis, ut hic dicitur vers. 3. non erat tum Ierosolymæ, sed in Gabaon, unde Salomon redibat.

V. 15. SYCOMORUS arbor est Palæstinæ familiaris, plebeiorum ædificiorum fabricis subserviens, parum ad firmitatem, & speciem idonea; usitata tamen, quia exiguo parabatur impendio. Opponitur cedro, nobili, specioso, & firmo admodum ligno, principum, Regumque palatiis adhiberi consueto.

V. 16. ADDUCEBANTUR Salomoni EQUI DE AEGYPTO, ET DE COA. Cum enim in Israelitide terra pauci ad id tempus equi procrearentur, necesse fui ut Salomon, si quos præstantes optaret, aliunde accerseret. AEgyptum vero plurimis, ac generosis equis abundasse, vel ex illo Cantic. I. 8. colligere est, ubi cum

sponsus sponsæ suæ robur egregium depingere vult, comparat illam equitatui suo, *In curribus Pharaonis* Regis AEgypti.

Porro *Coa*, Hebraice *Kueb*, non est Goa Lusitanici imperii in India orientali caput, ut nonnemo somniavit: nimis enim difficilis, & sumptuosa vectura fuisset e regionibus usque adeo remotis. Sed si proprium est civitatis nomen, est emporium particulare aliquod vel AEgypti, vel AEgypto confine sic nominatum. Ita Mariana. Sin vero appellative sumatur (nam Hebr. *kueb* significat *congregationem*) tum emporium in genere denotabit ad quod mercatorum congregatio undique confluit: eritque sensus, quod ex AEgypti emporiis equi maximo numero Ierosolymam stato certoque pretio ad Salomonem quotannis, aut quot mensibus adducerentur.

GORDONI.

Vers. 5. REQUISIVIT; supple, altare æneum. Adiit illud, ut ibi offerret hostias; ubi etiam erat vetus tabernaculum Mosaicum, nempe in Gabaon.

V. 6. ASCENDITQUE SALOMON AD ALTARE. Certe gradus non erant. Ergo ex communi interpretatione, *Ascendit*, id est ascendere fecit: ex verbo יַעַל *iahhal*, sub coniugatione Hiphil. Hinc recte Sept. *Obtulit*, ἀνήνεγκεν. Ergo data materia, fecit ut fieret oblatio.

V. 16. ADDUCEBANTUR AUTEM EQUI, &c. De hoc dixi III. Reg. cap. x. Certatur, an Coa sit AEgypti urbs, an in mediterranei maris insula: quam sentiendi varietatem dedit vox Hebraica, quæ pro varietate punctorum, & accentus, dat varium sensum. Quod non sit urbs AEgypti, indicat hic versus, in quo seponitur Coa ab AEgypto.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. ECCE AUTEM. De his vide III. Reg. III. 5. & deinceps.

V. 13. VENIT ERGO SALOMON, &c. De hoc III. Reg. x. 26. &c.

CAPUT II.

Ordinatis pro templo ædificando operariis, Salomon cum Rege Hiram convenit de mittendo erudito artifice, lignisque ad templi structuram cædendis.

1. DEcrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini; & palatium sibi. 2. Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos. 3. (*a*) Misit quoque ad Hiram Regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, & misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua & habitavit: 4. sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocautomata mane, & vespere, sabbatis quoque, & neomeniis, & solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli. 5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes deos. 6. Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo. 7. Mitte ergo mihi virum eruditum,

qui noverit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Iudæa & Ierusalem, quos præparavit David pater meus. 8. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea, de Libano: scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano, & erunt servi mei cum servis tuis, 9. ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta. 10. Praeterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, * & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia. 11. Dixit autem Hiram Rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum. 12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum, & terram, qui dedit David Regi filium sapientem & eruditum & sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, & palatium sibi. 13. Misi ergo tibi virum prudentem & scientissimum Hiram, patrem meum, 14. filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater fuit Tyrius, * qui novit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque, & hyacintho, & bysso, & coccino: & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei David patris tui. 15. Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es domine mi, mitte servis tuis. 16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuum autem erit transferre ea in Ierusalem. 17. Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pater eius, & inventi sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti. 18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, * qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.

(a) III. Reg. v. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 10. *Et hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas*. Mirum est omitti a plerisque libris illud, *Et vini viginti millia metretas*, contra hebraici fontis, & grecæ interpretationis finem.

V. 14. *Qui novit operari in auro ...: & qui scit cælare omnem sculpturam*, &c. Præferendi sunt indicativi *novit*, & *scit*, coniunctivis, *noverit*, *sciat*.

V. 18. *Qui lapides in montibus cæderent*. Præferenda est præpositio *in* præpositioni *de*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. SEXCENTOS. At III. Reg. cap. v. *trecentos*: scilicet hic adduntur qui præfectis præerant.

V. 3. ET HABITAVIT. Hebr. & LXX. *habitaret*.

V. 6. POTERIT PRAEVALERE; id est, tantum poterit. TANTUM, scilicet ædifico.

V. 8. ARCEUTHINA, id est *iuniperina*: sic LXX. at Hebr. *abiegna*. PINEA: alii *Brasilea*, vel *corallia*.

V. 9. ET INCLYTA. Hebr. *Et mirabilis*.

V. 10. COROS. Continet *corus* (qui & *chomer* dicitur) decem epha; epha autem, sata tria. METRETAS. Hebr. *battos*. Est autem battus in liquidis, quantum epha in aridis, scilicet decima pars cori. SATA. Hebr. *battos*.

V. 13. PATREM MEUM; quasi dicat: Qui mihi est velut pater. LXX. *servum meum*: forte *Abi* (quod est Hebr.) cognomen erat.

V. 14. TYRIUS, scilicet habitatione: alioqui enim de tribu Nephthalim. Ita quidam. Putarim potius matrem fuisse de tribu Nephthalim simul & Dan, ut dicitur hic; patrem vero Tyrium natione. Vide III. Reg. VII. MARMORE. Hebr. & LXX. *lapidibus*.

V. 16. IOPPE. Hebr. *Iapho*.

V. 17. PROSELYTOS. Hebr. *peregrinos*.

ESTII.

Vers. 13. MISI ERGO TIBI VIRUM .... SCIENTISSIMUM HIRAM PATREM MEUM. Merito quæritur quomodo Rex Tyri vocet hunc artificem patrem suum, quem certum est non fuisse patrem naturalem. Alioqui enim potius patrem oportebat Regem esse quam filium. Qui nostra tantum versione utuntur, dicunt vocari patrem, vel ætate, vel arte, & ingenio; quasi dicat: Quem propter senectutem, & artem colo ut patrem. Septuaginta pro *patrem meum*, habent *puerum meum*, id est servum. Sed repugnat veritas Hebraica. Et quidem potest ex Hebræo sic verti, *Scientissimum Hiram patri meo*; ut sit sensus: Qui fuit celeberrimus artifex etiam apud patrem meum. Verum quia infra, capite IV. idem etiam Hiram vocatur pater Salomonis, simplicius dicendum est, quod eo tempore homines eximii vocarentur honoris causa patres, sicut nunc vocantur magistri. Nam & Ioseph Gen. XLV. vocatur pater Pharaonis.

V. 14. FILIUM MULIERIS DE FILIABUS DAN III. Reg. VII. de eodem hoc Hiram sic legitur: *Et tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephthalim*. Quæritur quomodo ergo hic mater eius dicatur fuisse de filiabus Dan. Respondeo: Quia ipsa de tribu Dan erat, vir autem eius de tribu Nephthalim. Atque hoc significatum est per hoc quod dicitur, *Mulieris viduæ de tribu Nephthalim*; quasi dicat: Mulieris, quæ habuerat virum de tribu Nephthalim. Nec obstat quod mater Hiram dicitur fuisse Tyrius, vocatur scilicet Tyrius habitatione, sicut II. Reg. VI. Obededom etsi Levita, vocatur tamen Gethæus.

MARIANAE.

Vers. 1. OCTOGINTA MILLIA QUI CAEDERENT LAPIDES. Hebr. *Octoginta millia cædentis in monte*, pro cædentium in montibus. Quid cædebant? lapides. Sept. *Et octoginta millia lapicidarum*. PRAEPOSITOSQUE. Heb. *Menazechim*: hinc intelligitur quid sit *Menazeah* sæpe positum in Psalmorum titulis, nimirum *cantorum præpositum*. TRIA MILLIA SEXCENTOS. In III. Lib. Reg. v. 16. *tria millia trecentos* tantum, sed ibi prætermittuntur præpositi præpositorum. Da, o Hiram, quibus opus habeo, ut ædificem.

V. 4. UT CONSECREM EAM, scilicet domum. Hebr. *Ut sanctificem ei*, scilicet Deo. Sept. *Ut sanctificem eam ipsi*. IN SEMPITERNUM, QUAE MANDATA SUNT ISRAELI. Hebr. *In sempiternum hoc* (scilicet mandatum) *super Israel*.

V. 8. ARCEUTHINA ligna mitte. Quid *arceuthina*? e *iunipero*: sic Sept. Hebr. *abiegna*. Gotth. *cypressina*. ET PINEA. Hebr. *algumim*: quam vocem alii *bresiliam*, alii *corallium* vertunt.

V. 10. SERVIS TUIS DABO IN CIBARIA TRITICI. Hebr. *tritici contusi*, id est moliti, farinæ. COROS. Capit *corus* triginta modios, fanecas quinque. HORDEI, scilicet ad iumenta: aut quia in ea regione plurimum hordeo homines victitant. VINI VIGINTI MILLIA METRETAS. Hebr. *bathos*. OLEI QUOQUE SATA. Hebr. *bathos*. Quid *bathus*, quid *satum*, quid *metreta*, Lib. de Pond. & mens. est dictum. Sane *satum* mensura aridorum est, non liquidorum, tertia pars ephi modium continens. Porro *ephi*, & *bathus* æquales.

les. Ezech. xlv. 11. neque metreta discrepat multum a batho.

V. 13. Hiram patrem meum misi. Alii *Hiram patris mei*, scilicet servum. Sept. *servum meum misi ad te*. Verba Hiram Regis.

V. 14. Qui novit operari in auro. Sept. *scientem facere*. Hebr. potest in accusativo poni, & sic peritia refertur ad filium: potest in nominativo sic: *Et pater eius vir Tyrius, sciens operari*: quo modo refertur ad patrem, ut intelligamus a patre peritiam accepisse filium. Ii sunt artifices peritissimi, qui a patre artem quasi hereditariam habuerunt: sic Hebræus. Porro mater artificis fuit de tribu Dan, ut hic dicitur; at III. Reg. vii. 14. filium mulieris viduæ de tribu Nephthalim. Et quidem illud, *De tribu Nephthalim*, ad filium referri debet, quoniam pater Tyrius habitatione, origine de ea tribu erat. Et marmore. Hebr. *In lapidibus*, scit eos dolare. Et adinvenire prudenter. Hebr. *Et ad cogitandum omnes cogitationes, quæ dabitur* (pro dabuntur) *ei*: scilicet nova excogitare novit.

V. 16. Ratibus mittemus ligna. Rates fiunt ex trabibus inter se colligatis. Per mare, scilicet per maris litus: nam rates alto non se committunt.

V. 17. Proselytos. Hebr. *advenas*, peregrinos. Sed & ii *proselyti* erant, ut & Sept. posuerunt, id est conversi ad Iudaismum. Eos Salomon numeravit.

V. 18. Septuaginta millia. Explicat eos qui ad opus fuere delecti vers. 2. omnes e peregrinis fuisse, quibus ut servis imperabant, non ex gente Israelitica: nam Israelitas, ut ingenuos, immunes esse volebat.

MALVENDAE.

Vers. 1. Decrevit autem Salomon. Hebr. *Et dixit Selomoh*; id est, cogitavit, statuit, meditatus est. Vide I. Reg. v. 5. Vel edixit, edicto publicavit. Et palatium sibi. Hebr. *Et domum regno suo*, vel *pro regno suo*, id est domum regiam suam. Sic infra vers. 12.

V. 2. Et numeravit septuaginta millia virorum, &c. Vide de hoc versu I. Reg. v. 15. & infra vers. 18. Praepositosque eorum. Vide de hoc I. Reg. v. 16. מנצחים *menatztzechim*, aiunt esse, *executores operarum, qui urgebant & instabant ut operæ fierent*. Græci vocant *egrodiotas*, qui opus urgent: unde hic reddunt, *Et executores super eos*. Alii, *Et urgentes super eos*. Alii, *Præessentes, præsides, super eos*: sic infra vers. 18. Pro hac voce I. Reg. v. vers. 16. scribitur נצבים *nitztzabim*, *stationarii, præfecti, assistentes, curatores*. Sexcentos. I. Reg. v. 16. *treccenti* dicuntur; sed vide ibi conciliationem in Comm.

V. 3. Misit quoque ad Hiram Regem Tyri, &c. Vide I. Reg. v. 1. 2. & sequentibus. Hiram. Hebr. *Couram*, qui in I. Reg. v. 1. & 11. &c. dicitur *Chiram*. Et misisti ei ligna cedrina, &c. Vide II. Samuel. v. 11. & I. Paralip. xiv. 1.

V. 4. Ut consecrem eam. Heb. *Ad consecrandum ei*; id est, ut eam domum consecrem Domino. Aliqui, *Ad sanctificandum eum*, nempe Iehovam, vel nomen eius; id est, ad sancte colendam, prædicandam, celebrandam sanctitatem Iehovæ in ea domo, ut illud Matth. vi. 9. *Sanctificetur nomen tuum*. Et ad propositionem panum sempiternam. Hebr. *Et ordinationem iugem, perennitatis, perpetuitatis, continuitatis*. Quidam, *Ad dispositionem panum iugem*. Vide Levit. xxiv. 6.

V. 6. Si caelum, et caeli caelorum capere eum nequeunt. Hebr. *Non universitabunt eum*, non universe totum capient: *non calculabunt eum*, non iuste, & ad calculos dimetientur. Vide hanc pericopem expositam I. Reg. viii. 27. Sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo. Hebr. *Quin immo ad suffiendum faciebus eius*. Quidam: *Nisi ad suffiendum*, sive *ut adoleatur coram eo*; quasi dicat: Statui ædificare domum, non ut ea eum tus contineri possit, sed ut incensum adoleam in conspectu eius; id est, ut eum quomodocumque colam. Synecdoche: per suffitum, omnem reliquum cultum intelligit.

V. 7. Mitte ergo mihi virum, &c. Hoc iungendum cum eo quod est vers. 3. *Sicut egisti cum David patre meo*, &c. ut versus 4. 5. 6. interiecti sint per hyperbaton. Coccino. כרמיל *carmil* putant vocem esse Tyriam, & *coccinum*, seu

ſeu *carmeſinum*, omnes fere interpretantur. Aliqui *linum in fertiliſſimo campo naſcens*. Hiſpanicus Interpres *cardeno*: ſic infra verſ. 14.

V. 8. ARCEUTHINA, ET PINEA. Hebr. ברושים *beroſchim*, & אלגומים *alghummim*. Suſpicor Noſtrum verba traieciſſe, & *beroſchim*, *pinea*; *alghummim* vero, *arceuthina*, vel forte *archethyina* dixiſſe: nam tranſpoſitum *almuggim*, *thyina* reddidit, I. Reg. x. verſ. 11. quæ eſt vocis germaniſſima interpretatio. Vide Comm. ibi, & Lib. noſtrum IV. de Antichriſto cap. xxxiii.

*V.*9. ET INCLYTA. Hebr. eſt infinitivus, *Et arduum facere*; quidam, *Et mirificando*: alii, *Et quidem mirifice*; quaſi dicat: Excellentiſſime, mirificentiſſime, uſque ad miraculum: nam eſt formæ Hiphil, quæ ſignificatum intendit. Alii pro nomine capiunt, *ardua*, *excelſa*, *excellens*, *mirabilis*, *mirifica*, *ſupra opus*, *vires*, & *captum humanum*.

V. 10. IN CIBARIA TRITICI. Heb. *Tritica percuſſiones*, vel *percuſſa*, varie exponunt. I. *Grana tuſa*, vel *granorum tuſorum*; hoc eſt, non molitorum in farinam ad conficiendos panes; ſed tuſorum, hoc eſt ſemifractorum ad uſum pulmentorum: Hiſpanicus Interpres, *En grano maiado*. II. *Triticorum excuſſorum*, e ſpicis, & paleis: Hiſpanice, *puro*, *limpio*, *abechado*. III. *Tritici contuſi*, id eſt in farinam moliti. COROS VIGINTI MILLIA. Vide I. Reg. v. 11. OLEI QUOQUE SATA VIGINTI MILLIA. Hebr. *Et olei batos viginti millia*. De bato vide I. Reg. vii. 26. I. Reg. v. 11. dicitur, *Et olei puriſſimi viginti coros*. Hæc videntur non convenire: nam conſtat batum eſſe decimam cori partem; unde viginti cori olei erunt 200. tantum bati; at hic dicuntur viginti millia batorum olei. Aliqui conciliant, in I. Reg. ſubaudiendum ex præcedentibus, *viginti millia coros*, qui hic dicuntur viginti millia bati: ut corus, & batus nunc pro eadem menſura ſumantur. Durum utrumque. Poteſt dici, olei puriſſimi, ſeu tudicula extuſi fuiſſe ducentos batos, ſeu viginti coros, ut dicitur in I. Reg. at olei communis, & prælo expreſſi viginti millia batorum, ut hic ſcribitur.

V. 11. DIXIT AUTEM HIRAM, &c. De hoc, & ſequente verſu, vide I. Reg. v. 7.

V. 12. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL, QUI FECIT CAELUM, ET TERRAM. Fidelis & pius videtur fuiſſe Rex hic Tyrius, ac veram cognitionem & fidem Iehovæh habuiſſe, qui eum profitetur auctorem, ac creatorem omnium rerum.

V. 13. MISI ERGO TIBI VIRUM PRUDENTEM, &c. De hoc, & ſequente verſu, vide I. Reg. vii. verſ. 13. 14. & ſequentibus. HIRAM, PATREM MEUM; id eſt, quem ob peritiam artis ut patrem veneror. Hic I. Reg. vii. verſ. 13. *Chiram* vocatur. At hic Hebr. in dativo, *Ipſi Churamo patri meo*; id eſt, qui erat Churamo patri meo, vel apud Churamum patrem meum: nempe cuius opera pater meus Churam utebatur: vel qui apud patrem meum in pretio erat.

V. 14. CUIUS PATER FUIT TYRIUS. Hebr. *Et pater eius vir Tzoræus*. Quidam, *Et patrem eius virum Tyrium*, qui ſimiliter Churam, ut filius, vocabatur, infra cap. iv. verſ. 16. Intelliguntque utrumque, & filium, & patrem miſſos ab Churamo Rege Tyri ad Salomonem. Sed vide infra cap. iv. verſ. 16.

V. 16. RATIBUS. רפסודות *raphſodoth* alibi non extat. Quidam a רפד *raphad*, inſerto Samech, deducunt, nimirum ſic dictas *rates*, a ſtratura, quod ſcilicet aquis ſint ſuperſtratæ. Alii componunt a רפד *raphad*, *ſtravit*, & a יסד *iaſad*, *fundavit*: nempe rates ex trabibus, aut lignis ſimul coagmentatis, & connexarum trabium compagibus, quæ mari velut fundamenta rerum devehendarum inſternuntur. Hinc putant Græcos ſuam *rapſodiam*, id eſt *contexturam* ſumpſiſſe: pro hac voce, I. Reg. v. 9. דוברות *doberoth* ſcriptum eſt: vide ibi Comm. IN IOPPE. Hebr. *Iapho*, de qua vide Ioſue xix. 46.

V. 17. OMNES VIROS PROSELYTOS, QUI ERANT IN TERRA ISRAEL, POST DINUMERATIONEM, QUAM DINUMERAVIT DAVID, &c. Vide I. Paralipom. cap. xxii. verſ. 2.

V. 18. OPERUM POPULI. Hebr. *Ad tranſire facere populum*; vel *ad faciendum ut tranſiret hic populus*. Quidam, *Ad faciendum operari populum*; id eſt, qui adigerent populum ad opus, vel qui populum ad laborem urgerent, qui inſtarent operi. Aliqui, *Ut præeſſent adigendo huic* po-

populo ad opus. Aptius, *Ad faciendum, ut populus hic suas operas obiret:* vel *ut sub ipsis, ac eorum imperio hic populus transiret, incederet, degeret.* Hebr. varie leguntur להעביד *lehaghabid, ad servire facere;* & להעביר *lehaghabir, ad transire facere,* maxima similitudine inter Daleth & Resch.

MENOCHII:

Vers. 1. DECREVIT AUTEM SALOMON, &c. Totum hoc caput explicatum est III. Reg. v.

V. 4. FUMIGANDA AROMATA, incendenda, ut fumum odoratum faciant.

V. 6. QUIS POTERIT PRAEVALERE? id est, quis tantum poterit? SED AD HOC TANTUM, &c. quasi dicat: Ad hoc tantum ædifico ut adoleatur incensum.

V. 8. LIGNA ARCEUTHINA, ex *iunipero*: sic Septuaginta; at Pagninus, & Vatablus ex Hebræo vertunt *abiegna*. Alias monui, arborum, stirpium, animalium nomina, quæ in Hebræo textu habentur, varie admodum explicari, nec satis veram illorum significationem constare posse, quod accidit in voce ברושים *beroscim*, quæ hic habetur: aliqui enim putant ברוש *berosc* esse speciem quamdam cedri; alii *buxum*; alii *iuniperum* interpretantur: nec desunt qui *fraxinum* esse velint.

V. 10. METRETAS. *Metreta* tantam continet liquoris, quantum amphora Romana; hoc est aquæ uncias 960. Vide Cornel. a Lapide opusculo de mensuris.

V. 13. HIRAM PATREM MEUM. Vide dicta III. Reg. VII. num. 13. & 14. Appellat eum Tyrius patrem suum, ætate scilicet, & benevolentia.

TIRINI.

Vers. 2. NUMERAVIT, non de Israelitis, sed de proselytis, ut dicitur vers. 17. id est de advenis ad iudaismum conversis. Vide dicta III. Reg. v. 13. PRAEPOSITOS. Hebraice *menazeah*, quod sæpe positum habes in titulis Psalmorum. Et hinc patet, nihil aliud ibi designare quam *præpositum*, vel *præfectum* cantorum. Porro dicuntur hic operibus Salomonis præpositi fuisse 3600. cum III. Reg. v. 16. ubi de iisdem agitur, non numerentur nisi 3300. Respondeo, ibi prætermissos fuisse præpositos superiores præpositorum inferiorum, qui erant trecenti, & hic supplentur.

V. 13. HIRAM PATREM MEUM. In Hebr. Chald. & Græco est, *Hiram patris mei*, supple servum, vel architectum. Quomodo autem (ut noster vertit Interpres) eumdem Hiramum possit etiam vocare Rex patrem suum, dixi III. Reg. VII. 13.

GORDONI:

Vers. 2. TRIA MILLIA SEXCENTOS. III. Reg. v. 16. ponit tria millia trecentos. Ibi quidem omittuntur præpositi præpositorum; hic vero adduntur qui præerant præfectis, unde habes *sexcentos*.

V. 8. ARCEUTHINA, *ligna iuniperina*, Sept. Hebr. *abiegna*. Aliqui *cypressina*.

V. 10. Corus habet triginta modios, ut alibi dictum est. Per *metretas*, bathos intellige. Satum est tertia pars ephi, modium continet: aridorum est. Vide I. Reg. XVII. 17.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. FUMIGANDA, incendenda, ut fumus ascendat.

V. 10. METRETAS. *Metreta*, æqualis amphoræ Romanæ, continet aquæ uncias pene mille, seu nongentas sexaginta.

V. 13. PATREM vocat, ætate, & benevolentia.

CA-

CAPUT III.

Templum extruitur cum porticu, velo, & duabus columnis ante fores templi.

1. T (*a*) cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem
in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri eius,
in loco quem paraverat David in (*b*) area Ornan Iebusæi.
2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni
sui. 3. Et hæc sunt fundamenta, quæ iecit Salomon, ut
ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura pri-
ma sexaginta, latitudinis cubitos viginti. 4. Porticum vero
ante frontem, quæ tendebatur in longum iuxta mensuram latitudinis domus,
cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat: & deauravit
eam intrinsecus auro mundissimo. 5. Domum quoque maiorem texit tabulis li-
gneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea pal-
mas, & quasi catenulas se invicem complectentes. 6. Stravit quoque pavimentum
templi pretiosissimo marmore, decore multo. 7. Porro aurum erat probatissi-
mum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, &
ostia: & cælavit cherubim in parietibus. 8. Fecit quoque domum Sancti san-
ctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus, cubitorum viginti, & latitudi-
nem similiter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quasi talentis sex-
centis. 9. Sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos ap-
penderent: cœnacula quoque texit auro. 10. Fecit etiam in domo Sancti sancto-
rum Cherubim duos, opere statuario: & texit eos auro. 11. Alæ Cherubim vi-
ginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tange-
ret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius
Cherub. 12. Similiter Cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat
parietem: & ala eius altera quinque cubitorum, alam Cherub alterius continge-
bat. 13. Igitur alæ utriusque Cherubim expansæ erant, & extendebantur per
cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ
ad exteriorem domum. 14. (*c*) Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura,
cocco, & bysso: & intexuit ei Cherubim. 15. (*d*) Ante fores etiam templi duas
columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita
earum, quinque cubitorum. 16. Nec non & quasi catenulas in oraculo, & su-
perposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis
interposuit. 17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dex-
tris, & alteram a sinistris: eam quæ a dextris erat, vocavit Iachin; & quæ
ad lævam, Booz.

(*a*) III. Reg. vi. 1. (*b*) II. Reg. xxiv. 25. I. Paralip. xxi. 26. (*c*) Matt. xxvii. 51. (*d*) Ierem. lii. 20.

COM.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. FUNDAMENTA, id eſt fundamentorum menſuras. PRIMA, ſcilicet comprehendente *Hechal*, & *Devir*, id eſt *Sanctum*, & *Sancta ſanctorum*, poſtea enim hæc diviſa. Illud erat quadraginta cubitorum, id vero viginti. Quidam primam dicunt; ideſt, qua Moyſes tabernaculum menſus eſt.

V. 4. CENTUM VIGINTI. At III. Reg. cap. VI. dicitur *triginta*, ſcilicet uſque ad primum tabulatum.

V. 5. MAIOREM, ſcilicet *Hechal*, ſeu *Sanctum*. CATENULAS: ſcilicet erant palmæ iunctæ opere catenato.

V. 6. TEMPLI, ſcilicet *Hechal*. MARMORE. Hebr. & LXX. *lapide*.

V. 7. PROBATISSIMUM. Hebr. & LXX. *ex Parvaim*, id eſt Peru, ſecundum quoſdam.

V. 9. CLAVOS, ſcilicet quibus laminæ parietibus affigendæ.

V. 10. STATUARIO. Alii, *artificioſo*; alii, *puerorum*, ſcilicet ſimilitudine. LXX. *de lignis imputribilibus*.

V. 11. ALAE, ſcilicet comprehendendo etiam corpus Cherubim.

V. 13. EXTERIOREM, ſcilicet Sanctum.

*V.*15. TRIGINTA ET QUINQUE, ſcilicet utraque. Vide III. Reg. cap. VII. ubi unaquæque dicitur decem & octo cubitorum: abſcondebatur autem dimidium cubiti in capitello. Ita quidam. Alii vero fuiſſe cuiuſque longitudinem cubitos duodeviginti præter capitellum, & baſim, quorum cubiti implebant numerum trigeſimum quintum.

V. 16. IN ORACULO, id eſt quales erant in oraculo. CENTUM, ſcilicet in quolibet duorum ordinum.

V. 17. IACHIN, id eſt *firmitas*, ſeu *firmabit*. BOOZ, id eſt *fortitudo*, ſeu *in fortitudine*.

ESTII.

Verſ. 1. ET COEPIT SALOMON AEDIFICARE DOMUM DOMINI IN IERUSALEM IN MONTE MORIA. Locus hic in monte Moria erat, de quo ſequitur: QUI DEMONSTRATUS FUERAT DAVID PATRI EIUS, IN LOCO, QUEM PARAVERAT DAVID IN AREA ORNAN IEBUSAEI. Fuit autem hic locus tunc Davidi demonſtratus, quando Angelus ei præcepit ut in eo loco ædificaret altare, & victimas offerret. Tunc enim dixit David: *Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael*. Expoſitores fere affirmant hunc locum eſſe eumdem illum in quo Abraham iuſſus erat offerre filium ſuum Iſaac. Sane Geneſ. XXII. ubi nos legimus, *Vade in terram viſionis*, Hebraice eſt, *Vade in terram Moria*. De hoc loco ſic Auguſt. Lib. XVI. de Civit. cap. XXXII. *Hieronymus presbyter ſcripſit ſe certiſſime a ſenioribus Iudæorum cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, & Adam ſepultus, ubi poſtea Chriſtus eſt crucifixus*. Hæc ille. Quare cum hic in monte Moria ædificatum dicatur templum, & Chriſtus extra portam paſſus ſit, late per plures velut colles hunc montem accipiamus oportet.

V. 11. ALAE CHERUBIM VIGINTI CUBITIS EXTENDEBANTUR, ITA UT UNA HABERET CUBITOS QUINQUE. Et poſtea verſ. 13. FACIES EORUM ERANT VERSAE AD EXTERIOREM DOMUM. Alibi dicitur, quod facies unius reſpiciebat faciem alterius. Sed hæc duo non repugnant. Quod enim ibi dicitur, intelligendum eſt hoc modo, quod facies Cherubim non erant verſæ ad oſtium templi, ſed ad parietes illos qui erant in lateribus. Quod autem hic dicitur, *Facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum*, ſenſus eſt, quia pars anterior corporis reſpiciebat domum exteriorem, ita tamen ut facies eorum in obliquum ſe mutuo reſpicerent.

Myſtice autem per duo Cherubim ſignificantur duo Teſtamenta, vetus, & novum. Per hoc autem quod ſe mutuo reſpiciunt, amborum Teſtamentorum conſen-

sensus significatur. Nam & vetus Testamentum perhibet testimonium novo per figuras, & prophetias; & novum veteri per exhibitionem, & ostensionem veritatis.

MARIANAE.

Vers. 1. IN MONTE MORIA. Ibi Abraham obtulit filium, & vocavit illum *Dominus videbit*, Genes. XXII. 14. inde mons *Moria*, id est *visionis*, dictus est: eratque ex adversum montis Sion, ubi postea extruxere arcem. IN AREA ORNAN. Ea erat in monte Moria, ubi David locum templi designavit, Lib. I. Paral. XXII. I.

V. 2. MENSE SECUNDO, scilicet *Iiar*, qui Aprili respondet. In Hebræo additur *in secundo*, scilicet die: quod Sept. & Hieron. omiserunt, credo putantes mensis repetitionem esse.

V. 3. ET HAEC SUNT FUNDAMENTA, id est fundamentorum mensura. Heb. *Et his fundatus est Salomon*. *Fundare* Hebr. multis locis *consiliari* significat. Psal. II. vers. 2. *Et Principes convenerunt in unum*: Hebr. *Principes fundati sunt simul*, id est consiliati sunt. Ergo hoc loco, *His fundatus est Salomon*, perinde erit ac si diceret: Hoc consilium cepit, hanc formam fabricæ secutus est, has mensuras secutus est in templi fabrica: & quidem actionis fundamentum, consilium est. IN MENSURA PRIMA; id est, quam in tabernaculo construendo Moyses secutus erat: nam progressu temporis mensuræ mutantur.

V. 4. CENTUM VIGINTI CUBITORUM. III. Reg. VI. 2. triginta cubitos altitudinis dat templo. Verum illud de toto templo accipiatur, hoc de porticu, quæ instar turris erat, in ipsa fronte ædificii. Sic iuvat conciliare. Vel usque ad primam contignationem triginta, reliqui cubiti ad culmen templi. DEAURAVIT EAM, scilicet porticum.

Vers. 5. LAMINAS AURI OBRIZI AFFIXIT PER TOTUM. Hebr. *Et texit illud auro bono*, id est puro. ET QUASI CATENULAS SE INVICEM COMPLECTENTES. Hieronymus de suo addidit, ad maiorem explicationem, *se invicem complectentes*: nam neque Hebr. neque Græce id est.

V. 6. STRAVIT QUOQUE PAVIMENTUM. Hebr. *Texit domum illam* (scilicet maiorem) *lapide pretioso*, pro lapidibus. Quod ad pavimentum referri potest, ut fecit Hieronymus, aut ad parietes, quos iis lapidibus distinxit. Sept. *Ornavit domum lapidibus pretiosis in gloriam*.

V. 7. PORRO AURUM ERAT PROBATISSIMUM. Hebr. *Et aurum aurum Parvaiim*. Vatablus hoc loco putat esse *Peru* regionem nuper inventam, auri ditissimam. Arias addit eamdem esse *Ophir*, litterarum metathesi. Longissima navigatio, quippe ultra Gangem, & Moluccas insulas, ac vix credibilis, nondum invento magnetis usu. Illud non placet quod Vatablus ait III. Reg. IX. vers. 40. esse Ophir insulam, quam *Hispaniolam* vocamus: eo enim navigaturi, Ioppe solvere debebant, non ex Asiongaber in mari rubro, ubi parabantur classes Salomonis. Hebræus ait, *Parvaiim* a *parim*, id est *vitulis*, dici, quod vituli sanguini ob rubedinem similis esset aut regio, aut aurum. Denique ex Hieronymo quidam afferunt, *Aurum obrizum* dici, quasi *Ophirizum*. CAELAVIT CHERUBIM, sive sculpsit. Vides per totum templum Cherubim fuisse incisos. Quid imagines in templis accusas?

V. 8. ET LAMINIS AUREIS TEXIT EAM. Hebr. *Et texit illud* (scilicet adytum) *auro bono*. QUASI TALENTIS SEXCENTIS. Hebr. *ad talenta sexcenta*; pro, ex talentis. Sept. *in talentis sexcentis*.

V. 10. OPERE STATUARIO fecit Cherubim. Hebr. *opere Zahazubim*. Sept. *de lignis imputribilibus*. Hebræus puerorum, & puellarum similitudine explicat. Inde natum, e duobus Cherubim qui erant supra arcam, alterum pueri, alterum puellæ forma fuisse. Fabulæ, licet Rabbi Selomo auctoritate.

V. 12. AD EXTERIOREM DOMUM. Hebr. *ad domum*. Sept. *in domum*: scilicet conversæ ad ianuam erant facies Cherubinorum.

V. 14. ET INTEXUIT EI CHERUBIM. Hebr. *Et posuit super illud Cherubim*, scilicet in ipso textu veli. Ad hæc duæ columnæ ante templum erant.

V. 15. TRIGINTA ET QUINQUE CUBITOS. Utraque scilicet columna: nam III. Reg. VII. singulis decem & octo modo

do

do cubiti dantur. Dimidii cubiti non habetur ratio.

V. 16. QUASI CATENULAS. Hebr. & Sept. *catenas*. Sed quorsum additur, IN ORACULO, nisi *oraculum* sumat pro porticu ubi erant columnæ. Aut *in oraculo*, id est sicut in oraculo, similes iis quæ in oraculo erant. ET SUPERPOSUIT EAS. Hebr. *Et dedit eas super caput columnarum*. Ego crediderim ex capitellis pendere catenulas circum columnas, ex illis malogranata centum, aut bis centum in duobus ordinibus. De quo in Lib. Reg. Nomina columnarum,

V. 17. IACHIN. In Gotth. additur, *Hoc est firmitas*. BOOZ. Ibi additur, *Hoc est in robore*. Et quidem ea nomina columnarum operis perpetuitatem prædicebant. *Iachin*; id est, *stabit*, scilicet in perpetuum. *Booz*, *in robore*, quasi illi operi Deus robur & firmitatem dederit. Sic Hebræus Scholiastes.

MALVENDAE.

Vers. I. ET COEPIT SALOMON AEDIFICARE DOMUM, &c. Conferendum hoc caput cum I. Reg. VI. IN MONTE MORIA. Vide Genes. XXII. vers. 2. & 14. QUI DEMONSTRATUS FUERAT DAVID. Quidam reddunt: *Ubi apparuerat Iehova Davidi*, &c. Vide I. Paralipom. XXII. I. IN LOCO, QUEM PARAVERAT DAVID. Hebr. videtur esse traiectio: *Quo paravit in loco David*; id est, in loco quem præparaverat David. Quidam: *Quando paravit in loco David*, &c. Vide hanc historiam II. Samuel. XXIV. & I. Paralipom. XXI.

V. 3. ET HAEC SUNT FUNDAMENTA, QUAE IECIT SALOMON, UT AEDIFICARET DOMUM DEI. Hebr. *Et ista fundari Selomoh, ad ædificare domum Elohim*. Locus Hebraice difficilis, quem varie reddunt. I. *Et istis fuit fundatus Selomoh ad ædificandum domum Elohim*; id est, & istis mensuris & dimensionibus quæ sequuntur, innixus fuit Selomon in ædificanda domo Dei. II. *Et hæc sunt fundamentum Selomonis ad ædificandum domum Dei*. III. *Et istæ dispositiones*, vel *mensuræ*, *secundum quas consultum fuit Selomoni, ut ædificaret domum Dei*; id est, quibus ex consilio peritorum artificum usus est, dum pararet extruere templum Dei: vel, *Et ista, quibus consiliatus fuit Selomoh, ut ædificaret*, &c. id est, stetit in consilio cum Davide patre suo. I. Paralipom. XXVIII. vers. II. *Et dedit David Selomoh filio suo exemplar*, &c. IV. *Et istæ sunt divisiones, quibus fundatus est Selomoh ad ædificandum*, &c. id est, quibus innixus est Selemoh, cum iaceret fundamenta templi. V. *Hæc sunt, quibus fundatus est Salomon in templi structura*; id est, quæ secutus est in fundamentis iaciendis. VI. *Hæc autem sunt, in quibus Salomon edoctus fuit, ut ædificaret domum Dei*. VII. *Et hæ sunt dispositiones, de quibus Salomon instructus fuit, ut ædificaret*, &c. VIII. *Hæc autem sunt, in quibus fundatus*, id est firmatus, *est Salomon ad ædificandum domum Dei*. IX. *Et ista decrevit Selomoh, ad ædificandum*, &c. X. *Atque harum dimensionum erat fundari*, seu *fundatio*, ut sit infinitivus pro nomine, *Schelomonis in ædificanda domo Dei*. Vide I. Reg. VI. 2. הוסד *husad*, quidam præteritum Hophal faciunt a סוד *sud*, vel יסד *iasad*, *fundatus fuit*, *fundari factus fuit*. Alii infinitivum constructum ab absoluto הוסד *hused*, pro nomine, *fundari*, pro *fundatio*. Alii nomen substantivum, *fundamentum*, seu *dispositio*, *consilium*. Nec desunt qui velint eo nomine significari totam ædificii constitutionem animo iam propositam; ac si dicat: Et ista quæ sequuntur, sunt tota ædificii constitutio animo iam proposita ipsi Selomoni, ad extructionem domus Dei. IN MENSURA PRIMA. Quidam exponunt quasi dicat: Prima mensurarum, seu dimensionum templi, est dimensio longitudinis, quæ fuit sexaginta cubitorum: unde reddunt: *Longitudo cubitorum fuit prima mensura, cubitorum, inquam, sexaginta*. Alii intelligunt, *In mensura prima*, id est quam in tabernaculo construendo primum secutus fuerat Moses. Sed unde sciunt longitudinem tabernaculi fuisse sexaginta cubitorum? nam id certo constitui non potest: equidem atrium tabernaculi, quod ipsi tabernaculo par fuisse notant, centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis fuisse diserte scribitur Exod. XXVII. vers. 18. Nonnulli explicant: *In dimensione priore*: idcirco dictum, quod simul iacta sint fundamenta היכל *hechal*, & דביר *debir*; qua-

quasi dicat: Quando descripserunt prima fundamenta, non separaverunt adytum, seu oraculum, a templo, seu ab *hechal*; sed postea separaverunt, & dederunt dimensionem templo suam, & oraculo suam: nimirum primum una designatione designarunt fundamenta duarum præcipuarum partium templi, nempe *hechal*, & *debir*, quæ fuit sexaginta cubitorum: ceterum ex sexaginta illis cubitis, viginti oraculo, quadraginta templo attributi sunt. Templi longitudo fuit ab oriente in occidentem; & latitudo a septemtrione in meridiem. Plerique accipiunt, *In mensura prima*; hoc est primaria, maiore, sacra, & geometrica; non communi, & minore: nimirum ut intelligamus cubitos sacros, & geometricos, qui communibus erant duplo maiores. Vide I. Reg. VI. 2.

V. 4. PORRO ALTITUDO CENTUM VIGINTI CUBITORUM ERAT. At I. Reg. VI. 2. dicitur *triginta cubitos in altitudine*. Conciliant, usque ad primum tectum, seu tabulatum templi fuisse triginta cubitos altitudinis; at usque ad supremum tectum fuisse centum viginti cubitos: inter tectum enim templi & summitatem totius ædificii erant aliæ contignationes mediæ, pro habitaculis ministrorum, seu repositoriis thesaurorum templi. Verum non observant in I. Reg. describi altitudinem templi triginta cubitorum; hic vero non templi, sed porticus altitudinem centum viginti cubitorum, quæ tamen I. Reg. VI. 3. silentio prætermissa est: unde erat porticus altior ipsa domo nonaginta cubitis. Vide I. Reg. VI. 3.

V. 5. DOMUM QUOQUE MAIOREM. Exponunt, Id est templum anterius, quod היכל *hechal*, & *sanctum* dicebatur, I. Reg. VI. vers. 17. quodque erat quadraginta cubitorum longitudinis. TEXIT TABULIS LIGNEIS ABIEGNIS. Hebr. *Obtexit lignis fraxinorum*, seu *abietum*. Notant hoc intelligendum tantum de solo seu pavimento domus, ut constat ex I. Reg. VI. 15. nam parietes obtexit tabulis cedrinis, & super tabulas cedrinas immisit aurum: ut perspicue dicitur I. Reg. VI. 15. & hic infra vers. 7. ET LAMINAS AURI OBRIZI AFFIXIT PER TOTUM. Hebr. *Et obtexit eam*, scilicet domum, vel *illud*, scilicet lignum (nam pronomen est anceps) *auro bono*. Quidam: *Ligno abietum*, *quod texit auro optimo*: ut super tabulas abiegnas, quibus pavimentum obtectum erat, aurum induxerit, ut dicitur I. Reg. VI. 30. Alii: *Deinde obtexit eam*, nempe domum, *auro præstante*. SCULPSITQUE IN EA PALMAS, ET QUASI CATENULAS. Hebr. varie reddunt. I. *Et ascendere fecit super illud palmas, & catenas*, nempe super illud aurum optimum; id est, insculpsit laminis illis aureis palmas, & catenas, seu opus implexum & concatenatum. II. *Et addidit illis palmas, & catenas*. III. *Ubi fecerat ut eminerent in ea palmæ, & catenæ*; id est, ut prominerent in ea palmæ, & catenæ: sive, *Fecit in ea domo prominentias palmarum, & catenarum*. Hispanicus: *Y sobre el çaqui çami que era de tablaçon de haya, hizo esculpir de realçado palmas y cadenas*. Ego super aurum potius crediderim.

V. 6. STRAVIT QUOQUE PAVIMENTUM TEMPLI PRETIOSISSIMO MARMORE, DECORE MULTO. Egregie sensum expressit. Hebr. *Et obduxit domum lapide pretioso, ad decorem*. Exponunt: *Domum*, id est reliquam partem soli seu pavimenti, quæ vacua erat, implevit opere musivo, atque emblemate vermiculato, ex diversis pretiosorum lapillorum generibus. Videntur velle domus pavimentum per intervalla diversa, tabulis abiegnis auro obtectis, & variis lapillorum generibus opere musivo instratum, ac variegatum fuisse. Potest intelligi, sub tabulis abiegnis auro incrustatis, fuisse solum templi marmore, & variis pretiosorum lapidum generibus stratum ad internum decorem, ornatum, & magnificentiam operis. Hispanicus Interpres: *Y cubrio la casa de piedras preciosas por excellencia*. Seu, *costosas*. *Entienden el Solado*.

V. 7. PORRO AURUM ERAT PROBATISSIMUM. Hebr. *Et aurum, aurum Parvaiim*. Semper irrisi vanitatem, & futilitatem illius opinionis quæ *Paruaiim* duali numero, utrumque *Peru* existimat; quasi dicat, *Peru, & Peru*, nempe ipsum Peru, & novam Hispaniam; ac si dicat: Erat aurum purissimum, ex utroque Peru allatum. Hispanicus Interpres: *De los Perues*: vehemente coniectura. Tremellius, Iunius, & Buxtorfius hæc annotant: *Aurum Paruaim, id est ex Chavila, ubi præstantissimum aurum fuisse testatur Mosche* Ge-

Genes. II. *vers.* II. *est enim in ea, sive Characenorum regno Barbatia, seu Parbatia oppidum corrupto nomine dictum, pro Paruaiimis Plinio Naturalis Historiæ Lib. VI. cap. XXVIII. quod aurum David ex devictis Regibus regioni illi finitimis consecutus, ad hos usus asservarat, I. Reg.* VI. 20. Mirum quod istis non occurrerit *Thorath*, sive *Thorab*, Caracenorum Regis in Pasitigris ripa, apud Plinium eodem loco. Sed sunt ista vanitate vaniora: nam quid Chavilæ Indicæ regioni ad Gangem, de qua Genes. II. vers. II. & cap. X. vers. 29. cum Characene? nam pertendere Chavilam esse Susianem, delirium est. Ad hæc: Unde obscuro & ignobili oppido Barbatiæ tanta celebritas, ut nomine Paruaiim in Scripturis nobilitetur? Si hariolari, aut nugari libet, Paruaiim, forsan sint Prasii ad Indum, Plinio Lib. VI. cap. XIX. & XX. Hebræi, *Aurum Paruaiim*, sic dictum volunt, quod simile sit colore sanguini iuvencorum, seu פרים *parim*. Verosimilius putamus, *Parvaim*, & *Ophir*, metathesi, idem esse: & duale *Paruaiim* esse utrumque *Ophir*, quasi *Ophiraiim*, nempe Auream terram, seu Pegu; & auream Chersonesum, sive Malacham, vel Samatram. Vide copiosam de his diatribam Lib. IV. de Antichristo, cap. XXIX. & XXXV. & XXXVI. & XXXVII. De auro Ophir vide I. Paralip. XXIX. 4. ET PARIETES, ET CAELAVIT CHERUBIM IN PARIETIBUS. Vide I. Reg. VI. 29.

V. 8. DOMUM SANCTI SANCTORUM: de qua vide I. Reg. VI, 19. & sequentibus. QUASI TALENTIS SEXCENTIS. Hebr. *Ad talenta sexcenta*. Quidam, *Ad talentorum sexcentorum pondus*, id est tricies sexcenties mille coronatorum, & amplius. Nobis sexcenta talenta auri sunt septem milliones & ducenta millia escudorum Hispanicorum auri in auro.

V. 9. SED ET CLAVOS FECIT AUREOS, ITA UT SINGULI CLAVI SICLOS QUINQUAGENOS APPENDERENT. Docte expressit Hebræa, quæ habent: *Et pondus clavos siclorum quinquaginta auri*. Necessario intelligendum, *In clavos singulos*: alioquin ridiculum esset in omnes clavos, ducentos tantum aureos Hispanicos impensos. COENACULA QUOQUE. Vide de voce עליות *ghaliioth*, Iudic. III. vers. 20. *Cœnacula* autem hic intelligunt domicilia quæ porticui incumbebant, de quibus I. Paralip. XXVIII. vers. II. & 12. Quidam hic reddunt: *Et superiora texit auro*: quam vocem volunt reddidisse Lucam Actor. I. 13. *Et cum introiissent ascenderunt*. εἰς τὸ ὑπερῷον, *in superiora, in cœnaculum, ubi manebant*.

V. 10. FECIT ETIAM IN DOMO SANCTI SANCTORUM CHERUBIM DUOS, &c. Vide de hoc versu, & tribus sequentibus, I. Reg. VII. vers. 23. 24. 25. 26. 27. & 28. OPERE STATUARIO. צעצעים *tzaghatzughim* hic tantum, nec alibi legitur: obscura plane vox est, & variarum interpretationum, quas ad lucem necesse erit huc inserere. I. *Opere artificum metallariorum, ærisductorum, statuariorum*. Ita Reuchlinus. II. *Opere moventium, tzaghatzughim, dicuntur*, inquiunt, *qui metalla discurrere, & movere faciunt*. Ita Forsterus. III. *Opere motationum*, seu *motorio*: ut opus intelligatur artificio quodam suapte sponte mobile, quod Græci αὐτόματον appellant, de quo vide Henricianum Thesaur. Tom. II. colum. 1045. nos *titires* vocamus. Sic facti videbantur Cherubini, quasi alas sponte moverent, & illis veherentur: unde & *Cherubim*, quasi *rechubim*, per metathesim dictos coniectantur. Ita Mercerus, & Bertramus, Marinus, Buxtorfius. IV. *Opere exemptionum*, seu *exemptili*; id est, ex multis partibus, quæ divelli, & eximi inter se poterant: quod necessarium fuit propter eorum magnitudinem, & gravitatem. Ita Tremellius, Iunius, & Buxtorfius. V. *Opus variorum ductuum*, seu *artificiosarum ambagium*, seu *discursationum*. Ita Avenarius. Omnes istæ explanationes vocem *tzaghatzughim* a verbo צעה *tzaghah*, deduxerunt, quod est *moveri, volutare, discurrere, migrare*. VI. *Opere puerorum*, seu *instar puerorum*, vel adolescentulorum, seu *opere imaginum puerilium*: ut *tzaghatzghim*, permutato Ghain in Aleph, sit positum pro צאצאים *tzeetzaim, filiis, natis*. Ita Rab. Scelomoh, & Kimchi, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Munsterus, Clarius, Schindlerus, & Interpres Hispanicus. Nec absurde reddes, *Opere discurrentium, migrantium*: quod ita positi essent, quasi migrare, & peragrare vellent: nam in pedes erecti describuntur infra vers. 13. Leo Iudas vertit, *Opere artificioso*. Cur LXX. transtulerint, *Opus de li-*

lignis imputribilibus, ego augurari nescio: nisi quod quidam suspicantur eos legisse, vel intellexisse ligna שִׁטִּים *sittim*. Sed Cherubi isti oleagini erant, I. Reg. VII. 23.

V. 13. ET FACIES EORUM ERANT VERSAE AD EXTERIOREM DOMUM. Hebr. *Et facies domui*, vel *in domum*, subaudi versæ. Noster intellexit versas ad exteriorem domum, seu הֵיכָל *hechal*, nempe ad portam oraculi, versus orientem. Alii reddunt: *Erantque facies eorum intro versæ*: vel *facie sua introrsum versa*. Quidam: *Et facies eorum erant versæ in domum*; id est, aspiciebant partem illam internam Sancti sanctorum. Hebræi sentiunt hic difficultatem: nam Exod. XXV. 20. dicuntur Cherubini se mutuo respexisse; hic autem, quod facies eorum essent introrsum versus oraculum conversæ. Conciliant primo ex traditione Onkeli proselyti, paraphrastæ Chaldæi, quod se mutuo a latere respexerint, toto nimirum corpore in orientem obverso, capitibus, & vultibus in latera deflexis; & unus in alterum ita faciem obverterit, ut cum a magistro discedit discipulus, honoris ergo faciem obvertens. Sed id quidam curiosius esse existimant. Secundo, facies eorum non fuisse versas ad ostium templi, sed ad parietes illos qui erant in lateribus: nam Cherub qui erat in parte dextera, respiciebat parietem lateris sinistri; & contra Cherub qui erat in parte sinistra, respiciebat parietem lateris dextri. Et ita respiciebant se mutuo, & introrsus parietes domus Oraculi. Tertio quidam notant, non per omnia Salomonis Cherubos Mosaicis respondisse; sicut nec dimensiones utrisque fuisse easdem.

V. 14. FECIT QUOQUE VELUM, seu aulæum, EX HYACINTHO, &c. de quo vide Exodi XXVI. vers. 31. & sequentibus. Et hoc velum Oraculi magis existimo esse id quod in morte Domini scissum fuit, Matth. XXVII. 51.

V. 15. DUAS COLUMNAS, &c. de quibus late vide I. Reg. VII. a vers. 15. usque ad 22. QUAE TRIGINTA ET QUINQUE CUBITOS HABEBANT ALTITUDINIS. At I. Reg. VII. 15. octodecim tantum cubiti altitudini tribuuntur. Vide conciliationem in Comm. ad eum locum. PORRO CAPITA EARUM. Hebr. *Et obductio, quæ super caput eius*, scilicet cuiusque columnæ. צֶפֶת *tzepheth* non alibi legitur, & deducunt a *tzaphah*, *speculari*: idemque esse volunt quod *tzephui*, de quo Exodi XXXVIII. 17. quasi dicas *speculatio*, *speculamentum*; quod esset in capite columnarum conspicuum, ex ære polito ac mundo: plerique reddunt *obductio*, *opertorium*, *operculum*, *tectorium*, *capitellum*, *coronamentum*. Vide de his coronamentis fuse I. Reg. VII. vers. 16. & sequentibus.

V. 15. NEC NON ET QUASI CATENULAS IN ORACULO, &c. Hebr. *Et fecit catenas in oraculo*. Recte subaudiunt: *Et fecit catenas sicut in oraculo*: quod sane sententia postulat. Quidam: *Ut fecerat catenas in adyto*, id est funes aureos, de quibus I. Reg. VI. 21. *Ita posuit in summitate columnarum*, scilicet catenas, seu fascias opere catenato, de quibus I. Reg. VII. 17. MALOGRANATA ..... CENTUM, in quolibet nimirum ordine: nam erant duo ordines in unaquaque columna, & ducenta malogranata. Vide I. Reg. VII. vers. 18. 20. & 42. & infra cap. IV. vers. 13.

V. 17. IPSAS QUOQUE COLUMNAS, &c. Vide de hoc versu I. Reg. VII. 21.

MENOCHII.

Vers. 1. ET COEPIT SALOMON AEDIFICARE DOMUM DOMINI IN IERUSALEM. Hoc caput satis intelligitur ex dictis III. Reg. VI. IN MONTE MORIA, qui dicitur *Terra visionis* Gen. XXII. 2. ubi etiam habemus nominis huius causam. Orientali urbis Ierusalem parti adiacebat, habebatque ad meridiem montem Sion. Non satis constat pertinuerit ne ad tribum Iuda, an vero ad tribum Beniamin: sunt qui Iudæ tribuant, sunt etiam qui Beniamin. Nec desunt qui ut urbem Ierusalem, sic & templum partim in una, partim in altera tribu fuisse velint. Vide Salian. Tomo III. anno mundi 3023. num. 13. 14. & 15. IN AREA ORNAN IEBUSEI. Vide historiam II. Reg. XXIV. sub finem capitis.

V. 4. ALTITUDINE CENTUM VIGINTI CUBITORUM, quanta scilicet erat templi altitudo, ut sentit Ribera, Barradius, Torniellus, & Abulensis apud Sa-

Salianum anno mundi 3024. num. 30. qui tamen existimat altitudinem centum viginti cubitorum comprehendere turrim quadrilatteram, quæ supra reliqui templi tectum triginta cubitis attollebatur. Quod vero III. Reg. VI. 3. dicitur templum habuisse triginta cubitos altitudinis, intelligendum est a pavimento usque ad primum tabulatum.

V. 5. DOMUM MAIOREM, priorem templi partem, quam appellant Sancta, in qua erat altare thymiamatis. CATENULAS: scilicet erant palmæ iunctæ ordine catenato. Simile quiddam dicitur de capitellis columnarum III. Reg. VII. 17. *Quasi in modum retis*, inquit, *& catenarum sibi invicem miro ordine contextarum*.

V. 9. SICLOS QUINQUAGENOS, ducentorum aureorum nostratium. COENACULA QUOQUE TEXIT AURO. Quemadmodum templum inferius, sic & superiores domos duas, quæ contignationibus distinguebantur, auro exornavit Salomon. Vide Barrad. Tom. II. Lib. III. cap. XXV.

V. 14. FECIT QUOQUE VELUM. Abul. in hoc cap. putat unum tantum fuisse velum templi, quod ad ingressum in Sancta esset expansum. Iansen. etiam cap. CXLIII. Concordiæ evangel. unum tantum velum agnoscit, sed illud constituunt ad ingressum in Sancta sanctorum. Verius videtur fuisse duo vela, quod multi tradunt auctores apud Barrad. loco citato cap. XXIII. quorum alterum esset ante Sancta, alterum vero ante Sancta sanctorum. Vide plura apud Barrad. loco citato.

V. 15. DUAS COLUMNAS. Hæc usque ad finem capitis explicata sunt III. Reg. VII. a num. 15. & deinceps.

TIRINI.

Vers. 1. IN MONTE MORIA. Ibi Abraham olim obtulit filium suum, Genesis XXII. 14. eratque ex adverso montis Sion, in quo arx constructa fuit. AREA ORNAN erat in monte Moria, ut dixi I. Paralip. XXI. 25. Erat vero

V. 3. IN MENSURA PRIMA; id est, ea specie mensuræ qua primo tabernaculum a Moyse constructum fuit. Cum enim progressu temporis & cubiti, & palmi, & aliæ mensuræ mutentur, Salomon in templo suo construendo voluit uti eadem prorsus cubiti mensura qua Moyses usus fuerat, sed duplum numerum cubitorum adhibuit, ut dixi III. Reg. VI. ubi vide reliqua huius capitis.

V. 5. DOMUM MAIOREM, puta Sanctum, seu Sanctuarium, quod medium est inter porticum & Sanctum sanctorum, & maius utroque, TEXIT TABULIS LIGNEIS ABIEGNIS, sed immixtis *laquearibus cedrinis*, ut dicitur III. Reg. VI. 9. AURUM OBRIZUM. Ex S. Hieronymo quidam putant dictum quasi *Ophirizum*. Vide infra cap. VIII. vers. 18.

V. 15. DUAS COLUMNAS. Istas descripsi III. Reg. VII. 15. & sequentibus.

V. 16. IN ORACULO; pro, *sicut in oraculo*. Ita Mariana, & Sa.

GORDONI.

Vers. 1. MORIA. Vide Genes. XXII. & Deuteron. III. ex adverso montis Sion. AREA ORNAN erat in monte Moria, ubi David designavit locum templi, I. Paral. XXII.

V. 3. MENSURA PRIMA; hoc est, qua initio usus erat Moses. HAEC SUNT FUNDAMENTA, id est mensuræ fundamentorum.

V. 4. CENTUM VIGINTI CUBITORUM. Aliter III. Reg. VI. 2. ubi triginta cubiti dantur altitudinis: sed hoc intellige usque ad primum tabulatum. Alii de toto templo intelligunt, & de porticu, instar turris in fronte ædificii.

V. 15. TRIGINTA ET QUINQUE CUBITOS, scilicet utraque columna; tamen III. Reg. VII. singulis dantur octodecim cubiti. Ergo essent cubiti triginta sex. Dicendum est, non esse hic habitam rationem dimidii cubiti, & maxime si abscondebatur dimidium cubiti intra capitellum, ut aliqui hunc locum explicant.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. De area Ornan, vide II. Reg. XXIV. MORIA vocatur *Terra visionis*, Genes. XXII. vers. 14. Ad meridiem urbis est mons Sion, ad orientem Moria.

V. 5. DOMUM MAIOREM. Est prior tem-

templi pars, vocatur *sancta*. Ibi altare thymiamatis. De talentis, supra.

V. 9. SICLOS QUINQUAGENOS. Valor ducentorum aureorum. Cœnaculum, supra cap. XVIII. in Notis.



CAPUT IV.

Constructio altaris ænei, maris fusilis, decem concharum, candelabrorum, mensarum, phialarum, ac ceterorum quæ ad templum eiusque ornatum pertinebant.

1. FEcit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis,
& viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.
2. (*a*) Mare etiam fusile decem cubitis a labio
usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos
habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum
ambiebat gyrum eius.
3. Similitudo quoque boum erat
subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ,
quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles:
4 & ipsum mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respicie-
bant ad aquilonem, & alii tres ad occidentem: porro tres alii meridiem, &
tres qui reliqui erant, orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem
boum erant intrinsecus sub mari.
5. Porro vastitas eius habebat mensuram pal-
mi, & labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria
millia metretas.
6. Fecit quoque conchas decem: & posuit quinque a dextris,
& quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocaustum oblaturi
erant: porro in mari sacerdotes lavabantur.
7. Fecit autem & candelabra aurea
decem, *secundum speciem qua iussa erant fieri: & posuit ea in templo, quin-
que a dextris, & quinque a sinistris.
8. Nec non & mensas decem: & posuit eas
in templo, quinque a dextris, & quinque a sinistris: phialas quoque aureas cen-
tum.
9. Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem: & ostia in ba-
silica, quæ texit ære.
10. Porro mare posuit in latere dextro contra orientem
ad meridiem.
11. Fecit autem Hiram lebetes, & creagras, & phialas: & com-
plevit omne opus Regis in domo Dei.
12. hoc est, columnas duas, & episty-
lia, & capita, & quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia:
13. * Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita ut bini ordines
malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, & ca-
pita columnarum.
14. Bases etiam fecit, & conchas, quas superposuit basibus:
15. mare unum, boves quoque duodecim sub mari.
16. Et lebetes, & creagras,
& phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater eius in domo Domini ex
ære mundissimo.
17. In regione Iordanis fudit ea Rex in argillosa terra, inter
Sochot & Saredatha.
18. Erat autem multitudo vasorum inumerabilis, ita ut
ignoraretur pondus æris.
19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, & alta-
re aureum, & mensas, & super eas panes propositionis:
20. candelabra quoque
cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro purissimo:
21. & florentia quædam, & lucernas, & forcipes aureos: omnia de auro mun-
dis-

dissimo facta sunt. 22. Thymiateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola, ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est in Sancta sanctorum: & ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

(a) III. Reg. VII. 23.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Secundum speciem qua iussa erant fieri*. Non mutes duas voculas plurales *iussa erant*, cum una singulari *iusserat*.

V. 13. *Malogranata quoque quadringenta*. Quidam male mutatis centenariis in denarios, scribunt *quadraginta* pro *quadringenta*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. ALTITUDINIS. Ascendebatur autem, ut quidam dicunt, pavimento sensim se attollente, ut solet in quibusdam scalis.

V. 3. SIMILITUDO QUOQUE BOUM, scilicet tubercula specie boum, per quæ aqua educebatur. DECEM CUBITIS, id est decem in unoquoque cubito, scilicet erant trecentæ. CAELATURAE, scilicet illorum tuberculorum quæ boves referebant. QUASI DUOBUS VERSIBUS. Hebr. & LXX. *duobus ordinibus*.

V. 5. VASTITAS, id est crassitudo, REPANDI, id est recurvi. METRETAS. Hebr. *batos*. At III. Reg. VII. dicitur *duo millia batos*: scilicet tantum solebat infundi, sed tria millia capere poterat.

V. 8. MENSAS, scilicet ad panes propositionis. PHIALAS. Alii *crateras*, vel *pelves*.

V. 9. BASILICAM. Hebr. & LXX. *atrium*, scilicet populi.

V. 10. CONTRA ORIENTEM, scilicet ante templum, quod respiciebat orientem, MERIDIEM. Erat ea pars dextera templi, sed sinistra ingredientibus.

V. 16. PATER EIUS. Hebr. *Abiu*. Forte cognomen erat *Abi*, seu *Abiu*.

V. 21. FLORENTIA, id est flores liliorum.

V. 22. THYMIATERIA. Alii *psalteria*. OSTIA, id est cardines, ut dicitur III. Reg. VII. CAELAVIT. Id additum ab Interprete.

E S T I I.

Vers. 3. & 4. BOVES AUTEM ERANT FUSILES: ET IPSUM MARE SUPER DUODECIM BOVES IMPOSITUM ERAT. Ecce refert Scriptura, in templo non solum fuisse statuas Cherubim, sed etiam boum æneorum. Ex quibus liquet licuisse Iudæis facere imagines, modo eas non facerent, aut statuerent ad adorandum. Id si Iudæis licitum fuit, multo magis licet Christianis, qui minus proclives sunt ad idololatriam, utpote qui abundantiorem Spiritus gratiam acceperunt.

M A R I A N AE.

Vers. 1. DECEM CUBITIS A LABIO USQUE AD LABIUM; id est, diameter decem cubitorum erat. ET FUNICULUS TRIGINTA CUBITORUM. Hebr. *Linea triginta cubitorum*. Sept. *Circuitus triginta cubitorum*. Nimirum circulus linea dimetiente triplo maior est.

V. 3. ET DECEM CUBITIS QUAEDAM EXTRINSECUS CAELATURAE. Hebr. *Circum circum* (id est omni ex parte) *circumdabant illud decem in cubito duobus ordinibus*: quod Noster dixit, QUASI DUOBUS VERSIBUS. Itaque præter duodecim boves, de quibus mox, capita boum prominebant decem in cubitis singulis, sed in duos ordines distincta, ad labium quinque, totidem ad fundum. Sic capita illa boum trecenta erant ad ornatum adhibita. BOVES AUTEM ERANT FUSILES. Nondum loquitur de duodecim bo-

bobus quibus mare erat impositum. Hebr. *Bos* (pro boves) *fusi in fusura eius*, id est maris: simul cum mari ex eadem forma prodierunt; quasi dicat: Non erant adiecti. Sept. *Fusiles in effusione ipsorum*, id est sua: quod superioribus explicationem perturbat.

V. 4. SUPER DUODECIM BOVES. Hos boves non dicit eadem maris fusura fusos: qui enim id fieret? INTRINSECUS SUB MARI: scilicet posteriora inter se mutuo conversa erant.

V. 5. VASTITAS, id est crassitudo. MENSURAM PALMI, scilicet minoris, id est quatuor digitorum: id significat *tepah*, vox Hebr. Graece παλαιςή. Porro III. Reg. VII. 26. *Grossitudo autem luteris, trium unciarum erat*. Idem est: nam tres pollices, quae pedis unciae sunt, quatuor digitis sunt aequales. REPANDI LILII. Vocem *repandi* addidit Hieronymus ad maiorem explicationem, scilicet labium esse instar folii lilii incurvi ad extremum. TRIA MILLIA METRETAS. Hoc ex Sept. nam Hebr. *Tria millia bathos*. Hebraeus ait, eam mensuram esse liquidorum, & aridorum. III. Reg. VII. *Duo millia bathos*: sed bathi illi ex his unum & semissem continebant. Erant & decem conchae,

V. 6. UT LAVARENT IN EIS OMNIA QUAE IN HOLOCAUSTUM OBLATURI ERANT. Hebr. *Opus holocausti*, id est victimam holocausti: *ut lavarent in iis conchis decem*. Candelabra decem iuxta formam

V. 7. QUA IUSSA ERANT FIERI. Hebr. *Iuxta iudicium eorum*, id est normam praescriptam, iussit fieri candelabra.

V. 9. BASILICAM GRANDEM. Sept. *Et atrium magnum*: sic Hebr. sive *septum*, ut alii, scilicet pro populo. ET OSTIA IN BASILICA, QUAE TEXIT AERE. Hebr. *Et ostia atrii*, sive *septi* (id est atriorum) *& ostia eorum texit aere*, scilicet utriusque atrii. Lamed fit nota genitivi: לעזרה *labazarah*, *atrii*. Vocabatur autem sic a verbo *bazar*, id est *auxiliari*, quod Deus ibi orantibus auxiliaretur.

V. 10. IN LATERE DEXTRO, comparatione arcae oculis ad ortum conversis, ubi ianua templi erat, id est CONTRA ORIENTEM. Alioqui si ianuae comparatione sumas, septemtrio ad dexteram erat, non meridies, ubi mare posuit. Et alioqui Hebraeis, & in Sacris, meridies ad dexteram est.

V. 11. LEBETES, ET CREAGRAS. Alii *lebetes*, *scopas*. Verum de his vocibus Hebraicis quid significent, parum lucis esse video.

V. 12. ET QUASI QUAEDAM RETIACULA. Hebr. *Et retiacula duo*: sic Sept. Hebraeus haec retiacula catenas putat, de quibus dictum iam est. QUAE CAPITA TEGERENT, scilicet columnarum. Hebr. *Ad tegendum duos orbes coronarum*. *El friso de los dos chapitelles*.

V. 13. MALOGRANATA QUOQUE QUADRINGENTA. Locus difficilis. Hebraica sic verto: *Et malogranata quadringenta ad duo retiacula: duo ordines malogranatorum ad retiaculum unum*. Sed quid, quod cap. III. vers. 16. *centum malogranata fecisse* dixit? nisi fortasse prius centum sunt facta, deinde adiecta alia usque ad quadringenta. Quid illud III. Reg. VII. 20. *Malogranatorum autem ducenti ordines?* Verum ad hoc dicunt, in singulis columnis esse duos ordines malogranatorum, in singulis ordinibus centum malogranata.

V. 16. FECIT SALOMONI HIRAM PATER EIUS. Hoc est nomen artificis, vocatque eum Salomonis patrem, quod eum revereretur. Forte ex hoc loco melius intelligitur cap. II. vers. 13. legendum, *Hiram patrem meum*, ut est in Vulgata, nec vertendum *patris mei*, ut alii vertunt. Fudit ea omnia

V. 17. IN ARGILLOSA TERRA. Heb. *in copia terrae*. Nimirum formae crassae erant, ut tam vasta vasa in eis funderentur. Fecit & mensas,

V. 19. ET SUPER EAS PANES PROPOSITIONIS; id est, ut super eis essent panes propositionis, scilicet super eas mensas. Fecit etiam

V. 21. FLORENTIA QUAEDAM. Heb. *& florem*, pro flores. ET FORCIPES AUREOS: OMNIA DE AURO MUNDISSIMO FACTA SUNT. Hebr. *Et forcipes auri ipsum* (scilicet opus) *perfectiones auri*, quod Noster dixit *ex auro mundissimo*.

V. 22. THYMIATERIA, seu *Thymiamateria*, ut Gotth. Alii *psalteria*. OSTIA, id est *cardines*, ut III. Reg. VII. 50. CAELAVIT. Additum ab Interprete. ET OSTIA TEMPLI FORINSECUS AUREA, id est templi exterioris sanctuarii, ut ab oraculo di-

distinguitur. Hebr. *Ostia aurea intus*, scilicet erant: non quod ipsæ fores extrinsecus aureæ essent. In domo Domini, id est pro domo Domini.

MALVENDAE.

Vers. 1. Et decem cubitorum altitudinis. Ad quam non gradibus ascendebatur, sed molli, & acclivi ascensu. Vide in xx. Exod. vers. 16.

V. 2. Mare etiam fusile, &c. De hoc versu, & tribus sequentibus, vide I. Reg. vii. vers. 23. 24. 25. & 26.

V. 3. Similitudo quoque boum, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebr. expressimus (*Et similitudo boum subtus ei circuitu, circuitu circumgyrantes illud, decem in cubito, circumdantes mare circuitu: duo ordines bovis fusi in fusione eius*.) Quidam eumdem omnino censent esse cum versu 24. I. Reg. vii. atque ita exponunt: Similitudo quoque, seu effigies, aut imagines boum; id est, tubercula quædam efformata in speciem boum, hoc est præseferentia capita boum: intelligique volunt, tubercula quædam per quæ educebatur aqua e mari ipso: quæ in loco I. Reg. appellantur colocynthidæ, vel cucurbitæ, seu fungi; quod in modum colocynthidarum, aut bovinorum capitum essent efficta. Plerique alii istud de bobus æreis accipiunt, qui mare sustinebant, versu sequente: explicantque: *Similitudo autem boum sub eo*, id est boves revera ærei, forma sua: hypallage. Et hoc est rectius. Et decem cubitis quaedam extrinsecus caelaturae, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Hebr. *Circumquaque circumgyrantes illud, decem in cubito circumdantes mare circumque*. Noster plane istud accepit de colocynthidis: quo sane tendunt verba ipsa, eadem plane quæ I. Reg. vii. 24 ponuntur de colocynthidis. Quidam tamen reddunt: *Similitudo quoque boum erat subter illud per circuitum, qui circumdabant illud decem cubitis ambientes mare per circuitum*; id est, qui boves, seu tubercula in modum bovinorum capitum effigiata circumdabant mare per decem cubitos: seu, ut Hebr. *decem in cubito*: ita quod decem figuræ, seu similitudines boum, seu bovinorum capitum erant in singulis cubitis: nam peripheria erat triginta cubitorum, & ita erant trecenta capita boum, nimirum decem in singulis cubitis. Alii autem hoc versu nullam fieri mentionem aut colocynthidarum, aut tuberculorum, volunt, quæ exprimitur tantum in I. Reg. sed de bobus ipsis æreis hic esse sermonem: illudque, *In decem cubitos*, de cubitis latitudinis maris accipiunt, e vers. 2. Boves autem fusiles. Hebr. *Duo ordines boum fusorum in fusione eius*, scilicet maris. Quidam: *Qui boves per duos ordines erant fusi in fusura eius*; id est, boves illi non erant adiectitii, seu appostititii, sed eadem fusura qua mare, una cum ipso fusi, & efformati erant. Istud quoque intelligunt, non de bobus duodecim de quibus sequente versu; sed de bovillis capitibus, seu colocynthidis, quod cum I. Reg. vii. 24. apte convenit. Sed rectius accipias de duodecim bobus æreis.

V. 6. Fecit quoque conchas decem, &c. De quibus vide I. Reg. vii. 38. & quædam hic adduntur illic omissa. Ut lavarent in eis omnia quae in holocaustum oblaturi erant. Hebr. *Ad abluendum in eis: facturam holocausti impellent in eis*. Verbum דוח *duach* proprie est *vi & impetu impellere, appellere, repellere, dispellere*: quasi vi & impetu impellerent, & immergerent in aquas victimam, seu carnes in holocaustum cremandas; & abluendo abiicerent & depellerent sordes. Vide Ezechiel. xl. 38. & I. Reg. vii. 39. in Notis. Porro in mari sacerdotes lavabantur manus, & pedes, Exod. xxx. 19. Vide I. Reg. vii. 39. in Notis.

V. 7. Fecit autem et candelabra aurea decem, &c. Vide de hoc versu I. Reg. vii. 49. Secundum speciem qua iussa erant fieri. Hebr. *secundum iudicium eorum*. Varie exponunt: 1. *secundum quod iudicata sunt fieri* ab ipso Davide, quasi non omnia alia facta sint ex iudicio, & præscripto Davidis: 2. *secundum normam eorum*, vel *secundum ritum suum*, id est ea ratione qua fieri debebant: 3. *secundum rationem eorum*, sive *eadem ratione inter se*, id est ad exemplum eius quem paraverat Moses in deserto, Exod. xxv. 31. & sequentibus. Moses fecit unum; Salomon vero decem: uterque iussu Dei.

V. 8. Nec non et mensas de-

CEM, &c. Vide Comm. in I. Reg. VII. verf. 48.

V. 9. ATRIUM SACERDOTUM. Exponunt: Id eſt, quod ſacerdotibus erat proprium, templo coniunctum, ubi erant eorum cellæ ab utraque templi parte, I. Reg. VI. verſ. 5. de quo atrio vide I. Reg. VI. 36. ET BASILICAM GRANDEM. עזרה *ghazarah* proprie *adiutorium*, *adiumentum*, *auxiliatorium*. Sic dictum videtur, quod eſſet quaſi adiumentum, ſeu additam ntum atrio ſacerdotum; ſed varie elucidant. I. *Atrium magnum*. Aiunt fuiſſe atrium, in quo congregabatur Iſrael in domo Domini ad orandum, ubi Dominus exaudiebat, & adiuvabat eos: unde dictum *ghazarah*, quaſi dicas auxiliatorium, quoniam quicumque illuc ad orandum corde perfecto ingrediebatur, a Deo iuvabatur. II. *Et ſtratum magnum*. III. *Et ſeptum magnum*: ſic dictum, quod fulcris, ſeu interſtitiis adiuvaretur. IV. *Et atrium maximum*, id eſt maximæ capacitatis, in ambitu templi, & atrii ſacerdotum, pro populo.

V. 10. PORRO MARE POSUIT IN LATERE DEXTRO, &c. Vide de hoc verſu I. Reg. VII. 39.

V. 11. FECIT AUTEM HIRAM LEBETES, &c. De hoc verſu, & ſequentibus uſque ad finem capitis, vide I. Reg. VII. 40. & ſequentibus uſque ad finem capitis: nam omnia fere ſunt eadem: inde petendi Comm.

V. 12. ET EPISTYLIA. גלות *gulloth*, quidam exponunt imas coronarum partes annulis ſimiles. Sed vide I. Reg. VII. 41.

V. 16. HIRAM PATER EIUS. Plerique exponunt, Id eſt Salomonis: notantque hic relativum præcedere ſuum antecedens: vocari autem Chiram patrem Salomonis, quod eum Salomon ob præſtantiam artis revereretur, & ſingulari honore proſequeretur. Alii totum volunt eſſe nomen proprium, *Hiram Abiu*. Nonnulli, *Hiram pater eius*, ſcilicet ipſius Hirami: nam patrem & filium fuiſſe cognomines, & præſtantes artifices, & ambos ab Hiramo Rege Tyri ad Salomonem miſſos exiſtimant. Vide ſupra cap. II. verſ. 14.

V. 17. IN ARGILLOSA TERRA. Heb. *In denſitate terræ*, id eſt in argilla. Neſcio cur alii, *In cavernis*, ſeu *cavitatibus terræ*: volunt enim hæc magna vaſa facta fuiſſe ſine typis ac modulis, quod tam ingenti vaſorum magnitudini nulli typi ſufficerent; quaſi dicat: Fudit hæc magna vaſa foſſis in terra factis. Sed vix illud ſit credibile: nam alioqui ſcimus magnis vaſis magnas quoque fornaces ædificatas, ut de Vitellii patina prodit Plinius Lib. XXXV. cap. XII. SAREDATHA. Hebr. צרדתה *Tzeredathah*. Hæc I. Reg. VII. 46. dicitur *Tzarthan*, de qua vide in Ioſue III. 16.

V. 20. UT LUCERENT ANTE ORACULUM IUXTA RITUM. Hebr. *Ad ſuccendendum eas ſecundum iudicium ad facies adyti*. Exponunt, Iuxta morem, pro ritu ſuo. Rectius: Exacte, iuſte, omni ſtudio & diligentia, ne umquam aut oleum, aut lumen deeſſet.

V. 21. OMNIA DE AURO MUNDISSIMO. Heb *Ipſum conſummationes auri*, ſeu *perfectiones auri*; id eſt, aurum perfectiſſimum atque puriſſimum. Quidam: *Quod erat perfectionum aurum*, id eſt perfectiſſimum. Hebræi, & pleriique Noſtrorum מכלות *michloth*, *vaſa* interpretantur, *Ipſum vaſa auri*. Alii Mem ſervile faciunt, *Ex ipſum perfectionibus*, ſive *ex vaſis auri*; id eſt, erat ex perfectiſſimo auro.

V. 22. AUREA. Senſus eſt, quod fores bipatentes, ſeu valvas bifores, tum *Debir*, quam *Hechal*, fecerit ex auro. Noſter cælatas auro videtur intellexiſſe; alii deauratas tantum interpretantur: ſed multo veriſimilius, obductas tabulis, ſeu laminis aureis, ut parietes, & pavimenta.

MENOCHII.

Verſ. 1. FECIT QUOQUE ALTARE AENEUM, intrinſecus tamen ex lapidibus impolitis conſtructum, ut ſervaretur lex Exodi XX. 25. quæ hoc præcipiebat: *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus*. DECEM CUBITORUM ALTITUDINIS. Ut ſacerdos in altari ſacrificaret, non aſcendebatur per gradus, quia id vetitum erat Exodi XX. 26. ubi habemus: *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua*. Ioſephus Lib. VI de bello cap. VI. *Aſcenſus*, inquit, *in altare paulatim arduus reſupinabatur*, &c. Itaque per pavimenti acclivitatem, non per gradus aſcendebatur: quem modum etiam tradit Abulenſ. in hoc caput quæſt. VII. Sunt tamen qui putent aſcenſum ad al-

altare per gradus patuisse. Vide dicta Exodi xx. numero ultimo.

V. 2. MARE ETIAM FUSILE, &c. Explicata sunt hæc III. Reg. VII. num. 25 & deinc ps.

V. 6. FECIT QUOQUE CONCHAS DECEM. Explicata sunt etiam hæc eodem cap. num. 27. & deinceps.

V. 7. CANDELABRA AUREA. Vide dicta I. Paralipom. XXVIII. 15.

V. 8. MENSAS DECEM. Vide dicta ibid. num. 16. PHIALAS. Quid sint phialæ, diximus Exodi XXV. 29. BASILICAM GRANDEM, atrium maius, quod atrium Levitarum ambibat.

V. 11. CREAGRAS. κρεάγρας Græci eas dicunt, quas fuscinulas Latini appellant, & instrumentum est extrahendæ ex aheno fervente carni accommodum.

V. 12. COLUMNAS DUAS. De his ce duabus columnis, & earum ornamentis, diximus III. Reg. VII. num. 15. & deinceps.

V. 14. BASES ETIAM. Dictum est de basibus ibid. num. 27. & deinceps.

V. 16. HIRAM PATER EIUS. Vide dicta cap. II. num. 13. In Hebræo est, *Abiu*. Forte cognomen huius artificis erat *Abi*, seu *Abiu*.

V. 17. IN REGIONE IORDANIS, &c. Vide dicta cap. VII. num. 46. III. Reg.

V. 20. ANTE ORACULUM, id est ante Sancta sanctorum.

V. 21. FLORENTIA, id est flores liliorum in candelabris.

V. 22. THYMIATERIA, acerræ, in quibus thymiama adolebatur. MORTARIOLA erant scutellæ quibus simila in sacrificiis excipiebatur.

TIRINI.

Vers. 2. FUNICULUS TRIGINTA CUBITORUM, &c. Id est, circulus seu peripheria maris ænei erat triginta cubitorum, nempe triplo maior diametro eiusdem. Ita Septuaginta.

V. 3. SIMILITUDO BOUM, &c. Id est, præter duodecim boves, quibus tamquam fulcris mare insistebat, erant in anteriori parte maris, spatio decem cubitorum (quæ erat tertia pars peripheriæ maris) alia capita boum prominentia: forte per illa, tamquam per epistomia, aqua educebatur. Erantque hæc DUOBUS VERSIBUS, Hebr. & Septuaginta, *duobus ordinibus*, distincta, uno infra labium, altero versus fundum. Hæc capita erant *fusilia*, Hebraice *fusa in fusura eius*, scilicet maris: neque enim erant seorsim adiecta, sed simul cum mari ex eadem forma prodierant.

V. 9. BASILICAM GRANDEM. Hebraice & Græce, *Atrium magnum*, scilicet pro populo, porticibus undique circumdatum.

V. 13. MALOGRANATA QUADRINGENTA. Quomodo ergo capite III. versu 16. tantum dixit *centum malogranata?* Respondeo: Quaterni erant ordines malogranatorum, bini in singulis columnis. In quoque ordine erant *centum malogranata*; vel, si præcisum vis numerum, *nonaginta sex*, ut dicitur Ierem. XXV. 23. At III. Reg. VII. 20. dicuntur fuisse *malogranatorum ducenti ordines*, in unoquoque capitello. Respondeo: Per *ordines*, ibi intelliguntur *areolæ*, vel *annuli*, reticulato opere confecti, & ordine in orbem dispositi, qui in singulis capitellis erant fere ducenti, in quibus totidem pendebant malogranata.

V. 21. FLORENTIA. Hebraice, *flores*: nempe opere fusili imitabantur flores liliorum, vel etiam alios.

GORDONI.

Vers. 3. SIMILITUDO. Tubercula sunt specie boum, per quæ educebatur aqua. Sic sane præter decem boves (de quibus vers. 4.) præminebant decem capita boum in singulis cubitis, per duos versus, seu ordines (ad labium quinque, & totidem ad fundum) & sic erunt capita boum trecenta ad ornatum.

V. 16. Patrem vocat. Honoris hic nomen est, & reverentiæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Hoc altare æneum intrinsecus replebatur lapidibus impolitis. Probabilius est non fuisse ascensum per gradus, ex cap. XXVI. Exod.

V. 2. MARE ETIAM FUSILE. Vide I. Reg. VII. 25.

V. 7.

V. 7. & 8. De candelabro, & mensa I. Paral. XVIII. vers. 15. & 16. De phialis Exod. XXV.

V. 11. CREAGRAS, fuscinulas.

V. 16. HIRAM PATER EIUS, honoris, & ætatis causa.

V. 22. MORTARIOLA scutellæ sunt ad excipiendam similam.



CAPUT V.

Oblatis plurimis donariis arca continens tabulas Moysi in oraculum inducitur, unde gloria Domini implevit templum.

1. INtulit (*a*) igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus, argentum, & aurum, & universa vasa posuit in thesauris domus Dei. 2. Post quæ congregavit maiores natu Israel, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Israel in Ierusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion. 3. Venerunt itaque ad Regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi. 4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ arcam, 5. & intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis. 6. Rex autem Salomon, & universus cœtus Israel, & omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, & boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum. 7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum; id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim, 8. ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsa arcam tegerent cum vectibus suis. 9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita parebant ante oraculum: si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem. 10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex AEgypto. 11. Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat) 12. tam Levitæ quam cantores; id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis. 13. Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus; longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius: impleretur domus Dei nube, 14. * nec possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

(a) III. Reg. VII. 51. & VIII. 1.

BRE-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *Nec possent stare sacerdotes*. Non est mutandum *nec* negantis, cum *ne* prohibentis.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. QUAE VOVERAT. Hebr. *sanctificationes*, id est quæ consecraverat, seu dedicaverat. LXX. *sancta*.

V. 3. DIE SOLEMNI. Vide infra cap. VII.

V. 5. TABERNACULO, scilicet Moysis, vel facto a David.

V. 9. ANTE ORACULUM, scilicet iis qui essent in templo. Vide III. Reg. VIII.

V. 10. ALIUD, scilicet ex lege; vel forte illo tempore solæ erant tabulæ.

V. 11. SANCTUARIO, id est oraculo. SANCTIFICATI, id est præparati, scilicet ad festum illud. DIVISUS ERAT; quasi dicat: Non observabatur illo die distinctio ulla.

V. 12. ALTARIS, scilicet holocausti.

V. 13. LONGE SONITUS AUDIEBATUR, ita ut hæc ab Interprete addita. IMPLERETUR. Hebr. & LXX. *impleta est*.

V. 14. NEC POSSENT; pro, adeo ut non possent. Hebr. *Et non poterant*. GLORIA, id est præsentia nube repræsentata, seu maiestas.

E S T I I.

Vers. 10. NIHILQUE ALIUD ERAT IN ARCA, NISI DUAE TABULAE QUAS POSUERAT MOYSES IN HOREB. Quomodo hæc non pugnent cum eo quod dicit Apostolus ad Hebr. IX. in arca fuisse urnam habentem manna, itemque virgam Aaron, præter ipsas tabulas testamenti, vide supra III. Reg. VII. itemque dicto loco Heb. IX.

V. 11. OMNES ENIM SACERDOTES, QUI IBI POTUERUNT INVENIRI, SANCTIFICATI SUNT; NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE VICES, ET MINISTERIORUM ORDO INTER EOS DIVISUS ERAT. Huic contrarium videtur quod libro præcedenti cap. XXIV. scriptum est, Davidem distribuisse sacerdotum ministeria per viginti quatuor ordines, seu vices. Ad hoc fere respondent, fuisse quidem divisionem, seu dispositionem, sed non quantum ad executionem, quodque vices illæ primum observari cœperunt ædificato templo, & arca illuc allata. Sed rursum obiici potest: Multitudo sacerdotum minus erat necessaria ad ministrandum coram arca sola, quam postea, quando templum extructum erat. Igitur vices statim post Davidis ordinationem servandæ erant. Proinde potius dicendum videtur, hoc loco non significari quod nondum cœpissent servari vices ministeriorum, sed quod in dedicatione templi propter multitudinem victimarum, vices illæ non fuerint servatæ, sed quotquot potuerunt inveniri sacerdotes, omnes fuerunt adhibiti ad ministerium. Hunc sensum expressius indicant Hebræa, & Septuaginta, in quibus non additur *adhuc*, sed dicitur quod tunc non potuerunt servare vices. Priorem tamen sensum iuvare videtur, quod postea cap. VIII. dicitur Salomon ordinem sacrificiorum, & ministeria Levitarum, ac sacerdotum instituisse, prout David pater eius constituerat.

M A R I A N AE.

Vers. 1. QUAE VOVERAT DAVID. Hebr. *sanctificationes David*, id est quæ sanctificaverat, obtulerat. Sept. *sancta David*, intulit Salomon in templum.

V. 3. IN DIE SOLEMNI, id est tabernaculorum, venit populus. MENSIS SE-

SEPTIMI, id est Tisri, respondet Septembri. aut Octobri. Intulerunt arcam in templum,

V. 5. ET OMNEM PARATURAM TABERNACULI. Hebr. *Et tabernaculum testimonii*. Id voluit Hieronymus cum *paraturam* dixit, scilicet omnes eius partes, tabulas, cortinas. Sed in quem usum intulerunt in templum?

V. 6. CONGREGATI. Sept. *Qui congregati sunt ad eum*, scilicet Regem: sic Hebr. omnes illi obtulerunt hostias.

V. 9. VECTIUM AUTEM, QUIBUS PORTABATUR ARCA, QUIA PAULULUM LONGIORES ERANT. Hebr. *Et elongaverunt vectes, & videbantur capita vectium ex arca versus oraculum, & non videbantur extrinsecus*. Quæ verba sic accipio: Vectes post arcam educti sunt, ut in fronte arcæ tantum extarent, & viderentur capita: extrinsecus autem non videbantur, scilicet eorum longitudo, quia abscondebantur post arcam, vel non videbantur extrinsecus, id est separati ab arca. Unde colligas, parieti non fuisse iunctam arcam, sed intervallum extitisse. Et memento in lege mandatum, ne vectes educerentur, seiungerenturque ab arca. FUIT ITAQUE ARCA IBI. Hebr. *Et fuit ibi usque ad diem hunc*. Hieronymus *fuit* ad arcam retulit, quoniam singulare est. Sept. ad *vectes*: *Et fuerunt ibi*: ut singulare sit pro plurali: sic plerique. An arca fuerit in secundo templo sub Esdra, Ierem. III. 16. dicimus.

V. 10. NIHILQUE ERAT ALIUD IN ARCA. At Hebr. IX. 4. dicitur in arca fuisse manna, virgam, tabulas: Hebræi dicunt in hac translatione, manna, & virgam fuisse detracta; aut intra arcam solæ tabulæ, ad latera alia. NISI DUAE TABULAE, QUAS POSUERAT MOYSES ..... QUANDO LEGEM DEDIT DOMINUS. Hebr. *Quas* (scilicet tabulas) *excidit* (id est sanxit) *Deus cum filiis Israel*. Sept. *Disposuit Dominus cum filiis Israel*, id est sanxit. Sed melius ex cap. proximo vers. II. suppleatur vox *fœderis*: sic: *Nisi duæ tabulæ* (fœderis) *quod dedit Moyses in Horeb, quod percussit Dominus cum filiis Israel*. Convenere ad festum sacerdotes omnes.

V. 11. NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE VICES, ET MINISTERIORUM ORDO. Hebr. *Non ad servandum* (pro servabantur) *divisiones*; id est, non confluxere ii tantum quibus ministerium ea septimana incumbebat, sed omnes sine exceptione sacerdotes convenere, omnes sanctificati sunt, ut ministrare possent. Quod idem de Levitis, & cantoribus mox dicit.

V. 12. AD ORIENTALEM PLAGAM ALTARIS, scilicet sacrificiorum, stabant cantores.

V. 13. IGITUR CUNCTIS PARITER. Hebr. *Et fuit sicut unus*; id est, omnes simul adunati pulsabant instrumenta varia, canebant. Quid canebant? CONFITEMINI DOMINO .... QUONIAM IN AETERNUM MISERICORDIA EIUS. Hebr. *Ad laudandum & confitendum quoniam bonus*, &c. DOMUS DEI NUBE, id est vapore, est impleta: quod Dei præsentiam significabat. NEC POSSENT. Hebr. *Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare*, præ caligine scilicet.

MALVENDAE.

Vers. I. SICQUE COMPLETUM EST, &c. Hunc versum, quem Noster dissecuit in finem, & initium huius, & præcedentis capitis, vide I. Reg. VII. vers. 51. nam est omnino idem.

V. 2. POST QUAE CONGREGAVIT, &c. Ab hoc versu usque ad finem capitis, conferenda omnia cum I. Reg. VIII. a vers. I. usque ad II. nam sunt omnia eadem, exceptis his quæ inseruntur hic vers. II. 12, & 13. Inde desumendi Comm.

V. 4. PORTAVERUNT LEVITAE ARCAM. At I. Reg. VIII. vers. 3. dicitur: *Et tulerunt arcam sacerdotes*. Conciliant, Levitas tulisse ab arce Tziionis usque ad templum; sacerdotes vero a templo ad adytum. Sed multo rectius est, Levitas hic intelligi sacerdotes. *Levitæ*, id est sacerdotes Levitici generis: erant enim sacerdotes omnes Levitæ, id est e tribu Levi: quamvis non omnes Levitæ essent sacerdotes. Vide Comm. in I. Reg. VIII. 3. & in Numer. IV. 14.

V. 9. FUIT ITAQUE ARCA IBI USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Hebr. non exprimitur nomen arcæ, sed tantum: *Et fuit ibi usque ad diem istam*, pro quo I. Reg. VIII. 8. scribitur: *Et fuerunt ibi*, sci-

ſcilicet vectes arcæ, *uſque ad diem iſtam*; ut ſingulare quod hic ponitur, poſſit diſtributive accipi: *Et fuit*, quiſque vectium, *ibi uſque ad diem iſtam*: ſed ſenſus eodem recidit. Et de arca hic plerique cum Noſtro accipiunt: *Fuitque arca ibi uſque in diem iſtum*, ſcilicet deportationis, de qua in fine II. Reg. Vide I. Paralipom. IV. 41.

V. II. DE SANCTUARIO. Intelligunt, de adyto, & templo, ſeu de דביר *debir*, & de היכל *hechal*. (OMNES ENIM SACEROTES, QUI IBI POTUERANT INVENIRI, SANCTIFICATI SUNT.) Hanc parentheſim interpunctores vulgatæ Editionis, ad finem tantum huius verſus perducunt; alii totum etiam verſum duodecimum eidem includunt: plerique eam abſolvi putant circa finem verſus 13. quod Hebraicis convenientius videtur. Hanc reliquam huius verſus partem varie convertunt. I. *Quia omnes ſacerdotes inventi, ſanctificati ſunt, non ad cuſtodiendum diviſiones*; id eſt, in hac ſolemnitate non ſunt ſervatæ diviſiones ſacerdotum, & Levitarum, quas conſtituerat David, I. Paralipom. XXIII. & XXIV. &c. ſed omnes ſacerdotes, & Levitæ, qui inventi ſunt ibi, ſanctificati ſunt, communiter ad hanc feſtivitatem concurrentes. II. *Nam omnes ſacerdotes, qui inventi ſunt, ſanctificaverant ſe, non erat obſervare diſtinctiones*. III. *Siquidem omnes ſacerdotes, qui inveniebantur, ſanctificati erant: nec erat ut ſervarent ordines*: vel *ſanctificaverant ſe, nec licebat obſervare claſſes*; id eſt, præparaverant, purificaverant, mundaverant ſe, ad miniſtrandum: nec licebat obſervare vices, vel ordinem miniſteriorum. IV. *Nam omnes ſacerdotes, qui aderant, ſanctificaverant ſe, non fuerant obſervandæ diſtributiones*. Notant eſſe ætiologiam, cur eo die ſacerdotes in templum, & adytum libere, & ſine offenſa ingreſſi ſunt, non ſervatis diſtributionibus, de quibus I. Paralipom. XXIII. & ſequentibus: quod tum ſcilicet prima, & extraordinaria feſtivitas fuit inferendæ arcæ in oraculum, nempe dedicatio domus.

V. 13. UT CUM DOMINUM LAUDARE COEPISSENT, ET DICERE: CONFITEMINI DOMINO, QUONIAM BONUS, &c. Hebr. *In laudare ipſi Iehovæh, quia bonus*, &c. id eſt, cum decantarent ipſi Iehovæh pſalmos, & hymnos, quibus ſempiterna eius bonitas, pietas, beneficentia celebratur. Alii: *Cumque laudarent Iehovam, quia bonus*, &c. id eſt, cum cantarent Pſalmum CXXXV. qui totus huius argumenti eſt, & cuius initium eſt, *Confitemini* IHUH, *quoniam bonus*, &c. nam ut Hebræi Libros ab initialibus eorum dictionibus appellant, ut *Bereſchaith*, *In principio*, *Vaikra*, *Et vocavit*, &c. immo & Latini, ut Perſius Satyra I. AEneidem Virgilii:

> *Arma virum, nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?*

Ita iidem Hebræi Pſalmum CXXXV. vocant, *Quia bonus, quia in ſæculum benignitas eius*. IMPLERETUR DOMUS DEI NUBE. Iſtud Noſter cum paulo ante antecedentibus iungit: *Et cum laudarent Iehovam, quia bonus, &c. impleta fuit domus Iehovæ nube*. Alii cum initio verſ. 13. *Fuit, inquam, pariter clangentibus, & muſicis edentibus concentum unum, &c.* ut domum Iehovæ impleret gloria, &c. Nonnulli, cum principio verſ. II. *Et fuit, cum exirent ſacerdotes de ſanctuario; tunc domus implebatur nube*; ut reliqua omnia trium verſuum interiecta ſint per parentheſim: quod cum Hebræo congruit. Vide ſupra verſ. II. Hebr. *Et domum implevit nubes, domum Iehovæh*: vel potius, *Et domus impleta fuit nube, domus Iehovæh*: nam verbum מלא *male* ſæpe eſt intranſitivum. Quidam: *Tunc domus implebatur nube, domus, inquam, Iehovæ*. Alii: *Ut intus domum Iehovæ impleret nubes*. Priorem vocem *domus*, pro *intus* accipiunt, ut alias ſumi ſolet. *Nubem* intelligunt vaporem, caliginem mixtam ſplendore & gloria, nubem lucidam, quæ gloria Iehovæh dicitur ſequente verſu. Vide infra cap. VII. verſ. I. & 2.

V. 14. NEC POSSENT SACERDOTES STARE ET MINISTRARE, &c. Notant, gloriam Domini impleviſſe adytum, & templum; inde redundaſſe extra domum, uſque ad altare holocauſtorum, ſub dio; atque ita præſtrinxiſſe oculos ſacerdotum ſacrificantium, ut vix conſiſtere ac munus ſuum obire poſſent.

MENOCHII.

Verſ. I. INTULIT IGITUR SALOMON, &c. Quæ hic habentur uſque ad num. 10. repetita ſunt ex III. Reg. VIII.

V. 11. SANCTIFICATI SUNT: mundarunt, & purificarunt se, ut ministrare possent, ne sacerdotes deessent victimis quæ mactabantur. NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE ERANT VICES. Quæ de ordine ministrandi per vices statuta fuerant a Davide I. Paralip. cap. XXIV. necdum ad praxim erant revocata: itaque omnes indiscriminatim ministrarunt.

V. 12. QUI SUB ASAPH ERANT, &c. De Asaph, aliisque cantoribus, multa habemus supra I. Paralipom. toto cap. XXV.

V. 13. IMPLERETUR DOMUS DEI NUBE. Vide III. Reg. cap. VIII. num. 10. & ibi dicta.

TIRINI.

Vers. 9. VECTES PAULULUM LONGIORES ERANT, quam ipsa arca. III. Reg. VIII. 8. simili modo dicitur, *Cum eminerent vectes*, &c. non a Sancto sanctorum (nam murus interiectus id impediebat) sed ab ipsa arca, utpote multo longiores quam arca: *& apparerent summitates* seu capita *eorum foris Sanctuarium*. Hebraice, *Ex sanctuario non apparebant ultra*, seu magis ultra, *extrinsecus*, id est extra locum *oraculi*, puta ab iis qui paulo remotius stabant ab ostio, quo ex Sancto ibatur in Sanctum sanctorum. Vult dicere, vectium arcæ extremitates illis solis conspicuas fuisse qui ad ipsum oraculi ostium propius accessissent, non item iis qui paulo remotius constitissent. Ita Sanctius.

V. 10. NIHILQUE ERAT ALIUD IN ARCA, NISI DUAE TABULAE lapideæ. Nam licet a tempore Moysis huc usque, dum in tabernaculo nullus alius esset locus in quo tuto ac religiose possent reponi, *Virga Aaron* a *quæ fronduerat*, *& urna* b *aurea cum manna*, *& Deuteronomium Moysis*, reposita fuerint vel intra arcam (ut insinuat sanctus Paulus ad Hebræos IX. versu 4. & docent sanctus Augustinus, sanctus Thomas, Theophylactus, OEcumenius, Arias Montanus c, Salmeron, & Sanctius) vel saltem ad latera arcæ (ut de Deuteronomio diserte iussit Moyses, Deuter. XXXI. 24. & tenent Lyranus, Abulensis, Caietanus, Burgensis, Ribera, Azor d, & alii) tamen, ex quo conditum fuit stabile templum, & in eo varia ad latus utrumque gazophylacia, in quibus res illæ sacræ possent commode, decenterque asservari, videntur ab arca semotæ, & in vicinum aliquod conclave traductæ. Sane de libro Deuteronomii constat, paucis post sæculis, inter alios templi thesauros fuisse repertum, II. Paralip. XXXIV. vers. 14. ubi *Helcias sacerdos*, *cum efferretur pecunia*, *quæ illata est in templum Domini*, dicitur *reperisse librum legis Domini per manum Moysi*.

V. 11. NEC ADHUC IN ILLO TEMPORE, encæniorum, VICES, ET ORDO INTER sacerdotes DIVISUS ERAT. Hebraice, *Non observabatur*. Nempe conduxerant non ii soli quibus ministerium ea septimana incumbebat (neque enim hi sufficissent) sed omnes quotquot ex toto Israele haberi poterant. Quod idem mox de Levitis, & cantoribus subiungit. Cetera huius capitis vide III. Reg. cap. VIII.

(a) Num. XVII. vers. 10.
(b) Exod. XVI. vers. 33.
(c) S. August. quæst. CI. in Exod. S. Thomas, Theophyl. OEcum. & Salm. in Epist. ad Hebr. cap. VII. Arias in Apparatu Lib. de Siclo.
(d) Lyranus & Abul. hic Caiet. & Burg. in Epist. ad Hebr. cap. IX. Ribera Lib. II. de templo, cap. II. Azor. Tom. I. Lib. VI. cap. XLVII.

GORDONI.

Vers. 9. VEctes erant simul cum arca: tantum capita apparebant. Cautum vero fuit in lege, ne educerentur vectes, aut seiungerentur ab arca: Exod. XXV.

V. 10. NIHILQUE ERAT ALIUD IN ARCA, NISI DUAE TABULAE. Vide III. Reg. VIII. 9. distinguenda enim sunt tempora ante templum, & post illud.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Hæc omnia usque ad versum decimum sunt repetita ex III. Reg. VIII.

V. 11. NEC ADHUC, &c. David quidem divisione ordinem præscripserat I. Paralip. XXIV. sed nondum erat in praxi.

V. 12. De his cantoribus, I. Paralipom. XXV.

V. 13. NUBE. Signum præsentiæ Dei.

CA-

CAPUT VI.

Benedicit Salomon populo Israel, gratias Deo agens de impletione promissionis factæ David, oratque supplex coram multitudine, ut orantium in eo templo vota Deus exaudiat.

1. TUnc (*a*) Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret
in caligine: 2. ego autem ædificavi domum nomini eius,
ut habitaret ibi in perpetuum. 3. Et convertit Rex faciem
suam, & benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis
turba stabat intenta) & ait: 4. Benedictus Dominus Deus
Israel, qui quod locutus est David patri meo, opere com-
plevit, dicens: 5. A die qua eduxi populum meum de
terra AEgypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificarentur
in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux in
populo meo Israel; 6. sed elegi Ierusalem, ut sit nomen meum in ea, & elegi
David, ut constituerem eum super populum meum Israel. 7. Cumque fuisset
voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel,
8. dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum
nomini meo, bene quidem fecisti huiuscemodi habere voluntatem: 9. * sed non
tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse
ædificabit domum nomini meo. 10. Complevit ergo Dominus sermonem suum,
quem locutus fuerat: & ego surrexi pro David patre meo, & sedi super thro-
num Israel, sicut locutus est Dominus: & ædificavi domum nomini Domini
Dei Israel. 11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepi-
git cum filiis Israel. 12. Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ
multitudinis Israel, & extendit manus suas. 13. Siquidem fecerat Salomon basim
æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitu-
dinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetitque super
eam: & deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, & palmis
in cælum levatis, 14. ait: (*b*) Domine Deus Israel, non est similis tui Deus
in cælo, & in terra: qui custodis pactum & misericordiam cum servis tuis, qui
ambulant coram in te toto corde suo: 15. qui præstitisti servo tuo David pa-
tri meo quæcumque locutus fueras ei: & quæ ore promiseras, opere com-
plesti, sicut & præsens tempus probat. 16. Nunc ergo Domine Deus Is-
rael, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens: Non
deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: * ita tamen si
custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint in lege mea, sicut & tu ambu-
lasti coram me. 17. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem
locutus es servo tuo David. 18. Ergone credibile est ut habitet Deus cum ho-
minibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto ma-
gis domus ista quam ædificavi? 19. Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias
orationem servi tui, & obsecrationem eius, Domine Deus meus: * & audias
preces, quas fundit famulus tuus coram te: 20. ut aperias oculos tuos super do-

mum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum, 21. & exaudires orationem quam servus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est de cælis, & propitiare. 22. Si peccaverit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: 23. tu audies de cælo, & facies iudicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, & ulciscaris iustum, retribuens ei secundum iustitiam suam. 24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conversi egerint pœnitentiam, & obsecraverint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco isto, 25. tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israel, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & patribus eorum. 26. Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris, 27. exaudi de cælo, Domine, & dimitte peccata servis tuis & populi tui Israel, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. 28. (c) Fames si orta fuerit in terra, & pestilentia, ærugo, & aurugo, & locusta, & bruchus; & hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit: 29. si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac, 30. tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiare, & redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo (tu enim solus nosti corda filiorum hominum:) 31. ut timeant te, & ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. 32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adoraverit in loco isto, 33. tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te sicut populus tuus Israel, & cognoscant, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua civitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificavi nomini tuo: 35. tu exaudies de cælo preces eorum, & obsecrationem, & ulciscaris. 36. Si autem peccaverint tibi ((d) neque enim est homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ iuxta est, 37. & conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus, inique fecimus, iniuste egimus: 38. & reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & urbis, quam elegisti, & domus, quam ædificavi nomini tuo: 39. tu exaudies de cælo, hoc est de firmo habitaculo tuo, preces eorum, & facias iudicium, & dimittas populo tuo, quamvis peccatori: 40. tu es enim Deus meus: (e) aperiantur, quæso, oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto. 41. Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, &

san-

ſancti tui lætentur in bonis. 42. Domine Deus, * ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

(a) III. Reg. VIII. 12. (b) II. Mach. II. 8. (c) Infra II. 8. (d) III. Reg. VIII. 46. Eccle. VII. 21. I. Ioan. I. 8. (e) Psal. CXXXI. 8.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus.* Male quidam legunt compoſitum *veruntamen*, pro ſimplici *verum*.

V. 16. *Ita tamen ſi cuſtodierint filii tui vias ſuas.* Retinendum eſt pronomen tertiæ perſonæ *ſuas*, non ſubſtituendum pronomen primæ *meas*.

V. 19. *Et audias preces, quas fundit famulus tuus coram te.* Præſens *fundit*, non eſt mutandum cum præterito *fudit*.

V. 42. *Ne averteris faciem chriſti tui.* Alii ſcribunt *averſeris* ab averſor, pro *averteris* ab averto.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. POLLICITUS EST. Hebr. & LXX. *Dixit*. Vide III. Reg. VIII.

V. 2. NOMINI EIUS, &c. Hebr. *Habitaculum tibi, & locum habitationi tuæ in ſæcula.*

V. 5. CIVITATEM, ſcilicet aliam quam Ieruſalem, ut infra dicitur. NOMINI MEO. Hebraice, *Ut eſſet ibi nomen meum.* ALIUM. Elegit quidem Saulem, ſed non cum poſteris eius: loquitur autem de electione in perpetuum.

V. 13. BASIM. Alii *concham*, ſcilicet ſuggeſtum inſtar conchæ. BASILICAE. Hebr. & LXX. *atrii*, ſcilicet populi. DEINCEPS, id eſt deinde. CONTRA, id eſt e regione; quaſi dicat, Coram omnibus.

V. 18. QUANTO MAGIS, ſcilicet non capiet.

V. 19. SED AD HOC TANTUM FACTA EST. Id additum ab Interprete. UT RESPICIAS; pro, & reſpicias. LXX. *Et reſpicies.*

V. 21. EXAUDIRES, pro exaudias. FAMULI. Coniunge cum *Iſrael*.

V. 22. CONTRA EUM; verbi gratia, iuraturus quod non debeat quidquam. MALEDICTO. Hebr. *iuramento*, ſcilicet execratorio. CORAM ALTARI. Solebant Iudæi ante altare iurare.

V. 24. PECCABUNT ENIM. Hebr. *Quia peccabunt.* EGERINT POENITENTIAM. Hebr. *Confeſſi fuerint nomen tuum.* OBSECRAVERINT, ſcilicet qui reliqui fuerint. NOMEN TUUM. Heb. *coram te.*

V. 25. PROPITIARE, pro propitiaberis. REDUC, pro reduces.

V. 27. ET POPULI TUI; pro, id eſt populo tuo.

V. 28. AERUGO, ET AURUGO. Alii, *ariditas, & rubigo*: id quod utrumque ſegetem corrumpit. LXX. *aeris corruptio, & icteritia.* Hæc corporis humani morbus eſt, quæ Latine *aurugo* dicitur ab auri colore. VASTATIS REGIONIBUS. Id additum ab Interprete.

V. 29. IN DOMO HAC. Hebr. & LXX. *ad domum hanc*, ſcilicet converſus.

V. 30. PROPITIARE, ET REDDE; pro, propitiaberis, & reddes.

V. 35. TU EXAUDIES. Hebr. & LXX. *Et exaudies*: ſic infra.

V. 39. FACIAS, pro facies; quaſi dicat: Dabis ſententiam in illorum favorem, vel ulciſceris eorum iniurias. QUAMVIS PECCATORI. Hebr. & LXX. *Qui peccavit tibi.*

V. 40. TU ES ENIM. Hebr. *nunc*. LXX. *& nunc.*

V. 41. IN REQUIEM TUAM; quaſi dicat: Mane in loco illo, quem elegiſti ut ibi quieſceres. FORTITUDINIS, id eſt in qua oſtendis virtutem tuam. INDUANTUR SALUTEM; id eſt, a te ſerventur.

V. 42.

V. 42. CHRISTI TUI, pro meam. Reges *Christi*, id est uncti vocabantur; quasi dicat: Ne patiar a te repulsam.

ESTII.

Vers. 21. QUICUMQUE ORAVERIT IN LOCO ISTO, EXAUDI DE HABITACULO TUO, ID EST DE CAELIS, ET PROPITIARE. Ex his verbis, & aliis huius orationis, manifestum est Deum magis exaudire orationes in templo fusas, quam alibi, ceteris paribus. Alioqui enim frustra peteret Salomon, eo loco beneficia huiusmodi concedi, quæ in omni loco concederentur æqualiter. Rationes autem huius prærogativæ templorum sunt. Una, quia templum precibus Ecclesiæ consecratum est, ad hoc ut in eo Deus oretur, & orantes exaudiat: Unde canit Ecclesia in anniversario Dedicationis: *Da, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.* Alia ratio, quia ibi multorum coniunguntur orationes, tamquam in loco communi, ad quem omnes conveniunt. Orationes autem multorum coniunctæ, sunt efficaciores ad impetrandum, quam eædem singulæ, & seiunctæ, sicut & in naturalibus virtus unita maior est seipsa dispersa. Et hæ rationes, quo ad causam efficientem. Causæ finales multæ proferri possent, ut ad excitandam humilitatem, & diligentiam. Sed præcipua est ad conservandam caritatem & unitatem fidelium inter se. Nam templum est figura vivæ Ecclesiæ, id est cœtus fidelium: unde etiam Ecclesia vocatur. Ideo ergo ad templum oraturi conveniunt Christiani, ut hoc facto testentur, se unius Ecclesiæ esse membra, caritatis vinculo colligata, qui affectus Christiani hominis non parum etiam addit ad efficaciam orationis. Ac denique petitionem hanc Salomonis confirmavit Deus capite sequenti, igne misso de cælo.

MARIANAE.

Vers. 1. DOMINUS POLLICITUS EST UT HABITARET IN CALIGINE. III. Reg. VIII. 12. *in nube*. Sic inter homines habitat, ne se nimis nobis familiarem præbeat.

V. 2. AEDIFICAVI DOMUM NOMINI EIUS. Hebr. *domum habitaculi tibi*: mutatio personæ. UT HABITARET IBI. Hebr. *& locum ut tu habitares*.

V. 3. (NAM OMNIS TURBA STABAT INTENTA.) Vox *intenta* non est Hebr. Hieronymus addidit. Hebr. *Et omnis turba Israel stans*, pro stabat.

V. 4. OPERE COMPLEVIT Deus quod locutus est. Hebr. *Et in manibus eius*, vel *suis*, *implevit*: sic Sept. id est, stabilivit Deus verbum suum bonum in manibus suis; id est, virtute sua id præstitit. Vel *in manibus eius*, scilicet David: dedit in manus quod erat pollicitus. Prior explicatio melior.

V. 5. NEQUE ELEGI QUEMQUAM... UT ESSET DUX, scilicet præter David. An non ante David Samuelem elegit Deus, tum iudices? Verum non stabili possessione illis, & posteris principatum dedit.

V. 11. POSUI IN EA, scilicet domo, ARCAM, IN QUA EST PACTUM DOMINI, QUOD PEPIGIT. Hebr. *quod percussit*. Ex hoc versu intelligitur vers. 10. cap. superioris: nam Hebr. eadem ferme verba utrobique sunt.

V. 13. FECERAT SALOMON BASIM AENEAM. Hebr. *labrum*, seu *concham*, scilicet in usum suggestus. IN MEDIO BASILICAE. Heb. & Sept. *atrii*, scilicet magni. CONTRA, id est coram universa multitudine, stetit Salomon. PALMIS IN CAELUM LEVATIS. Hebr. *extensis*. Sept. *Extendit manus suas in cælum*. Dixitque:

V. 15. QUAE ORE PROMISERAS, OPERE COMPLESTI. Hebr. *In manu tua implesti*, id est tuo numine. SICUT ET PRAESENS TEMPUS PROBAT. Hebr. *Sicut dies hic*: sic Sept. id est, ut rerum eventus probat. Imple quod dixisti: Non deficiet ex filiis tuis Rex.

V. 16. ITA TAMEN SI CUSTODIERINT FILII TUI VIAS SUAS. Alii *vias meas*. Hebr. & Sept. *Viam ipsorum*, seu *suam*, *si custodierint*.

V. 17. FIRMETUR SERMO; id est, opere impleatur: ratum sit verbum tuum.

V. 19. SED AD HOC TANTUM FACTA EST (domus) UT RESPICIAS: scilicet non ut tu habites, quia te cæli non capiunt. Hebr. *Et aspicies ad orationem servi tui*: sic Sept. Cetera adiecit Interpres. ET AUDIAS PRECES, QUAS

FUN-

FUNDIT. Hebr. *clamorem & orationem*. *Rinah*, *clamorem* significat III. Reg. XXII. vers. 36. ubi nos, *Et praeco insonuit*, Hebr. *Et transivit clamor in castris*, scilicet praeconis, *Rinah*. Ergo aperi oculos super locum istum,

V. 20. IN QUO POLLICITUS ES, Hebr. *In quo* (loco) *dixisti* (id est praecepisti) UT INVOCARETUR NOMEN TUUM. Hebr. *ut poneretur nomen tuum ibi*, id est vocaretur domus Dei. Si ergo peccaverit quis contra proximum,

V. 22. ET IURARE CONTRA EUM PARATUS VENERIT. Hebr. *Et tulerit in eo iuramentum ad adiurandum eum*; id est, coegerit eum iurare, lite scilicet ad sacramentum redacta. SEQUE MALEDICTO CONSTRINXERIT. Hebr. *Et venerit iuramentum coram altari tuo*. Nimirum quoniam actor reum non alibi iurare voluit. Tu exaudies, ut iudices,

V. 23. ET ULCISCARIS IUSTUM. Hebr. *& ad iustificandum iustum*, scilicet protegendo innoxium.

V. 24. SI SUPERATUS FUERIT POPULUS. Hebr. *Et si corruerit populus tuus*. ET CONVERSI, scilicet qui remanserint, EGERINT POENITENTIAM, Hebr. *confessi fuerint nomen tuum*, exaudies eos.

V. 25. REDUC EOS, qui scilicet in captivitatem fuerint abducti. Da pluviam terrae,

V. 27. QUAM DEDISTI POPULO TUO AD POSSIDENDUM. Hebr. *populo tuo in hereditatem dedisti*.

V. 28. AERUGO si fuerit. Aeris proprie rubigo est; sed est etiam segetum vitium. Vox Hebr. *sidapnon* plerisque est *ariditas segetum*. AURUGO, seu *aurigo*, vitium coloris in homine, *Ictericia*, sic dicta ab auri colore; sed rubigo segetum sic etiam vocatur. ET HOSTES, VASTATIS REGIONIBUS, PORTAS OBSEDERINT. Itaque verba addita ab Interprete. Heb. *Cum oppresserint ei* (pro eum) *hostes eius in terra portarum suarum*, id est ad portas suas; quasi dicat: Cum hostis fuerit ad portas vastatis agris. Si quis oraverit cognoscens plagam,

V. 29. ET INFIRMITATEM SUAM, id est morbum. Hebr. *dolorem suum*. IN DOMO HAC. Hebr. & Sept. *in domum hanc*, scilicet ad eam conversa facie. Tu exaudies.

V. 31. UT TIMEANT, scilicet exaudies. Et quidem omnes Interpretes sic Hebraica vertunt verba. Possent tamen sic verti, *Propterea timebunt te*: scilicet cum te viderint propitiari in eorum poenitentia, agnoscent malum non fortuito evenisse, sed ob peccata: sic Hebr. Schol.

V. 32. EXTERNUM. Gotth. *externus*: sic Sept. sed si regitur a verbo *venerit*, in nominativo esse debet; si a verbo *exaudies*, in accusativo, ut est in nostris, *Exaudies externum*.

V. 33. TU EXAUDIES DE CAELO FIRMISSIMO HABITACULO TUO. Sept. *Parato habitaculo*. Hebr. *Ex loco habitaculi tui*, scilicet exaudies: sic vers. 39. Si oraverint euntes ad bellum, exaudies,

V. 35. ET ULCISCARIS. Hebr. *Et facies iudicium eorum*; id est, vindicabis eos: concedes victoriam contra hostes.

V. 39. ET FACIAS IUDICIUM, pro facies; hoc est liberabis eos. ET DIMITTAS, pro dimittes, populo, scilicet peccata, cum ad bellum tui iverint.

V. 40. TU ES ENIM DEUS MEUS. Hebr. *Nunc Deus meus*. Sept. *Et nunc Domine Deus sint iam oculi tui aperti*.

V. 41. IN REQUIEM TUAM surge; quasi dicat: Requiesce hic, fac ne umquam tu, & arca hoc loco moveamini. Sedes perpetua sit, & stabilis. TU ET ARCA FORTITUDINIS TUAE. Ob miracula sic vocatur, quae arcae praesentia facta sunt contra Philisthaeos. SACERDOTES..... INDUANTUR SALUTEM; id est, a te serventur; vel ipsorum opera serventur alii. Gotth. *Induantur iustitiam*, sed vitiose. ET SANCTI TUI. Hebr. *misericordes tui*. Magna virtus misericordia, quando ab ea qui sunt, boni, & sancti nominantur. IN BONIS; id est, ob beneficia accepta laetentur.

V. 42. NE AVERTERIS FACIEM CHRISTI TUI, id est mei, qui in Regem unctus sum; id est, ne me repellas, ne irritas facias preces meas has.

MALVENDAE.

Vers. 1. TUNC SALOMON AIT, &c. Ab hoc versu usque ad vers. 40. exclusive, confer cum I. Reg. VIII. a vers. 12. usque ad 50. nam omnia sunt propemodum eadem, paucis immutatis,

tis, excepto verſ. 13. infra : proinde accerſenda Comm. ex I. Reg.

V. 13. BASIM AENEAM. כיור ciior proprie *concham*, *labrum*, *lutrem*, ſeu *luterem* ſignificat: hic omnes fere *ſuggeſtum* reddunt, a forma ſic per catachreſin dictum, quod in modum conchæ orbicularis, vel quadratæ, intus vacuum, & faſtigiatum, extructum eſſet. Notant, ex huius ſuggeſti forma, quæ hic deſcribitur, & ex his quæ de ſuggeſtu Eſdræ traduntur Nehemiæ VIII. verſ. 4. videri cathedram Moſis in Evangelio commemoratam, tandem aliquando prodiiſſe: atque etiam Eccleſiæ, & concionatorum ſuggeſtus, ambones, pulpita, ſeu quæ vulgo vocant *tribunas*, profluxiſſe: nam horum vetuſtiſſimum uſum eſſe in Eccleſia, rituum ſacrorum auctores produnt. Vide infra cap. IX. verſ. 4. IN MEDIO BASILICAE. Hebr. *in medio adiutorii*, ſeu *auxiliatorii*; id eſt, in medio atrii magni publici, ſeu populi: de quo vide ſupra cap. IV. verſ. 9.

V. 37. ET CONVERSI IN CORDE SUO. Hebr. *Et reducent ad cor ſuum*. Quidam: *Et revocaverint in cor ſuum*; ſubaudi, peccata ſua; id eſt, meminerint ſe peccaſſe, meminerint peccatorum ſuorum. Alii: *Et induxerint in animum ſuum*; vel *ſi reducent in animum ſuum*, &c. *ut converſi deprecentur te*, &c.

V. 40. AD ORATIONEM, QUAE FIT IN LOCO ISTO. Hebr. *Deprecationi loci iſtius*. Quidam, *Ad orationem in loco iſto factam*. Alii, *Ad orationem, qua orabitur verſus locum hunc*.

V. 41. CONSURGE, DOMINE DEUS, &c. Vide Pſalm. CXXXI. verſ. 8. IN REQUIEM TUAM. Exponunt: Id eſt, in locum hunc in quo ſtatuiſti quieſcere, & non amplius itare cum tentorio, & tabernaculo. Vide II. Samuel. VII. verſ. 6. ET ARCA FORTITUDINIS TUAE. Vide I. Paralipom. XVI. II. SACERDOTES TUI ..... INDUANTUR SALUTEM. Exponunt: Id eſt, circumvallentur, & circummuniantur ſalutaribus tuis beneficiis, ut veſtimento corpus: ſic Iſaiæ LXI. 10. Alii, ex uſu Scripturæ, *veſtiri*, & *indui*, copiam & abundantiam denotare obſervant; quaſi dicat: Omnimoda ac plena ſalute, ac felicitate fruantur. Vide Pſalm. CXXXI. 16. ET SANCTI TUI LAETENTUR IN BONIS. Diverſe Hebræa alii convertunt. I. *Et miſericordes tui lætentur in bono*. II. *Et boni tui lætentur in bono*. III. *Et quos benigne accipis, lætentur de eodem bono*. Ex verbo: *Et benigni, beneficii tui*, id eſt qui a te beneficia acceperunt, & expectant, *gaudeant de bonis*, quibus eos affeceris. Alii: *Sancti & dilecti tui, tibi cari, a te electi ſacerdotes*.

V. 42. NE AVERTERIS FACIEM CHRISTI TUI. Hebræi, & plerique noſtrorum, *Unctum* hic Salomonem intelligunt: exponuntque: Ne abiicias, repellas, repudies, perſonam meam, ſeu preces meas: quaſi dicat: Ne patiar a te repulſam. Verum rectius, & ſublimius intelligimus Meſſiam æterni Dei unicum Filium, cuius Salomon typus fuit; quaſi dicat: O Iehovah Deus, rationem habe Uncti tui, ſeu Chriſti generis humani monarchæ, qui unicum eſt, æternumque Unctorum tuorum caput. MEMENTO MISERICORDIARUM DAVID SERVI TUI. Quidam: *Recordare benignitatum erga Davidem ſervum tuum*, id eſt promiſſionum factarum, & incœptorum beneficiorum erga domum eius.

MENOCHII.

Verſ. 1. TUNC SALOMON AIT, &c. Totum hoc caput explicatum eſt III. Reg. VIII.

V. 28. AERUGO. Eamdem vocem Hebræam quam hic habemus, hoc eſt שדפון *ſcidaphon*, noſter Interpres III. Reg. VIII. 37. *corruptum aerem* vertit. Significat autem hæc vox Hebræa ariditatem, rubiginem, ſegetum percuſſionem, vento orientali flante, & ſpicas exſiccante antequam matureſcant. *Æruginem* dixit Interpres, quia vento urente ſpicæ palleſcunt, & æris colorem aſſumunt. Vide Riberam in cap. IV. Amos num. 20. & 21. AURUGO. Hebr. eſt ירקון *ieraquon*, quam etiam vocem *rubiginem*, *æruginem*, aut *auruginem* interpretantur. *Aurugo* vox Latina vitium ſegetum indicet, cum præcedente ariditate in pallorem vertuntur, & in colorem auri.

V. 41. CONSURGE DOMINE IN REQUIEM TUAM. Sumpta ſunt hæc verba uſque ad finem capitis ex Pſal. CXXXI. 8. ubi ea explicabimus.

TIRINI.

Verſ. 13. FECERAT SALOMON BASIM AENEAM. Hebraice *labrum*, ſeu *concham*, ſcilicet in uſum ſuggeſtus. Niſi malis de theatro regio id interpretari, quod IV. Reg. XVI. verſ. 18. *muſach* ſabbati vocatur. IN MEDIO BASILICAE, id eſt in atrio populi, ut dixi cap. IV. verſ. 9.

V. 28. AERUGO proprie æris rubigo eſt: AURUGO vitium coloris in homine, quod *icteritia* dicitur, ab auri colore ſic nominatum. Sed utrumque hic pro ſegetum vitio poni videtur. Septuaginta tamen verterunt *æris corruptionem & icteritiam*.

V. 41. CONSURGE DOMINE IN REQUIEM TUAM; id eſt, hic requieſce, mane in templo hoc, quod elegiſti ut in eo quieſceres. TU ET ARCA FORTITUDINIS TUAE. Sic vocat, ob miracula ſtupenda quæ ad arcæ præſentiam facta ſunt adverſus Chananæos, Philiſthæos, & alios hoſtes. SACERDOTES TUI INDUANTUR SALUTEM; id eſt, a te ſerventur. Pſal. CXXXI. verſ. 9. *Induantur iuſtitiam*; id eſt, ſanctitate, & innocentia vitæ floreant.

V. 24. NE AVERTERIS FACIEM CHRISTI TUI, id eſt mei, qui Chriſtus, id eſt in Regem unctus ſum; quaſi dicat: Ne repellas preces meas, ne patiar a te repulſam.

GORDONI.

Verſ. 13. BASIM AENEAM, ſuggeſtum inſtar conchæ. BASILICAE. Septuag. *atrii*, pro populo. Erat atrium magnum.

V. 18. CAELI CAELORUM NON TE CAPIUNT, capere non poſſunt. Immenſus Deus eſt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 28. AERUGO, ET AURUGO deſignant vitium ſegetum, quando flante noxio vento ſpicæ palleſcunt.

V. 41. Vide hanc partem Pſalmi explicatam Pſalm. CXXXI. verſ. 8. &c.

CAPUT VII.

Poſt devorata cæleſti igne ſacrificia, Dei maieſtas templum implet, & plurimis immolatis beſtiis, templi dedicatio ſeptem diebus celebratur, dieque octavo fit collecta; Dominus autem Salomoni revelat, ſe ipſius orationem exaudiſſe.



1. CUmque compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit
de cælo, & devoravit holocauſta, & victimas: & maieſtas
Domini implevit domum. 2. (*a*) Nec poterant ſacerdotes
ingredi templum Domini, eo quod impleſſet maieſtas Do-
mini templum Domini. 3. Sed & omnes filii Iſrael videbant
deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum: &
corruentes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lapide,
adoraverunt, & laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in ſæculum mi-
ſericordia eius. 4. Rex autem, & omnis populus, immolabant victimas coram Domino.
5. (*b*) Mactavit igitur Rex Salomon hoſtias, boum vigintiduo millia, arietum centum
viginti millia: & dedicavit domum Dei Rex, & univerſus populus. 6. Sacerdotes autem
ſtabant in officiis ſuis: & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Da-
vid Rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum miſericordia eius, hy-
mnos David canentes per manus ſuas; porro Sacerdotes canebant tubis ante

eos, cunctusque Israel stabat. 7. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta & adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta & sacrificia & adipes. 8. Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem AEgypti. 9. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem. 10. Igitur in die vigesimotertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Davidi, & Salomoni, & Israeli populo suo. 11. (c) Complevitque Salomon domum Domini, & domum Regis, & omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, & in domo sua, & prosperatus est. 12. Apparuit autem ei Dominus nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificii. 13. Si clausero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: 14. conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto oraverit. 16. Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 17. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaque servaveris: 18. suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: *Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel. 19. Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, & abeuntes servieritis diis alienis, & adoraveritis eos, 20. evellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & domum hanc, * quam sanctificavi nomini meo, proiiciam a facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis. 21. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? 22. Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de terra AEgypti, & apprehenderunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt: idcirco venerunt super eos universa hæc mala.

(a) II. Machab. II. 10. (b) III. Reg. V. 65. (c) III. Reg. IX. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 18. *Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel*. Non est repetenda negatio ante verbum *sit: Qui non sit*.

V. 20. *Quam sanctificavi nomini tuo*. Non scribas *ædificavi*, pro *sanctificavi*, quod est dedicavi.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. MAIESTAS. Hebr. & LXX. *gloria*, ſcilicet nubes, quæ Dei præſentiam repræſentabat & maieſtatem.

V. 3. ADORAVERUNT, ſcilicet Deum.

V. 6. ORGANIS CARMINUM, id eſt muſicis inſtrumentis. PER MANUS SUAS, id eſt opera ſua; quaſi dicat: Canebant ipſi quod David compoſuerat.

V. 8. SOLEMNITATEM, ſcilicet feſtum tabernaculorum. TORRENTEM, ſcilicet Rhinocoluram. Vide Gen. xv.

V. 9. COLLECTAM, ſcilicet feſtum quo populus omnis congregabatur, poſt dies ſeptem feſti tabernaculorum, quod hic ſecutum eſt poſt ſeptem dies quibus templum dedicatum. SEPTEM DIEBUS: ſcilicet dedicatio cœpit octava die Septembris, deinde feſtum tabernaculorum decimaquinta.

V. 10. VIGESIMO TERTIO: ſcilicet tunc diſceſſerunt: nam, ut dicitur III. Reg. facta eſt abeundi poteſtas die vigeſima ſecunda.

V. 11. REGIS, id eſt ſuam.

V. 12. APPARUIT, ſcilicet multis annis poſt dedicatum templum. Vide III. Reg. ix.

V. 13. CAELUM, id eſt aerem.

V. 14. SUPER QUOS, &c. id eſt qui appellantur nomine meo, ſcilicet populus Dei: vel pro quibus ſacerdotes orant, invocato meo nomine.

V. 17. ET FECERIS; pro, id eſt feceris. IUSTITIAS MEAS. Hebr. *Statuta mea*. LXX. *Præcepta mea*: ſic infra.

V, 18. SUSCITABO, id eſt ſtabiliam.

V. 21. IN PROVERBIUM. Hebr. *In ſtuporem*.

ESTII.

Verſ. 1. & 2. CUMQUE COMPLESSET SALOMON FUNDENS PRECES, IGNIS DESCENDIT DE CAELO, ET DEVORAVIT HOLOCAUSTA ET VICTIMAS. Deſcenſus ignis de cælo ſuper victimas, ſignum erat acceptationis ſacrificii oblati, & exauditæ orationis quam Salomon fuderat. Quater enim ſimiliter factum fuiſſe legimus: ſcilicet ignis de cælo deſcendens abſumpſit ſacrificia oblata in conſecratione Aaron, & filiorum eius, Levit. cap. ix. item ſacrificium Heliæ contra ſacerdotes Balaam: tertio ſacrificium Davidis in area Ornan Iebuſæi, quando peſtis ſæviebat in populo: & hoc loco. Quibus omnibus locis Deus ſignificare voluit, gratum & acceptum fuiſſe ſacrificium quod offerebatur, nempe miraculoſe cooperando oblationi, cuius præcipua ratio actionis conſiſtit in incenſione, ſeu comſumptione ſacrificii. ET MAIESTAS DOMINI IMPLEVIT TEMPLUM, NEC POTERANT SACERDOTES INGREDI TEMPLUM DOMINI, EO QUOD IMPLESSET MAIESTAS DOMINI TEMPLUM. Lib. III. Reg. cap. x. habetur: *Nebula implevit domum Domini*. Quæ duo non pugnant, ſed unum eſt expoſitio alterius. Nam nebula erat ſignum præſentis gloriæ, & maieſtatis Dei: frequenter enim legitur Dominus apparuiſſe in nube. Senſus igitur eſt, nebulam, quæ erat ſignum maieſtatis, & gloriæ Dei, impleviſſe templum, & ſacerdotes reverentia divinæ maieſtatis, quam nubes illa repræſentabat, retroceſſiſſe, nec auſos fuiſſe ad offerendum propius accedere. Quidam dicunt nubem iſtam non fuiſſe obſcuram, ſed excellenter lucidam; & ſacerdotes non potuiſſe ferre immodicam eius claritatem. Sed hæc opinio verbis Scripturæ non ſatis eſt conſentanea. Nam iſta nubes præcedenti capite caligo vocatur: *Dominus*, inquit, *pollicitus eſt, ut habitaret in caligine*. Et Pſalm. xcviii. de apparente Dei maieſtate dicitur: *Nubes & caligo in circuitu eius*, &c. Et apparet per nubem illam obſcuram & caliginoſam, ſignificatam fuiſſe obſcuritatem & caliginem umbrarum veteris Teſtamenti, eamque obſcuritatem ſacerdotes illos Aaronicos penetrare non potuiſſe.

MARIANAE.

Verſ. 1. MAIESTAS DOMINI IMPLEVIT DOMUM, id eſt nobes in qua Deus erat. Hebr. & Sept. *Gloria Domini*.

V. 3. SUPER PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE. Sept. *Super pavimentum lapideum*. Hebr. *Super pavimentum corruentes*. ADORAVERUNT, ET LAUDAVERUNT. Hebr. *Et incurvarunt ſe ad laudandum Dominum*.

V. 6. IN OFFICIIS SUIS. Hebr. *In cuſtodiis ſuis*, vel *per cuſtodias ſuas*, ut Sept. id eſt, quique ſacerdotes cum iis qui ex eadem ſorte turmaque erant. ET LEVITAE, ſcilicet ſtabant. IN ORGANIS CARMINUM. Hebr. *In vaſis cantici*, id eſt inſtrumentis muſicis. DOMINI, id eſt carminibus dicatis Domino. QUONIAM IN AETERNUM; id eſt, Pſalmum cxxxv. ubi id repetitur ſingulis verſibus, canentes. HYMNOS DAVID CANENTES PER MANUS SUAS. *Canere* ad ſolam vocem refertur, *pſallere* ad inſtrumenta etiam. Ergo *canentes*, id eſt pſallentes, pulſantes. Hebr. *In Halel* (id eſt *laudare*) *David in manu eorum*: quod poteſt ſignificare *in manu*, id eſt per manum eorum: ſcilicet David laudabat per manum eorum. Aut, quod magis puto, *in manu eorum* iungi debet cum *vaſis cantici*, & *Halel* eſt Pſal. cxxxv. quem tunc canebant, & pulſabant, & qui in Sept. inſcribitur profecto *Haleluia*. Itaque ſenſus erit: *Levitæ ſtabant in inſtrumentis muſicis Deo dicatis in manu ſua, quæ fecit David Rex ad canendum Domino, quoniam in æternum miſericordia eius in Halel* (id eſt Pſal. cxxxv.) *David*. Vnde colligas Hebr. titulum eius Pſalmi, ſcilicet *Haleluia*, vitioſe ſublatum eſſe.

V. 8. FECIT ERGO SALOMON SOLEMNITATEM IN TEMPORE ILLO, feſtum tabernaculorum, quod menſis Tiſri die quinto decimo celebrabatur. AB INTROITU EMATH USQUE AD TORRENTEM AEGYPTI. Ii ſunt termini Palæſtinæ ad ſeptemtrionem, & meridiem. *Torrens Aegypti* alio nomine *Rhinocorura* III. Reg. VIII. 65. Ergo omnis Iſrael venit ad ſolemnitatem.

V. 9. FECITQUE DIE OCTAVO COLLECTAM. Hebr. עצרת *bazereth* quid ſit, non eſt notum: Hieron. *collectam* dixit; alii *concionem*, alii *retentionem*. Ego *iubilum* puto: unde Hiſpanis *algazara*. Septem diebus manebant in tabernaculis, octavo coibant ad audiendum verbum Dei, ſive ad ludos celebrandos: iis iubilus erat. QUOD DEDICASSET ALTARE SEPTEM DIEBUS: nimirum die octavo menſis cœperunt dedicationem; deinde ſubſecutum eſt feſtum tabernaculorum uſque ad diem vigeſimum primum: die vigeſimo ſecundo fuit collecta ſive iubilus. Die proximo vigeſimo tertio dimiſſus eſt populus, uti proximo verſu dicitur.

V. 11. PROSPERATUS EST: ſcilicet ad exitum perduxit, ſive ſapienter ſe geſſit Salomon: nam *proſperari*, & *ſapienter agere*, ſæpe pro eodem accipiuntur in Sacris.

V. 12. DOMINUS NOCTE; id eſt, apparuit Salomoni nocte quadam: propter He emphaticum deliteſcens in puncto *Pathak*, & Græcum articulum ἐν τῇ νυκτί, idque multis poſt hæc annis. Quid Deus dixit? Exaudiam populum,

V. 14. ET EGERIT POENITENTIAM. Hebr. *Converſi fuerint*, *ego*, ſcilicet exaudiam de cælo.

V. 15. OCULI QUOQUE MEI ERUNT APERTI. Prius inſpicit orantes qui ſint, deinde preces audit, ſi digni qui fundunt. AD ORATIONEM EIUS, QUI IN LOCO ISTO ORAVERIT. Hebr. *ad orationem loci huius*: ſic Sept. id eſt in hoc loco fuſam, axaudiam ſcilicet.

V. 17. IUSTITIAS MEAS IUDICIAQUE ſi tu ſervaveris. Hebr. *Statuta mea, & iudicia mea*, id eſt legem: ſic verſ. 19. ubi iterum *iuſtitias meas* pro *ſtatutis* poſuit.

V. 18. SUSCITABO. Hebr. *Stabiliam*. SICUT POLLICITUS SUM. Heb. *Sicut percuſſi*, ſcilicet facto fœdere. QUI SIT PRINCEPS. Sic Gotth. Quidam codices, *Qui non ſit princeps*, habent; ſed vitioſe, nam negatio neque Hebr. eſt, neque Græce. Si ſecus, domum hanc dabo in parabolam,

V. 20. ET IN EXEMPLUM. Hebr. *In proverbium*, ſeu *dicterium hanc dabo domum*. Sept. *In narrationem*. Omnes de eius ruina loquentur.

V. 21. ET DOMUS ISTA ERIT IN PROVERBIUM UNIVERSIS TRANSEUN-

EUNTIBUS. Hebr. *Et domus hæc quæ fuit excelsa, omnis transiens per illam obstupescet*: erit scilicet in stuporem.

MALVENDAE.

Vers. 1. CUMQUE COMPLESSET SALOMON FUNDENS PRECES, &c. Vide de hoc versu I. Reg. VIII. vers. 54. ET MAIESTAS DOMINI IMPLEVIT DOMUM, id est nubes, caligo, splendor. Vide supra cap. V. vers. 13. & I. Reg. VIII. 10.

V. 2. NEC POTERANT SACERDOTES, &c. Vide de hoc versu supra cap. V. vers. 14. & I. Reg. VIII. 11.

V. 3. ET LAUDAVERUNT DOMINUM: QUONIAM BONUS, &c. Vide supra cap. V. vers. 13. sic infra vers. 6.

V. 4. REX AUTEM, ET OMNIS POPULUS, &c. De hoc, & sequente versu, vide I. Reg. VIII. vers. 62. & 63.

V. 6. HYMNOS DAVID CANENTES PER MANUS SUAS. Hebr. *In laudare David in manu eorum*. Quidam: *Laudante Davide in manibus eorum*; id est, canebant quæ fecerat David, dum laudaret Deum per manus cantorum. Alii: *Dum laudaret David per manum eorum*. Nonnulli: *Per hymnum Davidis traditum in manum ipsorum*, id est per Psalmum CXXXV. qui est huius argumenti. Infinitivum הלל *ha-lel* capiunt nominaliter, pro *laudatione*, *hymno*. SACERDOTES CANEBANT TUBIS, nempe illi centum viginti sacerdotes, de quibus supra cap. V. vers. 12.

V. 7. SANCTIFICAVIT QUOQUE SALOMON, &c. De hoc versu, & tribus sequentibus, vide I. Reg. VIII. vers. 64. 65. & 66. inde petendi Comm.

V. 11. COMPLEVITQUE SALOMON, &c. De hoc versu, & sequente, vide I. Reg. IX. vers. 1. & 2. & 3.

V. 13. SI CLAUSERO CAELUM, &c. Vide de hoc versu I. Reg. VIII. vers. 35. & 37. & supra cap. VI. vers. 26. & 28.

V. 15. OCULI QUOQUE MEI ERUNT APERTI, &c. Vide de hoc versu supra cap. VI. vers. 40.

V. 16. ELEGI ENIM, ET SANCTIFICAVI, &c. De hoc, & sequentibus versibus usque ad finem capitis, vide I. Reg. IX. a vers. 3. usque ad 9. inclusive: nam omnia sunt eadem: illinc desumendi Comm.

MENOCHII.

Vers. 1. MAIESTAS DOMINI IMPLEVIT DOMUM, augusta scilicet nubes, corusca, & rutilans. Vide Exodi XL. 31. ubi vocatur *gloria Domini*, ut etiam alibi. NEC POTERANT SACERDOTES INGREDI TEMPLUM, &c. reverentia impediti divinæ gloriæ sanctum locum, id est templum occupantis.

V. 5. MACTAVIT IGITUR, &c. Hæc usque ad versum 11. repetita sunt ex III. Reg. VIII. 63. & deinceps, ubi ea explicavimus.

V. 11. COMPLEVITQUE SALOMON. Quæ hic habemus usque ad finem capitis, explicata sunt III. Reg. IX.

TIRINI.

Vers. 1. MAIESTAS, Hebraice, & Græce *gloria*, DOMINI: scilicet nubes splendida, quæ Dei præsentiam, gloriam, & maiestatem repræsentabat.

V. 6. SACERDOTES STABANT IN OFFICIIS SUIS. Hebraice, & Græce, *per custodias suas*: nempe distributi per turmas suas fungebantur singuli officiis suis. Simili modo LEVITAE stabant IN ORGANIS CARMINUM DOMINI, id est cum instrumentis omne genus musicis, quibus CANEBANT PER MANUS SUAS; id est, manibus, & plectris pulsantes psallebant carmina in honorem & laudem Dei a Davide composita.

V. 8. FECIT SALOMON SOLEMNITATEM IN TEMPORE ILLO. Id est, peracta dedicatione templi per octiduum, celebravit consequenter alio octiduo festum scenopegiæ, quod eodem illo mense celebrari debebat. Hæc & reliqua huius capitis explicui III. Reg. VIII. 2. uti & de collecta, Lev. XXIII. 36.

GORDONI.

Vers. 8. FECIT ERGO SALOMOM SOLEMNITATEM, festum tabernaculorum, quod incipiebat die decimoquinto mensis, ad quod Israel conveniebat. Ergo dedicatio cœpit die octavo Septembris, seu mensis septimi; & post se-

septem dies subsecutum est festum tabernaculorum, a die decimo quinto mensis, per dies septem, usque ad diem vigesimum secundum, quo facta est collectio, seu iubilus, & populus die vigesimo tertio dimissus est, qui convenerat ab Emath usque ad torrentem AEgypti, seu Rhinocoluram, de qua alibi. Hi termini Palæstinæ sunt ad meridiem, & septemtrionem.

V. 9. FECITQUE DIE OCTAVO COLLECTAM. Festum erat quo populus omnis quasi ad iubilum convocabatur, post septem dies festi tabernaculorum.

V. 12. APPARUIT AUTEM. Facta est hæc apparitio multis annis post dedicatum templum. Vide III. Reg. ubi de hac re actum est.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Per nubem designatur maiestas Dei, & ita ut præ reverentia sacerdotes non ingrederentur templum. Corusca & rutilans nubes: vide Exod. XL. vers. 31.

CAPUT VIII.

AEdificatis a Salomone variis civitatibus, reliquias Gentium sibi facit tributarias, offert holocausta, & Sacerdotum ac Levitarum ministeria iuxta dispositionem David constituit: missaque classe plurimum auri ex Ophir refertur ad Salomonem.

1. EXpletis (*a*) autem viginti annis, postquam ædificavit Salomon domum Domini, & domum suam: 2. civitates, quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, & habitare ibi fecit filios Israel. 3. Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam. 4. Et ædificavit Palmiram in deserto, & alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. 5. Extruxitque Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, civitates muratas, habentes portas & vectes & seras: 6. Balaath etiam & omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum, & urbes equitum: omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Ierusalem & in Libano, & in universa terra potestatis suæ. 7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Hevæis, & Iebusæis, qui non erant de stirpe Israel: 8. de filiis eorum, & de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subiugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc. 9. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent operibus Regis: ipsi enim erant viri bellatores, & duces primi, & principes quadrigarum & equitum eius. 10. Omnes autem principes exercitus Regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum. 11. Filiam vero Pharaonis transtulit de civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim Rex: Non habitabit uxor mea in domo David Regis Israel, eo quod sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini. 12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum, 13. ut per singulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysi in sabbatis & in calendis, & in festis diebus, ter per annum; id est, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum,

& in

& in solemnitate tabernaculorum. 14. Et constituit iuxta dispositionem David patris sui, officia Sacerdotum in ministeriis suis: & Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum uniuscuiusque diei: & ianitores in divisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat David homo Dei. 16. Nec prætergressi sunt de mandatis Regis, tam Sacerdotes quam Levitæ, ex omnibus quæ præceperat, & in custodiis thesaurorum. 16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon, ex eo die quo fundavit domum Domini, usque in diem quo perfecit eam. 17. Tunc abiit Salomon in Asiongaber, & in Ailath ad oram maris rubri, quæ est in terra Edom. 18. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem.

(a) III. Reg. IX. 10.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verf. 1. POSTQUAM. LXX. *In quibus*.

V. 2. HIRAM SALOMONI: scilicet uterque alteri dedit.

V. 4. PALMIRAM. Hebr. & LXX. *Thadmor*. MUNITISSIMAS. Alii *thesaurorum*, seu *repositoriorum*, scilicet ubi asservabantur res ad bella necessariæ. LXX. *munitas*.

V. 6. LIBANO, scilicet loco qui dicebatur Saltus Libani, ubi regia æstiva.

V. 10. DUCENTI QUINQUAGINTA, scilicet præcipui: alioqui III. Reg. dicuntur 550. QUI ERUDIEBANT POPULUM. Hebr. *Dominantes populo*. LXX. *Præpositi operum in populo*.

V. 12. PORTICUM, scilicet templi.

V. 14. ORDINE SUO. Hebr. & LXX. *custodiis suis*. PER PORTAM ET PORTAM, id est per singulas portas.

V. 15. ET IN; pro, etiam in.

V. 18. QUADRINGENTA QUINQUAGINTA. III. Reg. dicitur 420. scilicet 30. expensa in necessariis navigationi, vel in maiori numero minor comprehenditur, ut supra diximus.

E S T I I.

Verf. 2. CIVITATES, QUAS DEDERAT HIRAM SALOMONI, AEDIFICAVIT. Vide III. Reg. cap. IX. sicut & illud versu septimo: *Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis*, &c.

V. 14. SICUT ENIM PRAECEPERAT DAVID HOMO DEI. Nota. Adiectione hac, *Homo Dei*, significatur Davidem ea præcepisse ex instinctu divino, & revelatione quadam prophetica. Unde etiam superiori Paralipom. cap. XXIV.

M A R I A N AE.

Verf. 4. ET AEDIFICAVIT PALMIRAM. Hebr. *Thadmor*: sic Sept. Sed Iosephus Lib. VIII. Antiquit. cap. II. a Syris ait *Thadamoram* vocari, a Græcis *Palmiram*, sitam supra Syriam superiorem duorum dierum itinere, unius ab Euphrate. Hinc Odenatus Palmirenus, Zenobiæ vir, in Historia Romana notus. ET ALIAS CIVITATES MUNITISSIMAS. Sic Sept. *civitates thesaurorum*. AEDIFICAVIT. Hebr. *quas ædificavit*. IN EMATH, id est in Syria, aut prope Antiochiam: in eius agro urbes ædificavit Salomon

V. 5. MURATAS. Hebr. *munitas muris, portis, & vectibus*. Nec mirum, cum ad fines regni sitæ essent, obiectæ hostibus.

V. 6. FIRMISSIMAS. Hebr. *Urbes thesaurorum ædificavit*. QUAE FUERUNT; aut *qui fuerunt*, scilicet thesauri. Porro per *thesauros* possumus horrea regia intelli-

lige-

ligere, & bellicos apparatus. ET IN LIBANO; id est, loco qui vocatur *Saltus Libani*, ubi regia æstiva erant, & palatium, ibi ædificavit. Subiugavit alios

V. 8. IN TRIBUTARIOS. Ab externis exigit tributa, suos immunes relinquit.

V. 9. ET DUCES PRIMI erant filii Israel. Hebr. *Et principes*, scilicet belli, *fortes eius*; pro, *& fortes eius*. Coniunctio suppleri debet ex III. Reg. IX. 22. ET EQUITUM EIUS. Sic Sept. & Hebr. & eo modo verti possunt, & in nominativo, *equites eius*. Ideo a tributis liberi.

V. 10. OMNES AUTEM PRINCIPES EXERCITUS. Hebr. *Et hi principes præfectorum qui Regi Salomoni ducenti quinquaginta*. Hi erant præcipui: nam III. Reg. quingenti quinquaginta ponuntur. QUI ERUDIEBANT. Hebr. *Dominantes in populo*. Non ad unum aulicum, aut paucos, rerum arbitrium deferebatur, sed inter multos curam rerum distribuebat.

V. 11. DIXIT ENIM REX. Dictio *Rex* redundat, neque Hebr. est, neque Græce, ac ne in Gotth. quidem. Quid dixit? NON HABITABIT UXOR MEA, filia Pharaonis, IN DOMO DAVID .... QUIA INGRESSA EST IN EAM ARCA DOMINI. Hebr. *Quia sanctitas sunt ipsa, ad quæ ingressa est arca Dei*. Unde colligas & domum David sanctificatam arcæ Dei ingressu.

V. 12. ANTE PORTICUM extruxit altare. An hoc altare distinctum erat ab altari sacrificiorum, & in quo Salomon obtulit in die dedicationis? quoniam altare Moysis tam multis hostiis non sufficiebat.

V. 13. UT PER SINGULOS DIES OFFERRETUR IN EO. Heb. *Et in verbo diei in die*: sed bene Hieronymus vertit. Sic vers. proximo.

V. 14. IUXTA DISPOSITIONEM DAVID. Hebr. *Iuxta iudicium David*, scilicet ut ipse decreverat: sic Salomon constituit OFFICIA SACERDOTUM. Heb. *divisiones sacerdotum*, scilicet ut per vices ministrarent. ET LEVITAS IN ORDINE SUO. Hebr. *super custodias suas*, id est functiones.

V. 15. NEC PRAETERGRESSI SUNT DE MANDATIS REGIS. Hebr. *Nec recesserunt præcepto*, pro a præcepto, *Regis*, scilicet David.

V. 16. OMNES IMPENSAS PRAEPARATAS HABUIT. Hebr. *Et paravit omne opus* (impensas) *Salomon usque die* (id est a die) *fundatæ domus Domini, & usque consummare eum* (id est consummavit) *perfecit ipse* (pro, & perfecit) *domum Dei*.

V. 17. ABIIT SALOMON IN ASIONGABER, scilicet ut mitteret classem in Ophir. AD ORAM MARIS RUBRI. Utrumque & *Asiongaber* (qui portus erat) & *Ailath* erant ad in mare. *Rubri* Hebr. non est, sed bene additur. Nunc *Asiongaber*, *Suez* vocari creditur, in dorso maris rubri portus. Iosephus Lib. VIII. Antiq. cap. 11. *Hæc nunc*, ait, *Berenice vocatur*.

V. 18. QUADRINGENTA QUINQUAGINTA TALENTA AURI, scilicet adduxerunt. III. Reg. IX. 28. *quadringenti viginti*. Sed כ nota *viginti*, & נ nota *quinquaginta* simillimæ sunt, & in maiori numero minor comprehenditur; aut minor summa intelligitur, deductis navigationis impensis.

MALVENDAE.

Vers. 1. EXPLETIS AUTEM VIGINTI ANNIS, &c. Totum hoc caput conferendum cum I. Reg. IX. a versu 10. usque ad finem capitis: continet enim idem argumentum, paucis additis, vel immutatis: inde accersendi Comm.

V. 2. CIVITATES, QUAS DEDERAT HIRAM SALOMONI. E contrario scribitur I. Reg. IX. 11. *Dedit Rex Selomoh Chiramo viginti urbes*. Conciliant I. Salomonem dedisse viginti urbes ipsi Chiramo, ut I. Reg. dicitur: & vicissim ipsum Chiramum dedisse ipsi Salomoni alias viginti urbes in ditione sua, quo pax inter eos firmior, & stabilior esset. II. Salomonem dedisse Hiramo viginti urbes, sed cum eæ displicuissent Chiramo, ut dicitur I. Reg. IX. 13. Hiramum eas ipsi Salomoni reddidisse, ut hic affirmatur: unde reddunt: *Ut civitates illas, quas reddiderat Churam Selomoni, ædificaret Scelomoh*, &c. Vide I. Reg. IX. 13. Verbum *dandi*, pro *reddendi*, usurpari Hebræis, docuimus in I. Reg. X. 13. AEDIFICAVIT! Quidam coniectantur, eas urbes extruxisse, & exornasse Sa-

Salomonem, ut illas rursus meliores factas restitueret Tyrio. Sed ego potius existimo fecisse id Salomonem, ut contemptum Chirami amice eluderet.

V. 3. IN EMATH SUBA. Hebr. *Chemath Tzobah*. De Chemath vide Numer. XIII. 22. & Genes. X. 18. De Tzobah vide I. Samuel. XIV. 47. ET OBTINUIT EAM. Varie hunc locum ex Hebr. convertunt. I. *Et roboravit super eam*; id est, robur adiecit ei ædificando in ea regione urbes, de quibus versu sequente. II. *Et prævaluit ei*; id est, expugnavit eam. III. *Et fortior fuit ea*. IV. *Et instauravit eam*. Proprie: *Et valide apprehendit super eam*.

V. 6. OMNIA QUAECUMQUE VOLUIT SALOMON ATQUE DISPOSUIT, AEDIFICAVIT IN IERUSALEM, &c. Hebr. varie reddunt. I. *Et omne beneplacitum Selomoh, quod complacuit ædificare in Ierusalaim*, &c. II. *Et omne desiderium Selomoh, quod desideravit ædificare in*, &c. III. *Et omnem voluntatem Salomonis, qua promptus fuit ædificare in Ierusalaim*, &c. IV. *Quidquid denique pro voto suo Salomon ædificare voluit in Ierusalem*, &c. V. *Denique pro toto desiderio Salomonis id quod desideraverat ædificare Ierusalaimis*, &c. Ex verbo: *Et omnem complexionem Selomonis, quam complexus est ædificare*, &c. id est, quidquid animo complexus est ædificare. Vide I. Reg. IX. 1.

V. 11. IN DOMUM, QUAM AEDIFICAVERAT EI: de qua I. Reg. VII. 8. DIXIT ENIM ..... NON HABITABIT UXOR MEA IN DOMO DAVID, &c. Hebr. *Quia dixit*: *Non habitabit uxor mihi in domo Davidis*. Quidam: *Dixerat enim*: *Non posset habitare uxor mecum in domo Davidis*; id est, angustior est domus David, quam ut comitatum utrumque capiat: ut observatum est in I. Reg. III. 1. EO QUOD SANCTIFICATA SIT: QUIA INGRESSA EST IN EAM ARCA DOMINI. Hebr. *Quia sanctitas ipsi*, *quod venit ad eos arca Iehovæh*. Aliqui: *Nam sancta sunt ista*, *in quæ ingressa est arca Iehovæ*, id est loca domui Davidis adiacentia: quapropter aut Deo ædificari, aut pura servari debent.

V. 12. QUOD EXTRUXERAT ANTE PORTICUM. Hebr. *Ad facies vestibuli*, seu *porticus*. Erat quidem altare æreum holocaustorum sub dio ante portam ipsius *hechal*, seu templi, directo respiciens, seu obversum porticui anteriori, seu orientali templi, ita tamen quod inter ipsum & porticum interiectum esset atrium sacerdotum, & atrium populi. Frustra sunt qui porticum hanc iungunt ipsi היכל *hechal*. Iosephus Lib. VIII. Antiquitatum cap. 11. *Ceterum altare æreum pro foribus templi est positum*, *ut apertis illis*, *in conspectu esset sacrificiorum magnificentia*. Explodendi qui hic extraordinarium altare præter ordinarium, aut illud de quo supra cap. VII. vers. 7. intelligunt. Vide infra cap. XV. vers. 8.

V. 13. UT PER SINGULOS DIES OFFERRETUR IN EO. Hebr. *Et in verbo diei in die ad offerre*. Diverse alii. I. *Et in re quotidiana ad offerendum*; id est, offerenda donavit holocausta per singulos dies. II. *Et in re diei in die suo*, *ut offerrent*, subaudi sacrificia; id est, iuxta ritum cuiusque diei offerrent holocausta. III. *Singulis diebus sacrificans*. IV. *Idque rem diei quotidie offerendo*. Proprie: *In verbo*, *re*, *demenso*, *ordinario*, *constituto*, *diei in die*; id est, ut ipse Selomoh, seu populus per sacerdotes quotidie rem constitutam, seu ordinariam offerendam suo quoque die, offerrent. Hispanicus, *Cada cosa ensu dia*. Vide de hac locutione II. Reg. XXV. 30. Sic infra vers. 14.

V. 14. IUXTA DISPOSITIONEM DAVID. Hebr. *secundum iudicium*, *ordinem*, *ordinationem*, *rationem*, *modum*, *normam*, *Davidis*. IUXTA RITUM UNIUSCUIUSQUE DIEI. Hebr. *Ad verbum diei in die suo*: vel *iuxta demensum*, *ordinarium*, *constitutum*, *diei in die suo*. Quidam, *Ad rem quotidianam*. Alii, *In re diei in die suo*; id est, in his quæ singulis diebus fieri debebant. Nonnulli, *Per singulos dies*. Aliqui, *Ut quæque dies expostulabat*. Alii, *Quodque officium diurnum die suo*. Vide superiore versu. HOMO DEI. Hebr. *Viri Elohim*: Explicant, Id est Phrophetæ: & quidem adhibito sacrorum Prophetarum consilio; ordines Ecclesiæ disponentis, ut II. Paralipom. XXIX. 25. diserte ostenditur.

V. 15. NEC PRAETERGRESSI SUNT, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebr. transfudimus (*Et non discesserunt de præcepto Regis super sacerdotes*, *&* *Levitas*, *omni verbo*, *&* *thesauris*.) Diversimode alii. I. *Et non declinaverunt a mandatis Regis sa-*

sacerdotes, & Levitæ in omni re, & in thesauris. II. *Nec declinaverunt a præcepto Regis, quod erat de sacerdotibus, & Levitis, ad omnem rem, & ad thesauros.* III. *Neque recesserunt a præcepto Regis imposito sacerdotibus, & Levitis, in omni officio, & thesauris administrandis.*

V. 18. NAVES: vel quas ipse iam habebat in sinu Arabico; vel materiam navium a Tyro per mediterraneum, & inde terrestri itinere, ut in Arabico fabricaret naves.

MENOCHII.

Vers. 1. CIVITATES QUAS DEDERAT HIRAM SALOMONI. Certavit enim benevolentiæ signis Hiram cum Salomone, a quo cum viginti oppida accepisset, ut habemus III. Reg. IX. 11. ipse Salomoni alia, & fortasse totidem donavit.

V. 3. ABIIT IN EMATH SUBA, ET OBTINUIT EAM. Huius bellicæ expeditionis a Salomone susceptæ non alibi fit mentio in sacris Litteris. Urbs Emath, sive Amatha, quæ est ad radices Libani montis, tribui Nephthali obtigerat in terræ partitione; eam tamen Chananæi eius incolæ multis sæculis retinuerunt, ut constat ex Iudic. III. 3. donec David bello devictos Syros sibi tributum pendere coegit, I. Paralip. XVIII. ut etiam Regem Emath. Mortuo Davide iugum excutere tentavit, ut ait Iosephus Lib. VIII. Antiq. cap. VI. quod Salomoni occasionem dedit ut contra illum expediret arma.

V. 4. ET AEDIFICAVIT PALMIRAM, &c. Quæ hic dicuntur usque ad finem capitis explicata sunt III. Reg. IX. num. 17. & deinceps.

V. 14. PER PORTAM ET PORTAM, id est per singulas portas. Vide quæ de Ianitoribus templi, & eorum divisionibus, sive clasibus dicuntur I. Paralip. toto fere cap. XXVI.

TIRINI.

Vers. 1. EXPLETIS VIGINTI ANNIS, POSTQUAM AEDIFICAVIT. Septuaginta, *in quibus ædificaverat.*

V. 2. CIVITATES QUAS DEDERAT, id est reddiderat, HIRAM SALOMONI: ut dixi III. Reg. IX. 13. ubi & reliqua vide huius capitis.

V. 4. PALMIRAM. Sic a Græcis vocatur civitas sita supra Syriam superiorem itinere duorum dierum, unius ab Euphrate. Unde oriundus Odenatus Palmirenus, Zenobiæ maritus, in Historia Romana notus. Hæc, teste Iosepho *a*, a Syris vocabatur *Thadamora*, & in Hebræo, & apud Septuaginta est *Thadmor*.

V. 17. ABIIT SALOMON, vel per se, vel per suos, IN ASIONGABER. *Asiongaber* portus est in dorso maris rubri: tempore Iosephi vocabatur *Berenice*, a Regina sic dicta; hodie *Suez* nominatur a Turcis, & Persis.

V. 18. MISIT EI HIRAM NAVES, istic in ora maris rubri fabricatas, vel coemptas. Neque enim e portubus Tyri transtulit classem in Asiongaber: hæc enim ex mari mediterraneo in mare rubrum, seu Erythræum per tanta locorum spatia transferri debuisset, sed e Tyro misit solos nautas suos, qui in classe Salomonis, eius sumptibus in Idumæa, ad littus maris rubri, seu constructa, seu coempta, una cum servis Salomonis in Ophir navigarent. GNAROS MARIS, immo primos, ut creditur, inventores rei nauticæ. Nam, teste Tibullo,

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus:

Et Pomponius Mela dicit, Phœnices (qui iidem sunt cum Tyriis, & Sidoniis) primos artem navigandi commentos esse. Sed de hoc fusius Sapientiæ XIV. 6. IN OPHIR. Quidam per *Ophir* putant designatam Zophalam; quidam Angolam in AEthiopia; quidam Hispaniam; plures Peruanum regnum in India occidentali, haud ita pridem ab Hispanis detectum. Ita Vatablus, & Arias Montanus. Et his favere videntur Hebræa, & Septuaginta, Libro II. Paralipom. cap. III. vers. 7. ubi pro eo quod Vulgatus legit, *Aurum erat probatissimum*, ipsi habent, *Aurum erat Paruaim*. Sed ibi non est sermo de hoc auro *Ophir*, sed de auro quod David e vicinis Gentibus bello subactis, maxima copia collegerat, & filio suo Salomoni in thesauris reliquerat.

Dico ego per *Ophir* verosimillime designari auream Chersonesum, quæ complecti-

ctitur regnum Peguanum, Malam, & Somatram, in India orientali. Ita Iosephus, Sanctus Hieronymus, Gaspar Varrelius *b*, Sanctius, & alii plerique. Favet huic sententiæ primo quod circa ea loca putetur habitasse Hevila, frater Ophir, Genes. cap. x. vers. 29. ibi enim est fluvius Phison, seu *Ganges*, *qui circuit terram Hevilath*, Genes. cap. II. vers. II. Deinde classis Salomonis solvebat ex Asiognaber portu maris rubri viciniore Indiæ orientali, & Peguano regno, cum Peru toto cælo inde distet, ut patet intuenti mappam mundi. Tertio quia neque Salomonis tempore, neque multis post sæculis explorata fuit a quoquam nostri orbis regio Peruana, propter zonam torridam interiectam, quæ suo ordine aditum ad ulteriora præcludere nutabatur. Quarto quia non in Peru, sed in Pegu reperiuntur ea omnia quæ hic ad Salomonem ex Ophir una cum auro *Obriso* seu *Ophiriso* advecta dicuntur cap. XI. vers. 21. puta ebur, simiæ, pavi, gemmæ, aromata, ligna odorata. Denique Maffæus tradit, Pegusios stirpem suam referre ad exules Iudæos, qui ad aurifodinas Ophir a Salomone damnati fuerunt.

(*a*) Ioseph Lib. VIII. Antiq. cap. II.
(*b*) Ioseph. sup. Hieron. epi. cxl. Varrel. Lib. de Ophir.
Maff. Lib. XVI. Hist. Ind.

GORDONI.

Vers. I. & 2. Civitates datæ utrimque, seu uterque alteri dedit, ut ex hoc loco colligitur. Vide de his, & de Emath III. Reg. IX. in Syria est prope Antiochiam. Palmira Odinati, & Zenobiæ Reginæ urbs regia, supra Syriam superiorem, nec procul ab Euphrate.

V. 10. PRINCIPES EXERCITUS... DUCENTI QUINQUAGINTA. Recensentur precipui: alioqui III. Reg. sunt quingenti quinquaginta.

V. 17. ASIONGABER. Inde classis solvebat in Ophir. Erat portus ad littus maris rubri. Ioseph. VIII. Antiq. cap. II.

V. 18. QUADRINGENTA QUINQUAGINTA TALENTA. At Lib. III. Reg. cap. IX. 28. habemus *quadringenta viginti*. Sane in maiori numero continetur minor: vel minor numerus accipitur, deductis expensis navigationis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. I. Insignis est benevolentia Regis Hiram erga Salomonem, qui acceptis a Salomone civitatibus, dat Salomoni alias.

V. 3. EMATH civitas munita ad radices Libani. Vide Iosephum VIII. Antiq. cap. VI. Hanc urbem in tribu Nephtalim, retentam tamen vi a Chananæis, coegit David ad tributum, I. Paralip. XVIII. sed rebellantem urbis illius Regem domuit Salomon. Unica forte fuit hæc Salomonis expeditio bellica.

CAPUT IX.

Regina Saba Salomonis admirata ſapientiam, datis acceptiſque muneribus diſceſſit: pondus auri quod Salomoni quotannis adſerebatur: haſtas, ſcuta, omniaque convivii vaſa aurea, & ſolium eburneum auro veſtitum extruxit: deſcribitur quoque amplitudo divitiarum, ſapientiæ, & poteſtatis Salomonis, qui anno regni ſui quadrageſimo moritur, ſuccedente filio Roboam.

1. Regina (*a*) quoque Saba, cum audiſſet famam Salomonis, venit
ut tentaret eum in ænigmatibus in Ieruſalem, cum magnis
opibus, & camelis qui portabant aromata, & auri pluri-
mum, gemmaſque pretioſas. Cumque veniſſet ad Salomo-
nem, locuta eſt ei quæcumque erant in corde ſuo. 2. Et
expoſuit ei Salomon omnia quæ propoſuerat: nec quidquam
fuit, quod non perſpicuum ei fecerit. 3. Quæ poſtquam vi-
dit, ſapientiam ſcilicet Salomonis, & domum quam ædificaverat, 4. nec non &
cibaria menſæ eius, & habitacula ſervorum, & officia miniſtrorum eius, & ve-
ſtimenta eorum, pincernas quoque & veſtes eorum, & victimas quas immola-
bat in domo Domini: non erat præ ſtupore ultra in ea ſpiritus. 5. Dixitque
ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audieram in terra mea de virtutibus, & ſa-
pientia tua. 6. Non credebam narrantibus, donec ipſa veniſſem, & vidiſſent o-
culi mei, & probaſſem vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam: vi-
ciſti famam virtutibus tuis. 7. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui aſſiſtunt
coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam. 8. Sit Dominus Deus
tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, Regem Domini
Dei tui. Quia diligit Deus Iſrael, & vult ſervare eum in æternum, idcirco po-
ſuit te ſuper eum Regem, ut facias iudicia atque iuſtitiam. 9. Dedit autem Re-
gi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſſi-
mas: non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.
10. Sed & ſervi Hiram cum ſervis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, &
ligna thyina, & gemmas pretioſiſſimas: 11. de quibus fecit Rex, de lignis ſcili-
cet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia, citharas quoque &
pſalteria cantoribus: numquam viſa ſunt in terra Iuda ligna talia. 12. Rex au-
tem Salomon dedit Reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ poſtulavit, & mul-
to plura quam attulerat ad eum: quæ reverſa, abiit in terram ſuam cum ſer-
vis ſuis. 13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos
annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri: 14. excepta ea ſumma, quam lega-
ti diverſarum gentium, & negotiatores afferre conſueverant, omneſque Reges
Arabiæ, & ſatrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni.
15. Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum au-
reorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur: 16. trecenta quoque ſcuta au-
rea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta: poſuitque ea Rex
in armamentario, quod erat conſitum nemore. 17. Fecit quoque Rex ſolium e-
burneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo. 18. Sex quoque gradus,

quis

quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum; & brachiola duo altrinsecus, & duos leones stantes iuxta brachiola, 19. sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis. 20. Omnia quoque vasa convivii Regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. 21. Siquidem naves Regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pavos. 22. Magnificatus est igitur Salomon super omnes Reges terræ præ divitiis & gloria. 23. Omnesque Reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius: 24. & deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos, & mulos, per singulos annos. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, & ubi erat Rex in Ierusalem. 26. Exercuit etiam potestatem super cunctos Reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, & usque ad terminos AEgypti. 27. Tantamque copiam præbuit argenti in Ierusalem quasi lapidum; & cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus. 28. Adducebantur autem ei equi de AEgypto, cunctisque regionibus. 29. * Reliqua autem operum Salomonis priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in Libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Ieroboam filium Nabat. 30. Regnavit autem Salomon in Ierusalem super omnem Israel quadraginta annis. 31. Dormivitque cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Roboam filius eius pro eo.

(*) III. Reg. x. 1. Matth. xii. 42. Luc. i. 31.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 29. *Reliqua autem operum Salomonis priorum, & novissimorum*. Non potest scribi *opera* nominativo casu, absque offensa grammatices.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. TENTARET, id est exploraret, responderetne sapientia famæ. MAGNIS OPIBUS. Hebr. & LXX. *maxima potentia*, seu *exercitu*.

V. 3. DOMUM, scilicet Dei, & regiam.

V. 4. VICTIMAS, &c. Alii, *Ascensum, per quem ascendebat*, &c. Vide III. Reg. x.

V. 5. VIRTUTIBUS. Hebr. & LXX. *verbis*, id est rebus.

V. 6. VIRTUTIBUS TUIS. Id additum ab Interprete.

V. 10. THYINA. Alii *corallia*, vel *ligna Brasilica*, vel *ebenum*.

V. 11. GRADUS. Sic LXX. alii *tigna*.

V. 12. ET MULTO PLURA QUAM. LXX. *Præter ea quæ ipsa*; quasi dicat: Exceptis iis quæ ipse Reginæ donaverat, propter ea quæ illa attulerat. Omnia enim hæc supplenda ex Lib. Reg. III.

V. 14. LEGATI. Alii, *mercatores*.

V. 15. HASTAS. LXX. *scuta*: vide III. Reg. x. ubi *scuta* vertit: scilicet fecit diversa clypeorum genera.

V. 16. TRECENTORUM AUREORUM. III. Reg. Hebr. dicitur *trium librarum*,

rum, seu *minarum*: scilicet libra erat centum aureorum. IN ARMAMENTARIO, &c. Hebr. & LXX. *In domo saltus Libani*.

V. 18. BRACHIOLA, scilicet manuum sustentacula.

V. 21. THARSIS, id est eam partem Africæ quæ ad Oceanum meridionalem, & nunc *Angola* dicitur. Vide III. Reg. IX.

V. 22. GLORIA. Hebr. & LXX. *sapientia*.

V. 25. QUADRAGINTA, &c. Heb. *Quatuor millia stabula equorum, & curruum*. LXX. *quatuor millia equarum ad currus*.

V. 29. VERBIS, id est Libris. LIBRIS. Hebr. *Prophetia*. Septuag. *Verbis*.

ESTII.

Vers. 1. REGINA QUOQUE SABA, CUM AUDISSET FAMAM SALOMONIS, VENIT UT TENTARET EUM IN AENIGMATIBUS, scilicet in obscuris quæstionibus. Quæ fuerint hæ quæstiones, in particulari a nobis sciri non potest, quia id Scriptura non exprimit; in genere tamen, quales, & cuiusmodi fuerint, utcumque scire possumus. Satis enim indicat nobis Scriptura non fuisse quæstiones curiosas, neque de rebus mere humanis, sed pertinuisse ad pietatem, cultum, & cognitionem Dei; cuiusmodi sunt de creatione mundi, de eiusdem perpetua conservatione, & administratione, item de præmiis bonorum, & suppliciis malorum, & similes. Indicat nobis id Scriptura duobus locis. Primum III. Reg. capite x. ubi dicitur, quod *in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus*. Igitur quæstiones pertinebant ad nomen, & cultum Dei. Alter locus est in Evangelio Matthæi capite x. ubi Dominus dicit Reginam Saba venisse a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & propterea surrecturam in iudicio contra generationem illam. Non diceretur autem hoc, nec laudaretur Regina illa a Christo, si non utiles, & ad pietatem pertinentes quæstiones proposuisset. Ceterum quæ fuerit hæc Regina Saba, vide III. Reg. cap. x.

V. 20. ARGENTUM IN DIEBUS ILLIS PRO NIHILO REPUTABATUR. Hyperbolica est locutio, qua significatur summam fuisse argenti copiam in diebus Salomonis, adeo ut vix æstimaretur. Unde postea addit Scriptura (vers. 27.) TANTAMQUE COPIAM PRAEBUIT ARGENTI IN IERUSALEM QUASI LAPIDUM. Quæ sententia similiter hyperbolica est. Et in huiusmodi sententiis, quo ad veritatem, non ipsa verba consideranda sunt, sed sententia expendenda, & videndum, ad quid significandum talia verba ponantur, nempe hoc loco, ad insinuandam summam omnium rerum abundantiam, & quæ velut fidem superet. Sic & alia huius capitis sententia accipienda est, ubi dicitur de regina Saba: NON ERAT PRAE STUPORE ULTRA IN EA SPIRITUS. Nam si verba urgeamus, significatur, eam præ admiratione mortuam fuisse (quod falsum est) sed hoc tantum significatur illis verbis, eam supra modum fuisse admiratam.

MARIANAE.

Vers. 1. REGINA QUOQUE SABA venit. De duplici Saba dictum est I. Paral. I. 9. & III. Reg. x. I. tum Gen. x. 7. CUM MAGNIS OPIBUS. Hebr. *cum exercitu gravi*, scilicet comitatu. Sept. ἐν δυνάμει βαρείᾳ, *cum potentia magna*.

V. 2. NEC QUIDQUAM FUIT, QUOD NON PERSPICUUM EI FECERIT. Hebr. *Et non latuit quidquam Salomoni, quod non indicaret ei, ex iis quæ illa proposuit*.

V. 4. ET OFFICIA MINISTRORUM mirata est Regina. Sept. *Et stationem ministrorum*. Id proprie significat vox Hebr. *mahamad*: sed & sumi potest pro *assistentia*, & pro *functione*: sic Pagn. & hoc sequitur Hieronymus. ET VICTIMAS, QUAS IMMOLABAT. Sept. *Et holocausta quæ offerebat*. Hebr. *Et ascensum eius, quo ascendebat in domum Domini*. Quod Hebræi explicant de viis occultis, quibus e domo sua ibat in templum. III. Reg. x. 5. NON ERAT PRAE STUPORE ULTRA IN EA SPIRITUS. *Præ stupore* additum ab Interprete, bene.

V. 5. DE VIRTUTIBUS. Hebr. *Verum est quod audieram de verbis tuis*, id est rebus. Sept. *de te, & sermonibus*. Vix audivi medietatem.

V. 6. SAPIENTIAE TUAE. Sept. *multitu-*

titudinis sapientiæ tuæ: sic Hebr. VIRTUTIBUS TUIS. Additum ab Interprete.

V. 10. LIGNA THYINA attulerunt de Ophir. Quid hoc? Hebr. *algumim*. Hebræi *collaria* intelligunt. Sept. *ligna pinea*: sic Iosephus Antiquit. Lib. VIII. cap. 11. alii *Bresilium*; alii *ebenum*: omnes quasi in tenebris hallucinantes. De his lignis fecit Rex

V. 11. PSALTERIA. Pro *nablis* Hieronymus fere *psalteria* ponit. Sept. *nablas* reliquere: nostris *gayta*. NUMQUAM VISA SUNT. Heb. *Et non visa sunt ante*, *sicut ipsa*, scilicet ligna.

V. 12. ET MULTO PLURA QUAM ATTULERAT. Hebr. *Dedit Reginæ quæcumque petiit*, *præter ea quæ attulit ad Regem*; id est, præter ea quæ dedit pro illis invicem quæ attulerat. Afferebant multa Salomoni

V. 14. LEGATI DIVERSARUM GENTIUM. Hebr. *mercatores*, & proprie significat *minutos mercatores*. Hebr. vox *tharim*, quos Latine *dardanarios* dicimus. Vides usitatum ex mercibus pendere tributa. ET NEGOTIATORES. Vox Hebr. omne genus mercatorum significat, ac præsertim qui maiora mercimonia exercent. OMNESQUE REGES, nimirum annua tributa pendebant.

V. 15. DUCENTAS HASTAS AUREAS fecit. III. Reg. x. 16. *ducenta scuta*: & vox Hebr. *zinab*, quam utroque loco legimus, & *scutum*, & *hastam* significat. Sept. *ducenta scuta*: ac fere alii Interpretes id sequuntur. AUREAS. Hebr. *auri ductilis*, seu *extenuati*, in bracteas scilicet. DE SUMMA SEXCENTORUM AUREORUM. Hebr. *Sexcentos auri ductilis*, id est aureis, ascendere faciebat super unum scutum.

V. 16. SCUTA AUREA TRECENTORUM AUREORUM. III. Reg. x. 17. *tres minæ auri*. Hebr. & Græc. nempe *mina* continet drachmas centum: tres ergo minæ sunt trecentæ drachmæ. Hæc scuta alterius formæ a prioribus erant. POSUITQUE EA REX IN ARMAMENTARIO, QUOD ERAT CONSITUM NEMORE. Quid hoc? Suspicor legendum, *Quod erat in consito nemore*; aut *quod erat situm in nemore*. Sept. *Dedit ea Rex in domo saltus Libani*: sic Hebr. aut *consitum*, id est circumdatum nemore. Fecit etiam Rex solium,

V. 18. ET BRACHIOLA DUO ALTRINSECUS. Heb. *tenentia* (scilicet gradus & scabellum coniuncta throno erant) *& manus hinc inde*. Hieronymus *brachiola* vocat, nos *loricam*, seu *repagulum*, ne cadat qui ascendit, & quod manu tenet.

V. 20. OMNIA QUOQUE VASA CONVIVII. Hebr. *vasa potus*, id est pocula.

V. 21. NAVES REGIS IBANT IN THARSIS. Non explicat quo ex portu solverent. Et sane *Tharsis* a Mauris *Tunetum* vocatur. Fortasse utrumque mare suis navigationibus Salomon complectebatur. In Ophir ibatur ex Asiongaber; in Tharsis ex Ioppe. Sed repugnat II. Paral. xx. *36*. unde intelligitur instrui solitas classes ituras Tharsis in Asiongaber. Quidam in dorso Africæ fuisse putant ad promontorium Bonæ spei, ubi nunc Zofala auro dives. Quod vero tres annos consumerent in navigatione Tharsis, quousque redibatur, imperitiæ tribuatur, nondum invento magnetis usu.

V. 22. MAGNIFICATUS EST... SALOMON... PRAE DIVITIIS ET GLORIA. Hebr. *Magnificatus est divitiis*, *& sapientia*: sic Sept. sine *præ*: sensus idem. Reges

V. 24. DEFEREBANT EI MUNERA. Superius hoc nomine *tributa* vocavit. PER SINGULOS ANNOS. Hebr. *verbum anni*, *in anno*, id est annuatim.

V. 25. QUADRAGINTA MILLIA EQUORUM IN STABULIS habuit. Hebr. *Quatuor millia stabula equorum*: in singulis stabulis decem equi: sic erant quadraginta millia equorum currilium, qui ponuntur III. Reg. IV. 26.

V. 26. A FLUMINE EUPHRATE; Reges habuit subiectos. Vides promissionem Abrahæ factam, *Semini tuo dabo terram hanc*, historice in Salomone impletam, quod III. Reg. est etiam dictum. ET USQUE AD TERMINOS ÆGYPTI. *Et* sumi potest pro *id est*. Sane Gotth. sic legit: *Id est usque ad terminos*.

V. 27. IN CAMPESTRIBUS. Hebr. *In planitie*, *in multitudine*: frequens ea arbor *Sycomorus* est in Palæstina. Ergo tanta erat copia cedrorum quanta sycomororum.

V. 26. IN VERBIS, id est in Libris Nathan. IN LIBRIS AHIAE, Hebr. *Prophetia*, scriptæ sunt res Salomonis.

V. 31. IN CIVITATE DAVID. Heb. additur *patris sui*: *Sepelierunt eum in civitate David patris sui*: sic Sept.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. REGINA QUOQUE SABA, &c. Ab hoc verſu uſque ad 28. incluſive, conferenda omnia cum I. Reg. x. a verſu I. uſque ad 28. incluſive: nam omnia ſunt eadem: atque inde deſumendi Comm. UT TENTARET EUM IN AENIGMATIBUS. Hunc locum illuſtrabunt quæ Menander, qui e Phœnicum lingua annales Tyriorum in Græcum ſermonem eſt interpretatus, his verbis ſcribit, apud Ioſephum VIII. Antiquit. cap. v. *Huius Iromi* (ſeu Hirami Regis Tyriorum) *temporibus erat Abdemonus adoleſcens, qui problemata a Salomone Ieroſolymorum Rege iniuncta diſſolvebat*. Et Ioſephus ex Dione antiquo hiſtorico hæc refert: *Addit quoque Dio, Solomonem Ieroſolymorum Regem ad hunc Iromum ænigmata miſiſſe, ſolutionem eorum poſtulantem: quod cum ille non valuiſſet, magna pecunia multatum eſſe. Deinde per Abdemonem quemdam virum Tyrium propoſita explicuiſſe, & ipſum alia propoſuiſſe: in quibus ſolvendis cum Salomon hæreret, maiorem etiam pecuniam eum illi remiſiſſe. Et Dius quidem ita ſcribit*. Maximus Planudes in Vita AEſopi: *Illis enim temporibus Reges invicem pacem habentes, delectationis gratia, quæſtiones viciſſim ſophiſtarum ſcribendo mittebant: quas qui ſolverent, tributa pacta a mittentibus accipiebant; qui vero non, æqualia præbebant*. Ubi multa ſubdit de problematibus, & ænigmatibus inter Lycerum Babyloniæ, & Nectenabum AEgypti Reges, ultro citroque miſſis, & ab AEſopo ſolutis. ET CAMELIS, QUI PORTABANT AROMATA. Quidam reddunt, *Et camelis oneratis aromatibus:* quod plus eſt quam portare aromata. Sed verbum נשא *naſa* proprie eſt *levare*, *ferre*, *portare*.

V. 2. NEC QUIDQUAM FUIT, QUOD NON PERSPICUUM EI FECERIT. Hebr. *Et non abſconditum fuit verbum de Salomone, quod non indicaret ei*. Quidam: *Neque fuit abſconditum quidquam Selomoni, quin indicaret*, ſeu *explicaret ei*; puta, eorum ænigmatum, & dictorum, de quibus Selomonem Regem conſulebat.

V. 4. ET VICTIMAS QUAS IMMOLABAT IN DOMO DOMINI. עליתו *ghaliiatho* proprie *aſcenſionem eius*, ſeu *aſcenſum eius:* pro qua voce I. Reg. x. 5. ſcribitur עולתו *gholatho aſcenſionem eius*. Noſter, & plerique alii pro holocauſto accipiunt, redduntque: *Et holocauſtum eius, quod aſcendere faciebat*, ſeu *offerebat in domo Iehovæ*. Nonnulli Hebræorum, & noſtrorum, utramque vocem pro eodem accipiunt, & utroque loco, nempe I. Reg. x. 5. & hic, vertunt: *Et aſcenſionem*, *aſcenſum*, ſeu *gradum eius, quem*, vel *quo, aſcendet in domum Iehovah*. Nam Rex, inquiunt, ingenioſe, & artificioſe extruxerat gradus, per quos aſcendebat in domum Sanctuarii. Vide I. Reg. x. verſ. 5. & 12. Quidam hic transferunt: *Et ſuperius eius, quo aſcendebat*, &c. id eſt viam ſuperiorem, per quam a domo ſua aſcendebat in domum Domini. Vocem עליה *ghaliiah*, quæ hic ponitur, accurate enucleavimus in Iudic. III. 20. hic ex verbo reddemus: *Et altanam eius*, ſeu *aſcenſum eius*, vel *gradum eius*, ſeu *ſuperius eius, quod aſcendere faciet*, ſeu quod ſtatuit, erexit, vel *quod ipſe aſcendet domo Iehovæh*: ut intelligat *concham* illam, ſeu *ſuggeſtum æreum*, de quo ſupra cap. VI. verſ. 13.

V. 8. DOMINI DEI TUI, id eſt a Domino Deo tuo conſtitutum. Hebr. in dativo, *Ipſi* IHUH *Deo tuo*. Exponunt, Id eſt in honorem Iehovæ Dei tui. Alii: *Pro Iehova Deo tuo*: ut ſis loco Iehovæ Rex, nempe vicarius eius: volunt eſſe antecedens pro relativo, *Pro ſe, qui eſt Deus tuus*.

V. 10. THYINA. Hebr. אלגומים *alghummim*. Vide ſupra verſ. 8. cap. II.

V. II. GRADUS IN DOMO DOMINI. Vocem מסלות *meſilloth* varie interpretantur. I. *tigna*, *trabes*, *in domo Domini*. II. *calcatilia*, ſeu *calcatoria*, *domui Iehovæ*; ſed neſcire ſe fatentur, quæ fuerint iſta calcatoria: forte ſubſellia, vel ſuppedanea. III. *ſtratas pro domo Iehovæ*. IV. *laquearia*, vel *ornamenta columnarum*, &c. V. *elevationes*, *gradus*. Hiſpanicus Interpres, *gradas en la caſa de Iehova*, ſeu *varandas o petriles a las eſcaleras de la caſa de Iehova*. VI. *aggeres*, *vel aggeſtam viam*, *in domum Iehovæ*: volunt eſſe ſynecdochen; id eſt, aggeſtam viam repagulis & fulcris, ex lignis *algummim* fabrefactis, utrimque munitam qua a domo Regis in domum Dei ibatur: quæ I. Reg.

x. 12.

x. 12. מסעד *misghad* vocatur: de qua vide Comm. in I. Reg. x. verſ. 5. & 12. & I. Paralipom. xxvi. verſ. 16. & 18.

V. 12. Et multo plura quam attulerat ad eum. Hebr. *Præter id quod attulerat ad Regem*. I. Reg. x. 13. ſcribitur, *Præter id quod dedit ei ſecundum manum Regis Selomoh*. Hebræorum nonnulli, ut hæc duo loca concilient, ſubaudiunt ex Lib. Reg. *Præter id quod Rex Selomoh dederat ei, vice eius quod ipſa Regina Seba attulerat ad Regem*. Quidam reddunt: *Præter compenſationem eorum quæ attulerat ad Regem*. Sed Noſter ſenſum recte expreſſit: *Præter, ultra, magis quam id quod attulit ad Regem*.

V. 18. Et scabellum aureum. Hebr. *Et* כבש *cebes in auro, ipſi ſolio apprehenſi*. Difficultatem loco infert ſignificatio vocis *cebes*, quam varie diſtrahunt. Nonnulli Hebræorum volunt eſſe *clivulum molliter aſcendentem, & altiori loco ſubiectum*, ſed ſine gradibus, qualis erat ad altare æreum, Exod. xx. 26. Alii *pontem*, vel *ponticulum* interpretantur. Nonnulli *primum aſcenſum pedalem*, vel *initium graduum latiori ſpatio*. Aliqui *baſim acclivem, qua res ſuperpoſita fuit ſublimior*. Plerique *ſubiectum, ſubſellium, ſcabellum*. Hiſpanicus Interpres *eſtrado ſtratum*. Alibi hæc vox non legitur. Iam locum diverſimode convertunt. I. *Et ſex gradus* erant *ſolio, & gradus*, ſeu *aſcenſus acclivis ex auro* erat *ſolio, tenti*, ſeu *adhærentes*: nempe illi ſex gradus tenebantur in ſolio, & hærebant illi. II. *Et ſex gradus ſedi, & pontem in auro ſedi contignantes*. Intelligunt fuiſſe porticulum ex ebore, auro tamen obtectum, qui gradus illos ſuſtineret, & contignaret, ut gradus eidem ſuperinſtructi, & quaſi contignati eſſent: ut fieri videmus, cum inſtruuntur gradus. III. *Et ſex gradus throno, & ſubiectum, ſubſellium, ſuppedaneum in auro, throno*, ſeu *ad ſolium apprehenſi*, id eſt affixi, ſcilicet gradus. IV. *Sex autem gradus erant ſolio, baſis quoque ex auro erat ipſi ſolio, tenentia*. Hæc vox *tenentia* refertur & ad gradus, & ad baſim; quaſi dicat: Quæ omnia adhærebant, ſeu fixa erant, ipſi ſolio, ſeu throno. V. *Et ſolio ſex gradus, & aureum ſcabellum, quæ ſolio affixa erant*, ſive *hæc fixa hærebant ad ſolium*. Quidam: *Et hæc ſolio detenta*. VI. *Et ſex gradus erant ſolio, & ſubiectio in* (ex) *auro, ſolio comprehenſi*. VII. *Sex autem gradus erant huic ſolio, cum clivulo ex auro, huic ſolio continentes*. Exponunt, *Cum clivulo*, id eſt molli aſcenſu in circuitu ſolii, præterquam ab anteriori parte, ubi gradus erant quibus ad ſolium aſcendebatur: nam in clivuli extremitate erant hinc inde leones ſingulos gradus obſervantes, infra verſ. 19. Ceterum I. Reg. x. 19. initium huius verſus aliter legitur, in hunc modum: *Sex gradus ſolio, & caput rotundum ſolio de poſt illud*: ut ipſi ſolio eſſet faſtigium rotundum a poſteriori parte eius; quemadmodum fieri videmus in cathedris ſeu ſedilibus Epiſcoporum.

V. 25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis. Hebr. *Et fuerunt Selomoni quater mille ſtabula equorum*. At I. Reg. iv. 26. diſerte ſcribitur *quadraginta mille ſtabula equorum*. Conciliant, fuiſſe revera quadraginta millia ſtabula, ſeu præſepia, ut in ſingulis præſepiis ſinguli eſſent equi, ut in I. Reg. dicitur; at hic ſcribi *quater mille ſtabula*, id eſt quater mille decurias ſtabulorum, quæ efficiunt quadraginta millia ſtabulorum. Alii exponunt: Quater mille præſepia equorum, id eſt quatuor mille decuriæ, vel præſepia equorum ad quater mille; quæ denos equos caperent ſingulæ: nam denarii numeri ellipſin frequentem eſſe, docuimus in II. Samuel. viii. 4. & cap. x. verſ. 18. Vide annotata in I. Reg. iv. 26. Quidam notant, vocem אריות *uriotb*, quæ hic ponitur, ſignificare *ſepta equorum, equilia*, in quibus decem equi ordine ſuo interſtincti continebantur: in huius ſignum haberi hoc loco Iod inſertum, denotans numerum denarium, ad differentiam nominis ארות *uraotb*, quod ſcribitur I. Reg. iv. 26. nec alibi cum Iod legitur.

V. 26. Exercuit etiam potestatem, &c. De hoc verſu vide I. Reg. iv. verſ. 21.

V. 27. Tantamque copiam praebuit argenti. De hoc verſu vide ſupra cap. 1. verſ. 15. & Reg. x. 27.

V. 28. Adducebantur autem ei equi de AEgypto, &c. Hebr. *Et exire facientes equos ex Ægypto Selomoni*. Quidam: *Educebant autem equos ex Ægypto ad Selomonem*, Nonnulli: *Tendebant enim*

nim vectigal equorum ex AEgypto mercatores Selomoni. Vide Comm. in I. Reg. x. verſ. 28. & 29. CUNCTISQUE REGIONIBUS: vel ex reliquis aliis regionibus, ſeu provinciis; vel ex finitimis, & vicinis.

V. 29. PRIORUM, AC NOVISSIMORUM. Hebr. *Priora*, & *poſteriora*. Vide de hac locutione I. Paralipom. XXIX. verſ. 29. IN VERBIS NATHAN PROPHETAE. Exponunt, In libris, vel in hiſtoria quam compoſuit Nathan Propheta. Alii, In principio libri primi Regum, quod ii tres conſcripſerunt qui hic nominantur. Plerique volunt, tres iſtos ſeorſim quemque hiſtoriam condidiſſe, in qua plenius res Salomonis inter alias deſcriberentur; ſed temporum iniuria intercidiſſe. ADDO. Hebr. in textu ſcribitur יעדי *Iebdi*: in margine יעדו *Iebdo*, qui infra cap. XII. verſ. 15. dicitur *Hido*, ut etiam cap. XIII. verſ. 22. Vide infra cap. XV. verſ. 1.

V. 30. REGNAVIT AUTEM SALOMON, &c. Hunc, & ſequentem verſum habes I. Reg. XI. verſ. 42. & 43.

MENOCHII.

Verſ. 1. REGINA QUOQUE SABA, &c. Hæc explicavimus III. Reg. x.

V. 8. REGEM DOMINI DEI TUI, id eſt Regem ſuum, Regem populi ſui.

V. 29. RELIQUA AUTEM OPERUM SALOMONIS, &c. Vide III. Regum XI. 41. & 43. & ibi notata. Libri hiſtorici qui hic recenſentur, Ahiæ, Addo, &c. non extant.

TIRINI.

Verſ. 5. VERUS EST SERMO QUEM AUDIERAM DE VIRTUTIBUS TUIS. Hebraice, Chaldaice & Græce, *De verbis*, id eſt de rebus a te geſtis, vel te concernentibus. Et ſic etiam legitur III. Reg. x. 7. ubi omnia quæ Reginam Sabam ſpectant, fuſe expoſui.

V. 16. IN ARMAMENTARIO, QUOD ERAT CONSITUM NEMORE: ſeu circumdatum nemore, id eſt *in domo ſaltus Libani*, ut vertunt Septuaginta: ibi enim erat armamentarium Salomonis.

Nota. Pro trecentis aureis, quibus ſingula ſcuta hic tecta dicuntur, III. Reg. cap. x. verſ. 17. habes *tres libras*; ſeu *minas auri*, in Hebræo, & Græco: nempe mina continebat centum drachmas, ſeu aureos. Sed Interpres Latinus cum dicit *trecentas* fuiſſe *minas*, per *minam* intelligit *ſiclum*. Quomodo & Ioſephus nomen *minæ* uſurpat, cum dicit Ioſephum a fratribus venditum Iſmaelitis pretio viginti minarum, id eſt ſiclorum argenti.

V. 21. IN THARSIS. Inter filios Iavan, Geneſis x. unus fuit nomine *Tharſis*, qui in diviſione gentium ſortitus putatur eas inſulas, quæ a Cypro ad orientalem, & aquilonarem plagam ſpectant: quibus & nomen ſuum indidit *Tharſis*. Unde Cilicia tota dicta fuit *Tharſis*, quaſi regnum Tharſis: & primaria Ciliciæ urbs ſita in littore maris, nomen illud retinuit, dicta *Tharſus*; ut ex II. Iudith, & II. Machabeorum IV. colligit Sanctius. Porro ab inſulis illis Tharſis etiam mare vicinum eodem nomine vocatum eſt *Tharſis*. Quod mare quia Hebræis ob frequentia commercia erat notiſſimum, aliorum vero remotiorum marium nomina neque nota, neque audita ipſis; hinc factum ut quodcumque aliud mare, etiam oceanum, vocarint *Tharſis*: & ſimiliter ignotas ſibi inſulas mari inſtar Ciliciæ adiacentes vocarint *Tharſis*; ſicut & Latini nomen *Ponti*, quod eſt proprium maris Pontici, commune fecerunt cuivis etiam alteri mari, & *Indias* vocamus non eas ſolas regiones quas Indus fluvius perluit, ſed & quaſvis alias noſtro hemiſphærio oppoſitas, & *Mauros* dicimus non ſolos ex Africa Mauritanos, ſed & quoſvis alios Mahometanos, quorum propria nomina nos latent. Simili modo factum ut & Hebræi regioni *Ophir*, ſibi minus adhuc notæ, notum ſibi *Tharſis* nomen inderent, ut II. Paralipom. XX. 36. & omnes ſimiles inſulas ſibi ignotas, omnia maria quorum peculiare nomen ignorabant, *Tharſis* vocarent. Hinc Pſalm. XLVII. Iſaiæ XXIII. Ezech. I. & alibi, ubi Noſter nunc *naves Tharſis*, nunc *naves maris* vertit, in Hebræo ubique eſt *naves Tharſis*.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. MAGNIS OPIBUS. Sept. ἐν δυνάμει βαρείᾳ. Heb. *cum exercitu grandi*. De Saba alias.

Verſ. 10. LIGNA THYINA. Ioſephus Lib. VIII. cap. 11. vocat *ligna pinea*; plerique *Braſilium*; quidam *Ebenum*.

V. 21. NAVES REGIS IBANT IN THARSIS. Potuiſſet quidem claſſis Salomonis e Ioppe ſolvere in Africam, ut aliqui hunc locum, & Tharſim explicant; tamen rectius e mari rubro in locum qui nunc eſt Angola, vel Zota, dives auri, ad caput Bonæ ſpei.

V. 25. QUADRAGINTA MILLIA EQUORUM. Heb. *Quatuor millia ſtabula equorum*: nempe in ſingulis ſtabulis decem equi, ac proinde 40000. equorum currilium, ut habes III. Reg. IV. 26.

CAPUT X.

Roboam ſpreto ſeniorum conſilio, & iuvenile ſecutus, ſcidit regnum in duo, electo in Regem Ieroboam ſuper decem tribu.

1. PRofectus (*a*) eſt autem Roboam in Sichem: illuc enim cun-
ctus Iſrael convenerat ut conſtituerent eum Regem. 2. Quod
cum audiſſet Ieroboam filius Nabat, qui erat in AEgypto
(fugerat quippe illuc ante Salomonem) ſtatim reverſus eſt.
3. Vocaveruntque eum, & venit cum univerſo Iſrael, & lo-
cuti ſunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus duriſſimo iu-
go nos preſſit, tu leviora impera patre tuo, qui nobis im-
poſuit gravem ſervitutem, & paululum de onere ſubleva, ut ſerviamus tibi. 5.
Qui ait: Poſt tres dies revertimini ad me. Cumque abiiſſet populus, 6. iniit
conſilium cum ſenibus, qui ſteterant coram patre eius Salomone dum adhuc vi-
veret, dicens: Quid datis conſilii ut reſpondeam populo? 7. Qui dixerunt ei: Si
placueris populo huic, & leniveris eos verbis clementibus, ſervient tibi omni
tempore. 8. At ille reliquit conſilium ſenum, & cum iuvenibus tractare cœ-
pit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius. 9. Dixitque ad
eos: Quid vobis videtur? vel reſpondere quid debeo populo huic, qui dixit mi-
hi: Subleva iugum quod impoſuit nobis pater tuus? 10. * At illi reſponderunt
ut iuvenes, & nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt: Sic loqueris populo,
qui dixit tibi: Pater tuus aggravavit iugum noſtrum, tu ſubleva: & ſic reſpon-
debis ei: Minimus digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei. 11. Pater meus
impoſuit vobis grave iugum, & ego maius pondus apponam: pater meus ceci-
dit vos flagellis, ego vero cædam vos ſcorpionibus. 12. Venit ergo Ieroboam,
& univerſus populus ad Roboam die tertio, ſicut præceperat eis. 13. Reſpon-
ditque Rex dura, derelicto conſilio ſeniorum: 14. locutuſque eſt iuxta iuve-
num voluntatem: Pater meus grave vobis impoſuit iugum, quod ego gravius
faciam: pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos ſcorpionibus. 15.
Et non acquievit populi precibus: erat enim voluntatis Dei, ut compleretur
ſermo eius, (*b*) quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboam
filium Nabat. 16. Populus autem univerſus, Rege duriora dicente, ſic locutus
eſt ad eum: Non eſt nobis pars in David, neque hereditas in filio Iſai. Re-

vertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Iuda, regnavit Roboam. 18. Misitque Rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidaverunt eum filii Israel, & mortuus est: porro Rex Roboam currum festinavit ascendere, & fugit in Ierusalem. 19. Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc.

(a) III. Reg. xii. 1. (b) III. Reg. xi. 29.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 10. *At illi responderunt ut iuvenes*. Interpres addidit *ut*, tametsi hebraice non legatur.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ANTE SALOMONEM. Hebr. & LXX. *A facie Salomonis*, id est metu Salomonis.

V. 4. DURISSIMO. Vide III. Reg. xii.

V. 6. STETERANT, scilicet ut consiliarii.

V. 10. GROSSIOR; quasi dicat: Sum multo fortior.

V. 11. SCORPIONIBUS. Alii, *Flagris aculeatis*.

V. 15. VOLUNTATIS DEI. Hebr. *a Deo causatum*. LXX. *subversio a Deo*.

V. 15. PASCE. Hebr. & LXX. *Vide*, id est provide.

ESTII.

Vers. 4. PATER TUUS DURISSIMO IUGO NOS PRESSIT. Quæritur, an querimonia hæc vera, & iusta fuerit? Vide Annotationes III. Regum cap. xii. quibus adde, verisimiliter Salomonem, postquam depravatus fuit amore mulierum, cœpisse etiam populum durius tractare, & gravius tributis premere. Quia licet immensas haberet opes, non tamen illi sufficiebant ad tantos sumptus, ac præsertim ad explendam cupiditatem tot mulierum, quas perdite amabat, quæ erant reginæ (ut est III. Reg. cap. xi.) septingentæ, & concubinæ trecentæ. Item magnis opus erat expensis ad exstruenda tot templa idolorum. Scribitur enim eodem loco, post commemorata templa Chamos, & Moloch, hoc modo: *Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis*. Illud igitur de abundantia omnium rerum tempore Salomonis, intelligendum est de prioribus eius temporibus.

V. 15. ET NON ACQUIEVIT (Roboam) POPULI PRECIBUS: ERAT ENIM VOLUNTAS DEI UT COMPLERETUR SERMO EIUS, &c. Non est sensus, quod Deus incitaverit Roboam ad tam superbam & stultam responsionem; sed quod propter peccata Salomonis, volens ab eius posteritate regnum decem tribuum auferre, permiserit Roboamum in tam stultum & insulsum consilium incidere, illique acquiescere, ut per tale medium & vindicaret Salomonis peccata, & simul impleret verbum suum, quod ea de re locutus fuerat per Ahiam Prophetam ad Ieroboam.

MARIANAE.

Vers. 2. ANTE SALOMONEM. Sept. *A facie Salomonis*: sic Heb. id est metu Salomonis, propter Salomonem fugerat Ieroboam. STATIM REVERSUS EST. Hebr. *Et reversus est Ieroboam ex Ægypto*.

V. 3. VOCAVERUNTQUE EUM. Hebr. *Et miserunt* (scilicet nuntios) *&* *vocaverunt eum*, scilicet populus.

V. 6. QUI STETERANT CORAM PATRE: scilicet ab eius consiliis erant senes quos Roboam consuluit.

V. 10.

V. 10. UT IUVENES. *Ut* non est Heb. neque Græc. neque in Gotth. sed sic: *Locuti sunt ei iuvenes*. NUTRITI CUM EO IN DELICIIS. Illud, *In deliciis*, additum est ab Interprete. MINIMUS DIGITUS MEUS. Hebr. *Minimus meus*, scilicet digitus. Sept. *Parvus digitus meus*; quasi dicat: Ego multo fortior patre meo sum.

V. 11. PATER MEUS CECIDIT VOS FLAGELLIS, EGO VERO CAEDAM VOS SCORPIONIBUS. Sic Sept. Verum *vos* secundo loco Hebr. non est, neque in Gotth. *Scorpiones* sunt flagra aculeata. Hebræus vocem *sotim* (unde *azote*) & *hakrabim*, ait significare genera duo spinarum, quorum posterius est asperius.

V. 15. ERAT ENIM VOLUNTATIS DEI. Hebr. *Erat causatum a Deo*; id est, Deo auctore accidit. UT COMPLERETUR SERMO.... PER MANUM AHIAE, id est per Ahiam. Volebat Deus id vaticinium compleri.

V. 16. REVERTERE IN TABERNACULA TUA ISRAEL. Hebr. *Vir* (id est quisque) *in tabernacula tua Israel*, scilicet revertere. PASCE DOMUM TUAM. Hebr. *Nunc* (id est de cetero) *vide domum tuam*; id est, rege illam, illi provide, o Roboam.

V. 17. SUPER FILIOS AUTEM ISRAEL .... REGNAVIT ROBOAM. Sic vocat eos qui erant e tribu Iuda; aut loquitur de iis qui ex aliis tribubus tribui Iuda confusi manserunt.

V. 18. FESTINAVIT ASCENDERE. Hebr. *Roboravit se ad ascendendum Roboam*, scilicet fugit.

V. 19. RECESSITQUE ISRAEL. Heb. *Rebellarunt, defecerunt Israel*. Sept. *Prævaricatus est*. Id solet significare verbum פשע *pasah*; sed & *rebellare* aliquando significat.

MALVENDAE.

Vers. 1. PROFECTUS EST AUTEM ROBOAM IN SICHEM, &c. Totum istud caput conferendum cum I. Reg. cap. XII. a vers. 1. usque ad vers. 19. nam omnia sunt eadem: atque inde petendi Comm.

V. 5. POST TRES DIES REVERTIMINI AD ME. Hebr. *Adhuc tres dies*, *& revertimini ad me*: subaudiunt, *Adhuc tres dies transeant*; *& postea revertimini*. Quidam: *Adhuc triduum diserte*; *tum revertimini ad me*. Alii: *Intra triduum revertimini ad me*. Istud exponitur infra versu 12. *Revertimini ad me in die tertia*.

V. 7. SI PLACUERIS POPULO HUIC, ET LENIVERIS EOS VERBIS CLEMENTIBUS. Hebræa verba nos reddidimus (*Si eris bono populo isti*, *& bene complacebis tibi eos*; *& loqueris ad eos verba bona*.) Alii diversimode. I. *Si fueris bonus populo huic*, *& complacueris eis*, *& locutus fueris ad eos verba bona*. II. *Si fueris in bonum populo huic*; id est, si fueris benignus, vel comem te præstiteris populo huic: *& complacueris eis*; id est, & prosequaris eos favore, &c. vel morem eis gesseris, si benevolum te illis præstiteris: *locutusque fueris ad eos verba lenia*. III. *Si fueris facilis populo huic gratificando eis*, *& allocutus fueris eos verbis bonis*.

V. 16. POPULUS AUTEM UNIVERSUS, REGE DURIORA DICENTE. Hebr. *Et omnis Israel viderunt*, *quia non auscultavit Rex eis*. Verbum ראו *rau*, *viderunt*, plura Hebraica exemplaria non habent: putant quidam ex II. Reg. XII. 16. huc irrepsisse: unde reddunt: *Omnes Israelitæ*, *quia non auscultaverat Rex ipsis*, *responderunt populus Regi*, *dicendo*, &c. Ceterum, quia nostri codices optimi Hebræi illam habent, & eam in suis habuisse videntur Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, & alii, nos eam retinuimus.

MENOCHII.

Vers. 1. PROFECTUS EST AUTEM ROBOAM, &c. Totum hoc caput explicatum habes III. Regum XII.

TIRINI.

Vers. 4. PATER TUUS Salomon DURISSIMO IUGO NOS PRESSIT. Non fuerant ante conquesti Israelitæ; tum quia minus grave fuerat vectigal, tum quia ad templi, & regiæ domus fabricam, & Israelitici imperii præsidium, atque ornamentum, denique ad communes, & publicos, ac necessarios usus impendi videbant. At cum sub extre-

trema illius tempora suas potius spectaret delicias mulierosus senex, & tot feminarum gregibus delicate ac fastuose alendis extortam a subditis pecuniam impenderet, id ferre ultra populus nec voluit, nec valuit, & Salomoni quidem nonnisi obmurmurare quotidie; Roboamo vero palam quoque obsistere, ac nisi nimios illos & impudicos sumptus minuat, obedientiam denegare ausi sunt.

V. 14. PATER MEUS CECIDIT VOS FLAGELLIS, EGO VERO CAEDAM VOS SCORPIONIBUS. Proverbiali sermone significat stultus Roboam, a se populum multo quam a Salomone durius affligendum. Nempe videri voluit ad minas subditorum impavidus, & potius minari ipsis & insultare, quam obsequi & delinire. Unde comprobatur verissmum fuisse illud Eccl. XLVII. 27. *Dereliquit post se* Salomon *de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum a prudentia, Roboam, qui* stulto *consilio suo gentem* suam *avertit* a se: & propterea II. Paralip. XIII. 7. dicitur *rudis* fuisse, & *corde pavido*: nam si generoso & forti animo fuisset, puerile coætaneorum suorum consilium sprevisset, & repulisset, & sanis seniorum monitis acquievisset. Porro natus erat Roboam matre Ammonitide, quæ Naama dicebatur. Ita habetur III. Reg. cap. XIV. vers. 21.

Nota, *scorpiones* hic vocari plantas spinosas, vel etiam lora quæ aduncis aculeis seu stimulis armantur sicut scorpius, & ita corpus pulsant, ut etiam lacerent ac discerpant, & in hoc a flagellis distinguuntur, qualia sunt nuda lora, vel taureæ, vel virgæ ex lentis seu arborum seu fruticum ramis, quibus corpus solum pulsatur seu tunditur, non vero etiam discerpitur. Vide Columellam.

V. 15. ERAT ENIM VOLUNTATIS DEI. Hebraice, *Erat causatum a Deo*, nempe permittente Deo, nec impediente cum posset vecordiam, & stultitiam Roboami. De qua re fusius egi Genesis XLV. ubi Ioseph dicit, se Dei voluntate venditum fuisse a fratribus suis.

CAPUT XI.

Præcipit Deus ne pugnet Roboam contra Israel: extructis autem a Roboam multis civitatibus, confluunt ad eum Levitæ, ac sacerdotes abiecti a Ieroboam, ceterique Dei cultores. Roboam autem multas duxit uxores, ac concubinas.

1. VEnit (*a*) autem Roboam in Ierusalem, & convocavit universam domum Iuda, & Beniamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, & converteret ad se regnum suum. 2. Factusque est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei, dicens: 3. Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad universum Israel, qui est in Iuda, & Beniamin: 4. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros: * revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Ieroboam. 5. Habitavit autem Roboam in Ierusalem, & ædificavit civitates muratas in Iuda. 6. Extruxitque Bethlehem, & Etam, & Thecue, 7. Bethsur quoque, & Socho, & Odollam, 8. nec non & Geth, & Maresa, & Ziph, 9. sed & Aduram, & Lachis, & Azeca, 10. Saraa quoque, & Aialon, & Hebron, quæ erant in Iuda, & Beniamin, civitates munitissimas. 11. Cumque clausisset eas muris

ris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est olei, & vini. 12. (a)
Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum, & hastarum, firma-
vitque eas summa diligentia, & imperavit super Iudam, & Beniamin. 13. Sacer-
dotes autem, & Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cun-
ctis sedibus suis, 14. relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes
ad Iudam, & Ierusalem: eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne
sacerdotio Domini fungerentur. 15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum,
& dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat. 16. Sed & de cunctis tribubus Is-
rael, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, ve-
nerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum
suorum. 17. Et roboraverunt regnum Iuda, & confirmaverunt Roboam filium
Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David, & Salomonis, an-
nis tantum tribus. 18. Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Ieri-
moth, filii David: Abihail quoque filiam Eliab filii Isai, 19. quæ peperit ei
filios, Iehus, & Somoriam, & Zoom. 20. Post hanc quoque accepit Maacha
filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith. 21. A-
mavit autem Roboam Maacha filiam Absalom, super omnes uxores suas, &
concubinas: nam uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta:
& genuit viginti octo filios, & sexaginta filias. 22. Constituit vero in capite,
Abiam filium Maacha, ducem super omnes fratres suos: ipsum enim Regem
facere cogitabat, 23. quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius,
& in cunctis finibus Iuda, & Beniamin, & in universis civitatibus muratis:
præbuitque eis escas plurimas, & multas petivit uxores.

(a) III. Reg. xii. 21.

BRUGENSIS

ROMANÆ CORRECTIONES.

V. 4. *Revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate.* Immerito versiculus iste a quibusdam omittitur.

V. 12. *Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum, & hastarum.* Non est mutandum singulare *armamentarium*, cum plurali *armamenta ria*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. SUUM. Id additum ab Interprete.

V. 11. CLAUSISSET EAS MURIS. Sic etiam LXX. at Hebr. *Roborasset munitiones*, id est urbes munitas. HOC EST. Hebr. & LXX. *Et*

V. 27. SALOMONIS, scilicet antequam is peccaret. Vide inf. cap. XVII. & XXVI.

V. 22. IN CAPITE. LXX. *In principem*.

V. 23. QUIA SAPIENTIOR, &c. Hebr. sensus est: *Erudivit eum*, seu *curavit erudiendum; & reliquos filios dispersit per civitates Iuda, & Beniamin.* EIS, scilicet filiis. PETIVIT, scilicet Roboam; quasi dicat: Habuit plurimas uxores; vel dedit Abiæ filio.

ESTII.

Vers. 4. HAEC DICIT DOMINUS: NON ASCENDETIS, NEQUE PUGNABITIS CONTRA FRATRES VESTROS ..... QUIA MEA HOC GESTUM EST VOLUNTATE. Quæret aliquis, an igitur continuo sit con-

consequens, Si aliquid divina sit voluntate gestum, nos debere acquiescere, & non repellere malum, quod eius voluntate accidit? Quod si ita est, verum erit Lutheri paradoxon, non esse pugnandum contra Turcam fines Christianorum invadentem, quia hoc esset repugnare voluntati Dei, nostra peccata per Turcam visitantis. Respondeo: Non est dubium omnem afflictionem, quæcumque hominibus accidit, provenire ex voluntate Dei, iuxta illud Amos cap. III. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*. Neque tamen consequens est, eiusmodi mala non debere averti. Quia licet sit voluntatis Dei ut illa inferantur, & ut illa patienter feramus quamdiu inferuntur; non est tamen voluntatis eius ut non repellantur, dum recte & iuste repelli possunt. Res manifesta est in morbis, fame, frigore, siti, & similibus, quæ patimur Deo infligente, & tamen recte avertimus, quantum possumus, contrariis remediis. Quod ergo Propheta prohibet pugnandum contra Israel, aliquid amplius continebat, nempe quod Deus de hoc iam etiam specialiter, & explicite suum decretum firmum manifestabat, quod regnum decem tribuum ad Ieroboam transtulisset. Huic ergo cognitæ voluntati Dei non debuit Roboam, aut populus repugnare.

V. 23. QUIA SAPIENTIOR FUIT, ET POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EIUS. Hebraice est: *Et instituit eum curabat, & distribuebat, de omnibus filiis suis per omnem terram Iuda, & Beniamin*. Vide etiam III. Reg. cap. XVI.

MARIANAE.

Vers. 2. MILLIA ELECTORUM convocavit Roboam. Sept. *iuvenum*. Vox Hebr. *bahur* utrumque significat. ET CONVERTERET AD SE REGNUM SUUM. Hebr. *regnum ad Roboam*, id est *ad se*, aut *sibi*, ut ponunt Sept. scilicet converteret.

V.4. QUIA MEA HOC GESTUM EST VOLUNTATE, scilicet divisio regni; ideo discedite ab armis. Id dicit Semeias Dei nomine. Hebr. *Quoniam ex me fuit verbum hoc*; id est, res hæc me auctore evenit. Roboam ædificavit

V. 5. CIVITATES MURATAS. Heb. *Civitates ad munitionem*, seu *obsidionem*, scilicet tolerandam: vox *mazor* id significat; quasi dicat: Tota ditione arces extruxit fossa, mœnibus, & propugnaculis firmas, idoneasque ad ferendam obsidionem. Item

V. 10. CIVITATES MUNITISSIMAS. Sept. *τειχήρεις*, *muratas*. Hebr. *Civitates munitionum*, id est munitas, vel *obsidionum*, id est quæ obsidionem tolerare valebant.

V. 11. CUMQUE CLAUSISSET EAS MURIS. Hebr. *Et roboravit munitiones*. PRINCIPES. Hebr. *Duces*, scilicet præsidii posuit in eis. CIBORUMQUE HORREA. Hebr. *Et thesauros annonæ, & oleum, & vinum*: scilicet ne fame caperentur, commeatum paravit & annonam.

V. 13. VENERUNT AD EUM sacerdotes, & Levitæ ex Israel. Hebr. *Astiterunt iuxta eum*. DE CUNCTIS SEDIBUS SUIS. Heb. *finibus suis* venere ad Roboam.

V. 14. RELINQUENTES SUBURBANA. Hebr. *Quoniam reliquerunt Levitæ suburbia sua*: & per *Levitas* totam tribum intelligit, etiam sacerdotes. QUOD ABIECISSET EOS IEROBOAM, ET POSTERI EIUS. Hebr. & Sept. *filii eius*. Sed per *filios*, *posteros* intelligit, qui Levitas, & sacerdotes amoverunt.

V. 16. SED ET DE CUNCTIS TRIBUBUS ISRAEL. Hebr. *& post ipsos*; pro, & qui post ipsos, scilicet Levitas: nimirum eorum posteri de cunctis tribubus Israel venerunt Ierusalem. Certe Levitæ per omnes tribus erant dispersi. AD YMMOLANDUM VICTIMAS SUAS CORAM DOMINO DEO PATRUM SUORUM. Hebr. *Ad immolandum Domino Deo patrum suorum*: sic Sept. Gotth. *Ad immolandum victimas Domino Deo*.

V. 17. ET ROBORAVERUNT; quasi dicat: Hoc concursu factum est ut staret regnum Roboam tribus annis, nullis procellis iactaretur. IN VIIS DAVID, ET SALOMONIS; id est, antequam peccarent: ambulaverunt in via recta annis tantum tribus.

V. 22. CONSTITUIT VERO (Roboam) IN CAPITE, ABIAM. Hebr. *Et constituit in caput*; id est, ut esset caput. Non erat maior natu, sed ex patris voluntate est filiis aliis prælatus. DUCEM SUPER OMNES FRATRES SUOS. Heb. *Ducem in fratribus suis*, vel *inter fratres suos*.

suos. IPSUM ENIM REGEM FACERE COGITABAT. Hebr. *Quoniam* (pro ut) *illum regnare faceret*: sic Hebræus Scholiastes.

V. 23. QUIA SAPIENTIOR FUIT, ET POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EIUS. Hebr. *Et docuit* (scilicet Abiam artes regias) *& divisit ex omnibus filiis suis ad omnes terras Iuda, & Beniamin, ad omnes urbes munitas*: scilicet divisit eos, ne possent contra Abiam conspirare. Aut potius misit eos victos in eas arces. Sed ut calamitatem sublevaret, suppeditavit alimenta affatim. ET MULTAS PETIVIT UXORES. Hebr. *Petivit turbam uxorum*, quas scilicet filiis illis iungeret. Et verbo *petendi* diligentiam significat, qua illis persuaderet ut vinctis iungerentur;. Tyranni artes exprimit, tum in arcium structura, & multiplici præsidio, tum in filiorum vinculis.

MALVENDAE.

Vers. 1. VENIT AUTEM ROBOAM, &c. Hunc versum, & tres sequentes vide expositos in I. Reg. XII. vers. 21. 22. 23. & 24. nam sunt omnino iidem.

V. 3. ISRAEL, QUI EST IN IUDA, ET BENIAMIN; id est, ad omnes Israelitas aliarum tribuum, qui convenarum iure degebant in urbibus Iehudæ, & Biniaminis: de quibus vide I. Reg. XII. vers. 17. & 23.

V. 5. IN IUDA. Quidam exponunt, In portione proprie attributa tribui Iehudæ, ut ostendunt sequentia nomina urbium. Alii, In regno Iehudæ, comprehenso nimirum Biniamine, synecdochice, ut ostendit comparatio infra vers. 10.

V. 6. BETHLEHEM: de qua vide Genes. XXXV. 19. ETAM. Hebr. *Ghetam*: de qua vide Iosue XV. 9. Iudic. XV. 8. I. Paralip. IV. vers. 3. & 32. THECUE. Hebr. *Thekoagh*: de qua vide II. Samuel. XIV. 2.

V. 7. BETHSUR. Hebr. *Beth-Tzur*: de qua vide Iosue XV. 58. SOCHO: de qua vide Iosue XV. 35. ODOLLAM. Hebr. *Ghadullam*: de qua Iosue XV. 35. & cap. XII. vers. 15. Gen. XXXVIII. 1.

V. 8. GETH. Hebr. *Ghath*: de qua vide Iosue XI. 22. MARESA. Vide de ea Iosue XV. 44. ZIPH: de qua vide Iosue XV. vers. 24. & 55.

V. 9. ADURAM. Hanc nemo expedit; fortasse sit *Adar*, de qua Numeror. XXXIV. 4. & Iosue XV. 3. quæ hic duali numero dicitur *Adoraiim*, quod gemina seu bipartita esset, cuius altera pars esset Chetzron, altera Adar, ut eisdem locis significatur. LACHIS: de qua Iosue X. vers. 3. & 31. & cap. XV. vers. 39. AZECA. Hebr. *Ghazekah*: de qua vide Iosue X. 10. & cap. XV. vers. 35. & I. Samuel. XVII. 1.

V. 10. SARAA. Hebr. *Tzorghah*: de qua vide Iosue XV. 33. AIALON: de qua vide Iosue X. 12. & cap. XIX. vers. 42. HEBRON: de qua vide Genes. XXIII. vers. 2. & 19. & in Iosue XIV. 15.

V. 11. CUMQUE CLAUSISSET EAS MURIS. Hebr. *Et obtinuit munitiones*. Quidam: *Et roboravit arces*. Aliqui: *Et roboravit munita*, id est illas urbes munitas; quasi dicat: Posuit in illis omnia necessaria ad munitionem. Alii: *Roboravit quoque præsidia*. Nonnulli: *Confirmavitque has munitiones*, seu *obsidionalia munimenta*. Hispanicus: *Fortifico tambien las guarniciones*. POSUIT IN EIS PRINCIPES, seu *duces*, *ductores*, *antecessores*. Quidam intelligunt filios suos, e vers. 23. infra.

V. 12. FECIT ARMAMENTARIUM SCUTORUM ET HASTARUM. Hebr. *scuta, & rhomphæas*, id est omnia genera armorum, tam ad defensionem, quam ad offensionem. Synecdoche.

V. 14. ET POSTERI EIUS. Ita plerique capiunt, quod Hebr. est, *Et filii eius*: Alii tamen proprie accipiunt, Et filii ipsius Iarobhami, sive eos ad consilium adhibuerit, sive opera illorum usus sit in præsidiis constituendis exemplo Rechabhami. NE SACERDOTIO DOMINI FUNGERENTUR. Hebr. *A sacerdotare ipsi Iehovæh*. Videtur hoc tantum ad sacerdotes referendum. Alii, ut Levitas etiam comprehendant, reddunt: *Ne ministrarent Iehovæ*; id est, ne doctrinam nuntiarent, & populum in ea continerent, ac in reliquis exercitamentis ad cultum Dei pertinentibus officium suum facerent.

V. 17. AMBULAVERUNT ENIM IN VIIS DAVID, ET SALOMONIS, &c. Recte observant aliqui, ex hoc loco, ut ex toto Ecclesiaste, magnum confici argumentum, Selomonem post lapsum resi-

puisse; etsi non potuit idololatriam plane evertere, & cultum Dei redintegrare; ut temporibus quoque Menassis contigit, infra cap. XXXIII. vers. 17. Sane videtur, nisi in vera fide, & pietate obiisset, non eum post mortem divinus Auctor in exemplum veræ pietatis ac religionis adduxisset. At quam innumeri sunt pœnitentiæ, & salutis Selomonis assertores! Equidem huius Libri Auctor quam propensus fuisse videtur in laudes Selomonis, cum & lapsum eius subticeat, & exemplum illum pietatis proponat.

V. 18. ABIHAIL QUOQUE FILIAM ELIAB. Plures cum Nostro hanc intelligunt alteram uxorem Rechabhami, a Machalatha; sed alii putant esse eclipsin, subaudiuntque: *Machalath filiam Ierimoth filii Davidis, filiam Abichailis filiæ Eliab*, &c.

V. 20. MAACHA FILIAM ABSALOM; quæ infra cap. XIII. vers. 2. dicitur *Michaiabu filia Urielis*. Vide I. Reg. XV. 2.

V. 22. CONSTITUIT VERO IN CAPITE ABIAM FILIUM, &c. Nos versum totum verbo tenus ex Hebraico reddimus (*Et stare fecit capiti Rechabgham Abiiah filium Magbachah, ductori in fratribus eius: & quia ad regnare facere eum.*) Alii plurifariam. I. *Constituit autem in caput Rechabbam Abiiam filium Mahachæ, in ducem inter fratres suos, ut faceret regnare ipsum*; quasi dicat: Iam vivens ipse inchoavit regnum Abiiæ filii sui, præferendo eum reliquis filiis. II. *Constituit autem in principem Rechabbam Abiiah filium Mabachæ, in ducem, inquam, inter fratres suos, quia optabat constituere eum Regem.* III. *Et constituit Rehabeam Abiam filium Mabachah, ut caput esset & princeps inter fratres suos, utque regno præesset*, quasi vicarius, & prorex ipsius. IV. *Ideoque Rechabbam constituit primarium Abiiam filium Mabacæ antecessorem inter fratres ipsius: quia erat constituturus eum Regem.*

V. 23. QUIA SAPIENTIOR FUIT, ET POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EIUS, ET IN CUNCTIS FINIBUS IUDA, ET BENIAMIN, &c. Hæc pericope Hebr. est paulo obscurior. Nostra Translatio eam verbatim reddidit (*Et intelligere fecit, & rupit de omnibus filiis eius omnibus terris Iebudah, & Biniamin.*) Alii varie. I. *Et intellexit, & crevit plus omnibus filiis eius in cunctis terris Iebudæ, & Biniamin*; id est, Abiia intelligentia qua pollebat, crevit opibus, & auctoritate, plusquam reliqui filii patris sui, in toto regno Iehudæ, & Biniaminis. II. *Et erudire, instruere, faciebat, & dispergebat de omnibus filiis suis in cunctis terris Iebudah, & Biniamin*, &c. id est, optimis artibus curabat eos imbuere; ac eos in diversis partibus regni collocabat. III. *Et docuit eum*; id est, docendum, & instituendum curavit: *dispersit autem de omnibus reliquis filiis suis in cunctas terras Iebudah, & Biniamin*, &c. id est, reliquos autem filios suos distribuit per omnes terras Iehudæ, & Biniamin. IV. *Et prudentiam adhibens, dispersit de omnibus filiis suis per singulas regiones Iebudæ, & Biniaminis*, &c. Exemplo nimirum Abrahami, Genes. XXV. 6. Sic de Iehosaphato infra cap. XXI. vers. 3. Equidem ex civili prudentia, ut seiuncti locis minus communi consilio rebus novis studerent, aut otiosi in aula vitiis vacarent. V. *Prudenter itaque egit, erupitque præ omnibus filiis eius in omnibus terris Iebudæ, & Biniamin*, &c. Futurum יבן *iaben* ex Hiphil, quidam intransitive accipiunt, *intellexit*; alii transitive, *intelligere fecit, docuit, instruxit*, vel *intelligentiam, prudentiam adhibuit*. Potest & ad Rechabham, & ad Abiiah referri. Futurum vero יפרוץ *iiphrotz* plerique intransitive sumunt, *rupit, erupit, crevit, auctus est*, ut Genes. XXVIII. 14. & I. Paralipom. IV. 38. ut de Abiiah intelligatur: alii transitive, *disrupit, distraxit, dispersit, divisit, distribuit*; ut ad Rechabham referatur. Illud, *De filiis suis*, potest accipi vel ex filiis suis, vel præ filiis eius. ET MULTAS PETIVIT UXORES. Istud plerique ad Abiiah referunt; id est, habuit plures uxores; vel studuit habere plures uxores, quo pluribus affinitatibus fultus, facilius sibi ad comparandum regnum viam sterneret. Alii ad Rechabgham: *Et procuravit eis*, nempe filiis suis, multitudinem uxorum.

MENOCHII.

Vers. I. VENIT AUTEM ROBOAM. Quæ hic habes usque ad versiculum 6. explicata sunt III. Reg. XII. a num. 21. usque ad 25.

V. 14. RELINQUENTES SUBURBA-

BANA, ET POSSESSIONES SUAS. Tribus Levi non est certam terræ plagam sortita in partitione regionis Israelitis, a Deo expulsis Chananæis, tributa; sed illis urbes quadraginta octo cum suburbanis suis concessæ sunt ab habitandum, & ad alenda pecora, Num. xxv. Has ergo relinquebant Ieroboami impietatem detestati Sacerdotes, & Levitæ, & in regnum Iuda se recipiebant.

V. 17. ANNIS TANTUM TRIBUS. Vide cap. sequens statim initio.

V. 22. CONSTITUIT EUM IN CAPITE, &c. Septuaginta habent, *In principem*. Volebat enim Abiam regni successorem relinquere, licet primogenitus non esset, quod etiam fecerat David, qui Salomonem Regem constituit, Adonia maiore natu præterito.

V. 23. QUIA SAPIENTIOR FUIT, ET POTENTIOR, &c. Septuaginta habent: *Et crevit super omnes filios eius in omnibus finibus Iuda*, &c. Pagninus vertit: *Et erudire faciebat, & dispergebat de omnibus filiis suis in cunctis terris Iuda*, &c. quo etiam fere modo vertit Vatablus. ESCAS PLURIMAS, pingues redditus quibus alerentur. MULTAS PETIVIT UXORES, Abiæ, & reliquis filiis suis.

TIRINI.

Vers. 1. ELECTORUM ATQUE BELLANTIUM, id est selectorum bellatorum. Hebr. *babur* & *electos* significat, & *iuvenes*.

V. 11. POSUIT IN EIS PRINCIPES. Hebraice *duces* militares nempe, cum iusto præsidio, adversus recentem, vicinum, potentemque hostem Ieroboamum. Unde & de sufficienti commeatu *frumenti*, *olei*, & *vini*, itemque de *armamentario* bene instructo prospexit SINGULIS URBIBUS, nempe limitaneis: ut, si qua subito ingrueret obsidio, aut vis hostilis, resistendo essent.

V. 14. EO QUOD ABIECISSET EOS IEROBOAM, scilicet a munere sacerdotali, & Levitico. Cum enim nollent ipsi sacrificare aut servire idolis, neque Ieroboam permitteret eos Ierosolymam adire ad sacrificandum aut serviendum vero Deo, fiebat ut omni prorsus sacro munere privati manerent. Maluerunt tamen proprias sedes & urbes relinquere, & ad tribum Iuda transmigrare, quam sacris suis functionibus ita privari. Vide III. Reg. XII. 31. Hi vero transfugæ

V. 17. ROBORAVERUNT... ROBOAM PER... TRES ANNOS; quasi dicat: Hoc undique tam multorum piorum accursu factum est ut staret in avita pietate, & robore regnum Roboami, saltem *per tres annos*. IN VIIS DAVID, ET SALOMONIS; supple, priusquam hic in senio peccaret.

V. 22. CONSTITUIT ABIAM IN CAPITE; id est, caput & primum seu supremum omnium. Neque enim erat maior natu, sed ob singularem illius prudentiam prætulit illum parens reliquis omnibus filiis suis, qui erant numero 28. Et ne quod ab his periculum ipsi creari posset, en novum tyranni inventum.

V. 27. POTENTIOR SUPER OMNES FILIOS EIUS; supple, ut esset Abias; id est, ut commode prævaleret omnibus fratribus suis, captivos constituit, Hebraice *divisit*, Roboam omnes filios suos seorsim, IN CUNCTIS FINIBUS IUDA, ET BENIAMIN, ET IN UNIVERSIS CIVITATIBUS MURATIS, quasi in honestis carceribus, nempe ne possent capita conferre, & conspirare contra Abiam. Sed ut carcerem hunc, calamitatemque ex parte leniret, regia munificentia abundantissime prospexit omnibus de *alimentis*, ceterisque necessariis, adeoque & de *uxoribus*, quot & quales vellent. Hebraice, *Petivit* ipsis *turbam uxorum*. Nempe diligentia magna opus erat, forsan & ingenti dote, ut tot nobiles sponsæ & regio thalamo dignæ reperirentur, quæ tali carcere conclusis iungi vellent.

GORDONI.

Vers. 14. LEvitæ, posthabitis quadraginta octo urbibus datis illis ad habitandum, visa impietate Ieroboam, recipiunt se ad regnum Iuda. De his quæ hic sunt usque ad versum sextum, vide III. Regum XII. a versu 21. usque ad vigesimum quintum.

V. 17. ANNIS.... TRIBUS, ut vides initio capitis insequentis.



CAPUT XII.

Propter peccata Roboam ac populi Iuda, tradit illos Deus Regi AEgypti: qui captis munitissimis civitatibus Iuda, diripit Ierusalem, sublato Regis ac templi thesauro, scutis quoque aureis & argenteis, pro quibus anea fecit Roboam: quo mortuo, succedit filius Abia.

1. CUmque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum,
dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. 2. An-
no autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac Rex AE-
gypti in Ierusalem (quia peccaverant Domino) 3. Cum
mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec
erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex AEgypto,
Lybies scilicet, & Troglodytæ, & AEthiopes. 4. Cepit-
que civitates munitissimas in Iuda, & venit usque in Ierusalem. 5. Semeias au-
tem Propheta ingressus est ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fue-
rant in Ierusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos
reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. 6. Consternatique principes
Israel & Rex dixerunt: Iustus est Dominus. 7. Cumque vidisset Dominus quod
humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati
sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, & non stillabit furor
meus super Ierusalem per manum Sesac. 8. Verumtamen servient ei, ut sciant
distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum. 9. Recessit itaque Sesac
Rex AEgypti ab Ierusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus Regis,
omniaque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, 10. pro qui-
bus fecit Rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant
vestibulum palatii. 11. Cumque introiret Rex domum Domini, veniebant scu-
tarii, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum. 12.
Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt
penitus: * siquidem & in Iuda inventa sunt opera bona. 13. (*a*) Confortatus
est ergo Rex Roboam in Ierusalem, atque regnavit: quadraginta autem & unius
anni erat cum regnare cœpisset, & decem & septem annis regnavit in Ierusalem,
urbe, quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tri-
bubus Israel: nomen autem matris eius Naama Ammanitis. 14. Fecit autem
malum, & non præparavit cor suum ut quæreret Dominum. 15. Opera vero
Roboam prima, & novissima, scripta sunt in Libris Semeiæ Prophetæ, & Addo
Videntis, & diligenter exposita: pugnaveruntque adversum se Roboam & Iero-
boam cunctis diebus. 16. Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque
est in civitate David. Et regnavit Abia filius eius pro eo.

(*a*) III. Reg. XV. 21.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 12. *Siquidem & in Iuda inventa sunt opera bona*. Non est omittendum & pro *etiam* positum.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 5. FUGIENTES SESAC. Heb. & LXX. *a facie Sisac*, id est propter Sisac, seu metu Sisac.

V. 7. HUMILIATI ESSENT, id est agnoscentes peccata sua.

V. 9. RECESSIT ITAQUE, &c. Hebr. & LXX. *Et ascendit Sisac Rex AEgypti contra Ierusalem, & accepit thesauros*, &c.

V. 10. SCUTARIORUM. Hebr. & LXX. *cursorum*, scilicet militum, qui Regem pedites sequebantur more satellitum.

V. 12. SIQUIDEM ET IN IUDA, &c. *Et in Iuda fuerunt res bonæ*, id est prosperæ.

V. 13. CONFIRMARET. Hebr. *poneret*. AMMANITIS, pro Ammonitis.

V. 15. LIBRIS. Hebr. & LXX. *sermonibus*. ET DILIGENTER EXPOSITA. Hebr. & LXX. *Dum genealogiam exponunt*.

ESTII.

Verſ. 7. & 8. DABOQUE EI PAUXILLUM AUXILII... VERUMTAMEN SERVIENT EI, UT SCIANT DISTANTIAM SERVITUTIS MEAE, ET SERVITUTIS REGNI TERRARUM. Sane ea distantia longe permaxima est. Nam servire Deo est homini naturale, & proinde non potest esse non maxime salutare, & iucundum, ut vere dictum sit: *Servire Deo regnare est*. At vero servire hominem homini, contra naturam est, ideoque per se molestum & grave, nam servitus talis ex peccato ortum habet. Docet etiam hic locus, remisso peccato, non semper statim remitti quoque omnem pœnam temporalem.

V. 13. QUADRAGINTA ET UNIUS ANNI ERAT (Roboam) CUM REGNARE COEPISSET. Si Salomon regnare cœpit anno duodecimo ætatis, quod colligi videtur, quia ex Bethsabee natus est, circa vigesimum octavum annum regni patris sui, Salomon autem regnavit tantum quadraginta annis, ut dicitur III. Regum XI. & II. Par. IX. consequens videtur, quod Salomon genuerit Roboam (qui hic quadraginta & unius anni fuisse perhibetur, cum regnare cœpisset) anno ætatis suæ decimo, vel undecimo. De hac difficultate Hieronymus ad Titum III. dicit, difficile esse invenire exitum quæstionis, propter librorum varietatem, & errores insolitos, dum paulatim ex inemendatis inemendata scribuntur. Vide etiam eumdem Hieronymum in Epistola ad Vitalem. Sed Lyranus in III. Reg. XI. putat Salomonem quando incœpit regnare, fuisse viginti annorum, vel eo amplius. Et probat ex eo quod III. Reg. cap. II. dicit David ad Salomonem: *Vir autem sapiens es*, &c. Vide etiam Iosephum de ætate Salomonis.

MARIANAE.

Verſ. 2. ASCENDIT SESAC. Hic Rex in Herodoto, & Diodoro Siculo *Sebacus* vocatur, genere AEthiops, AEgypti Rex. Venerunt cum eo

V. 3. LIBYES SCILICET. Vox *scilicet* Hebr. non est. ET TROGLODYTAE. Hi alio nomine *Arabes* sunt, in tentoriis Numidarum more habitantes, nulla certa sede. Unde Hebr. *Suchiim* dictos puto a סכך *such*, quæ vox *tabernaculum* significat. ET AETHIOPES: nempe sequebantur Gentilem suum.

V. 5. FUGIENTES SESAC. Hebr. *a facie Sesac*; id est, metu eius fugerant ii, & venerunt ad Roboam, ad quos Semeias Propheta loquitur. HAEC DICIT DOMINUS. Hebr. *Sic dicit Dominus*.

V. 6. CONSTERNATIQUE. Hebr. *Et*

Et humiliati sunt. Sept. *Et verecundati sunt*.

V. 7. PAUXILLUM AUXILII dabo. Hebr. *Sicut parum liberationis*; quasi dicat: Permittam eos respirare tantisper. ET NON STILLABIT: sic Sept. & Pagn. pro, *non effundetur* (scilicet amplius) *furor meus super Ierusalem*. Verum ei servient, ut sciant regni mei differentiam, &

V. 8. REGNI, scilicet regnorum. TERRARUM, id est provinciarum.

V. 9. RECESSIT ITAQUE SESAC REX AEGYPTI AB IERUSALEM. Hebr. *Et ascendit Sesac Rex AEgypti in Ierusalem, & accepit thesauros*: sic Sept. Sed tandem recessit, ut Noster ait.

V. 10. PRINCIPIBUS SCUTARIORUM. Hebr. *cursorum*: sic satellites vocat. Ergo illis Roboam æneos clypeos tradidit pro aureis quos Sesac abstulit.

V. 11. CUMQUE INTROIRET REX templum. Hebr. *Cum veniret Rex*. AD ARMAMENTARIUM SUUM. Hebr. *ad thalamum cursorum*, id est castra satellitum, seu prætorianorum. Referebant scuta satellites, quæ sumpserant ut Regem comitarentur.

V. 12. VERUMTAMEN QUIA HUMILIATI SUNT. Hebr. *Et cum humiliatus esset*, scilicet Rex: sic Sept. ideo aversa est ira Dei. NEC DELETI SUNT PENITUS. Hebr. *Et non ad perdendum in consumptionem*, id est penitus. SIQUIDEM ET IN IUDA. Hebr. *Et etiam in Iuda*. Gotth. *Siquidem & in Iuda*. INVENTA SUNT OPERA BONA. Hebr. *Fuerunt verba* (id est res) *bona*, hoc est prospera: non amplius a Sesac oppressi sunt. Porro Roboam regnavit in Ierusalem: quam urbem elegit Deus

V. 13. UT CONFIRMARET. Hebr. *ut poneret nomen suum ibi*. AMMANITIS, pro Ammonitis: erat mater Roboam.

V. 14. ET NON PRAEPARAVIT COR SUUM. Sic fere omnes reddunt vocem אכין *hechin*. Ego verterem, *Et non direxit*, ut Sept. vertunt. Porro Roboam gesta

V. 15. SCRIPTA SUNT. Hebr. *Nonne scripta sunt?* IN LIBRIS SEMEIAE. Hebr. & Sept. *in sermonibus Semeiæ*. ET DILIGENTER EXPOSITA. Hebr. *ad genealogizandum*; id est, usque dum genealogiam describat, tum maiores, tum posteros, non tantum acta eius: quod Hieronymus uno verbo explicuit, dicens, *Et diligenter exposita*. Porro *genealogizare*, *historiam scribere* est. Sic puto. Sept. *Ut genealogiam describeret, & actus eius*, scilicet Addo. PUGNAVERUNTQUE. Hebr. *Et bella* (scilicet scripta sunt) *Roboam, & Ieroboam* (quæ gesserunt) *cunctis diebus*.

MALVENDAE.

Vers. 1. CUMQUE ROBORATUM FUISSET REGNUM ROBOAM, ET CONFORTATUM. Hebr. *Et fuit secundum apparare regnum Rechebbam, & secundum obtinere eum*. Quidam: *Fuit autem cum confirmasset regnum Rehabbam, ac roborasset illud*; subaudi, Iehovah. Alii: *Factum est autem cum Rehabeam ordinasset regnum, roborassetque illud*. Nonnulli: *Fuit autem cum stabilivisset Rechabbam regnum, cumque confirmatus esset*. DERELIQUIT LEGEM DOMINI: ET OMNIS ISRAEL CUM EO, post illud nimirum triennium de quo supra cap. XI. vers. 17. Vide I. Reg. XIV. vers. 22. 23. 24.

V. 2. ANNO AUTEM QUINTO REGNI ROBOAM. Vide I. Reg. XIV. 25.

V. 3. LIBYES. לובים *lubim* proculdubio contractum esse videtur ex להבים *lehabim*, de quo vide Genes. X. 13. Notant hic esse Libyes Mareotas AEgypto conterminos, de qua Strabo Lib. XVII. Plinius Lib. V. cap. VI. Ptolemæus Lib. IV. cap. V. TROGLODYTAE, סכים *succiim* ferme reddunt *Troglodytas*, ita vocatos quod in tabernaculis degant, quæ Hebraice סכות *succoth*, dicuntur: quamobrem regionem illorum Troglodyticen, priscis *Succoen* dictam esse, testatur Plinius Lib. VI. cap. XXIX. etsi *Michoen* legitur proclivi lapsu, mutato Samech in Mem. Strabo Lib. I. pag. 42. *Arabes, & Erembi, sic enim fortasse veteres Græci vocabant Arabes: nam plerique inde ducunt nominis rationem, quod terram subirent, quod est* ἔραν ἐμβαίνειν: *& posteriores apertiore vocabulo, Troglodytas, quod est, qui cavernas intrent, appellant: sunt autem ii Arabes, qui ad alterum latus sinus Arabici vergunt, quod est ad AEgyptum, & AEthiopiam*. Pli-

Plinius Lib. V. cap. VIII. *Troglodytæ specus excavant: hæ illis domus*. Et Lib. VI. cap. XXIX. *Troglodytice, quam prisci Michoen, alii Midoen dixere*. *Suchoen* legendum putant, facili lapsu Samech in Mem, ob litterarum similitudinem: ut cum Hebraico *Succiiim* conveniat. *Troglodytas* descripsere Agatharchides Gnidius Lib. V. de mari rubro, cap. XXX. apud Photium in Bibliotheca, Diodorus Siculus Lib. III. num. 115. & 120. Strabo Lib. XVI. Plinius Lib. VI. cap. XXIX. Ptolemæus Lib. IV. cap. VIII. Heliodorus Lib. VIII. AEthiopicω̃n, cap. XXIII. At mihi cum *Succiiim* potius *Scenitæ*, qui Arabes tentoria incolunt, quam Troglodytæ, qui cavernas & speluncas subeunt, convenire videntur. Arabes Scenitæ AEgypto contermini describuntur a Plinio Lib. V. cap. XI. Vide Diodorum Siculum Lib. II. numer. 95. Strabonem Lib. XVI. pag. 767. Ptolemæum Lib. VI. cap. VII. AETHIOPES. proculdubio sub AEgypto.

V. 5. SEMIAS AUTEM PROPHETA: de quo supra cap. XI. vers. 2. & infra vers. 15.

V. 7. DABOQUE EIS PAUXILLUM AUXILII. Hebr. *Sicut parum, paucum, ad evasionem*. Varie alii: 1. *Sicut paulum evasionis*: 2. *Brevi evasionem* seu *liberationem*: 3. *Quasi paululum ad evasionem*: 4. *utcumque servabo eos*: 5. *Sed præstabo eis mox effugium, liberationem*: 6. *Sed dabo eis propemodum evasionem*: vel, *Parum abest ut liberem eos*.

V. 8. VERUMTAMEN SERVIENT EI. Hebr. *Quia erunt ei in servos*. Exponunt: Id est, cogentur iniquas pacis conditiones ab eo accipere, ac se redimere.

V. 9. SUBLATIS THESAURIS DOMUS DOMINI, &c. *Et accepit thesauros domus Iehovæh*, &c. Vide I. Reg. XIV. 26. Quidam explicant: Accepit thesauros, &c. datos a Rege, & populo pro sui redemptione. Alii, Regem victorem vi occupata urbe thesauros abstulisse volunt. Credi vix humano ingenio possit quam ingentes ii thesauri fuerint, a Davide, & Selomone plurimis annis coacervati. ET CLYPEOS AUREOS, &c. De his, & duobus versibus sequentibus, vide I. Reg. XIV. vers. 26. 27. & 28.

V. 12. SIQUIDEM ET IN IUDA INVENTA SUNT OPERA BONA. Hebr. *Et etiam in Iehudah fuit verba bona*. Quidam: *Et etiam in Iehudah fuerunt res bonæ*, id est felices, & prosperæ; quasi dicat: Res Iehudæ melius se habuerunt, iere felicius. Alii: *Etiamque erga Iehudam usus est verbis bonis*; id est, Iehudæos consolatus est promissionibus. Vide I. Reg. XI. vers. 13. & 36. & supra vers. 7.

V. 13. CONFORTATUS EST ERGO REX ROBOAM IN IERUSALEM, ATQUE REGNAVIT. Vide supra vers. 1. & cap. XI. vers. 17. QUADRAGINTA AUTEM ET UNIUS ANNI, &c. De tota hac reliqua parte versus vide I. Reg. XIV. 21.

V. 15. PRIMA, ET NOVISSIMA. Vide de hac locutione supra cap. IX. vers. 29. ET DILIGENTER EXPOSITA. Hebr. *Ad genealogizare se facere*. Quidam, *In recensendo genealogiam*. Alii, *Dum recensent seriem generationum*: vel *dum generationis series texitur*. Aliqui, *Genealogiam texentis*. Nonnulli, *In genealogizari*, sive *in genealogiis*, id est in Libro in quo Regum genealogias descripsit Hiddo prævidens; qui etiam dicitur *midrasch*, id est *commentarius*, infra cap. XIII. vers. 22. PUGNAVERUNTQUE ADVERSUM SE ROBOAM ET IEROBOAM, &c. Heb. *Et bella Rechabhami, & Iarobhami*, &c. Quidam nectunt antecedentibus: *Scripta sunt etiam bella Rechabhami contra Iarobhamum omnibus eorum diebus*. Alii subaudiunt: *Fuerunt etiam bella inter Rehabeam & Iarobham omnibus diebus eorum*; ut exprimitur I. Reg. XIV. 30.

V. 16. ET DORMIVIT ROBOAM CUM PATRIBUS SUIS, &c. Vide hunc versum etiam in I. Reg. XIV. 31.

MENOCHII.

Vers. 1. CUMQUE ROBORATUM FUISSET REGNUM, accessione Levitarum, & aliorum, veram pietatem, & religionem colentium, qui recipiebant se in regnum Iuda.

V. 2. ASCENDIT SESAC. Vide dicta III. Reg. cap. XIV. num. 25. TROGLODYTAE, populi AEthiopiæ sub AEgypto in sinum Arabicum, & mare rubrum vergentes, de quibus Plin. Lib. V. cap. VIII. ita, Sunt ἀπὸ τῶν τρώγλων, id est a terræ foraminibus, & cavernis, in quibus habitant, dicti.

V. 5.

V. 5. SEMEIAS, inclytus eo tempore Propheta, cuius mentio est cap. superiore num. 2. qui etiam res gestas Roboami scriptis mandavit, ut habemus hoc cap. num. 15. FUGIENTES SESAC. Hebr. & Septuaginta, *a facie Sesac*, id est propter Sesac, seu metu Sesac.

V. 7. HUMILIATI ESSENT, agnoscentes peccata sua. DABO EIS PAUXILLUM AUXILII, ne scilicet funditus pereant, aut in captivitatem abducantur. NON STILLABIT FUROR MEUS, &c. Apta metaphora, quæ pœnas & ultionem ab alto demitti divinitus ostendit, quemadmodum pluvia e cælo descendit, quæque etiam innuit parce admodum, & citra quam meriti sumus, Deum plectere peccata nostra: nam *stillandi* verbum, non largum imbrem, sed modicum significat.

V. 9. SUBLATIS THESAURIS, &c. Hæc explicata sunt III. Reg. cap. XIV. num. 26. & deinceps usque ad finem capitis.

V. 13. CONFORTATUS ERGO EST REX ROBOAM, &c. Quæ hic habemus usque ad finem capitis, repetita sunt ex III. Reg. cap. XIV. a num. 21. usque ad 25. & a num. 29. usque ad finem capitis. Vide ibi dicta.

TIRINI.

Vers. 2. SESAC REX AEGYPTI, vigesimæ primæ dynastiæ Rex quintus: qui ab Herodoto, & Diodoro Siculo nunc *Sasochis*, nunc *Sebacus*, nunc *Asychis* vocatur; ab Eusebio, & Septuaginta *Susachis*; ab aliis *Osochor*. Iosephus huic *Sesaco* illa attribuit quæ Herodotus, Diodorus Siculus *a*, & alii *Sesostri*: nempe si quando nactus esset in bello adversarium Regem imbellem, & timidum (qualem certe nactus est Roboamum, teste vel ipso filio eius Abia, capite sequenti vers. 7.) eo devicto statuam seu monumentum erigi iubebat, in quo muliebre potius aliquid appareret quam virile: ut posteris palam faceret, se cum muliere potius, quam cum viro certamen habuisse. Reges item quos bello superarat, solebat ad currum suum triumphalem iungere, ut inusitata illa pompa se supra Reges esse, immo supra homines, declararet. Tale quid Roboamum a Sesaco passum esse non insinuat sancta Scriptura, si tamen passus est, extremæ id illi ignominiæ fuit. Et unde alioqui tam vile, tam sordidum illi deinceps nomen *rudis & pavidi cordis*, etiam inter suos, ut non vereatur filius eius & successor Abias id publice parenti opprobrare? Et sicut tyrannus Sesacus pactis conventis, quibus Roboam se illi, suosque dediderat, & salvis omnibus fortunis stipendiarios fecerat, barbara fide non stetit, sed thesauros templi, & Regis funditus expilavit, ita etiam potuit eadem perfidia circa publicam ignominiam Regi, ut pavido nimis & pusillanimi, inurendam aliquid severius statuisse. Expilata Ierosolyma, dicit Iosephus, Regem AEgypti domum suam reversum esse. Sed hoc Scriptura non indicat, & Herodotus, ac Diodorus aiunt, ad reliquam Asiæ expeditionem progressum, & quidem tam mari quam terra pugnando, vincendoque, ultra quam post Alexander Macedo attigerit, pervenisse.

V. 3. TROGLODYTAE. Hebraice *Succhiim*, id est tabernacula incolentes. Sunt vero Arabes, qui in tentoriis more Numidarum habitabant, nullam certam sedem uspiam figentes.

V. 7. NON STILLABIT FUROR MEUS, supple amplius, vel ulterius. Exemplum cito conciliati & placati Dei.

V. 14. NON PRAEPARAVIT COR SUUM, scilicet per idoneam pœnitentiam, etiam post tanta flagella manu Regis AEgypti immissa: quod est extremæ impœnitentiæ non obscurum indicium, ut putat Abulensis. Et forte quod supra dictum fuit, vers. 6. & 7. *consternatum humiliatumque fuisse*, nonnisi ex servili timore pœnarum incurrendarum factum fuerat: aut si serio tum pœnituit, non ultra ambitum Sesaci Regis AEgyptii sese extendit pœnitentia: ut in simili dixi de Achab Rege Israel, III. Reg. XXI. vers. 24. & 25.

(*a*) Euseb. in Chronico. Herod. Lib. II. Diod. Sic. Lib. II. Ioseph. Lib. II. Antiq. cap. IV.

GORDONI.

Vers. 3. TROGLODYTAE, Arabes sunt, & qui instar Nomadum habitabant in tentoriis. Cetera clara sunt.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 1. Cumque roboratum fuisset regnum, &c. Poſt annos regni roborati reliquit Dominum, & male illi res ceſſit.

V. 3. Troglodytae, ἀπὸ τρώγλων, a cavernis in quibus habitabant.

V. 9. Vide III. Reg. xiv. 25. & 26.



CAPUT XIII.

Abia ad bellum contra Ieroboam accedens, dehortatur exercitum Ieroboam a bello contra ſe, cum Deum haberent ducem, quem illi abiecerant, & ſperans in Domino victor evadit, ac diverſas capit civitates, plurimoſque ex variis uxoribus procreat liberos.

1. ANno (*a*) octavo decimo Regis Ieroboam, regnavit Abia ſuper
Iudam. 2. Tribus annis regnavit in Ieruſalem, nomenque
matris eius Michaia, filia Uriel de Gabaa: & erat bellum
inter Abiam & Ieroboam. 3. (*b*) Cumque iniiſſet Abia certamen, & haberet bellicoſiſſimos viros, & * electorum quadringenta millia: Ieroboam inſtruxit e contra aciem octingenta millia virorum, qui & ipſi electi erant, & ad bella
fortiſſimi. 4. Stetit ergo Abia ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim;
& ait: Audi Ieroboam, & omnis Iſrael. 5. Num ignoratis quod Dominus Deus
Iſrael dederit regnum David ſuper Iſrael in ſempiternum, ipſi & filiis eius in
pactum ſalis? 6. Et ſurrexit Ieroboam filius Nabat, ſervus Salomonis filii David: (*c*) & rebellavit contra dominum ſuum. 7. Congregatique ſunt ad eum
viri vaniſſimi, & filii Belial: & prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis:
porro Roboam erat rudis, & corde pavido, nec potuit reſiſtere eis. 8. Nunc
ergo vos dicitis quod reſiſtere poſſitis regno Domini, quod poſſidet per filios
David, habetiſque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos
fecit Ieroboam in deos. 9. (*d*) Et eieciſtis Sacerdotes Domini, filios Aaron,
atque Levitas: & feciſtis vobis ſacerdotes ſicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiaverit manum ſuam in tauro de bobus, & in arietibus
ſeptem, fit ſacerdos eorum qui non ſunt dii. 10. Noſter autem Dominus,
Deus eſt, quem non relinquimus, Sacerdoteſque miniſtrant Domino de filiis
Aaron, & Levitæ ſunt in ordine ſuo: 11. Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies mane & veſpere, & thymiama iuxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in menſa mundiſſima, eſtque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, ut accendantur ſemper ad veſperam: nos quippe cuſtodimus præcepta Domini Dei noſtri, quem vos reliquiſtis. 12. Ergo in
exercitu noſtro dux Deus eſt, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & reſonant contra vos: filii Iſrael nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum, quia non vobis expedit. 13. Hæc illo loquente, Ieroboam retro moliebatur inſidias. Cumque ex adverſo hoſtium ſtaret, ignorantem Iudam ſuo
ambiebat exercitu. 14. Reſpicienſque Iudas vidit inſtare bellum ex adverſo &
poſt tergum, & clamavit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt.

15. Omnesque viri Iuda vociferati sunt : & ecce illis clamantibus, perterruit
Deus Ieroboam, & omnem Israel qui stabat ex adverso Abia & Iuda. 16. Fu-
geruntque filii Israel Iudam, & tradidit eos Deus in manu eorum. 17. Percussit
ergo eos Abia, & populus eius, plaga magna : * & corruerunt vulnerati ex
Israel quingenta millia virorum fortium. 18. Humiliatique sunt filii Israel in
tempore illo, & vehementissime confortati filii Iuda, eo quod sperassent in Do-
mino Deo patrum suorum. 19. Persecutus est autem Abia fugientem Ieroboam,
& cepit civitates eius, Bethel & filias eius, & Iesana cum filiabus suis, Ephron
quoque & filias eius : 20. nec valuit ultra resistere Ieroboam in diebus Abia :
quem percussit Dominus, & mortuus est. 21. Igitur Abia, confortato imperio
suo, accepit uxores quatuordecim: procreavitque viginti duos filios, & sedecim
filias. 22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque & operum eius, scripta
sunt diligentissime in Libro Addo Prophetæ.

(a) III. Reg. xv. 2. (b) III. Reg. xv. 7. (c) III. Reg. xi. 26. (d) III. Reg. xii. 31.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Electorum quadringenta millia : Ieroboam instruxit e contra aciem octingenta millia virorum*. Quidam pro centenariis denarios numerantes, scribunt *quadraginta*, & *octoginta millia*, absterriti multitudine.

V. 17. *Et corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium*. Ut in superiori loco, ita nec hoc mutandus est numerus maior *quingenta*, in minorem *quinquagenta*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 2. URIEL. Hic III. Reg. xv. dicitur *Abessalom*, & sup. cap. xi. *Absalom*: scilicet etiam *Uriel* vocabatur. LXX. quidem hic habent ut sup. *Maacha filia Abessalom*.

V. 5. SALIS, id est inviolabile: sal enim a corruptione servat: vel quasi dicat, Factum cum sacrificiis: his enim sal adhibebatur.

V. 7. FILII BELIAL, id est homines scelesti. RUDIS, ET CORDE PAVIDO. Hebr. *Puer, & corde tenero*; quasi dicat, Instar pueri pavidus, seu rudis.

V. 8. DOMINI, id est a Domino constituto.

V. 9. TERRARUM, scilicet colentium idola. INITIAVERIT, id est consecraverit. Hebr. & LXX. *impleverit*: scilicet solet Scriptura consecrationem sacerdotum vocare *manuum impletionem*: causam diximus supra, Iudic. XVII. DE BOBUS. Heb. *filio bovis*.

V. 11. IUXTA LEGIS PRAECEPTA CONFECTUM. Hebr. *aromaticum*. LXX. *compositionis*. AD VESPERAM. Hinc apparet solum noctu luxisse: quod alibi monuimus. PRAECEPTA. Hebr. & LXX. *Custodiam*.

V. 12. VOBIS EXPEDIT. Hebr. & LXX. *Prosperabimini*.

V. 15. VOCIFERATI, scilicet ut fit initio pugnæ, ad terrendum hostem. PERTERRUIT. Hebr. & LXX. *Percussit*.

V. 19. FILIAS, id est vicos, seu villas. EPHRON. Quidam putant esse Sichem, alii vertunt *Ephraim*.

V. 22. SERMONUM, id est rerum. VIARUMQUE, id est morum. OPERUM. Hebr. & LXX. *sermonum*. DILIGENTISSIME. Id additum ab Interprete.

E S T I I.

Verſ. 2. **E**T ERAT BELLUM INTER ABIAM ET IEROBOAM. Quæritur, quomodo iuſte bellum ab Abia ſuſceptum fuerit contra Ieroboam, cum ſciret Dei voluntate ei regnum collatum? nempe id patet ſupra cap. XI. Reſpondeo: Abia non infert bellum, quaſi recuperaturus regnum decem tribuum, ſed bellum ſibi illatum conatur repellere. Id patet ex eo quod ait in ſua oratione: *Filii Iſrael, nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum*. Quibus verbis non ſuadet ut redeant ad regnum Iuda, ſed ut deſiſtant ab inferendo bello. Obiicitur tamen e contra, quod Abia non agnoſcat Ieroboam legitimum Regem, dum dicit eum rebellaſſe contra Dominum ſuum: tum etiam videtur Abias intuliſſe offenſive bellum, quia habuit hanc orationem in monte Ephraim in ditione decem tribuum. Quare dici poteſt, Abiam hoc egiſſe ut populus agnoſceret, etſi Ieroboam prius iubente Domino accepiſſet regnum decem tribuum, iam tamen eo privari per Deum digne poſſet, quod erectis vitulis aureis, Ieroboam ipſum ſuo honore privaſſet. Huc enim tendit tota Abiæ oratio. Et ob hanc tam piam admonitionem, tum etiam quod Ieroboam prior inſidias ſtrueret, Deus videtur Abiæ hanc victoriam conceſſiſſe.

V. 5. NUM IGNORATIS QUOD DOMINUS DEUS ISRAEL DEDERIT REGNUM DAVID SUPER ISRAEL SEMPITERNUM, IPSI, ET FILIIS EIUS IN PACTUM SALIS? Nota, fœdus Dei perpetuum *pactum ſalis* vocari: nempe quia ſicut ſal arcet corruptionem, ita pactum huiuſmodi erat inviolabile. Alii referunt ad ſacrificium, cuius interventu ſolebant olim fœdera percuti ſeu ſanciri; ipſum autem ſacrificium ſine ſale non peragebatur. Vide Levit. cap. II.

V. 7. PORRO ROBOAM ERAT RUDIS, ET CORDE PAVIDO. Quæſtio eſt, quomodo non peccavit Abia, talia referens de patre ſuo, maxime coram tota multitudine? Reſpondeo: Dixit hoc Abia, non ut filius, ſed ut Rex, agens negotium regni, ac reipublicæ: expediebat enim ut minus reverenter, ac velut contemptim de Roboam loqueretur, ne videretur factum eius, quo decem tribus a ſe alienaverat, ullatenus approbare, ſed potius improbare ac deteſtari; quo ſic populum bene ſentientem de regno eius, induceret ad id quod volebat. Unde nec patrem ſuum eum vocat, ne vel hoc nomen videretur eum, quem populus merito oderat, aliquo modo honoraſſe.

M A R I A N AE.

Verſ. 2. **M**ICHAIA, FILIA URIEL III. Reg. XV. *Uriel* hic vocatur *Abeſſalom*; & ſuperius cap. XI. 21. *Abſalom*. Sept. utrobique *Maacha*, *filia Abeſſalom*. Erat binomius. Hieronymus in Trad. ait *Abeſſalom* non fuiſſe Abſalonem filium David. Hæc fuit mater Abiæ.

V. 3. CUMQUE INIISSET ABIA CERTAMEN, cum Ieroboam ſcilicet. Sept. *Et ordinavit Abia bellum*. ET HABERET BELLICOSISSIMOS VIROS. Heb. *In exercitu fortium belli* (id eſt pugnatorum.) ET ELECTORUM QUADRINGENTA MILLIA. Hebr. *Quadringentorum millium viri electi* (pro virorum electorum, ſeu *iuvenum*) ſic Sept. Ingens numerus in tantulo regno. Sic quidam codices Vulgatæ, ut Lovan. *quadraginta millia* habent, ſed vitioſe. Eadem difficultas in proximo numero *octingenta millia*.

V. 4. STETIT ERGO ABIA. Hebr. *Et ſurrexit Abia*: ſic Sept. SUPER MONTEM. Hebr. *deſuper monte*; quaſi dicat: E faſtigio eius montis locutus eſt. Deus dedit David regnum

V. 5. IN PACTUM SALIS, id eſt firmo, & ſtabili. Sale corpora in multos annos a tabe ſervantur. Ergo Deus Davidi regnum in perpetuum dedit.

V. 7. VIRI VANISSIMI adhæſere Ieroboam, Hebr. *vacui*, id eſt inanes, otioſi, denique viri nequam. FILII BELIAL. De hac voce ſuperius, quod ſatis eſt, Deut. XIII. 13. ROBOAM ERAT RUDIS, ET CORDE PAVIDO. Hebr. *Puer, & tener corde*. Non erat puer ætate, quippe quadraginta & unum natus annos, cum regnare cœpit; ſed prudentia. Sept. *Iunior, & pavidus corde*. Itaque bello ineptus.

V. 8. REGNO DOMINI reſiſtitis. Sic vocat Abia regnum Iuda, quoniam a Deo

institutum. ATQUE VITULOS AUREOS habetis. Explicat causas cur timere debeant, ut maxime numero vincerent; quasi dicat: Sed habetis vitulos aureos, ex eo Deum iratum. Ad hæc veros Sacerdotes expulistis,

V. 9. ET FECISTIS VOBIS SACERDOTES SICUT OMNES POPULI TERRARUM. Hebr. non est *omnes*. QUICUMQUE VENERIT, ET INITIAVERIT MANUM SUAM. Hebr. *Omnis veniens ad implendum manum suam:* sic Sept. id est, ad consecrandam manum suam. IN TAURO DE BOBUS. Hebr. *In vitulo filio bovis:* is fit sacerdos.

V. 10. NOSTER AUTEM DOMINUS, DEUS EST. Hebr. *Et nobis Dominus Deus noster*; quasi dicat: Ille est Deus noster, non vituli. LEVITAE SUNT IN ORDINE SUO. Hebr. *in opere*: scilicet in functionibus suis ministrant. Sept. *sunt in vicibus suis.*

V. 11. THYMIAMA IUXTA LEGIS PRAECEPTA CONFECTUM. Hebr. *& suffimentum aromatum*. PRAECEPTA DOMINI DEI NOSTRI. Hebr. *Nos custodimus custodiam*, id est ritus, cærimonias Dei nostri.

V. 12. IN EXERCITU NOSTRO DUX DEUS EST. Hebr. *In capite Deus*; id est, Deus est caput, dux. QUIA NON VOBIS EXPEDIT. Hebr. *Quoniam* (pro certe) *non prospere agetis*.

V. 13. HAEC ILLO LOQUENTE. Additum ab Interprete. CUMQUE EX ADVERSO HOSTIUM STARET. Heb. *Et erant ante Iudam*, id est a fronte. IGNORANTEM IUDAM. Hebr. *Et insidiæ ex post ipsos*, id est a tergo; quasi dicat: Utrinque hostes premebant Iudam, a fronte, & a tergo.

V. 15. PERTERRUIT DEUS. Hebr. *Percussit*. Sept. *Confregit Ieroboam*. QUI STABAT EX ADVERSO ABIA. Hebr. *a facie*, id est ante Abiam: scilicet metu eius confregit.

V. 17. VIRORUM FORTIUM. Sic Sept. Hebr. *Virorum electorum* quingenta millia corruerunt ex Israel.

V. 18. QUOD SPERASSENT IN DOMINO. Hebr. *Innixi essent super Dominum:* ideo roborata est tribus Iuda.

V. 19. FILIAS, id est villas cepit. EPHRON QUOQUE ET FILIAS EIUS. In Massoreth Hebraico legendum dicitur *Ephraim*. Verum non arbitror id ad totam tribum Ephraim referri, cum ן *nun* sit in fine, sed esse urbis nomen. Quidam Sichem esse hanc urbem putant. Nec valuit resistere Ieroboam,

V. 20. QUEM PERCUSSIT DOMINUS, scilicet Ieroboam. Seder Holam Abiam intelligit percussum: nam Ieroboam diutius vixit, Abia brevi mortuus est; nam tres tantum annos regnavit.

V. 22. RELIQUA AUTEM SERMONUM ABIA. Hebr. *verborum Abia*, id est rerum. Sed per sermones, vias, & opera, & actiones eius intelligit. SCRIPTA SUNT DILIGENTISSIME IN LIBRO ADDO. Hebr. *in midras Addo*. Sept. *in libro & requisitione Addo*. Nimirum is liber Addo, *Midras* a quærendo vocabatur, quoniam ab auctore diligenter acta Regum inquisita essent, & in eum librum collata. Hoc Hieronymus per adverbium *diligentissime* innuit, & Sept. cum librum *requisitionem* vocant. Aut, ut Hebræus ait, sic vocabatur, quod liber is quæreretur, quoties quis Regum gesta vellet cognoscere.

MALVENDAE.

Vers. 1. ANNO OCTAVODECIMO, &c. De hoc, & sequenti versu, vide in I. Reg. xv. 1. & 2. & 7.

V. 2. NOMENQUE MATRIS EIUS MICHAIA FILIA URIEL DE GABAA. Vide supra cap. xi. vers. 20.

V. 3. CUMQUE INIISSET ABIA CERTAMEN, ET HABERET BELLICOSISSIMOS VIROS. Hebr. *Et ligavit Abiiab prælium in strenuitate prævalidorum prælii*. Diversimode alii interpretantur. I. *Et ligavit Abiiab bellum in exercitu potentium belli*. II. *Et iunxit Abiiab milites ad bellum in fortitudine virorum bellicosorum*. III. *Et ligavit Abiiab prælium*, id est currus ad prælium, *in strenuitate heroum prælii*, vel *præpotentium belli*, seu *belli potentium*. IV. *Instruxitque Abiiab aciem illam*, quam congregaverat adversus Ierobohamum, *cum exercitu potentium in bello*. V. *Congregavit autem Abiiab ad prælium viros strenuos, & heroes aptos ad bellum*. VI. *Quamobrem iunxit Abiiab copias, robore valentes bellatores*, Ex verbo: *Et ligavit Abiiab bellum*, seu

seu *accinxit*, *inivit prælium*. Putant sumptam metaphoram ab equis, quos ad bellum curribus iungebant & alligabant, quorum curruum tum maximus in præliis usus erat. Rectius, quod milites ad prælium accingerentur; seu quod lateri ensem alligarent. Virgilius VIII. Æneidos:

Tum lateri atque humeris Tegæum
subligat ensem.

Vide hanc locutionem I. Reg. xx. 14.

V. 4 SUPER MONTEM SEMERON. Hebr. *desuper monti Tzemaraim*, de quo vide Iosue XVIII. 22. & Genes. x. 18. erat in tribu Beniamin.

V. 5. IN SEMPITERNUM, seu *in æternum*, aut *in sæculum*. Vide II. Samuel. VII. vers. 12. & 13. IN PACTUM SALIS, id est perpetuo, fœdere sempiterno. Vide Numer. XVIII. 19. Quidam exponunt, fœdere firmo & inviolabili, quod sal arceat corruptionem. Alii, fœdere sancto & solemni, icto adhibitis cæremoniis, quæ in pangendo fœdere adhiberi solent. Apud Hebræos, ut & apud alias gentes, fœdera non sanciebantur nisi adhibitis sacrificiis, in quibus semper apponebatur sal, Levit. II. 13. & Ezechiel. XLIII. 24.

V. 7. ERAT RUDIS, ET CORDE PAVIDO. Hebr. *Puer*, & *mollis animo*. Exponunt, Imbellis, & molli, seu imbecillo animo. *Puer* dicitur, non ætate, nam quadragesimum iam excesserat annum, supra cap. XII. vers. 13. sed mente, & sensu, id est rudior, & ineptior, ut Latinis *infans*: sic Paulus I. Corinthior. XIV. 20. *Ne sitis pueri sensibus*.

V. 8. VOS DICITIS, id est cogitatis, statuitis. Vide Exod. II. 14.

V. 9. ET INITIAVERIT MANUM SUAM. Hebr. *Ad implendum manum suam*. Quidam, *Ad consecrandum ministerium suum*. Vide de hac locutione Exod. XXVIII. 41. IN TAURO DE BOBUS. Hebr. *In iuvenco filio bovis*, id est tenero, lactente, subrumo. Vide Exod. XXIX. 1. Quasi dicat: Novo hoc ritu a vobis conficto.

V. 10. NOSTER AUTEM DOMINUS, DEUS EST. Hebr. *Et nos Iehovæh Deus noster*; id est, & nos sumus ii quorum Deus noster est Iehovah. Quidam: *Nos vero sumus Iehovæ Dei nostri*. Alii: *Nos autem habemus Iehovam Deum nostrum*.

V. 11. UT ACCENDANTUR SEMPER AD VESPERAM. Notant quidam, his verbis non excludi, quin etiam interdiu arderent; sed quod hora vespertina integra opera adhiberetur lucernis: mane autem recognoscebantur, ut lumen usque ad vesperam conservarent. Alii noctu tantum arsisse volunt, & mane extingui. Vide I. Samuel. III. 3.

V. 12. ERGO IN EXERCITU NOSTRO DUX DEUS EST. Hebr. *Et ecce nobiscum in capite Deus*. Plerique exponunt: Id est, est, nobis Deus caput, dux, imperator: Alii: *Quare ecce nobiscum est in principiis Deus ipse*. Vide de hac locutione Deuteron. XX. 9.

V. 13. IEROBOAM RETRO MOLIEBATUR INSIDIAS, &c. Hunc versum nos ex Hebr. ordine verborum convertimus (*Et Iarobgham circumgyrare fecit insidiam ad venire de post eos: & fuerunt faciebus Iehudah: & insidia de post eos.*) Clarius alii. I. *Et Iarobham gyravit insidias, ad veniendum post tergum eorum, & fuerunt coram Iehudah, & insidiæ post eos*; id est, pars exercitus Israelis erat a fronte Iehudæ, & pars a tergo in insidiis. II. *Et Iarobham fecit circuire insidias, ut veniret a tergo eorum; & essent ante Iehudah, & insidiæ a tergo eorum*. III. *Ieroboam autem circumduxit insidias, ut veniret post eos*; id est, ut eos a tergo adoriretur: *& fuerunt ante Iehudam*, Israelitæ; *& insidiæ a tergo eius*, Iehudæ. IV. *Interea Iarobham iusserat divertere insidias, ut invaderet eos a tergo: ita erant* Israelitæ *a fronte Iehudæis; insidiæ vero a tergo eorum*, scilicet Iehudæorum.

V. 14. VIDIT INSTARE BELLUM EX ADVERSO, ET POST TERGUM. Hebr. *Et ecce eis prælium facies, & post*; vel *faciebus, & dorso*. Quidam: *Quod ecce sibi instabat bellum a fronte, & a tergo*.

V. 19. BETHEL erat in tribu Biniamin, Iosue XVIII. vers. 22. ubi alterum vitulum constituerat Iarobham, I. Reg. XII. 29. IESANA. ישנה *Ieschana*. Hanc urbem nemo explicat, nam nomen eius alibi non occurrit: exponitur, *Vetusta*, *Antiqua*. EPHRON. Hebr. varie legitur, & effertur, *Hephrain*, *Hephravior*, *Hephron*: aiunt esse eam quæ in tribu Biniamin vocata fuit *Hophrah*, Iosue XVIII. 23. de qua I. Samuel. XIII. 17. Nec desunt qui velint esse montem *Hephron* cum vicis suis, in termino sortis Iehudæ, & Biniamin de quo Iosue XV. 9. Facile fuerit coniectari, hanc, &

& *Iesanah* ad tribum Iehudæ, vel Biniaminis pertinuisse, quæ fuit causa ut eas recuperaret Abiiah.

V. 21. Accepit uxores quatuordecim. Plerique per plusquam perfectum reddunt: *Acceperat uxores*, &c. exponunt, Non tantum in regno, sed etiam vivo patre.

V. 22. In libro Addo Prophetae. מדרש *midrasch*, exponunt, *in quæsitorio*, *inquisitorio*, *inventario*, *repertorio*, *bistoria*, *annalibus*, *Prophetæ Hido*. Quidam, *in expositione Prophetæ Hido*, De etymo vocis, hæc scribit Elias in Thisbite: *Liber in quo scribuntur verba sive res gestæ Regum & Prophetarum, vocatur midrasch, ab eo scilicet quod quicumque quærit eas res, inveniet ibi.*

MENOCHII.

Vers. 1. Nomenque matris eius Michaia, filia Uriel. At cap. xi. num. 21. & 22. dicitur filius Maacha, quæ videtur fuisse filia Absalonis. Vide quæ dixi III. Reg. xv. num. 2.

V. 4. Super montem Semeron. Dum certaminis locus fit in tribu Ephraim, & non in Iuda, aut Beniamin, satis apparet Abiam intulisse bellum Ieroboamo, & in illius fines infestum exercitum induxisse.

V. 5. Num ignoratis quod Dominus Deus dederit regnum David super Israel in sempiternum. Vetuerat Deus tempore Roboam pugnare cognatas acies, ut habuimus supra cap. xi. num. 4. Nec credibile est hoc ignorasse Abiam; sed fortasse existimavit non esse divini consilii, ut perpetua esset ista divisio, sed voluisse tantum ut ea Roboami insipientia castigaretur. In pactum salis. De pacto salis aliquid diximus Num. xviii. 19. qui plura volet, videat Martinum Del-Rio Tom. I. Adagior. adag. cix. Fortasse *pactum salis* illud erat quod firmatum erat religione sacrificiorum, in quibus sal adhibebatur.

V. 7. Viri vanissimi. Pagninus, & Vatablus vertunt, *Viri vacui*. In Hebræo est רקים *reqim*, *homines nihili*, *otiosi*, *nequam*, quod Italice dicimus *vagabondi*, *guidoni*: hæc enim significare videtur vox רק *req*, quæ forma Syriaca scribitur רקא *reqa*, vel, ut habemus in Evangelio Matth. ix. 22. *racha*. Filii Belial. Vide dicta Deut. xiii. 13. Erat rudis, et corde pavido. In Hebræo est, *Puer, & corde tenero*; quasi dicat, Instar pueri pavidus, seu rudis.

V. 8. Regno Domini, regno a Domino constituto, & cuius dominus Rex est. Quod possidet per filios David: quod possidet, & administrat per filios David, quasi per vicarios suos. Grandem populi multitudinem, scilicet octingentorum millium. Vitulos aureos, &c. quasi dicat: Hoc primum, & maximum est vestrum crimen, quod Dei gloriam in bestiam, & quidem vita, & sensu destitutam, transtulistis.

V. 9. Eiecistis Sacerdotes, &c. Alterum crimen primo consentaneum. Fecistis vobis sacerdotes, non ex divina lege, sed arbitrio vestro. Initiaverit manum suam in tauro de bobus, &c. Apparet hac cæremonia initiatos fuisse vitulorum Sacerdotes. Lyranus tamen id ad pretium refert empti sacerdotii. Levitae sunt in ordine suo: servant suos ordines, & suas vices ministrandi iuxta classes in quas distributi sunt.

V. 11. Holocausta per singulos dies, iuxta legem iugis sacrificii traditam Num. xxviii. Panes in mensa, &c. Unius tantum mensæ, & candelabri mentionem facit, cum tamen Salomon decem mensas, & totidem candelabra statuisset in Sancto. Lyranus, & Torniellus unam relictam putant a Sesac, alias sublatas. Abulensis, & Salianus, ex antiqua loquendi consuetudine, numerum singularem pro plurali positum existimant, quod verius esse censeo.

V. 13. Ieroboam retro moliebatur insidias. Iudæos omni ex parte ambire militum numero fretus curabat, ut hoste omni ex parte invadente perturbati Israelitarum gladiis cæderentur.

V. 14. Tubis canere coeperunt. Soli enim sacerdotes tubis clangebant in bello, eratque sonus ille divini auxilii imploratio: promiserat enim Deus se illis adfuturum, cum tubis illis cecinissent. Vide Num. x. 9. & ibi notata.

V. 15. Vociferati sunt, divinum in-

invocantes auxilium, & sibi mutuo edito clamore animos addentes. PERTERRUIT. Hebr. & Septuag. *Percussit*, terrore scilicet, & animi consternatione.

V. 17. QUINGENTA MILLIA VIRORUM. Qualem stragem nullibi legi puto in historiis uno conflictu editam, sed nimirum Israelitæ non resistebant, & Abiæ exercitus erat quadringentorum millium; ut mirum non sit, Domino præsertim adiuvante, tam multos cædere potuisse.

V. 19. BETHEL: civitatem idololatricæ superstitionis caput, in qua Ieroboam vitulum aureum adorandum proposuerat III. Reg. XII. Existimat tamen Abulensis quæst. XLVII. hanc Bethel eam non esse in qua positus fuerat vitulus aureus, alioqui illi Abias urbe capta non pepercisset. Videtur autem vitulus a Ieroboamo excitatus stetisse usque ad tempora Iehu, IV. Reg. x. 29. FILIAS EIUS, circumiectas villas, & pagos Bethel metropoli subiectos. EPHRON, quæ, ut vult S. Hieronymus in Tradit. Hebr. cap. v. est Ephron.

V. 20. QUEM PERCUSSIT DOMINUS, scilicet Ieroboam, morte violenta, aut subita, immisso dæmone, aut angelo percussore. Vide Abulens. quæst. XLVIII. & Salian. anno mundi 3081. num. 2.

V. 22. VIARUM EIUS, id est morum eius. IN LIBRO ADDO PROPHETAE: qui liber non extat.

TIRINI.

Vers. 2. MICHAIA FILIA URIEL. Septuaginta, *Maacha filia Abessaloni*, & ita legitur III. Reg. XV. 2. Erat enim etiam Absalom binomius, pro more gentis, & temporis istius.

V. 4. STETIT ABIA SUPER MONTEM: nempe ut ex edito loco melius undique posset exaudiri eius oratio, qua conabatur persuadere sequacibus Ieroboami, ut eo relicto ad antiquam religionem, & obedientiam legitimi sui Regis redirent, subderenturque rursus imperio posterorum Davidis, cui Deus regnum Israeliticum *a* dedit *in pactum salis*, id est pacto æternum duraturo. Quod vero, facta divulsione Israelis a Iuda, non fuerit curæ Roboamo parenti suo ut divulsas partes quacumque demum via iterum coadunaret, id stupori & ruditati illius, & cordi nimis pavido adscribendum, nec sibi iam fraudi esse debere, cui & sat animi consiliisque ad id tentandum, & sat virium esset ad cogendum vel invitos.

V. 9. QUICUMQUE INITIAVERIT (Septuaginta *impleverit*, id est consecraverit) MANUM SUAM IN TAURO DE BOBUS; Hebraice, *in vitulo filio bovis*, ET IN ARIETIBUS SEPTEM, FIT SACERDOS. Quasi dicat: Nonnisi falsi sacerdotes apud vos sunt, sicut nonnisi sunt falsi dii: quid ergo vobis præsidii ab his sperandum? Eodem spectant cæremoniæ, quas dicit illibatas a suis observari.

V. 11. PROPONUNTUR PANES IN MENSA MUNDISSIMA: ESTQUE APUD NOS CANDELABRUM AUREUM, ET LUCERNAE EIUS. Ex hoc loco, & quia deinceps numquam nisi unius mensæ, & unius candelabri fit mentio, colligit Torniellus *b*, Sesacum Regem AEgypti, cum expilaret thesauros templi, ex denis mensis, & denis candelabris, quæ Rex Salomon in templo collocarat, *c* non reliquisse nisi unam mensam, unumque candelabrum, eoque Iudæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam templum a Salomone excitaretur.

V. 20. QUEM PERCUSSIT DOMINUS ET MORTUUS EST, scilicet Ieroboam, qui duobus tribusve post infelix hoc prælium annis extinctus est. Seder-Olam Hebræum exponit percussum Abiam, qui toto biennio ante Ieroboamum occubuit, nec nisi tribus annis universim regnavit, ut dicitur vers. 2. huius cap. Forsitan ingratior fuit erga Deum post obtentam nobilissimam victoriam, qua prostraverat ex Israelitis æmulis suis *quinquaginta millia virorum fortium*, vers. 17. atque ita indignum se præbuit longiore vita: cum nihil æque displiceat Deo atque animi ingratitudo.

(*a*) II. Reg. VII. vers. 13. & alibi sæpius.
(*b*) Torniel. v. ætat. anno 42.
(*c*) II. Paralip. IV. vers. 7. 8.

GOR-

GORDONI.

Vers. 9. QUICUMQUE VENERIT, &c. Hebr. *Omnis veniens ad implendum manum suam*. Sept. *ad consecrandam manum suam*. IN TAURO DE BOBUS. Hebr. *In vitulo filio bovis*. Consuevit Scriptura consecrationem sacerdotum vocare impletionem manuum. De quo dixi Iudic. cap. XVII.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 4. SEMERON est in tribu Ephraim. Hic pugnatum est.

V. 5. De pacto salis, infra cap. XIV.

V. 17. Ingens clades in unico conflictu: Abia exercitus erat 400. millium.

V. 19. BETHEL locus vituli, III. Reg. XII. at stetit vitulus usque ad Iehu, IV. Reg. cap. X. vers. 29. Respondeo, potuisse vitulum semel sublatum reponi.

V. 22. IN LIBRO ADDO. Non extat hic liber.

CAPUT XIV.

Abia succedit filius Asa; qui, pace a Deo concessa, idolorum cultum subvertit, & civitates Iuda aedificat ac munit, Zaramque Regem AEthiopum cum exercitu mille millium divino auxilio devicit.

1. DOrmivit (*a*) autem Abia cum patribus suis, & sepelierunt
eum in civitate David: regnavitque Asa filius eius pro eo,
in cuius diebus quievit terra annis decem. 2. Fecit autem
Asa quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui,
& subvertit altaria peregrini cultus, & excelsa, 3. & con-
fregit statuas, lucosque succidit: 4. & praecepit Iudae ut quae-
reret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem, &
universa mandata: 5. & abstulit de cunctis urbibus Iuda
aras & fana, & regnavit in pace. 6. AEdificavit quoque urbes munitas in Iu-
da, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant, pacem Do-
mino largiente. 7. Dixit autem Iudae: AEdificemus civitates istas, & vallemus
muris, & roboremus turribus, & portis, & seris, donec a bellis quieta sunt
omnia, eo quod quaesierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit
nobis pacem per gyrum. AEdificaverunt igitur, & nullum in extruendo impe-
dimentum fuit. 8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta & hastas
de Iuda trecenta millia, de Beniamin vero scutariorum & sagittariorum * ducenta
octoginta millia, omnes isti viri fortissimi. 9. Egressus est autem contra eos
Zara AEthiops cum exercitu suo, decies centena millia, & curribus trecentis:
& venit usque Maresa. 10. Porro Asa perrexit obviam ei, & instruxit aciem
ad bellum in valle Sephata, quae est iuxta Maresa: 11. & invocavit Do-
minum Deum, & ait: (*b*) Domine non est apud te ulla distantia, utrum in
paucis auxilieris, an in pluribus: adiuva nos Domine Deus noster: in te enim,
& in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Do-
mine, Deus noster tu es, non praevaleat contra te homo. 12. Exterruit itaque
Dominus AEthiopes coram Asa & Iuda: fugeruntque AEthiopes. 13. Et perse-
cutus

cutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat, usque Gerara: & ruerunt AEthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa. 14. & percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaserat: & diripuerunt urbes, & multam prædam asportaverunt. 15. Sed & caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum: reversique sunt in Ierusalem.

(a) III. Reg. xv. 8. (b) I. Reg. xiv. 6.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 8. *Ducenta & octoginta millia*. Non minuas numerum denario, pro *octoginta* scribens *septuaginta*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. PEREGRINI CULTUS. Heb. & LXX. *aliena*, id est alieni dei, seu cultus.

V. 7. DIXIT AUTEM; pro, dixerat autem.

V. 9. AETHIOPS, scilicet Rex AEgypti, ut quidam volunt, qui AEthiopem interpretantur; quasi dicat, Niger ille.

V. 11. NON EST APUD TE, &c. Alii: *Non est tibi opus multis ad ferendam opem imbecilli*. LXX. *Non est impossibile apud te salvare in multis, vel in paucis*. IN TE ENIM, &c. Hebr. *Te enim nitimur, & in tuo nomine venimus*. LXX. *In te confidimus, & in tuo nomine venimus*.

V. 12. EXTERRUIT. Hebr. & LXX. *Percussit*.

V. 14. GRANDIS QUIPPE, &c. Heb. *Quia pavor Domini erat super eos*; id est, quia Deus eos terruerat. LXX. *Quia factus est stupor Domini*, seu *terror in eis*.

ESTII.

Vers. 2. FECIT AUTEM ASA QUOD PLACITUM ERAT IN CONSPECTU DOMINI, ET SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS, ET EXCELSA. Capite sequenti de eodem dicitur: *Excelsa autem derelicta sunt in Israel*: & III. Reg. xv. *Excelsa autem non abstulit*. Quæritur: Quomodo ergo hic dicitur subvertisse excelsa? Sed distinctione solvitur hic scrupulus. Erant enim excelsa quædam, in quibus idola colebantur, & ea dicitur Asa hoc capite subvertisse cum reliquo cultu idolorum. At erant quoque alia excelsa, in quibus sacrificia offerebantur uni vero Deo. Idque aliquamdiu licitum fuerat, videlicet quamdiu arca non habuerat stabilem mansionem. AEdificato autem templo, erat illicitum; a piis tamen nonnullis Regibus toleratum fuit, maioris mali vitandi causa, ne videlicet populus ad idola deflueret, vel etiam in quamdam socordiam & neglectum cultus divini. Et de talibus excelsis dicitur, quod adhuc tempore huius Regis Asa fuerint derelicta. Est & alia conciliatio non improbabilis, de qua vide Annotationem capitis xx. Hanc tamen quam diximus, probabiliorem facit quod infra capite xxxiii. legimus expresse additum, *Domino Deo suo*.

V. 9. EGRESSUS EST AUTEM CONTRA EOS ZARA AETHIOPS CUM EXERCITU SUO, DECIES CENTENA MILLIA, ET CURRIBUS TRECENTIS. Adductus fuit hic exercitus non ex AEthiopia meridionali, seu Africana, quæ longissime abest a Iudæa, & in sacris Litteris vix memoratur, sed ex AEthiopia orientali vicina Arabiæ, & Mesopotamiæ, a qua & uxor Moysi vocatur AEthiopissa. De qua AEthiopia vide prolixe ad cap. 11. Genes. ubi agitur de Paradiso.

Myſtice autem per hunc Zaram AEthiopem ſignificatur diabolus, ducens innumerabilem exercitum dæmonum, quia in tota Scriptura nuſquam tantus exercitus legitur, ſicut iſte exercitus AEthiopum, & tamen fuit a Dei populo ſuperatus.

MARIANAE.

Verſ. 2. ET PLACITUM ERAT. Hebr. *Et rectum*, ſic Sept. fecit, ſcilicet Aſa Rex Iuda. ET SUBVERTIT ALTARIA. Hebr. *removit*: idem verbum verſ. 5. pro quo Hieronymus poſuit *abſtulit*. PEREGRINI CULTUS. Hebr. *alieni*, ſcilicet Dei. Sept. *Subvertit altaria aliena*.

V. 5. FANA. Sept. *idola*. Vox Hebr. *hamanim* videtur *ſimulacra* ſignificare: quæ illa eſſent, non explicatur, ſolis putant: credo, quoniam vox illa *hamanim* a calore deducitur.

V. 7. DONEC A BELLIS QUIETA SUNT OMNIA, dixit Aſa, *AEdificemus*. Hebr. *Dum terra eſt ante nos*, id eſt hoc potimur imperio. EO QUOD QUAESIERIMUS DOMINUM; quaſi dicat: Non alia cauſa potimur imperio, quam quod Deum quæſivimus. AEDIFICAVERUNT IGITUR, ſcilicet urbes. ET NULLUM IN EXTRUENDO IMPEDIMENTUM FUIT. Hebr. *Et proſpere ceſſit*. Sept. *Et direxerunt*. Habuit Aſa de Iuda

V. 8. PORTANTIUM SCUTA. Hic צנה *zinnah* vocem Hebr. Hieronymus pro *ſcuto* ſumit; pro qua tamen cap. IX. verſ. 15. *haſtam* poſuit: utrumque ſignificat.

V. 9. ZARA AETHIOPS contra Iudam egreditur. Fortaſſe & hic, ut Seſac, fuit Rex AEgypti, qui poſt illum, & ante Sethonem regnarit, de quo Herod. Lib. II.

V. 10. ET INSTRUXIT ACIEM, ſcilicet Aſa. Hebr. *Et inſtruxere acies*: ſcilicet pars utraque produxit copias ad pugnam, ſcilicet Aſa, & Zara. Invocat Aſa Deum:

V. 11. NON EST APUD TE ULLA DISTANTIA, UTRUM IN PAUCIS AUXILIERIS, &c. Hebr. *Non tecum* (ſcilicet diſtantia) *ad auxiliandum inter multum, & cui non eſt robur*. Sententia implicita, quam mutatis verbis Hieronymus bene expreſſit. IN TE ENIM, ET IN TUO NOMINE HABENTES FIDUCIAM. Hebr. *Quoniam ſuper te innixi ſumus, & in nomine tuo venimus contra turbam hanc*. Sept. *In te confidimus, & in tuo nomine venimus*. NON PRAEVALEAT CONTRA TE HOMO. Sept. *Ne prævaleat tecum homo*. Hebr. *Ne regnet tecum homo*; quaſi dicat: Tu ſolus Deus noſter es, ne permittas, ut cuiuſquam hominis imperio ſubdamur. Verbum עצר *hazar* tum alia ſignificat, tum *regnare*, ut Iudic. XVIII. 7.

V. 12. EXTERRUIT ITAQUE. Hebraice, *Percuſſit*: ſic Sept. ſcilicet AEthiopes Deus. Et corruerunt

V. 13. USQUE AD INTERNECIONEM. Hebr. *Ut non* (eſſet) *eis vita*, ſcilicet ſuperſtes, omnes perierunt: quod Hieronymus dixit, *Uſque ad internecionem*.

V. 14. GRANDIS QUIPPE CUNCTOS TERROR. Hebr. *Quoniam fuit timor Domini ſuper eos*, id eſt timor magnus, aut a Deo immiſſus. ET DIRIPUERUNT URBES, Aſa milites ſcilicet. Hebr. additur: *Quoniam præda multa erat in eis*: pro quo Hieronymus: ET MULTAM PRAEDAM ASPORTAVERUNT.

V. 15. SED ET CAULAS OVIUM. Hebr. *pecorum* id eſt מקנה *miknah*: ſic Sept. κτηνῶν dixere, id eſt *pecorum*, non *iumentorum*, ut eſt in Regiis ab Interprete poſitum. TULERUNT PECORUM. Hebr. *Captivarunt ovem*, id eſt oves, ſeu pecudes multas. צאן non tam *oves* quam *pecudes* ſignificat, ſcilicet oves, agnos, capras.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DORMIVIT AUTEM ABIA CUM PATRIBUS SUIS, &c. Vide de hoc verſu I. Reg. XV. 8.

V. 2. FECIT AUTEM ASA, &c. Vide de hoc verſu I. Reg. XV. 11. ALTARIA PEREGRINI CULTUS. Hebr. *altaria nothi, alienigenæ, alieni, extranei, illegitimi*, ſcilicet cuiuſque Dei, vel cultus aut religionis. ET EXCELSA. Contrarium ſcribi videtur I. Reg. XV. 14. *Et excelſa non ſunt amota*. Conciliant, abſtulit excelſa idolis conſecrata; ſed non ea quæ vero Deo dedicata erant extra templum. Vide Comm. in eum locum I. Reg. Sic infra verſ. 5. Vide etiam infra cap. XV. verſ. 17.

V. 4.

V. 4. ET PRAECEPIT IUDAE id est, omnibus ad regnum Iehudæ, id est suum pertinentibus.

V. 5. ET FANA. De voce חמנים *chammanim* disseruimus in Comm. ad Levit. XXVI. vers. 30. Quidam hic vertunt *solaria*, seu *solis simulacra*: alii *subdiales statuas*: nonnulli *apricationes*, id est loca aprica, & sole calentia, dicata diis. Notant, hæc omnia de publica cultus Dei instauratione esse accipienda: nam anno demum decimoquinto singillatim quæstione habita, etiam privatæ idololatriæ sunt abolitæ, & fœdus cum Deo instauratum, infra cap. XV. vers. 8. & sequentibus.

V. 7. DONEC A BELLIS QUIETA SUNT OMNIA. Hebr. *Adhuc ipsa terra faciebus nostris*. Quidam: *Adhuc existente terra nostra coram nobis*: sive, *Dum adhuc ea terra coram nobis est*, id est in potestate & ditione nostra. Aliqui: *Superest enim nobis terra*. Alii: *Adhuc hoc existente, ut hæc terra nostra coram nobis sit*: sive, *Tantisper dum hæc terra nobis exposita est*.

V. 8. SCUTA ET HASTAS: synecdoche, omne genus armorum: sic supra cap. XI. vers. 12.

V. 9. ZARA AETHIOPS, procul dubio Rex AEthiopum sub AEgypto. Quidam coniectantru, hunc, subacta, seu devastata AEgypto, in Palæstinam erupisse. ET CURRIBUS TRECENTIS. Aliqui subaudiunt ex præcedenti membro *mille*, id est *trecentis millibus*: qui immanis est numerus: vel *mille & trecentis*: nam quamplurimos fuisse, infra cap. XVI. vers. 8. dicitur. Iosephus: *Eius Asæ regni anno decimo*, Zaræus *AEthiopum Rex cum maximo exercitu contra eum venit ducens peditum nongenta millia, equitum centum millia, adiunctis trecentis curribus*. USQUE MARESA, quæ erat in tribu Iuda. Vide Iosue XV. 44.

V. 10. IN VALLE SEPHATA. Heb. *Tzephathah*, sonat *speculam*: fortasse est *Tzephath*, de qua Iudic. I. vers. 17.

V. 11. NON EST APUD ET ULLA DISTANTIA, UTRUM IN PAUCIS AUXILIERIS, AN IN PLURIBUS. Hebræa nos verba reddidimus (*Non tecum ad adiuvare inter multum, non virtus*.) Plurifariam alii. I. *Non tecum ad auxiliandum cum multitudine non forti*: vel *ei qui non est fortis*; hoc est, non es tu talis ut egeas multitudine ad adiuvandum eum cui non est fortitudo; sed potes sine multitudine adiuvare. II. *Non est opus apud te ut auxilieris cum multis ei cui non est fortitudo*. III. *Non tecum ad auxiliandum inter multum non fortitudinis*. IV. *Non est apud te differentia ut auxilieris inter magnum, & eum cui non est fortitudo*; quasi dicat: Sine ullo discrimine ferre soles opem potenti, & infirmo. V. *Nihil refert apud te auxilium feras, vel multis, vel iis quibus non est robur*. VI. *Nihil est apud te, opem ferre destituto viribus inter abundantem*, vel *intercedendo abundanti viribus*; id est, opponendo te illi, ut vulgus loquitur. Hispanicus: *Iehova notienes tu mas con el grande, que con el que ninguna fuerca tiene, para dar ayuda*.

V. 13. USQUE GERARA: de qua vide Genes. X. vers. 19. ET RUERUNT AETHIOPES USQUE AD INTERNECIONEM. Hebr. *Et cecidit de AEthiopibus ad non eis vivificatio*. Quidam: *Et ceciderunt de AEthiopibus, ut non esset eis vita*; id est, *usque ad internecionem*, ut Noster expressit. Alii: *Corrueruntque AEthiopes, ita ut nullus ex eis vivus superesset*. Nonnulli: *Cecideruntque ex AEthiopibus tot, ut non esset illis vivificatio*, seu *instauratio*; id est, ulla suas copias instaurandi ratio: sic enim coniungatum vivificandi verbum accipitur I. Paralipom. XI. 8. Vide Genes. XVIII. 10.

V. 14. ET PERCUSSERUNT CIVITATES OMNES PER CIRCUITUM GERARAE. Quidam exponunt, *Omnes civitatum incolas circum Geraram*, qui Pelisthæi erant, ac proinde Iehudæorum perpetui hostes: & forte etiam tunc AEthiopibus iuncti. GRANDIS QUIPPE CUNCTOS TERROR INVASERAT. Hebr. *Quia fuit pavor* IHUH *super eos*. Vide similem locutionem Gen. XXXV. 5. & infra cap. XVII. vers. 10.

V. 15. SED ET CAULAS OVIUM DESTRUENTES. Hebr. *Et etiam tentoria peculii percusserunt*. Quidam reddunt: *Atque etiam habitatores tentoriorum pecuariorum percusserunt*; id est, Scenitas Arabas Pelisthææ, & Idumææ finitimos, qua fugientibus AEthiopibus iter erat: ut I. Paralipom. IV. 41.

MENOCHII.

Verſ. 1. DORMIVIT AUTEM ABIA, &c. Quæ hoc cap. initio habentur uſque ad verſiculum 4. explicata ſunt III. Reg. xv. ab initio capitis, & deinceps.

V. 9. ZARA AETHIOPS, ex AEthiopia regione quæ in Africa ultra AEgyptum meridiem verſus ſita eſt, ut volunt Abulenſis quæſt. VIII. & Salian. anno 3094. num. 2. & colligitur ex Scriptura: nam cap. XVI. num. 8. dicitur: *Nonne AEthiopes, & Lybies multo plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia?* Non ergo ſunt hi AEthiopes qui in Aſia iuxta Madianitas, & Arabes ſedes habuerunt, quod nonnemo exiſtimavit. Belli cauſam ſacer textus non expreſſit. USQUE MARESA, quæ eſt civitas tribus Iuda. Vide Adrich. in Iuda num. 187.

V. 10. PERREXIT OBVIAM EI. Veritus ne alioqui ille univerſum regnum popularetur, ſicut fecerat pridem Seſac, Roboamo non audente illi occurrere, & eius progreſſum impedire.

V. 13. USQUE GERARA, aliquot diebus fugientes AEthiopas Iudæi perſecuti ſunt: nam, ut habemus ex D. Hieronymo de Loc. Hebr. fuerunt Gerara inter Cades & Sur, hoc eſt duas ſolitudines, quarum una iungitur AEgypto, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit; altera vero Cades uſque ad Saracenorum eremum extenditur. Vide Adrichom. in tribu Simeon num. 47.

V. 14. CIVITATES PER CIRCUITUM GERARAE, quæ civitates erant Philiſthæorum, qui AEthiopibus auxilium tulerant; alioqui cauſa non erat, cur eorum urbes hoſtilem in modum cædibus, & direptionibus ſubiicerentur.

V. 15. PECORUM INFINITAM MULTITUDINEM, quæ in ſolitudinibus, & paſcuis Geraræ paſcebantur.

TIRINI.

Verſ. 2. & 3. REX ASA .... SUBVERTIT ALTARIA PEREGRINI CULTUS, ET EXCELSA, ET CONFREGIT STATUAS, LUCOSQUE SUCCIDIT. Atqui III. Reg. xv. 14. dicitur, *Non abſtulit excelſa*, quomodo hæc conveniunt? Reſpondeo: Duplicis generis erant apud Iudæos excelſa, quo nomine altaria, & templa in locis altioribus erecta deſignantur: quædam profanis idolis erant erecta, *cum ſtatuis & lucis & peregrino cultu*: hæc omnia evertit Aſa: quædam vero Deo erant erecta, ſed loco non debito: hæc non evertit Aſa, ut habetur III. Reg. xv. 14. Neque tamen hoc illi vertitur hic magno vitio, quia plurimi putabant id adhuc licere condito iam templo, & certo loco Ieroſolymis ſtatuto pro publico cultu divino & ſacrificiis, ſicut licuerat pleriſque, ante conditum templum, cum nullus tum unus certus locus talis deſignatus eſſet. Quia tamen prudentiores ſciebant, id illicitum eſſe, neque hoc poterat Regem latere, hinc ſaltem pro nævo notatur tum in Aſa, tum in aliis quibuſdam etiam piis Regibus, quod ſeu metu popularis offenſionis, ſeu neglectu accuratioris diſciplinæ tolerarint eiuſmodi excelſa, quæ vero Deo ſubſerviebant. Et idcirco Eccleſiaſtici XLIX. 5. præter Davidem, Ezechiam, & Ioſiam, omnes alii Reges Iuda peccaſſe dicuntur, nempe excelſorum vel uſu, vel tolerantia culpabili.

Nota, Regem Aſam hic dici excelſa, quæ profanis diis erecta fuerant, hoc ſenſu ſubvertiſſe, quod ſtatuas & altaria ſuſtulerit, lucos exciderit, peregrinum omnem cultum inhibuerit: non vero quod ipſa quoque templa ſeu fana ubique a fundamentis exciderit: nam plurimis pepercisſe, & cultui veri Numinis accommodari permiſiſſe, ac nominatim in monte Olivarum, patet ex IV. Reg. XXIII. verſ. 13. ubi Rex Ioſias illa excelſa quæ ibi ædificaverat Salomon variis idolis, ab Aſa quidem iam expurgata, ſed ab aliis poſtmodum idolorum cultui reſtituta, rurſus dicitur polluiſſe.

V. 6. NULLA TEMPORIBUS EIUS BELLA SURREXERANT, nempe ad id uſque tempus quo de muniendis urbibus ſuis conſultabat: nam poſt ingruit horrendum bellum, cum anno decimo quinto regni Aſæ, ut notat Salianus *a*, & colligitur ex verſ. 10. cap. ſequentis.

V. 9. EGRESSUS EST CONTRA Iudæos ZARA AETHIOPS CUM EXERCITU

SUO

SUO, DECIES CENTENA MILLIA, armatorum, qui tamen, opitulante suis Deo, & exercitu illius, id est populo Iudaico, vel etiam angelico cœtu *præliante ad internecionem*, omnes cæsi sunt. Hunc AEthiopem vult Torniellus *b* non ex Africa prodiisse, sed ex Asia, nempe ex Madianitide Iudæis vicina, unde originem traxit uxor Moysis, quæ propterea *AEthiopissa* dicta est. Emmanuel Sa, & Ioannes Mariana propendent, ut AEthiopem hunc faciant Regem AEgypti, qui contemptim vocetur AEthiops. Et huic sententiæ favent Hebræi in suo Seder-Olam, ubi aiunt, hunc Zaram restituisse Asæ prædam omnem quam Ierosolymis viginti sex ante annis Sesacus abstulerat. Sed verisimilius est, quod Abulensis, Serarius, & alii tenent, ex proprie dicta AEthiopia in Africa, AEgypto, & Lybiæ contermina, prorupisse. Nam cap. XVI. vers. 8. ubi certum est de his AEthiopibus agi, diserte coniunguntur AEthiopes Lybiis, quos nemo extra Africam collocarit. Quid moverit hunc AEthiopem ad hoc bellum, incertum, forsan & ipse totius Asiæ inhiabat imperio, ut nuper Sesacus. Forsan e sterili & arente solo aspirabat ad terram lacte & melle manantem, cuius Reges animis inter se armisque diffidentes, nullo negotio putabat opprimi posse. Et erat in oculis exemplum nuperæ expeditionis Sesaci, cuius in castris hic forsan AEthiops tunc adolescens militarat, & maximam spoliorum partem Ierosolymis adhuc relictam meminerat. Sed vanam spem superbi AEthiopis elusit Deus, & ipso cum centum myriadibus suis prostrato, spoliis AEthiopum ditavit Iudæos: & hac ratione compensavit iacturam quam nuper a Sesaco acceperant. Quæ fuit forte Rabbinorum mens, cum dixerunt, Zaram Sesaci prædam Iudæis restituisse.

V. 13. GERARA. Unde nunc *Geraritica*, ait Hieronymus, regio est trans Daroma, id est ad australem plagam, a Maresa in finibus Iudææ, ubi nunc Eleutheropolis, distans viginti millibus. Eratque olim terminus Chananæorum ad australem plagam, & metropolis Palæstinæ. Scriptura ponit eam inter Cades & Sur, hoc est inter duas solitudines, quarum una, Sur, AEgypto iungitur; altera, Cades, usque ad Saracenorum eremum protenditur. Hæc Hieronymus. E quibus patet, Iudæos non levi terrarum tractu, forte continuis aliquot diebus, AEthiopas insecutos fuisse, & fugientes cecidisse.

(*a*) Salian. anno mundi 3095.
(*b*) Torniell. ætate 5. an. 71.
(*c*) Seder-Olam cap. XVI.

GORDONI.

Vers. 5. NArrat Abia, pactum quo Deus Davidi firmavit regnum integrum, fuisse PACTUM SALIS hoc est sempiternum (quamvis conditionatum, si legem servarent posteri.) Sane Num. XVIII. 19. *pactum salis* dicitur *sempiternum* coram Domino (Salis natura est facere res diuturnas) & tunc maxime si firmetur res oblato sacrificio.

V. 9. ZARA AETHIOPS. Putant aliqui esse Regem AEgypti) qui successit Regi Sesac) & ab ipso, iunctis Madianitis, gestum esse hoc bellum; vocari vero AEthiopem, quod niger esset.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Quæ hic sunt usque ad versum nonum, habentur III. Reg. cap. XV.

V. 9. MARESA civitas Iuda.

V. 14. Hæ civitates percussæ erant Philistinorum, quos proinde probabile est tulisse opem AEthiopibus in hoc certamine.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 1. *Azarias autem filius Oded*. Quia nomen *Obed*, scriptum quatuor litteris a se mutuo diversis, longe celebrius est in veteris Testamenti libris, quam nomen *Oded*, quod constat *d* littera repetita, idcirco quidam hic *Oded* commutarunt in *Obed*. Idem accidit infra vers. 8.

V. 4. *Cumque reversi fuerint in angustia sua*. Quod subiiciunt quidam, *& clamaverint*, superfluum est.

V. 19. *Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa*. Non est omittendus minor numerus *quintum*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. SPIRITU, scilicet propheti-co.

V. 2. FUISTIS CUM EO, id est ei adhæsistis.

V. 3. TTRANSIBUNT, &c. Id quidam referunt ad captivitatem Babylonicam: alii ad præsentem, ubi certe sine Deo sunt vero: non enim trinum colunt, nec Christum agnoscunt, nec Lex Moysaica iam est, desiit enim obligare a Christi passione.

V. 5. EGREDIENTI, scilicet urbem suam. TERRORES. LXX. *stupor*, seu *terror Domini*. Alii *tumultus*, seu *turbationes*.

V. 8. AZARIAE FILII ODED: sic Hebr. & LXX. scilicet vocatur nomine patris; vel forte id erat etiam eius nomen. DEDICAVIT, scilicet renovavit. ALTARE, scilicet a Salomone constructum.

V. 12. INTRAVIT EX MORE. Hebr. *Venerunt*.

V. 15. CUM EXECRATIONE. Hebr. & LXX. *Lætatique sunt ob iuramentum*.

V. 16. EX AUGUSTO DEPOSUIT IMPERIO. Hebr. *Fecit ne esset domina*. LXX. *Amovit, ne Astartæ ministraret*.

V. 17. EXCELSA, scilicet aliqua, vel privata; nam publica abstulerat. Vel abstulerat excelsa idolorum, non ea in quibus Deus verus colebatur.

V. 18. QUAE VOVERAT. Hebr. *sanctificationes*. LXX. *sancta*; quasi dicat, Quæ sanctificaverat, seu dedicaverat. IPSE, scilicet voverat.

V. 19. BELLUM VERUM NON FUIT, scilicet post illud AEthiopicum.

ESTII.

Vers. 2. DOMINUS VOBISCUM, QUIA FUISTIS CUM EO. Hac sententia, aliisque similibus olim abusi fuerunt Pelagiani, ut ostenderent, hominis solius esse præparare se ad suscipiendam gratiam Dei, & Deum solis illis suam infundere gratiam qui ad eam suscipiendam se præpararent. Contra quos recte a Scolasticis ex Scriptura, & Augustino introducta est duplex gratia, scilicet præveniens, & subsequens. Et in primis inepte hanc sententiam usurpabant Pelagiani. Nam non loquitur hic Propheta de auxilio gratiæ Dei, quo cor hominis movetur ad bene operandum, sed tantum de auxilio illis præstito contra hostes visibiles. Itaque sensus est: *Dominus vobiscum*, scilicet in isto prælio, quo superastis tantam multitudinem hostium; idque propterea *quia fuistis cum eo*; id est, quia ad eum fuistis conversi, per veram fidem, & pœnitentiam, relictis idolis quæ coluerant patres vestri. Si instas: An non possit idem de interna gratia dici? respondeo: Potest, modo sane intelligatur; ut sensus sit, propterea Deum nobis adesse per gratiam subsequentem, quia cum eo fuimus primæ eius gratiæ diligenter cooperando.

V. 16. SED ET MAACHAM MATREM ASA REGIS EX AUGUSTO DEPOSUIT IMPERIO. Alii vertunt nominandi casu: *Sed & Maacha matrem* (scilicet suam) *Asa Rex amovit eam ne esset hera seu domina*. Vide III. Reg. xv.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 1. AZARIAS AUTEM FILIUS ODED. Sic Hebr. & Græc. Pagn. tamen, & quidam Latini codices, *filius Obed*. Erat ipſo tempore Azarias Pontifex. Ergo ut ab illo diſtinguatur, hic dicitur *filius Oded*. Fuit Propheta. Dixit Aſa:

V. 3. TRANSIBUNT AUTEM MULTI DIES. Hebr. *Et dies multi Iſraeli*: ſic Sept. ſcilicet erunt, aut fuerunt: nam Interpretes variant; neque eſt facile ſtatuere, de quo tempore loquatur, præterito, an futuro: de futuro magis credam, Babylonica captivitate, aut Romana. IN ISRAEL ABSQUE DEO VERO, Heb. *Deo veritatis*, id eſt colentes idola: ſic plerique Interpretes. Sed quoniam *Elohim* non *Deum* ſolum, ſed *iudices* ſignificat, quidam putet edici filios Iſrael fore, aut fuiſſe multo tempore abſque iudicibus veritatis, qui in iudicio veritatem ſequerentur: ſic Hebræus. ET ABSQUE SACERDOTE DOCTORE: ſcilicet neque iudices veritatem ſequebantur, neque ſacerdotes erudiebant populum, vel ipſorum incuria, vel quoniam de lege nullus de populo eos rogaret. ET ABSQUE LEGE, id eſt legis cura. Miſerabilis populi conditio.

V. 5. NON ERIT PAX EGREDIENTI, ET INGREDIENTI; id eſt, non erit tutum ex ſua urbe exire, aut in illam redire, d nique iter fac.re. SED TERRORES UNDIQUE. Hebr. *Quia tumultus multi*.

V. 6. PUGNABIT ENIM GENS CONTRA GENTEM. Hebr. *Collidentur gens in gentem*.

V. 7. VOS ERGO CONFORTAMINI, ſcilicet ad quærendum Deum. ERIT ENIM MERCES. Miram Dei benignitatem: novit nos mercenarios eſſe, nobis ſe attemperat. Sic Aſa

V. 8. ABSTULIT IDOLA. Hebr. *abominationes*: ſic Sept. ſed *idola*, *abominationes* vocantur. DEDICAVIT ALTARE. Hebr. *Innovavit*, *inſtauravit*. ANTE PORTICUM DOMINI: ſcilicet quod altare Salomon addidit, propter multitudinem victimarum in die dedicationis: illud inſtauravit Aſa.

V. 10. MENSE TERTIO venit populus in Ieruſalem Regis accitu. Is eſt menſis Sivan: & miror in eo nullum extare veſtigium huius celebritatis ab Aſa confectæ in Hebraico Kalendario.

V. 11. DE MANUBIIS, ET PRAEDA immolavit. Hebr. *de præda* tantum: nam *manubiæ* pecunia eſt ex vendita præda redacta. ARIETES. Sept πρόβατα, *oves*. Vox Hebr. צאן *zon pecudes* ſignificat proprie.

V. 12. ET INTRAVIT EX MORE AD CORROBORANDUM FOEDUS, ſcilicet Rex. Heb. *Et venerunt in fœdere*, vel potius *in fœdus*; id eſt, percuſſerunt fœdus, ſcilicet populus novo iure iurando, quo ſe ad quærendum Deum obſtrinxere. Sept. *Et intraverunt in fœdere*.

V. 13. SI QUIS AUTEM, INQUIT. Vox *inquit* addita eſt, nec opus eſt ea. Hebr. *Et omnis qui non quæſierit Dominum moriatur*. Ea fœderis pars eſt ab omnibus initi.

V. 15. OMNES QUI ERANT IN IUDA CUM EXECRATIONE ...... IURAVERUNT. Eſt iuramentum execratorium. Sept. *Et exultaverunt omnis Iuda propter iusiurandum*: ſic Hebr.

V. 16. EX AUGUSTO DEPOSUIT IMPERIO Maacham matrem ſuam. Heb. *Removit eam a domina*. Quod duobus modis poteſt intelligi: aut removit, ne Regina eſſet, ne ſe rebus immiſceret: hoc ſequitur Hieronymus hic: aut removit, ne præfecta eſſet ſacris impiis. Hoc Sept. tranſtulerunt, *Ut non eſſet Aſtartæ miniſtrans*. Hieronymus in Tradit. *Ex auguſto depoſuit imperio*; id eſt, removit eam a ſacerdotio impio. EO QUOD FECISSET IN LUCO SIMULACRUM PRIAPI. Hebr. *Miphlezeth*, id eſt *ſimulacrum*, quod a terrore dictum putant, quoniam idola cultoribus terrorem incutiunt. Hebræi putant id ſimulacrum Priapi fuiſſe, quem cuſtodem hortorum turpiſſima effigie ponebant. Hoc Hieronymus eſt ſecutus. Huc Sept. reſpexerunt, cum dixerunt miniſtrare ſolitam Maacham Aſtartæ, quæ Venus ex Cicerone eſt, III. de Natura deorum. Certe in eo ſacrorum turpitudinem indicarunt. Hebræus eodem reſpiciens ait *Miphlezeth* dictum quaſi מפליא זנות *Maphalia Zenuth*, id eſt *mirificans fornicationem*. Nimirum ea ſacra turpitudine plena erant, turpe idolum, ſive Priapi, ſive Veneris eſ-

esset: turpis lucus ad id comparatus, ut peracto sacrificio in eo indulgerent turpitudini. De quo III. Reg. xv. 13.

V. 17. EXCELSA AUTEM DERELICTA SUNT, id est altaria quibus privati Deo sacrificabant, sed contra legis prohibitionem.

V. 18. QUAE VOVERAT PATER SUUS, ET IPSE. Hebr. *Intulit sacrificationes patris sui, & sanctificationes suas*; id est, quæ sanctificaverant, Deoque dicarant, intulit Asa in templum. ARGENTUM, ET AURUM; pro, id est argentum, & aurum. Eæ sanctificationes erant.

MALVENDAE.

Vers. 1. FILIUS ODED. Hebr. *Filius Ghoded*, seu *Hoded*. Volunt hunc Hoded fuisse, qui supra cap. XII. vers. 15. dicitur *Hido*, & cap. IX. vers. 29. *Iebdi*

V. 3. TRANSIBUNT AUTEM MULTI DIES. Hebr. *Et dies multi ipsi Israeli*. Recte notant loqui de regno Israelitico decem tribuum postquam defecerat a regno Iehudæ: unde reddunt: *Dies enim multi aguntur Israelitis, sine Deo vero*, &c. ut sit confirmatio ad exemplo regni Israelitici, quod a vera religione defecerat, atque idcirco ope Dei carebat, & magnis turbinibus vexabatur. Alii minus recte ad captivitatem Babylonicam, vel ad supremam post necem Christi devastationem per Romanos referunt.

V. 4. CUMQUE REVERSI FUERINT IN ANGUSTIA SUA, &c. Hunc versum significantius alii transferunt: *Quod si conversus fuisset Israel, cum angustia esset sibi, ad Iehovam Deum Israelis: requirentibus ipsum præsto fuisset illis*.

V. 5. IN TEMPORE ILLO NON ERIT PAX, &c. Quidam reddunt: *Sed temporibus istis*, nempe ab initio defectionis huc usque, *non est pax exeunti, & redeunti*; id est, cunctis huius regni quomodolibet munia vitæ, aut rei publicæ exercentibus.

V. 6. PUGNABIT ENIM GENS CONTRA GENTEM, &c. Heb. *Et contuderunt gens in gente*. Quidam: *Adeo ut contundantur gens gente*, &c. Vide comminationem I. Reg. XIV. 10. & seqq. & complementum I. Reg. XV. 27. & sequentibus.

V. 7. ET NON DISSOLVANTUR MANUS VESTRAE. Hebr. *Et non remittent*, vel *remittentur manus vestræ*. Vide de hac locutione II. Samuel. IV. I.

V. 8. ET PROPHETIAM AZARIAE FILII ODED PROPHETAE. Hebr. *Et prophetiam Hoded Prophetæ*. Noster eclipsin intellexit vocis *filii*. Alii volunt fuisse binominem, & qui vers. 1. dictus fuit *Azarias*, hic dici *Hoded*; ac patrem & filium utrumque vocatum *Hoded*. Nonnulli exponunt: *Et prophetiam illam scriptam a Hodedo Propheta*. Nempe, prophetiam illam Achiiæ Silonitæ, I. Reg. XIV. 7. & sequentibus, quam Hoded in acta retulit: nam Hodedum, sive Hiddonem, partem illam historiæ Libri Regum scripsisse volunt, e cap. XII. vers. 15. & cap. XIII. vers. XXII. supra. Sed subtilior videtur interpretatio. ET ABSTULIT IDOLA DE OMNI TERRA IUDA. Hebr. *Et transire fecit abominationes de omni terra Iehudah*. Quidam: *Et tulit de medio abominationes*, &c. id est, abolevit abominanda idola. Alii: *Abstulit reliquos abominandos deos*, &c. id est, quæstione domesticatim habita, regnum totum ab idololatria repurgavit: nam antea iam publice, amotis idolis, cultum Dei instauraverat supra cap. XIV. vers. 5.

ET EX URBIBUS, QUAS CEPERAT MONTIS EPHRAIM. Quidam intelligunt eas urbes, de quibus supra cap. XIII. vers. 19. At illæ non erant in monte Ephraim: alias ergo præter illas intelligi necesse est positas in montanis Ephraim. ET DEDICAVIT ALTARE DOMINI. Hebr. *Et innovavit, instauravit, altare Iehovæh*. Quidam intelligunt, & totum atrium de integro curavit instaurandum: quamobrem atrium novum dicitur infra cap. XX. vers. 5. Synecdoche. QUOD ERAT ANTE PORTICUM DOMINI. Vide supra cap. VIII. vers. 12.

V. 9. ET DE SIMEON. Notant, hinc apparere, Simeonitas aliquos Israelitis finitimos, a regno Iehudæ initio cum Israelitis defecisse, cum laceraretur regnum: etsi de cetero corpus tribus Simeoniticæ, Iehudæ adhæsit dum domus Davidis regnavit: I. Paralipomen. IV. vers. 31. Vide I. Reg. XI. vers. 32.

V. 10. MENSE TERTIO. In quem, inquiunt, festum septimanarum incidit, mandatum a Deo, Exod. XXIII. 16. ut in eo

festo peractos hos magnos regni conventus intelligamus.

V. 12. ET INTRAVIT EX MORE AD CORROBORANDUM FOEDUS, &c. Hebr. *Et venerunt in fœdus*. Latini etiam sic loquuntur. Virgilius IV. AEneidos:

...... *aut hæc in fœdera veni*.

Quidam: *Iniveruntque fœdus de requirendo Iehova*, &c.

V. 15. OMNES, QUI ERANT IN IUDA, CUM EXECRATIONE: IN OMNI ENIM CORDE SUO IURAVERUNT, ET IN TOTA VOLUNTATE QUAESIERUNT EUM, ET INVENERUNT. Nos verba Hebraica ordine reddidimus. (*Et lætati fuerunt omnis Iehudah super iuramentum, quia in omni corde suo iuramento obstricti fuerunt; & in omni beneplacito suo quæsiverunt eum, & inventus fuit eis.*) Nonnulli ita: *Lætabantur enim omnes Iehudæi de isto iuramento (nam ex toto animo suo iuraverant) quod cum toto studio requisivissent eum, præsto fuisset ipsis*. Vide supra vers. 13. & 14.

V. 16. SED ET MAACHAM MATREM ASA REGIS, &c. *Matrem*, intellige *aviam*. Vide I. Reg. xv. 10. Ceterum de hoc versu, & duobus sequentibus, vide I. Reg. xv. vers. 13. 14. & 15. inde petendi Comm.

V. 19. BELLUM VERO NON FUIT, nimirum ab hoc tempore, scilicet ab anno quintodecimo regni Asæ, supra vers. 10. & deinceps. USQUE AD TRIGESIMUM QUINTUM ANNUM REGNI ASAE. Intelligunt inclusive, ut ostenditur initio sequentis capitis. Vide Comm. ibi.

MENOCHII.

Vers. 1. FACTO IN SE SPIRITU DEI, concepto spiritu prophetico.

V. 3. TRANSIBUNT MULTI DIES, &c. Hæc accidisse putant aliqui tempore captivitatis Babylonicæ. Alii ad præsentem rerum Iudaicarum statum referunt, post Christi adventum, & captam a Romanis Ierusalem: nam nunc Hebræi sunt sine Deo, quia scilicet trinum non colunt, nec Christum agnoscunt: nec lex Mosaica est, quæ dudum obligare desiit. ABSQUE SACERDOTE. Nunc enim confusis tribubus non habent Sacerdotes, nec Levitas. DOCTORE. Nam pro veris doctoribus mendaces, & fabularum sectatores Rabbinos habent.

V. 4. CUM REVERSI FUERINT, &c. Hæc ad mundi occasum pertinent, cum scilicet Israelitæ, qui tunc supererunt, tandem aliquando resipiscentes salvi fient. Vide ad Rom. cap. xi. vers. 26.

V. 5. NON ERIT PAX INGREDIENTI, ET EGREDIENTI: nullam habebunt pacem in actionibus, & vitæ sive publicæ, sive privatæ functionibus. Vide Riberam ad caput x. S. Ioan. numero 9. TERRORES UNDIQUE, quod iam experiuntur Iudæi. Concinit Azariæ vaticinium iis quæ dicuntur Lev. xxvi. 36. *Et qui*, inquit Moyses, *de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium*, &c.

V. 6. PUGNABIT GENS CONTRA GENTEM, &c. quod Matthæus dixit capite xxiv. 7. *Consurget gens in gentem, & regnum in regnum*, &c. vel etiam ad viciniora tempora hoc referri potest, scilicet ad bellum quod fuit inter Asa Regem Iuda, & Baasa Regem Israel, unius enim & eiusdem loci duplex potest esse sensus litteralis, ut diximus in Prolegomenis cap. xxv.

V. 8. QUAS CEPERAT, MONTIS EPHRAIM, ex regno Baasæ Regis Israel, cum quo multiplex, & diuturnum bellum gessit Asa. DEDICAVIT, instauravit, innovavit, ut etiam habent Septuaginta ἐνεκαίνιζε: vel enim fuerat neglectum, vel perpetua ignis actione labefactatum erat. ALTARE DOMINI, altare holocaustorum, quod erat in atrio ante templi porticum, quæ erat prima pars eiusdem templi, illiusque vestibulum.

V. 10. MENSE TERTIO. Videtur hoc fuisse festum pentecostes, quod cadebat in mensem tertium, quem *Sivam* appellant Hebræi, & fere respondet Maio nostro.

V. 12. EX MORE AD CORROBORANDUM FOEDUS, &c. quod erat solemnis fidei, veræque religionis professio. Cum vero dicitur, *Ex more*, innuit consuetudinem renovandi fœderis, ac iurisiurandi, quod dubiis præsertim temporibus merito frequentabatur. IN TOTO CORDE, ET IN TOTA ANIMA, &c. id est sincere

re, & ex animo, fine fictione, aut simulatione.

V. 13. MORIATUR, iuxta legem Domini adversus impios idolorum cultores constitutam Deuteron. XVII. 7. & XIII. 9.

V. 15. CUM EXECRATIONE: imprecabantur sibi videlicet ingentia mala, si fidem datam fallerent, fœdusque violarent. In Hebr. & Græco tantum est, *Cum iuramento*.

V. 16. MATREM ASA REGIS, id est aviam, matrem Abiæ, uxorem Roboam, aut potius uxorem Abiæ matrem suam. Duæ enim fuerant eiusdem nominis, quarum altera Roboamo avo, altera nupsit Abiæ, Asæ parenti. EX AUGUSTO DEPOSUIT IMPERIO. Hebr. *Fecit ne esset domina*. Septuag. *Amovit, ne Astartæ ministraret*. Deposuit matrem, ne esset sacerdos Priapi.

V. 27. EXCELSA DERELICTA SUNT, &c. Vide dicta III. Reg. XV. num. 14.

V. 18. QUAE NOVERAT PATER SUUS, nimirum in magno illo rerum suarum discrimine, cum pugnavit contra Ieroboam, ut vult Abulensis III. Reg. cap. XV. quæst. XVII. in fine. ET IPSE, qui etiam Domino diversa voverat donaria, quæ cumulate persolvit.

V. 19. BELLUM NON FUIT, &c. dante ei Domino requiem per circuitum, ut dicitur num. 15.

TIRINI.

Vers. 1. AZARIAS FILIUS ODED. Nomen parentis additur, ut hic Propheta distinguatur ab Azaria Pontifice, qui sub idem tempus summo sacerdotio fungebatur. Ita Mariana.

V. 3. TRANSIBUNT MULTI DIES IN ISRAEL ABSQUE DEO VERO, DOCTORE, ET LEGE; id est, absque cultu & cura veri Dei, doctoris, & legis divinæ. Designat præsens tempus in regno Ieroboami & successorum illius, & etiam in regno Iuda futura tempora sub impiis Regibus, Ioramo, Ochozia, Athalia, Achaz, Manasse, & filiis Iosiæ Ioachimo & Sedecia; sed omnium maxime quæ post occisum Messiam sæcula iam labuntur, quibus Iudæi sine cultu & cura veri unius & trini Dei, suique Messiæ, sine ullo legitimo sacerdote & sacrificio, sine lege ad salutem idonea miserrimi degunt toto orbe dispersi.

V. 10. MENSE TETIO, Sivan, in quem incidit festum pentecostes, ut reipsa demostrarent, se acceptam ferre Deo omnem victoriam de AEthiopibus partam.

V. 11. IMMOLAVERUNT IN DIE ILLA DOMINO, DE MANUBIIS, id est de pecunia quam ex vendita præda collegerant.

V. 17. COR ASA ERAT PERFECTUM CUM DOMINO CUNCTIS DIEBUS EIUS. Sed sermo est de sola perfectione quo ad externum cultum unius veri Dei, & extirpationem idololatriæ: nam in quibusdam aliis peccasse certum est ex sequentibus, & capite sequenti versu 7. & 12. ubi, cum gravi podagra per triennium laboraret, reprehenditur quod non tam Deo, quam medicorum industriæ confisus sit; sicut & contra Regem Baasa potius a Benadad Rege Syriæ, quam a Deo Rege cæli & terræ, auxilium quæsierit: quod item Prophetam Hanani, qui hoc nomine illum arguebat, & quidem iussu Dei, stomachabundus non audierit, immo in nervum miserit, id est in carcerem compegerit: quod denique de populo, dum suo indulget furori, multos occiderit. Sed hæc peccata, quantumvis gravia, quia tamen cultui externo Dei, de quo solo hic iam agitur, non adversantur, non etiam obstiterunt quo minus cor Regis Asæ in aliis quæ cultum veri Numinis concernebant, integrum perfectumque mansisse censeretur.

V. 19. USQUE AD TRIGESIMUM QUINTUM ANNUM REGNI ASA, id est regni Iudaici, quod a morte Salomonis, uti ab Israelitico reliquarum decem tribuum solemni schismate seiunctum fuit, hic potest dici tum cœpisse. Ita Hebræi, Torniellus, Salianus, Sanctius, & Mariana *a*. Sic initio cap. sequent. XVI. vers. 1. dicitur, *Baasa Rex Israel ascendisse in Iudam anno trigesimo sexto regni Asæ*, id est regni Iudaici, quod tunc administrabat Asa, cuius annus regni proprius tum volvebatur decimus sextus, proximus ab AEthiopica victoria. Patent hæc ex III. Reg. XVI. 8. ubi dicitur Baasa e vivis excessisse anno 26. Regis Asæ: quomodo ergo potuit 36. anno Regis Asæ, id est novennio post

mortem suam, cum Asa prælio decertare?

(a) Heb. sup. Torniell. anno 3094. Sanctius in III. Reg. xv. vers. 16. Mariana cap. xvi. vers. 1.

GORDONI.

Vers. 1. AZARIAS FILIUS ODED. Recte nominatur pater, quia eodem tempore erat alius nomine Zacharias, qui erat Pontifex.

V. 3. TRANSIBUNT. Hanc miserabilem populi condictionem satis, & sæpe explicat Scriptura: quamvis an Propheta hic intelligat tempus præteritum, an futurum, sit satis incertum.

V. 16. EX AUGUSTO DEPOSUIT IMPERIO; vel ne se rebus regni immisceret; aut amovit, ne, ut solebat præesset impiis idolorum sacris. Septuag. *Ne ministraret Astartæ idolo*. Vide I. Reg. VII. 3.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 4. CUMQUE REVERSI FUERINT, &c. De hac impietate avertenda a Iacob, loquitur Paulus Rom. XI. 26. ac proinde hic intelliguntur extrema mundi tempora.

V. 8. MONTIS EPHRAIM. Sunt civitates ereptæ Baasæ Regi Israel. De hoc dixi cap. XIII.

*V.*17. De his excelsis non omnino sublatis, dixi III. Reg. cap. XV, vers. 14.

V. 18. Donaria obtulit & sua, & paterna.

CAPUT XVI.

Pugnante Baasa Rege Israel contra Asa, vocavit Asa Benadad Regem Syriæ in auxilium, & Hanani Prophetam ipsum ob id increpantem in nervum coniecit; ac dolore pedum cruciatus, in medicorum arte spem ponens, anno regni sui 41. moritur.

1. ANno autem trigesimo sexto regni eius, ascendit Baasa Rex
Israel in Iudam, & muro circumdabat Rama, ut nullus tu-
te posset egredi & ingredi de regno Asa. 2. Protulit ergo
Asa argentum & aurum de thesauris domus Domini,
de thesauris Regis, misitque ad Benadad Regem Sy-
riæ, * qui habitabat in Damasco, dicens: 3. Fœdus in-
ter me & te est, pater quoque meus & pater tuus ha-
buere concordiam: quam ob rem misi tibi argentum &
aurum, ut rupto fœdere, quod habes cum Baasa Rege Israel, facias eum a me
recedere. 4. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad ur-
bes Israel: qui percusserunt Ahion, & Dan, & Abelmain, & universas urbes
Nephthali muratas. 5. Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, & in-
termisit opus suum. 6. Porro Asa Rex assumpsit universum Iudam, & tulerunt
lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex
eis Gabaa, & Maspha. 7. In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asa Re-
gem Iuda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Regem Syriæ, & non in Do-
mino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. 8. (a) Non-
ne AEthiopes, & Libyes multo plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitu-
dine nimia: * quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? 9. Oculi enim Do-
mini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde
per-

perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent. 10. Iratusque Asa adversus Videntem, iussit eum mitti in nervum: valde quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos. 11. Opera autem Asa prima & novissima, scripta sunt in Libro Regum Iuda, & Israel. 12. AEgrotavit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. 13. Dormivitque cum patribus suis: * & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui. 14. Et sepelierunt eum in sepulcro suo quod foderat sibi in civitate David: posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.

(a) Supra xiv. 9.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Qui habitabat in Damasco*. Alii addita una litera *r*, *Darmasco* scribunt, ut supra I. Paralip. XVIII. vers. 5.

V. 8. *Quos, cum Domino credidisses, tradit in manu tua*. Non addas *in* præpositionem ante *Domino*, ut alii.

V. 13. *Et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui*. Non est auferendus minor numerus *primo*, quod quidam faciunt.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 4. MURATAS. Hebr. *munitas*.

V. 7. EVASIT, scilicet ne illum etiam vinceres, quod alioqui fecisses.

V. 8. CREDIDISSES. LXX. *Confisus esses*. Hebr. *innixus esses*.

V. 10. NERVUM, id est carcerem. Hebr. *domum carceris*. INTERFECIT. Alii, *Oppressit*. LXX. *Læsit*, seu *vastavit*.

V. 12. DOLORE PEDUM, scilicet podagra.

V. 14. UNGUENTIS MERETRICIIS. Hebr. *variis aromatibus*, seu *factis ex diversis speciebus*. Alii, *peregrinis odoramentis*. COMBUSSERUNT, scilicet odoramenta. SUPER EUM. Hebr. *eum*, seu *ei*. LXX. *eum*. AMBITIONE NIMIA. Hebr. & LXX. *maxima combustione*.

E S T I I.

Vers. 7. QUIA HABUISTI FIDUCIAM IN REGE SYRIAE ET NON IN DOMINO DEO TUO: IDCIRCO EVASIT SYRIAE REGIS EXERCITUS DE MANU TUA. Primo hic notandum, quam sit Deo ingratum, si Princeps Christianus vel fœdera ambiat, vel auxilia imploret Principum hæreticorum, vel infidelium. Hoc enim signum est, eum qui hoc facit, magis confidere in subsidio humano quam in auxilio Dei. Neque legimus, usquam Scripturam approbare ut ab infidelibus subsidia petantur. Quod autem hic dicitur, *Idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua*, non sic intelligendum est, quasi bellum ei contra Regem Syriæ fuerit (nam asciverat eum sibi Asa auxiliarem contra Regem Israel) sed sensus est: Si fiduciam habuisses in Domino Deo tuo, nec advocasses in auxilium Regem Syriæ infidelem, non tantum vicisses Regem Israel, sed etiam exercitum Regis Syriæ, si forte Regi Israel ferre voluisset suppetias, aut regnum tuum quoquo modo invadere.

V. 12. AEGROTAVIT ETIAM ASA DOLORE PEDUM VEHEMENTISSIMO. Iuste pedum dolore cruciatus est qui paulo ante Prophetam Domini iniuste in nervum miserat, quo pedes constringuntur, ut per quod peccaverat, per hoc & pu-

puniretur. Hebræa sic habent: *In pedibus suis eius usque ad supra ægrotatio eius*. Pagninus, *Usque ad verticem*, Vatabl. in scholio, *Usque sursum*; id est, usque ad summam partem corporis grassatus est morbus. Porro quod additur, SED MAGIS IN MEDICORUM ARTE CONFISUS EST, Hebr. tantum est: *Quia in medicis confidit*. Sensum tamen bene Hieron. reddidit. Vatablina versio quoque sic habet: *Et in morbo suo non quæsivit Dominum, sed medicos*. Est autem hic Asa illustre exemplum omnibus, ne cum hæreticis certo sibi promittant securitatem. Dixit enim Scriptura de ipso cap. præced. quod *cor eius fuerat perfectum cunctis diebus*, scilicet usque ad illud tempus; & tamen idem ille hoc capite gravissime increpatur a Propheta, immo ipse Prophetam se corripientem, in nervum coniicit. Ergo qui stat, videat ne cadat.

MARIANAE.

Vers. I. ANNO AUTEM TRIGESIMO SEXTO. III. Reg. xv. 33. dicitur Baasam cœpisse regnare anno tertio Asa, & regnasse vigintiquatuor annos. Obiit ergo anno vigesimo septimo Asa: qui itaque potuit bellum gerere post alios novem annos? Locus difficilis, & multa multi dicunt. Seder Holam tamen putat annum trigesimum quintum cap. xv. vers. 19. & hoc loco trigesimum sextum non sumi ex quo Asa cœpit regnare, sed a constitutione regni Iuda post mortem Salomonis; qui annus regni Asa fuit sextus decimus proxime post bellum AEthiopum a Zara illatum, quem idem Liber ait restituisse omnia Regi Asa, quæ abstulerat Sesac. Ea vero causa inferendi in templum vasa, aurum, & argentum, cap. xv. vers. 18. BAASA .... MURO CIRCUMDABAT RAMA. Erat in tribu Beniamin, Iof. XVIII. 25. UT NULLUS TUTE POSSET EGREDI, ET INGREDI DE REGNO ASA. In aditu regni Iuda constituta erat ea arx, ut ultro citroque commeandi auferret facultatem.

V. 2. QUI HABITABAT IN DAMASCO. Heb. *in Darmasco*. Ea civitas est Syriæ caput. Rex Asa ac Benadad qui in Damasco erat, mittit aurum contra Baasa.

V. 3. FACIAS EUM A ME RECEDERE. Hebr. *Et ascendat desuper me*, scilicet Baasa Rex Israel.

V. 4. QUO COMPERTO. Hebr, *Et audivit*; pro, consensit postulato. Misitque copias, quæ percusserunt DAN. Nomen urbis, aut tribus eo nomine, & videtur Benadad in varias partes uno tempore misisse militares manus. URBES NEPHTHALI MURATAS. Hebr. *Thesauros urbium Nephthalim*, id est horrea, quæ non solent esse nisi in urbibus munitis. Sept. *Vicos Nephthalim*, scilicet percussit Benadad.

V. 5. DESIIT AEDIFICARE, id est munire Rama Rex Baasa. Hanani dixit ad Asa:

V. 7. QUIA HABUISTI FIDUCIAM IN REGE SYRIAE. Hebr. *Innixus es* (sic vers. 8. ubi nos, ET NON IN DOMINO DEO TUO, Hebr. est, *Innixus esses*.) EVASIT SYRIAE REGIS EXERCITUS. Nam eum quoque cum Deo & eius ope vicisses, sicut prius vicisti AEthiopes.

V. 9. OCULI ENIM DOMINI CONTEMPLANTUR ..... ET PRAEBENT FORTITUDINEM. Heb. *Ad fortificandum se cum corde eorum perfecto ad eum*. Constructio inversa, sed frequens in ea lingua; pro, *oculi Domini sunt ad fortificandum cum iis, quorum cor est perfectum erga eum, fortificandum*, id est opitulandum iis. Hieronymus recte ordinavit.

V. 10. IN NERVUM, Sept. *in custodiam*, Hebr. *in domum carceris*, misit Asa Prophetam Hanani, quæ hic vocatur Heb. *domus subversionis*, quoniam rationes subvertit eorum qui sunt vincti. ET INTERFECIT, id est oppressit. DE POPULO IN TEMPORE ILLO PLURIMOS. Hebr. *de populo in tempore illo*, id est partem populi. Sept. *Vastavit Asa in populo in tempore illo*. Nimirum ægre tulerat populus Prophetæ vincula. AEgrotavit Asa

V. 12. DOLORE PEDUM VEHEMENTISSIMO. Hebr. *AEgrotavit in pedibus, usque ad supra ægrotatio eius*; id est, podagra ad caput ascendit, quod lethale semper est. Sept. *Usque ad supra infirmitas sua*. Hieronymus pro, *Usque ad supra*, posuit *vehementissimo*. Posuerunt mortuum Asa

V. 14. SUPER LECTUM SUUM, PLENUM AROMATIBUS. Hebr. *quem im-*

ple-

pleverat, scilicet ipse, aut servi impleverant: singulare pro plurali. Porro relativum *quem* potest referre *lectum*, aut *Regem*, quem odoribus infercierint: sic Sept. habent. AROMATIBUS: sic Sept. Hebr. *unguentis*. ET UNGUENTIS MERETRICIIS, id est quibus meretrices utuntur. Hebr. *Et speciebus aromatariis*, seu *aromatis omnifariam*. QUAE ERANT PIGMENTARIORUM ARTE CONFECTA. Hebr. *aromatario opere*. ET COMBUSSERUNT SUPER EUM. Hebr. *Combusserunt ei*, scilicet aromata illa; aut *combusserunt illum*. AMBITIONE NIMIA. Hebr. *combustione magna valde*: sic Sept. *combustione magna usque nimis*. Vide ritum comburendi corpora in veteri Lege non frequentem, sed aliquando tamen in Regibus usurpatum honoris causa: sic Hieronymus in Tradit. Quod autem Hieron. hic *unguentis meretriciis* dixit, ex voce Hebr. *zenim* occasionem sumpsit: nam *zonah*, *meretricem* significat. Verum *zenim*, *genera* significat, seu *species*, & hic iuxta subiectam materiam genera aromatum: scilicet aut odorum omnifariam, quibus lectum funebrem impleverunt; aut, quod magis puto, corpus defuncti inferciverunt. Sed magis placet ut Vulgatam sequamur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ANNO AUTEM TRIGESIMO SEXTO REGNI EIUS, ASCENDIT BAASA REX ISRAEL, &c. I. Reg. xv. 33. Bahasa regnum iniit anno tertio regni Asæ, & viginti quatuor annos regnavit: quomodo ergo anno trigesimo sexto Asæ bellum adversus eum gerere potuit, cum anno Asæ 26. aut 27. iam in humanis esse desierit? Varie conciliant. I. Annum tertium regni Asæ dici non revera ex quo primum cœpit regnare, sed ab aliquo insigni eius facinore, aut victoria (sic enim solere interdum Reges annos regni supputare) fortasse ab illa adversus AEthiopes, de qua supra cap. XIV. quæ forte inciderit in annum regni eius decimum: unde Bahsa cœperit regnare anno tertio Asæ post devictos AEthiopes qui revera fuerit tertius decimus Asæ: & sic anno 36. vero Asæ, qui fuit ipsi Bahsæ supremus, potuit recte bellum gerere contra Asam. Verum haud multum fiderim huic conciliationi: nam incertum in quem annum Asæ verum inciderit victoria AEthiopica: nisi quod verisimilius est ex historiæ ductu in annum eius quintum decimum incidisse, supra cap. xv. vers. 10. II. Codices Hebræos, Græcos, Latinos, esse in damno, & pro *trigesimo sexto* hic, & *trigesimo quinto* supra cap. xv. vers. 19. legendum *vigesimo sexto*, & *vigesimo quinto*. Apage tantam absurditatem! & mirum potuisse id venire in mentem viris doctis. III. Rectius Hebraei, & plerique nostro um notant, illum trigesimum quintum annum in fine capitis superioris, & hunc trigesimum sextum initio huius capitis, numerandum non præcise ipsius regni Asæ, sed regni Iehudæ a diviso populo, quod tunc obtinebat Asa: nam regna modo a populis denominantur, modo a personis regnantibus. Ergo annus ille quintus decimus ex quo regnabat Asa, supra cap. xv. vers. 10. fuit trigesimus quintus ille regni Iudaici, supra cap. xv. vers. 19. nam Rechabham septemdecim annos regnavit, Abiiah tres; quibus si hos quindecim Asæ addas, erunt triginta quinque a lacerato regno: sic initio huius capitis, sextus decimus ex quo regnare cœpit Asa, fuit trigesimus sextus regni Iudaici, quod tum obtinebat Asa post divisionem. ASCENDIT BAASA REX ISRAEL IN IUDAM, &c. Ab hoc versu usque ad 6. inclusive, vide I. Reg. xv. a vers. 17. usque ad 22. inclusive: nam omnia sunt eadem: illuc adeundi Comm.

V. 4. ABELMAIN. Hæc I. Reg. xv. vers. 20. dicitur *Abel-Beth-Mabachah*: de qua vide II. Samuel. xx. 14. ET UNIVERSAS URBES NEPHTHALI MURATAS. Hebr. *Et omnia granaria urbium Naphthali*. Quidam: *Et omnia horrea urbium Naphthali*. Alii: *Et omnes penus*, seu *omnia penuaria*, *in civitatibus Napthali*. Aliqui: *Et omnes thesauro urbium Napthali*: vel, *Et omnes thesaurorum civitates Napthali*. Nonnulli: *Et omnia armamentaria civitatum Napthali*: hypallage; pro, omnesque civitates armamentariorum Napthali. Alii: *Atque munitoria oppida Naphthali*. De voce מסכנות *miscenoth* vide Exod. 1. vers. 11. Pro hoc, I. Reg. xv. 20. scribitur: *Et omnes Chinerothas super omnem terram Naphthali*. Ibi vide.

V. 5. ET INTERMISIT OPUS SUUM. Hebr.

Hebr. *Et cessare fecit opus suum*. Quidam: *Quia faciebat* Syrus *ut cessaret ab opere suo*.

V. 7. HANANI PROPHETA. Hebr. *Chanani videns*. Fuit hic pater Prophetæ Iehu, de quo I. Reg. XVI. verſ. 1. & 7. & infra cap. XIX. verſ. 2. IDCIRCO EVASIT SYRIAE REGIS EXERCITUS DE MANU TUA. Aliqui intelligunt, timuiſſe Aſam, ne Syri iuncti Iſraelitis ipſum invaderent, proinde curaſſe data pecunia Syros ab Iſraelitis divellere: at ſi niſus fuiſſet Deo, proculdubio utrumque exercitum profligaſſet. Alii exponunt: *Idcirco proripiunt ſe copiæ Regis Syriæ, a manu tua*, ſive *ne ſint ad manum tibi*; quaſi dicat: Nihil egiſti Syros advocando: nam illis abeuntibus, redintegrabit hoſtis tuus bellum, quo continenter infeſtaberis, infra verſ. 9. Vide I. Reg. XV. verſ. 16. & 32.

V. 8. NONNE AETHIOPES, ET LIBYES, &c. Priorem huius verſus partem noſtra Translatio verbatim reddidit (*An non AEthiopes, & Libyes fuerunt ſtrenuitati, multitudini, currui, & equitibus multo valde?*) Clarius alii. I. *Nonne AEthiopibus, & Lybiis erant exercitus ingentes, cum curribus & equitibus ſupra modum multis?* II. *An non AEthiopes, & Lybies habebant validiſſimum exercitum in curribus, & valde multis equitibus?* III. *An non AEthiopum illorum, & Lybium erant copiæ numeroſæ curribus & equitibus quam plurimum?*

V. 9. OCULI ENIM DOMINI, &c. Priorem etiam huius verſus partem nos verbo tenus ex more transfudimus (*Quia* IHUH *oculi eius circumeundo dimittentes ſe in omni terra, ad obtinere ſe facere cum corde eorum pacifico ad eum.*) Alii adhibita perſpicuitate. I. *Quia Iehovæ oculi luſtrant univerſam terram, ut robuſtum ſe oſtendat apud eos qui ſunt corde perfecto cum ipſo*. II. *Nam oculi Domini diſcurrunt per univerſam terram*, ſeu *orbem*, *ut roboret hos qui erga eum ſunt integro corde*. III. *Cum Iehovæ oculi diſcurrant per totam terram, ut firmum ſe exhibeat erga eos, quorum animus integer eſt erga ipſum*. Exponunt: *Firmum*; id eſt, non autem varium, & ſuorum partes temere deſerentem, ut Syri.

V. 10. IUSSIT EUM MITTI IN NERVUM. Hebr. *Et dedit eum in domo* מהפכת *mahpeceth*, quam vocem aiunt ſignificare *nervum*, *compedes*, *cippum*. Quidam Hebræorum aiunt fuiſſe inſtrumentum e duobus confectum lignis, inter quæ erat locus colli, ut ibi vincti collo tenerentur ſontes. Aliqui *numellam* eſſe volunt. Feſtus: *Numella genus vinculi, quo quadrupedes alligantur: ſolent autem ea fieri nervo, aut corio crudo bovis, ut plurimum*. Novius: *Numellæ, machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios paratum, quo & collum, & pedes immittuntur*. Nonnulli volunt *mahpecheth* eſſe quod vulgo *trabuco* dicimus: hic reddunt: *Et dedit eum in domum ſubverſionis*; id eſt, in qua detinebantur qui ſubvertendi, & plectendi erant. Alii: *Et tradidit eum in domum everſionis*, ſive *in carcerem cippi*. Sic enim dicitur cippus ab evertendo & contorquendo ſontium corpora; id eſt, tradidit eum in carcerem ſonticum, ubi ſontes conſtringuntur cippis: nam cum Propheta agebat ut cum reo minutæ ac læſæ maieſtatis. Sic Ieremiæ XX. verſ. 2. & XXIX. verſ. 26. VALDE QUIPPE SUPER HOC FUERAT INDIGNATUS. Hebr. *Quia indignatione erat contra eum ſuper hoc*. Quidam: *Quia indignatione percitus erat contra eum de hac re*.

V. 11. PRIMA, ET NOVISSIMA. Vide de hac locutione ſupra cap. XII. 15. Vide etiam I. Reg. XV. 23.

V. 12. DOLORE PEDUM VEHEMENTISSIMO. Hebr. *In pedibus ſuis, uſque ad ſupra ægrotatio*, ſeu *morbus*, *eius*. Quidam: *Pedibus ſuis, uſque ad ſurſum*, vel *uſque ad ſummum fuit infirmitas eius*. Exponunt: Id eſt, uſque ad ſummam partem corporis graſſatus eſt morbus. Alii: *Ex pedibus ſuis, uſque eo ut morbus eius ſumme invaleſceret*. Hebræi aiunt laboraſſe podagra, vel tumore pedum. Vide I. Reg. XV. 23.

V. 14. IN SEPULCRO SUO. Hebr. *In ſepulcris ſuis*, id eſt in uno e ſepulcris ſuis. Notant, fortaſſe plurali numero uſum quod eſſet maximum ſepulcrum; quaſi dicat, In ſepulcro illo ſuo ampliſſimo. Magis coniectaverim, fuiſſe ſepulcrum quod multa conditoria contineret, quale ſepulcrum Davidis, & Salomonis, & aliorum Regum Iehudæ deſcribunt Ioſephus Lib. VII. Antiq. cap. XVI. & Lib. XVI. cap. XI. & Biniamin Tudelenſis in Itinerario pag. 14. & 45. POSUERUNTQUE EUM SUPER LECTUM SUUM. Alii: *Super cu-*

·*Eticam suam*. No-
n executi sunt,
& nobiliores, lectis,
quanto digniores e-
os in funere adhi-
Cæsare, cap. LXXXIV.
us extructus est in Mar-
Iuliæ tumulum, & pro ro-
... ... ata ædes ad simulacrum templi Veneris genitricis collocata: intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus: & ad caput tropheum cum veste, in qua fuerat occisus. Et postea: *Lectum pro rostris in forum magistratus & honoribus functi detulerunt*. Servius in VI. AEneidos, de funere Marcelli filii Octaviæ sororis Augusti: *Ad funeris huius honorem Augustus sexcentos lectos intrare civitatem iussit: hoc enim apud maiores gloriosum fuerat: etiam dabatur pro qualitate fortunæ: nam Sylla sex millia habuit*. Quidam tamen hic vocem משכב *mischcab*, non pro lecto, aut lectica, sed pro *cubili* capiunt, unde reddunt: *Deponentes eum in cubili, quod impleverat aromaticis speciebus*: intelligunt cellam, seu reconditorium, aut loculum sepulcri, in quo corpus deponebatur, quod Rex Asa adhuc vivens curaverat aromatibus impleri. PLENUM AROMATIBUS. Hebr. *Quem implevit aromatibus*; subaudi, is qui implevit: vel Rex ipse Asa adhuc vivens: vel pro more Hebraico tertia persona præteriti activa, passive, seu impersonaliter sumatur; pro, qui impletus, seu repletus fuit aromatibus: aut singulare *replevit*, pro plurali *repleverunt*. Vide de huiusmodi locutione Genes. XI. vers. 9. AROMATIBUS, ET UNGUENTIS MERETRICIIS. זנים *zenim* a זון *zun*, vel זנה *zanah*, *meretricari*, *scortari*, deduxit: alii a זן *zan*, *species*, *Aromatibus*, & *speciebus*. Quidam, *Aromatibus*, & *diversis speciebus odoramentorum*, vel *omnimodis odoramentis*. Aliqui, *Odoribus delicatissimis & peregrinis*. Alii, *Aromaticis speciebus*. Hispanice *specias*, vocamus varia aromatum genera. Nonnulli, *Aromatibus*, & *thecis*, seu *vasis*, *aromatizatis aromatario opere*: intelligunt, vasa in quibus cadaver positum erat, fuisse aromatizata. QUAE ERANT PIGMENTARIORUM ARTE CONFECTA. Hebr. *Conditis in conditura operis*: videtur hypallage, pro conditis opere conditurae. Alii diminutam volunt esse orationem, quod alias integre dicitur, *Conditis conditura operis pigmentarii*. Varie reddunt: 1. *Aromatizatis aromatario opere*; 2. *Confectis pigmentario opere*; 3. *Pigmentatis in pigmenti factura*; 4. *Arte pigmentaria conditis*; 5. *Paratis unguentario opere*. Hispanicus, *Y hechos de obra de boticario*. ET COMBUSSERUNT SUPER EUM AMBITIONE NIMIA. Hebr. *Et combusserunt ei combustionem magnam usque ad valde*. Hebræi, & plerique nostrorum existimant Asæ Regi combusta fuisse aromata & unguenta, vestes item, & supellectilem pretiosam, citra tamen cadaveris cremationem, quod illatum sepulcro initio huius versus dicitur: unde exponunt: *Et combusserunt ei ustionem* odorum *perquam maximam*; id est, sepulcrum eius lustraverunt in ustrina perquam maxima, odorum suffitu facto, more Regum. Qua etiam ratione capiunt duo alia loca, alterum infra cap. XXI. vers. 19. & Ierem. XXXIV. 5. Verum alii intelligunt, revera corpus Asæ pyræ, seu rogo impositum, in ustrina, seu busto cum multis odoribus concrematum fuisse, ossaque, & reliquias, ex cineribus lecta, sepulcro illata, pro prisco ritu veterum, de quo complura qui de antiquis funeribus commentarios condidere: unde hic reddunt: *Et combusserunt eum*, &c. Ita hunc locum acceperunt Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Mercerus, Bertramus, Avenarius. Exemplum habes I. Samuel. XXXI. vers. 12. & 13. in corporibus Saulis, & filiorum eius combustis. Hanc interpretationem ipse magis probem. Et illud Taciti Histor. V. de Iudæis: *Corpora condere*, seu *condire*, *quam cremare*, *e more AEgyptio*: de privatis, & ut plurimum acceperim. *Ambitione nimia*. Suspicio mihi est, ne forte Noster scripserit *combustione*, congruenter Hebræis, & Græcis: *Combustione grandi*: sed retineri recte etiam potest, eodem sensu *ambitione magna*: nam pro dignitate & claritudine ustorum, maiores & ingentiores pyræ, rogi, ustrinæ, extruebantur, pluresque odores concremabantur. Virgilius VI. AEneidos, de Miseno:

Ingentem struxere pyram ....

Sil. Italicus Lib. X. Punicorum, de funere Pauli:

Sublimem eduxere pyram ...

Appianus in Ibericis, pag. 296. de Viriato:

to: *Cadaver magnificentissimis instratum vestibus, in altissima pyra cremarunt*. Plutarchus de Cæsare: *Ingentem rogum congesserunt*. De odoribus Virgilius VI. AEneidos, de funere Miseni:

.... congesta cremantur
Thurea dona ....

Plinius Lib. XII. cap. XVIII. *Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu* (Felicem Arabiam) *quantum Nero princeps novissimo Poppeæ suæ die concremaverit*. Et Homerus XXIV. Odyssææ de funere Achillis:

Cremabaris autem in veste deorum, & unguento multo.

MENOCHII.

Vers. 1. ANNO AUTEM TRIGESIMO, &c. Quæ hic habentur usque ad vers. 7. explicata sunt III. Reg. cap. XV. num. 17. & deinceps.

V. 10. VIDENTEM, Prophetam. IN NERVUM. Iussit illi compedes iniici, qui ex nervis fiebant. Hebr. *In domum carceris*. INTERFECIT DE POPULO PLURIMOS, qui scilicet Prophetæ faventes, de Rege murmurassent, ut vult Torniellus.

V. 14. IN SEPULCRO QUOD FODERAT SIBI. Vel sepultus est seorsim in sepulcro aliquo, quod sibi extruxerat Asa, a sepulcris aliorum Regum dissito; vel certe, ut vult Pineda Lib. VIII. cap. III. de rebus Salomon. & Villalp. in Exech. Tom. II. Lib. V. cap. XVI. Regum sepulcra ordine in subterraneo ædificio disposita, & effossa erant; & cum Rex aliquis moriebatur, nova unius cellulæ iuxta alias fiebat accessio. UNGUENTIS MERETRICIIS. In Hebræo unica vox est זנים *zenim*, quam significare volunt aromatum variorum mixturas. Unguenta myrepsica, καὶ γένη μύρων μυρεψῶν, *& genera unguentorum unguentariorum*, ut habent Septuaginta. Noster Interpres *unguenta meretricia* appellavit, vel quia putavit vocem זנים *zenim* derivari a radice זנה *zana*, quod est *fornicari*, vel quia meretrices odores adhibere solent, ut adultera illa Proverb. VII. 16. dicebat: *Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo*, &c. PIGMENTARIORUM ARTE, artificio unguentariorum. COMBUSSERUNT SUPER EUM unguenta pretiosa; vel ut adventitius odor tetrum cadaveris odorem vinceret; vel, quod indicat Scriptura, ad ostentationem regiæ opulentiæ. An cadavera mortuorum apud Hebræos cremari solerent, diximus in OEconomicis Lib. I. cap. XXX. num. 2.

TIRINI.

Vers. 1. URbem RAMA in tribu Beniamin *a* vi Iudæis extortam Baasa Rex Israel CIRCUMDABAT MURO: nempe in faucibus, & in primo introitu sitam muniebat novis muris, & propugnaculis, ut sic obstrueret Iudæis aditum omnem, & exitum ex illa parte.

V. 7. IDCIRCO EVASIT SYRIAE REGIS EXERCITUS DE MANU TUA. Nam si Deo nixus fuisses, non solum Baasam Regem Israel, sed & Benadad Regem Syriæ ipsi confœderatum, vicisses eiusdem Dei ope, qua ante vicisti AEthiopes longe his numerosiores, & potentiores.

V. 10. INTERFECIT DE POPULO PLURIMOS: nempe qui ægrius ferebant vincula Prophetæ Hanani, & præfervidæ Regis iræ ac furori audacius obloquebantur.

V. 12. AEGROTAVIT ASA DOLORE PEDUM VEHEMENTISSIMO. In Hebræo, & Græco additur, *Usque ad supra*, nempe ad caput. Cum enim podagricus humor caput impetit, & dolorem ciet vehementissimum, & mortem accelerat.

V. 14. SEPULCRO QUOD FODERAT SIBI IN CIVITATE DAVID: aliud nempe a sepulcro Davidis, & Salomonis; ut solent fere principes in eadem quidem cum proavis basilica, sed singuli separatum sibi ab aliis monumentum & mausolæum construere. PLENUM AROMATIBUS, cadaver; puta balsamo, myrrha & aloe, quibus adversus putrefactionem infarciri cadavera solent. Uti ad præpediendum fœtentem halitum, quem ex se caro exanimata reddit, inungitur tam ipsa quam vicina omnia UNGUENTIS MERETRICIIS, id est valde fragrantibus, qualibus meretrices uti consueverunt, partim ut fœtentem halitum suum, quem confectæ stupris non secus ac saniosa cadavera exhalant, ex parte contegant;

par-

partim ut stultorum procorum naribus sese insinuent, & incautos captent. ET COMBUSSERUNT SUPER EUM. Hebr. *Ei, combusserunt*, supple aromata, quæ supra, & iuxta cadaver continuo exurebantur. Unde patet non tam ipsum cadaver apud Iudæos, quam iuxta cadaver aromata comburi consuevisse, ut multis exemplis docet Gaspar Sanctius *b*, & alii.

(*a*) Iosue XVIII. vers. 25.
(*b*) Sanctius I. Reg. vlt. vers. 12. & IV. Reg. VIII. vers. 1.

GORDONI I.

Vers. 1. ANNO AUTEM TRIGESIMO SEXTO. Dixi supra III. Reg. cap. XV. hos triginta sex annos numerandos a morte Salomonis, qui est annus decimus sextus regni. RAMA erat in tribu Beniamin, & locus munitus: prohibebat transitum ab uno regno ad alterum. Eius mentio est Iosue XVIII. 25.

V. 9. OCULI ENIM DOMINI CONTEMPLANTUR UNIVERSAM TERRAM. Locus Theolog. probans in Deo cognitionem creaturarum.

V. 10. IN NERVUM. Hebr. *in domum carceris*. Septuag. *in custodiam*, εἰς οἶκον φυλακῆς. Populum hoc ægre ferentem INTERFECIT. Septuag. *vastavit*, *læsit*, ἐλυμήνατο.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. De his usque ad versum septimum vide III. Reg. XV. vers. 17.

V. 14. Putant aliqui sepulcra fuisse in quodam subterraneo ædificio, & cellulis distincta. Hoc sensu pro se Asa cellulam vivens extruxisse potuit. UNGUENTIS MERETRICIIS, pretiosis, qualibus uti solent meretrices, ut Proverb. VII. 16. Hebr. est זנים *zenim*, a זנה, *fornicari*.

CAPUT XVII.

Pius Iosaphat patri Asa succedens, divitiis potens & armis, mittit doctores legis Dei per universum Iudam; cuius principes recensentur, cum numero subiectorum militum.

1. REgnavit autem Iosaphat filius eius pro eo, & invaluit contra Israel. 2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Iuda, & in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater eius. 3. Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis: & non speravit in Baalim, 4. sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis
illius, & non iuxta peccata Israel. 5. Confirmavitque Dominus regnum
in manu eius, & dedit omnis Iuda munera Iosaphat: factæque sunt ei
infinitæ divitiæ, & multa gloria. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam
propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit. 7. Tertio autem
anno regni sui, misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, &
Nathanael, & Michæam, ut docerent in civitatibus Iuda: 8. & cum eis Levitas,
Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Asael quoque, & Semiramoth, & Ionathan,
Adoniamque & Thobiam, & Thobadoniam, Levitas, & cum eis Elisama
& Ioran Sacerdotes, 9. docebantque populum in Iuda, habentes librum
legis Domini, & circuibant cunctas urbes Iuda, atque erudiebant populum. 10.

Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gy-
rum Iuda, nec audebant bellare contra Iosaphat. 11. Sed & Philisthæi Iosaphat
munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arie-
tum septem millia septingenta, & hircorum totidem. 12. Crevit ergo Iosaphat,
& magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Iuda domos ad instar
turrium, urbesque muratas. 13. † Et multa opera paravit in urbibus Iuda: vi-
ri quoque bellatores, & robusti erant in Ierusalem, 14. quorum iste numerus
per domos atque familias singulorum: * In Iuda principes exercitus, Ednas dux,
& cum eo robustissimi viri trecenta millia. 15. Post hunc Iohanan princeps, &
cum eo ducenta octoginta millia. 16. Post istum quoque Amasias filius Zechri,
consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. 17. Hunc se-
quebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum
ducenta millia. 18. Post istum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta mil-
lia expeditorum militum. 19. Hi omnes erant ad manum Regis, exceptis aliis,
quos posuerat in urbibus muratis, in universo Iuda.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 14. *In Iuda principes exercitus*. Non est mutandum *principes* numeri pluralis, cum *princeps* singulari.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 13. *Et multa opera paravit in urbibus Iuda*. Quidam coniiciunt legendum esse *patravit*, quod est construxit.

COMMENTARIA

SA.

Verf. 3. PRIMIS, scilicet antequam peccaret. NON SPERAVIT. Hebr. & LXX. *Non quæsivit*; quasi dicat, Non imploravit. IN BAALIM. LXX. *idola*.

V. 6. SUMPSISSET, &c. Hebr. & LXX. *Elevasset cor suum in viis*, &c.

V. 7. DOCERENT, scilicet populum legem Dei.

V. 12. USQUE IN SUBLIME, id est vehementissime. MURATAS. LXX. *munitas*. Hebr. *thesaurorum*. Solent quidem thesauri asservari in locis munitis, & muratis.

V. 14. EXERCITUS. Hebr. *millium*.

V. 16. CONSECRATUS: forte *Nazaræus*. LXX. *Promptus*; quasi dicat, Devotus: alii, *sponte oblatus*.

V. 17. HUNC SEQUEBATUR. Hebr. & LXX. *Et de Beniamin*.

V. 19. AD MANUM REGIS. Hebr. & LXX. *Ministrantes Regi*.

ESTII.

Verf. 7. 8. & 9. TERTIO AUTEM ANNO REGNI SUI MISIT (Iosaphat) DE PRINCIPIBUS SUIS.... ET CUM EIS LEVITAS..... ET.... SACERDOTES, DOCEBANTQUE POPULUM IN IUDA, &c. Hoc exemplum non eo trahendum est, quasi prima auctoritas in rebus ad religionem pertinentibus, aut iudicium de iisdem, ad Regem, vel principem sæcularem pertineat: immo, quia legitur misisse Levitas, & sacerdotes, satis illo facto significavit, ad illos ex officio pertinere tum notitiam legis, tum iudicium de quæstionibus legis, iuxta illud Malach. cap. 11. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius*. Iosaphat ergo hoc fecit, quod omnis pius Rex, & princeps tenetur facere in populo sibi subiecto, ut videlicet populum contineat, non tantum in pace temporali (id quod pertinet ad principem, quatenus tantum princeps est sæcularis) sed etiam in vera religione opera sacerdotum, quod

ad

ad principem pertinet, quatenus est princeps Christianus. Sic & infra cap. xxx. de Ezechia dicitur quod miserit in terram Israel nuntios, qui eis prædicarent pœnitentiam, &c.

MARIANAE.

Vers. 2. PRAESIDIAQUE DISPOSUIT. Heb. *Et dedit præfectos*, scilicet militum, seu *præsidiarios*. Sept. *Constituit duces*, scilicet Iosaphat Rex Iuda in omnibus urbibus.

V. 3. AMBULAVIT IN VIIS DAVID...... PRIMIS; id est, Davidem imitatus est, quo ille tempore initio pie & sancte vixit; id est, antequam peccasset David: sic Hieronymus in Trad. Gotth. addit *& novissimis*: fortassis id Hebr. & Græc. desideratur: nam aliis locis laudat Reges, quod David vias sint secuti primas, & novissimas. NON SPERAVIT. Hebr. *Non quæsivit Baal*.

V. 4. IUXTA PECCATA ISRAEL. Hebraice, *Iuxta opus Israel*.

V. 6. CUMQUE SUMPSISSET COR EIUS AUDACIAM. Hebr. *Et extulit cor suum* (ad ambulandum) *in viis Domini*. Magni animi est perstare in officio; abiecti, & vilis, vitia consectari. Misit etiam de principibus,

V. 7. UT DOCERENT IN CIVITATIBUS IUDA, scilicet homines legem Dei. Id etiam ad boni Principis curam spectat, populi ut instituantur, magistros mittere.

V. 9. ET CIRCUIBANT CUNCTAS URBES IUDA. Missionum nostrarum exemplum. ERUDIEBANT POPULUM. Hebr. *illum populum*, propter He emphaticum in *Cametz* inclusum positum sub Beth.

V. 10. PAVOR DOMINI SUPER OMNIA REGNA, id est magnus. Protegit Deus qui piis operibus vacant.

V. 11. MUNERA DEFEREBANT Philisthæi. Hebr. *munus*, id est munera. VECTIGAL ARGENTI. Hebr. *argentum*, *tributum*, vel *argentum tributi*, vel, ut Hieronymus posuit, ADDUCEBANT PECORA. Ibi comma, ut est in Romanis, mox *arietum septem millia*: nam vox Hebr. צאן, pro qua Hieronymus posuit *pecora*, utrumque genus comprehendit, arietes, hircos, sed & oves, & agnos. Ergo id, *Arietum septem millia*, &c. appositive legatur.

V. 12. DOMOS AD INSTAR TURRIUM, URBESQUE MURATAS ædificavit. Hebr. *Palatia*, *& urbes thesaurorum*, id est gazophylacia. Cum ditissimus esset, ærariis opus habebat. Sept. *Domos & urbes munitas ædificabat*.

V. 13. ET MULTA OPERA PARAVIT. Hebr. *Et opus multum fuit ei*; id est, opera multa fuerunt ei, ut ponunt Sept. Tunc divitiæ commodæ, cum ad salutares usus convertuntur, ad munitionem, ad splendorem regni.

V. 14. PRINCIPES EXERCITUS, scilicet hi fuerunt quos designat. Hebr. *Principes millium*. Vulgata Regia, *Princeps*: male. EDNAS. Is erat primus.

V. 15. POST HUNC IOHANAN. Hebr. *ad manum eius*; pro, iuxta eum, illi proximus. Sic III. Reg. XIV. 30. dicit Absalom: *Ager Ioab ad manum meam*, id est mihi vicinus. Quod ad manum est, iuxta nos est. Hoc Sept. secuti dixerunt: ἐχόμενοι αὐτῶν, *adhærentes ipsis*. Quod proxime aliquoties reperitur, neque Hieronymi versio, *post hunc*, multum discrepat.

V. 16. CONSECRATUS DOMINO. Hebr. *Voluntarius Domino*: scilicet sine stipendio Amasias, ut Deo placeret, se militiæ devoverat. Sept. *Promptus Domino*. CUM EO DUCENTA MILLIA VIRORUM FORTIUM. Vox *virorum* non est Hebr. neque Græce: in Gotth. *Sed ducenta millia fortium*. Ingentes numeri.

V. 17. HUNC SEQUEBATUR ROBUSTUS. Hebr. *Et ex Beniamin fortis robore Eliada*: sic Sept. CUM EO TENENTIUM ARCUM ET CLYPEUM. Hebr. *Armati arcu & clypeo ducenta millia*. Ingens numerus.

V. 18. IOZABAD, ET CUM EO CENTUM OCTOGINTA MILLIA EXPEDITORUM, id est levis armaturæ. Hebr. vox *baluzei* potest significare *præcinctos*. Sept. *robustos bello*. Hi erant cum Iozabad.

V. 19. HI OMNES ERANT AD MANUM REGIS. Hebr. *Hi ministrantes*, pro qui ministrabant, *Regi*: sic Sept. id est, *qui præsto erant ad Regis imperium*.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. **E**T INVALUIT CONTRA ISRAEL. Hebr. *Et fortificavit, roboravit ſe contra Iſraelem*; id eſt, viribus vicit Iſraelem. Quidam: *Et confirmavit ſe ſuper Iſraelem*; hoc eſt, potentior, & robuſtior fuit ipſo Iſraele.

V. 3. IN VIIS DAVID PATRIS SUI PRIMIS. Exponunt: Id eſt, in viis David prioribus, quando in ætate priore pure ſervivit Deo, excepto adulterio Bathſebah, & homicidio Uriæ, atque enumeratione populi. Notant, honeſto vocabulo excludi hic, ac tegi Davidis adulterium, & homicidium. Demiſſum ac vilem ſenſum exiſtimo. Subtilius atque aptius alii diſtinguunt, ac ſeparant: *In viis Davidis, patris ſui primis*; hoc eſt, in viis Davidis, quæ fuerunt patris ſui Aſæ primæ. Unde illud, *Patris ſui primis*, non eſt referendum ad Davidem, ſed ad Aſam patrem Iehoſaphati: unde exponunt, Id eſt piis & ſanctis: ut Aſa principio regni vixiſſe legitur ſupra cap. XIV. & XV. nam poſteriores vias illius improbavit Deus proxime præcedente capite: nam eædem fuerunt Davidis viæ, cuius veſtigia Aſa Ioſaphati pater primum ſecutus fuerat, ut ante demonſtratum eſt. ET NON SPERAVIT IN BAALIM. Hebr. *Et non requiſivit ad Behalim*: de quibus vide Comm. in Iudic. II. II. ſynecdochen eſſe aiunt, id eſt ulla idola. Sed nomen ipſum ex nativa ſignificatione generale eſt ad quoſvis deos, ſeu numina.

V. 5. ET DEDIT OMNIS IUDA MUNERA IOSAPHAT. Exponunt: Id eſt, eum ſuum eſſe Regem hoc ſymbolo omnes profitebantur: ut I. Samuel. X. verſ. 27.

V. 6. CUMQUE SUMPSISSET COR EIUS AUDACIAM PROPTER VIAS DOMINI. Hebr. *Et elevatum fuit cor eius in viis Iehovah*. Varie alii. I. *Et elevavit cor ſuum in viis Iehovah*. II. *Et extulit cor ſuum in viis Iehovæ*; quaſi dicat: Nihil habuit prius, quam ut obſervaret præcepta Iehovæ, & ut animum ſuum ad Dei voluntatem componeret. III. *Elato itaque animo ſuo ad vias Iehovæ*; id eſt, cum audentior factus eſſet ad promovendum verum Dei cultum, quam fuiſſet Aſa pater ipſius. Hiſpanicus Interpres: *Y ſucoraçon ſe enaltecio en los cominos de Iehova*; id eſt, *fue de generoſo animo en repurgar el culto divino*; quaſi dicat: Excelſo & erecto animo attendit reformationi divini cultus. ETIAM EXCELSA, ET LUCOS DE IUDA ABSTULIT. Hebr. *Et adhuc diſcedere fecit excelſa, & lucos de Iehudah*. Quidam: *Amplius adhuc amovit excelſa, & lucos ex Iehudah*: nempe vel quæ relicta fuerant, vel rurſus invecta. Vide Comm. in I. Reg. XXII. 44.

V. 7. UT DOCERENT IN CIVITATIBUS IUDA. Hoc non eſt referendum ad principes, quorum non erat munus docere legem; ſed ad Levitas, & ſacerdotes, de quibus ſequente verſu. Miſit enim Rex Levitas, & ſacerdotes, ut docerent legem Dei per urbes Iehudæ, quibus adiunxit principes qui hoc verſu nominantur, nimirum ut eis aſſiſterent, atque eorum functionem commendarent. Id eſt, hos ſelegit ex omnibus ordinibus ad tempus, per quos ſtatum eccleſiarum recognoſceret, & populum in verbo Dei inſtitueret, ac auctoritate ſua in officio confirmaret. Nihil ſibi iuris & auctoritatis plus Rex in eccleſias ſumpſit; ſed per ſacerdotum, & Levitarum auctoritatem, quibus regios miniſtros tamquam executores, & aſſiſtentes adiunxit, curavit ſtatum eccleſiarum reſtituere. Vere officium religioſiſſimi principis exercuit.

V. 10. PAVOR DOMINI. Vide de hac locutione ſupra cap. XIV. verſ. 14.

V. 11. ET VECTIGAL ARGENTI. Hebr. *Et argentum oneris*: hypallage: onus argenti, ſive pondus, gravamen, argenti. Exponunt, Id eſt cenſum, exactionem, tributum argenti. Aliqui, *Pecuniam indictionis*. Quidam volunt hoc eſſe exegeſim eius quod paulo ante dixerat, Adducebant Iehoſaphato munus, id eſt argentum pro tributo. Verum rectius intelligimus, præter honoraria munera pendiſſe tributum argenti.

V. 12. CREVIT ERGO IOSAPHAT, ET MAGNIFICATUS EST USQUE IN SUBLIME. Alii reddunt: *Et fuit Iehoſaphat vadens, & creſcens uſque in ſurſum*. Nonnulli: *Et Iehoſaphat erat iens, & creſcens*, ſi. e. pergebat creſcere, *uſque ad ſummum*. Quidam: *Promovit itaque Iehoſaphat, & crevit in immenſum*. Hebr. *uſque ad in ſupra*, id eſt quam plurimum. Vide

de de hac locutione supra cap. XVI. vers. 12. DOMOS AD INSTAR TURRIUM. בירניות *biraniioth* plurale vocis בירה *birah*, de qua egimus in I. Paralipom. XXIX. vers. 1. varie reddunt, *ædes*, *basilicas*, *aulas*, *palatia*, *arces*, *fortalitia*, *castra*. Nos *domus pinnatas*. URBESQUE MURATAS. Varie Hebr. reddunt: 1. *& urbes thesaurorum*; 2. *& urbes fiscorum*: 3. *& urbes ad repositoria*; 4. *& civitates armamentariorum*. Vide supra cap. XVI. vers. 4. & Exod. I. 11.

V. 13. ET MULTA OPERA PARAVIT IN URBIBUS IUDA. Hebræa nos ex verbo repræsentavimus (*Et ministeriale multum fuit ei in urbibus Iehudah*.) Varie alii interpretantur. I. *Et opus multum fuit in urbibus Iehudah*; id est, & urbes Iehudæ magno studio, ac sumptu munivit: sive multum occupatus fuit in eo opere. Hispanicus Translator: *Y tuvo muchas obras enlas ciudades de Iuda*; id est, *ædificio mucho*, &c. II. *Fecit præclara opera in urbibus Iehudæ*. III. *Et opus multum*, seu *res multæ*, ut Genes. XXXIII. 14. IV. *Erant ei per civitates Iehudæ*, nimirum ad munitionem, & commeatum pertinentes; ut supra cap. XI. 11.

V. 14. QUORUM ISTE NUMERUS PER DOMOS, ATQUE FAMILIAS SINGULORUM, &c. Hebr. *Et isti visitatio eorum*, *domui patrum suorum*. Quidam: *Iste autem est numerus eorum*, *per domum patrum suorum*. Alii: *Porro istæ sunt præfecturæ eorum*, *secundum domos patrum suorum*. Nonnulli: *Quorum numeratio per paternas familiàs eorum*. Ego reddiderim: *Et istorum præfectura eorum*, *per*, vel *in paternas familias eorum*; id est, isti, qui deinceps nominantur, fuere primarii præfecti copiarum omnium bellicarum, distributarum per paternas familias suas.

V. 15. POST HUNC IOHANAN, &c. Hebr. *Et super manum eius Iehochanan*. Quidam exponunt: *Et iuxta eum*, vel *proximus ab eo*. Alii: *Et secundum hunc Iehochanan*, &c. Nonnulli: *Et super manum eius*; id est, illi innitebatur. Fortasse indicat, quod secundus hic Iehochanan illi primo duci Hednæ parebat: sic versu sequente.

V. 16. CONSECRATUS DOMINO. Vim participii מתנדב *midnaddeb* ex Hithpahel, expendimus I. Paralipom. XXIX. 5. Ex verbo, *Spontaneare se faciens ipsi Iehovæh*. Quidam, *Spontanee se dedens*, vel *devovens se*, *devotus Iehovæ*, nempe voto aliquo Nazaræatus, Numeror. VI. Alii, *Sponte se offerens Iehovæ*, nempe sine stipendio militans, solo amore Iehovæ: vel alacerrimo & promptissimo animo ad gerenda bella eius; quasi dicat: Vir heroicus, & promptissimus ad bella IHUH gerenda.

V. 17. TENENTIUM ARCUM. Heb. *Osculantes ipsius arcus*. Quidam, *Applicantes arcum ad os*; id est, intendentes arcum: vel fortasse innuit morem qui hodieque servatur, ut sumentes, vel induentes arma, prius ea exosculentur, boni ominis gratia. Plerique, *Apprehendentes*, *armati*, *instructi*, *arcu*. Nec male reddes, *Incursantes arcu*, *& scuto*. Vide I. Paralipom. XII. vers. 2.

V. 19. EXCEPTIS ALIIS, QUOS POSUERAT IN URBIBUS MURATIS: de quibus supra vers. 2.

MENOCHII.

Vers. 1. INVALUIT CONTRA ISRAEL. Nulla in re Israelis regno inferior fuit, nec ut Asa eius parens externa auxilia spectare, aut quærere opus habuit.

V. 2. CONSTITUIT MILITUM NUMEROS, &c. Suspectum enim habebat Regem Israelis, cum quo Asa diuturnum bellum gesserat. IN CIVITATIBUS EPHRAIM. Has enim potissimum sibi vindicare velle Israelitas, merito vereri poterat.

V. 3. VIIS DAVID PRIMIS, scilicet antequam peccaret. BAALIM. Septuag. *idola*.

V. 5. CONFIRMAVIT REGNUM IN MANU EIUS, iuvans illum in omnibus, & præsertim populorum animos, & benevolentiam sibi concilians, quod quæ sequuntur de muneribus oblatis ostendunt.

V. 6. CUMQUE SUMPSISSET COR EIUS AUDACIAM, &c. ex Hebr. vertit Pagninus: *Et elevavit cor eius in viis Domini*; id est, audentior factus est in vera religione promovenda, & evertendo idolorum cultu. EXCELSA, ET LUCOS, fana idolis in collibus excitata, & lucos in eorum honorem consecratos.

V. 7.

V. 7. Ut docerent in civitatibus Iuda. Non erant isti quidem doctores, sed sacerdotum, & Levitarum, qui docturi erant, Doctores. Dicuntur tamen missi ut docerent, quia impedimenta tollentes, & aliis modis sacerdotes, & Leviticos doctores iuvantes, boni illius operis participes erant.

V. 6. Librum legis Domini, sive Deuteronomium, ut quibusdam placet, qui totus exhortatorius est ad divinæ legis observationem, sive Pentateuchum, qui legis nomine in primis intelligitur }. Erudiebant populum. Non enim satis erat idola disturbare, nisi etiam ex animis errores, & superstitiones, quæ invaluerant, eriperentur.

V. 10. Pavor Domini, pavor magnus, & a Domino immissus, ipso Iosaphat quiescente.

V. 11. Munera... et vectigal argenti, non nova quapiam adacti victoria, sed a superioribus temporibus Davidis, & Salomonis. Neque enim eos iugum excussisse ab eo tempore legimus, neque hic tamquam subacti, sed tamquam subiecti referuntur, etsi aliter visum Abulensi quæstione vigesima prima. Arabes quoque, &c. postquam videlicet ab eo devicti essent, suborta aliqua legitima belli causa.

V. 12. Domos ad instar turrium. Pagninus, & Vatabl. vertunt *ædes*, in Hebræo est בירניות *biranioth*, quæ vox *magnificas ædes*, *templa*, *basilicas*, *palatia* significat: quare bene noster Interpres addidit, *Ad instar turrium:* quia palatia, & Regum ædes in turrium fere altitudinem educuntur. Urbesque muratas. Pagninus, & Vatablus habent, *Urbesque thesaurorum*. Certe thesauri in locis muro munitis servari solent.

V. 13. Opera multa paravit: multa fecit opera, & ædificia.

V. 14. Per domos, atque familias; id est, numerati sunt per familias, & cognationes. Princeps exercitus. Præcipuus inter omnes duces Iosaphat, quare etiam plures numerabat milites, quam ceteri. Et cum eo robustissimi viri. Ipse quidem Ierosolymis habitabat, milites vero variis locis regni divisi & contributi. Trecenta millia. Nomine militum non illi tantum intelliguntur qui hoc unum militandi munus exercent, sed quicumque per ætatem, & vires armis tractandis apti sunt, quo modo passim Scriptura loquitur præsertim in Libris Exodi, & Numerorum.

V. 17. Robustus ad praelia Eliada. In Græco, & Hebræo legimus, *Et de Beniamin virtute potens Eliada*. Ex quo patet, non omnes hos principes ad tribum Iuda pertinuisse.

V. 19. Hi omnes, &c. quorum numerus ascendit usque ad undecies centena & sexaginta hominum millia. Ad manum Regis. Heb. & Septuag. *Ministrantes Regi*.

TIRINI.

Vers. 2. In civitatibus Ephraim; supple, & aliis aliarum quarumdam tribuum: nam *&* *de Manasse*, *&* *de Simeon* plures, relicto Rege Israelitico, *confugerant ad* Regem *Iuda*, ut dictum fuit cap. xv. vers. 9. Ut mirandum non sit, Iosaphatum sub signis recensere potuisse undecies centena & sexaginta millia bellatorum, ut habemus in fine huius capitis.

V. 6. Cumque sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini. Quasi dicat: Animos ad præclara quævis audenda pio Regi dabant non militares copiæ, licet innumeras haberet; non thesauri, quantumvis essent immensi; sed sola observatio mandatorum Dei, qua & invictus, & imperterritus reddebatur. Hanc ergo ut non in se modo, suaque aula, & urbe regia promoveret, sed & per totum regnum quam latissime propagaret (quæ cura bono principi vel maxime cordi esse debet) delectu habito eorum qui & industria valerent, & zelo promovendæ salutis aliorum flagrarent.

V. 7. & 8. Misit de principibus suis, politicis, quaquaversum in omnes civitates Iudaicas, et cum eis Levitas ac Sacerdotes, ut docerent populum *leges Domini*.

V. 12. Aedificavit passim in Iudaea domos ad instar turrium. Hebraice, *palatia* tam alta, tam splendida, tam munita, ut turres viderentur & castella. Nempe cum infinitæ illi essent divitiæ, vers. 5. egebat plu-

plurimis & ærariis, & gazophylaciis, & armamentariis omne genus.

V. 16. AMASIAS CONSECRATUS DOMINO. Hebraice, & Græce, *Voluntarius Domino*. Forte fine ftipendio, aliove emolumento, folum ut Deo placeret, & publico commodaret, fe militiæ devoverat Amafias. Ita Mariana. Forte Nazaræus erat: ita Emmanuel Sa. Forte Levites, vel facerdos erat, nam & ex hoc ordine præfuiffe militiæ, patet ex I. Paralipom. XXVII. verf. 5. & 6. Qui vero hic verf. 17. ab eximio robore commendatur Eliada, in Hebræo, Chald. & Græco dicitur fuiffe de tribu Beniamin.

GORDONI.

Verf. 9. LIBRUM LEGIS. Recte intelligi poteft liber Deuteronomii.

V. 14. TRECENTA MILLIA. Recenfetur numerus eorum qui arma & ferebant, & ferre poffent. Totus hic refultans numerus habet undecies centena & fexaginta millia.



C A P U T XVIII.

Iofaphat impio Achab affinitate iunctus, afcendit cum eo contra Ramoth Galaad; quadringentis pfeudoprophetis victoriam promittentibus: Michæas autem contrarium prophetans, incarceratur, fed Achab iuxta Michææ prophetiam in bello occiditur.

1. FUit ergo Iofaphat dives & inclytus multum, & affinitate
coniunctus eft Achab. 2. Defcenditque poft annos ad eum
in Samariam: ad cuius adventum mactavit Achab arietes,
& boves plurimos, ipfi, * & populo qui venerat cum eo:
perfuafitque illi ut afcenderet in Ramoth Galaad. 3. Dixit-
que Achab Rex Ifrael ad Iofaphat Regem Iuda: Veni me-
cum in Ramoth Galaad. Cui ille refpondit: Ut ego, &
tu: ficut populus tuus, fic & populus meus: tecumque erimus in bello. 4. *
Dixitque Iofaphat ad Regem Ifrael: Confule obfecro impræfentiarum fermonem
Domini. 5. Congregavit igitur Rex Ifrael prophetarum quadringentos viros,
& dixit ad eos: In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiefcere?
At illi, Afcende, inquiunt, & tradet Deus in manu Regis. 6. Dixitque Iofa-
phat: Numquid non eft hic Prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus?
7. Et ait Rex Ifrael ad Iofaphat: Eft vir unus, a quo poffumus quærere Domini
voluntatem: fed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, fed malum omni tem-
pore: eft autem Michæas filius Iemla. Dixitque Iofaphat: Ne loquaris Rex hoc mo-
do. 8. Vocavit ergo Rex Ifrael unum de eunuchis, & dixit ei: Voca cito Michæam
filium Iemla. 9. Porro Rex Ifrael, & Iofaphat Rex Iuda, uterque fedebant in folio fuo,
veftiti culto regio: fedebant autem in area iuxta portam Samariæ, omnefque pro-
phetæ vaticinabantur coram eis. 10. Sedecias vero filius Chanaana fecit fibi cor-
nua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras
eam. 11. Omnefque prophetæ fimiliter prophetabant, atque dicebant: Afcende
in Ramoth Galaad, & profperaberis, & tradet eos Dominus in manu Regis.
12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium
prophetarum uno ore bona Regi annuntiant: quæfo ergo te ut & fermo tuus ab

eis non dissentiat, loquarisque prospera. 13. Cui respondit Michæas: Vivit Do-
minus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. 14. Venit ergo
ad Regem. Cui Rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellan-
dum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite: cuncta enim prospera eve-
nient, & tradentur hostes in manus vestras. 15. Dixitque Rex: Iterum atque
iterum te adiuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Do-
mini. 16. At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves
absque pastore: & dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquis-
que in domum suam in pace. 17. Et ait Rex Israel ad Iosaphat: Nonne dixi
tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt?
18. At ille, Idcirco, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in
solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris. 19.
Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israel, ut ascendat & corruat
in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, & alter alio. 20. pro-
cessit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Do-
minus, In quo, inquit, decipies? 21. At ille respondit: Egrediar, & ero spiritus
mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Dominus: Decipies, &
prævalebis: egredere, & fac ita. 22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum
mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te
mala. 23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michææ maxil-
lam, & ait: Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur ti-
bi? 24. Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris
cubiculum de cubiculo ut abscondaris. 25. Præcepit autem Rex Israel, dicens:
Tollite Michæam, & ducite eum ad Amon principem civitatis, & ad Ioas fi-
lium Amelech. 26. Et dicetis: Hæc dicit Rex: Mittite hunc in carcerem, &
date ei panis modicum, & aquæ pauxillum, donec revertar in pace. 27. Di-
xitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me.
Et ait: Audite omnes populi. 28. Igitur ascenderunt Rex Israel & Iosaphat Rex
Iuda in Ramoth Galaad. 29. Dixitque Rex Israel ad Iosaphat: Mutabo habi-
tum, & sic ad pugnam vadam, tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque
Rex Israel habitu, venit ad bellum. 30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus
equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum,
nisi contra solum Regem Israel. 31. Itaque cum vidissent principes equitatus Io-
saphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at
ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo. 32.
Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset Rex Israel, reliquerunt
eum. 33. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum iaceret, &
percuteret Regem Israel inter cervicem & scapulas, at ille aurigæ suo ait: Con-
verte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus sum. 34. Et finita
est pugna in die illo: porro Rex Israel stabat in curru suo contra Syros, us-
que ad vesperam, & mortuus est occidente sole.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Et populo qui venerat cum eo*. Non scribas plurali numero *venerant*.

V. 4. *Dixitque Iosaphat*. Non omittas coniunctionem *que*.

C O M-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. I. INCLYTUS MULTUM. Hebr. & LXX. *Abundans gloria*. AFFINITATE: ſcilicet eius filius gener fuit Achab.

V. 2. ANNOS, ſcilicet aliquot. RAMOTH erat in tribu Gad, ſed occupata a Rege Syriæ. GALAAD, ſcilicet erat in regione Galaaditide.

V. 3. UT EGO, ET TU. LXX. *Ut tu, ſic & ego*; quaſi dicat: Utere opera mea, ut tua.

V. 5. QUIESCERE, id eſt deſiſtere.

V. 6. PROPHETES, ſcilicet alius; vel quaſi dicat, Dei quem ego colo.

V. 7. MALUM, id eſt infauſta.

V. 8. EUNUCHIS, id eſt cubiculariis: fere enim cubicularii, eunuchi olim.

V. 14. ASCENDITE. Ironice.

V. 15. ITERUM ATQUE ITERUM. Hebr. & LXX. *quoties*; quaſi dicat: Quoties adiurandus es priuſquam verum dicas?

V. 16. MONTIBUS, ſcilicet vicinis Ramoth.

V. 22. DE TE. LXX. *ſuper te*. Hebr. *ſuper te*, ſeu *contra te*.

V. 24. CUBICULUM, ſcilicet interius fugiendo.

V. 30. EQUITATUS. Hebr. & LXX. *curruum*: & ſic infra.

V. 33. CERVICEM ET SCAPULAS. Hebr. *Iuncturas & loricam*. LXX. *Inter pulmonem & thoracem*.

ESTII.

Verſ. 21. EGREDIAR, ET ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EIUS. DIXITQUE DOMINUS: DECIPIES, ET PRAEVALEBIS: EGREDERE, ET FAC ITA. Quod ait, *Egredere, & fac ita*, nullo modo eſt præcipientis. Cum enim Deus ſit ſumma & prima veritas, nullo modo poteſt mendacium præcipere, aut mentiri. Sed verba ſunt concedentis facultatem ſpiritui maligno id faciendi, quod facere quidem cupiebat, ſed nondum permittebatur. Quomodo etiam dictum eſt Iudæ proditori a Chriſto, Ioan. XIII. *Quod facis, fac citius*. Et hunc eſſe ſenſum, patet ex verbis præcedentibus, quibus ait ſpiritus ille: *Egrediar*, &c. quaſi dicat: Si mihi permittas, egrediar, & ſuggeram mendacium omnibus prophetis Achab, ut ita decipiantur. Cum ergo ait Dominus, *Egredere*, ſignificat ſe illi dare poteſtatem quam petebat. Hinc etiam diſcimus, diabolum contra nos nihil poſſe, neque in errorem inducendo, neque ad peccatum pertrahendo, niſi permittatur a Deo. Deum autem hoc permittere propter peccata hominis præcedentia. Vide etiam III. Reg. XXII.

MARIANAE.

Verſ. I. ET AFFINITATE CONIUNCTUS EST ACHAB. Heb. *Et gener factus eſt Achab*. Id ſignificat etiam verbum ἐπεγαμβρεύσατο, quod Sept. hoc loco ponunt. Non tamen ipſe, ſed filius eius gener fuit Achab. Sic Ioſaphat ivit in Samariam. Ut eum, & comites aleret,

V. 2. MACTAVIT ACHAB. Hebr. *Sacrificavit*: ſic Sept. ſed bene vertitur per *mactavit*. PERSUASITQUE ILLI UT ASCENDERET IN RAMOTH GALAAD. Syri eam urbem iniuria occuparunt, III. Reg. XXII. 3. quæ erat in tribu Gad. Quid Ioſaphat? Dixit Achabo: Conſule

V. 4. IMPRAESENTIARUM. Hebr. *ut hodie*. Sept. *iam hodie*. SERMONEM DOMINI. Hebr. *verbum Domini*; id eſt, non ab aliis vatibus, ſed a Propheta Dei pete reſponſum. Achab contra conſulit falſos prophetas.

V. 5. IRE DEBEMUS, AN QUIESCERE? Hebr. *An ceſſabo*, ſeu *omittam*? bellum ſcilicet: ſic verſ. 14. Reſpondet illi: IN MANU REGIS, id eſt tua, tradet Ramoth Deus.

V. 6. NUMQUID NON EST HIC PROPHETES DOMINI? Hebr. additur *adhuc*; quaſi dicat: Num ex Prophetis Domini aliquis ſupereſt? Verba Ioſaphat.

V. 7. EST VIR UNUS. Hebr. *Adhuc*

vir unus ad consulendum Dominum ab ipso, id est per ipsum. NON PROPHETAT MIHI BONUM, SED MALUM. Hebr. *Quia non ipse prophetat super me* (id est ad me) *ad bonum, quin omnibus diebus eius ad malum*; id est, non læta denuntiat, sed tristia: sic vers. 17. ubi hæc fere repetuntur.

V. 8. VOCAVIT .... UNUM DE EUNUCHIS Achab. Sic ministros Regis vocabant, etiamsi castrati non essent. VOCA CITO. Hebr. *Festina, Michæam filium Iemla*, scilicet voca, aut adduc: quo loco Michææ nomen Hebr. diminutum una littera Iod est, ad indicandum, sic per contemptum nominatum: sic Hebræus Scholiastes.

V. 6. VESTITI CULTU REGIO, scilicet duo Reges sedebant. Sept. *stolis*. Hebr. *Induti vestibus*, scilicet regiis, trabeis nempe. IN AREA. Sept. εὐρυχώρῳ, *loco spatioso*, nimirum in foro, quod solebat ad urbis portam esse: ideo addit *iuxta portam Samariæ*. Sedecias falsus propheta ait:

V. 10. HIS, scilicet cornibus, VENTILABIS: sic Sept. alii, *Feries, cornu petes*. DONEC CONTERAS EAM. Hebr. *consumas eos*.

V. 11. ET PROSPERABERIS. Hebr. *Et prosperare*. IN MANU REGIS, scilicet Achab tradet eos.

V. 12. ANNUNTIANT. Suppletur hoc ab Interprete. Hebr. solum est: *Ecce verba prophetarum ore uno bonum Regi*. Quid Michæas?

V. 14. ASCENDITE: CUNCTA ENIM PROSPERA EVENIENT. Sept. *Ascende, & prosperaberis*. Ironice. Hebr. *Ascendite, & prosperemini*, in imperativo; quasi dicat: Utinam ita fiat! Sic Hebræus, & hac expositione Michæas excusatur a mendacio. ET TRADENTUR HOSTES IN MANUS VESTRAS. Hebr. *Et tradentur in manum vestram*, scilicet hostes. *Tradentur*; pro, tradantur utinam, ut cum superiori verbo *prosperemini* consentiat.

V. 15. DIXITQUE REX. Uter e duobus? ITERUM ATQUE ITERUM TE ADIURO. Hebr. *Quoties ego adiuro te, quod non loquaris*. Sept. *Quoties ego adiuravi te*: adiurare scilicet te debeo, ut verum dicas? Ille: *Vidi Israel*

V. 16 SICUT OVES ABSQUE PASTORE. In hoc prædicit mortem Achab. Vidi Dominum dicentem:

V. 19. QUIS DECIPIET ACHAB? Dei verba. Est autem hypotyposis, non res gesta. CUMQUE DICERET UNUS HOC MODO, &c. Hebr. *Et dixit hic dicens sic, & hic dicens sic*. Illud, *Et dixit*, potest referri ad Michæam ipsum; quasi dicat: Et addidit Michæas, *hic dicens* (pro dicebat) *sic, & hic dicens sic*: vel potest referri ad Angelos ipsos; quasi dicat: Dicta Angelorum variabant, *dixit hic dicens sic, & hic dicens sic*: nam repetitio familiaris est linguæ Hebr. Hoc Hieronymus secutus videtur, Sept. etiam.

V. 20. PROCESSIT SPIRITUS. Rabbini dicunt, hunc spiritum fuisse animam Naboth.

V. 21. ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EIUS; id est, ponam in ore eorum verba mendacii. EGREDERE, ET FAC ITA. Deus mendacium non præcepit: sed est hypotyposis, non res gesta. Sed hoc exemplo explicuit primas causas calamitatis, cum prophetæ, alius alia de causa, falsa loquuntur, & annuntiant Regi, quod totum a patre mendacii proficiscitur.

V. 22. PROPHETARUM TUORUM in ore dedit verba mendacii. Hebr. additur *horum*: sic Sept. DOMINUS LOCUTUS EST DE TE. Sept. *super te*: sic Heb. pro, *contra te*. MALA. Hebr. *malum*. O Sedecia,

V. 24. TU IPSE VIDEBIS, scilicet Regis necem. QUANDO INGRESSUS FUERIS. Hebr. *In die hoc, quo ingredieris varia cubicula, ut lateas*.

V. 25. ET AD IOAS FILIUM AMELECH ducite Michæam. Verba Achab. Sept. *filium Regis*: id significat *Amelech* Hebr. sed quoniam non explicat cuius Regis, Hieronymus credidit esse nomen proprium.

V. 26. PANIS MODICUM, ET AQUAE PAUXILLUM date ei. Sept. *afflictionis* utrobique. Sic Hebr. *panem & aquam afflictionis*: quod Chald. in Lib. Reg. ad quantitatem modicam refert, ut Hieronymus. Ad hæc Michæas denuntiat aperte Achab mortem.

V. 27. AUDITE OMNES POPULI. Sic Septuaginta; quasi dicat: Memores estote eorum quæ dico.

V. 29.

V. 29. DIXITQUE REX ISRAEL AD IOSAPHAT: MUTABO HABITUM, id est vestes. Locus difficilis, totidem verba III. Reg. XXII. 30. Vox Hebr. *bithbaphes* potest esse in infinitivo, & significat *mutare se*, pro *mutabo me*: sic accipiunt Sept. & omnes Interpretes, quasi Achab loquatur de se, *Ego mutabo*, scilicet vestem, *& ingredi*, pro ingrediar in prælium, ne cognoscar scilicet. Potest etiam esse in imperativo; quasi dicat Achabus Iosaphat: Muta te, & ingredere in prælium, sume paludamentum. Unus Hebræus hoc sequitur, quam apte, alii viderint. Absonum profecto videtur, ut cum ipse ob cautionem mutet vestem, socio Regi persuadeat ut retentis insignibus subeat periculum. Cui placuerit hæc expositio, sic accipiat verba prima: TU AUTEM INDUERE VESTIBUS TUIS, nimirum quas illi obtulit ad mutandum: nam fortassis duplices vestes sunt allatæ. Aut *vestibus tuis*, quibus uteris quotidie, & in communi vita, meo exemplo pone paludamentum, bellicam summorum ducum vestem. Sed prior expositio, quæ Vulgatæ est, planior, & melior.

V. 30. DUCIBUS EQUITATUS SUI. Hebr. *ducibus currus*, pro curruum, *qui ei*. Præcepit Rex Syriæ, ut solum Achab impeterent.

V. 31. AT ILLE CLAMAVIT AD DOMINUM. Sept. *Et clamavit Iosaphat*: sic Hebr. id est, imploravit opem divinam, aut suorum militum. AVERTIT EOS: Deus scilicet, cogitatione immissa recedendi ab illo, avertit milites Syriæ a Iosaphat, qui solum Achab quærebant.

V. 33. ACCIDIT AUTEM UT UNUS E POPULO SAGITTAM IN INCERTUM IACERET. Hebr. *Et quidam tetendit arcum in simplicitate sua*. Hebræus fuisse dicit e militibus Achab. INTER CERVICEM ET SCAPULAS. Hebr. *Inter iuncturas & loricam*, scilicet ubi galea loricæ iungitur. Sept. *Inter pulmonem & thoracem percuteret*.

V. 34. ET FINITA EST PUGNA. Sic Sept. Hebr. *Et ascendit pugna*, id est incaluit. STABAT IN CURRU SUO. Achab, ne sui deficerent animis, si Regem vulneratum scirent, aut si discedentem penitus, & suos deserentem viderent, stabat.

MALVENDAE.

Vers. 1. ET AFFINITATE CONIUNCTUS EST ACHAB: nimirum, accipiendo Hatholiam Achabi filiam in uxorem Iehoramo filio suo, II. Reg. VIII. vers. 18. & infra cap. XXI. vers. 6. & id plane verbum Hebraicum significat, *Consoceravit ipsi Achabo*, Hispanice, *Consogrò*; id est, consocer eius effectus est.

V. 2. DESCENDITQUE POST ANNOS AD EUM, &c. Exemplaria quædam habent, *Post duos annos*. Et sane plurale *annos*, pro minimo numero accepisse videntur. Alii, post tres illos annos intelligunt de quibus I. Reg. XXII. 2. nimirum ex quo non fuerat bellum inter Syros & Israelitas. Nonnulli, *Ad finem annorum*, id est exactis aliquot annis, nimirum anno decimoseptimo regni sui. Vide I. Reg. XXII. 42. MACTAVIT ACHAB ARIETES, &c. Hebr. *Et sacrificavit ei Achab pecudes*, &c. Verum verbum זבח *zabach*, non proprie hic sumendum pro sacrificare Deo; sed pro *mactare*, *iugulare ad epulum & convivium sæculare*: qua ratione sumitur Genes. XXXI. 50. & I. Samuel. XXVIII. 24. & I. Reg. XIX. 21. Vide I. Samuel. IX. 12.

V. 3. DIXITQUE ACHAB REX ISRAEL, &c. Ab hoc versu usque ad finem capitis, confer cum I. Reg. XXII. a vers. 4. usque ad vers. 35. inclusive: nam omnia sunt eadem, paucis exceptis.

V. 31. ATQUE AVERTIT EOS AB ILLO. ויסיתם *vaiiesithem* varie reddunt. I. *Et elevavit eos Deus ab eo*. II. *Et recedere fecit eos*. III. *Et incitavit eos Deus ab eo*; id est, commovit animum eorum ut ab eo desisterent. IV. *Et persuasit illis ab eo*; id est, dimovit eos a sententia ne illum insequerentur. V. *Et extimulavit eos Deus ab eo*; id est, quasi adacto stimulo eiecit eos ab eo. VI. *Et concitavit*, *abegit*, *eos Deus ab illo*.

V. 34. ET FINITA EST PUGNA. Hebr. *Et ascendit prælium*. Sane verbum עלה *ghalah* interdum sumi pro *recedere*, *auferri*, *tolli*, *disparere*, notavimus in Genes. XVII. 22. unde hic quidam reddunt: *Et desiit prælium*: at omnes fere sumunt, *Et ascendit prælium*, pro invaluit, crevit, acrius

acrius & atrocius exarsit: sic accepit Noster I. Reg. XXII. 35. PORRO REX ISRAEL STABAT IN CURRU SUO. Hebr. *Et Rex Israelis fuit stare faciens in curru suo*. I. Reg. XXII. 35. scribitur participium præteritum, seu passivum Hiphil, מעמד *maghomad*, *statutus*, *constitutus*, *stare factus*; hic vero participium præsens, seu activum ex Hiphil, מעמיד *maghamid*, *statuens*, *stare faciens*. Diversimode hic convertunt. I. *Et Rex Israel erat tenens se ipsum*, *roborans se ipsum*, *in curru*. II. *Rex vero Israelis fuit faciens se stare*, vel *tenebat se rectum in curru*; id est, dissimulabat vulnus, tenens se rectum, ne sui animum desponderent. III. *Quoniam autem invalescebat prælium eo die*, *Rex Israelis distinebat currus suos adversus Syros*, id est currus sui exercitus in fugam inclinantis. Vide Comm. in I. Reg. XXII. 35.

MENOCHII.

Vers. I. FUIT ERGO IOSAPHAT, &c. Totum hoc caput explicatum est III. Reg. XXII.

TIRINI.

Vers. I. AFFINITATE CONIUNCTUS EST IOSAPHAT ACHAB, quia Ioram filius Iosaphati, ducta in uxorem filia Achabi Athalia, *gener illius factus* erat, ut est in Hebræo, & habetur cap. XXI. vers. 6.

V. 20. PROCESSIT in medium SPIRITUS quidam malignus, seu satan. Rabbini somniant hunc spiritum fuisse animam Naboth, tyrannice nuper iussu Iezabelis lapidati, III. Reg. XXI.

V. 25. AD IOAS FILIUM AMELECH. Ita est in Hebræo: sed Septuaginta verterunt, *Ad filium Regis*. Hic forsan erat ex filiis Achabi unus, cui cum aliquibus aliis, Rex iturus ad bellum adversus Syros, custodiam urbis Samariæ, & partis regni administrationem ad tempus demandarat.

V. 27. ET AIT Michæas: AUDITE OMNES POPULI; quasi dicat: Utinam omnibus innotescant quæ iam prædixi futura! & omnes memores sint me sigillatim omnia prædixisse.

V. 34. PORRO REX ISRAEL, etsi graviter vulneratus, ne tamen milites deficerent animis, si viderent Regem saucium excedentem prælio, suosque deferentem, præsens mansit quamdiu potuit, & USQUE AD VESPERAM perstitit IN CURRO SUO, compresso tantisper vulnere. Sed sanguine paulatim prorumpente, & viribus deficientibus, excedere coactus sub vesperam, finem fecit & bello, & vitæ.

Reliqua huius cap. exposui III. Reg. ultimo.

GORDONI.

Vers. I. AFfinitas hæc est, ἐπεγαμβρεύσατο ἐν τῷ οἴκῳ Ἀχαάβ: nempe filius eius factus est gener Achab.

V. 2. RAMOTH GALAAD. Syri hanc civitatem occupaverant in tribu Gad. Vide III. Reg. XXII. vers. 3.

CA-



CAPUT XIX.

Ioſaphat a Iehu Propheta correptus de præſtito auxilio Achab, conſtitutos a ſe iudices admonet de ſervanda iuſtitia, & Levitas de promovendo cultu divino, populoque recte inſtituendo.

1. REverſus eſt autem Ioſaphat Rex Iuda in domum ſuam pa-
cifice in Ierusalem. 2. Cui occurrit Iehu filius Hanani Vi-
dens, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui
oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram qui-
dem Domini merebaris: 3. ſed bona opera inventa ſunt in
te, eo quod abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparave-
ris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuo-
rum. 4. Habitavit ergo Ioſaphat in Ieruſalem, rurſumque
egreſſus eſt ad populum de Berſabee uſque ad montem Ephraim, & revocavit
eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. 5. Conſtituitque iudices terræ in cun-
ctis civitatibus Iuda munitis per ſingula loca, 6. & præcipiens iudicibus, Vide-
te, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: &
quodcumqne iudicaveritis, in vos redundabit. 7. Sit timor Domini vobiſcum,
& cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum
iniquitas, (*a*) nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 8. In Ieruſalem
quoque conſtituit Ioſaphat Levitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex
Iſrael, ut iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. 9. Præce-
pitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. 10.
Omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, qui habitant iu ur-
bibus ſuis inter cognationem & cognationem, ubicumque quæſtio eſt de lege,
de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus: oſtendite eis, ut non peccent
in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros: ſic ergo agen-
tes non peccabitis. 11. Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ
ad Deum pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in
domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent: habetiſque
magiſtros Levitas coram vobis, conſortamini, & agite diligenter, † & erit Do-
minus vobiſcum in bonis.

(*a*) Deuter. x. 17. Rom. II. 12. Gal. II. 6. Eph. VI. 9. Col. III. 25. Actor. x. 34. I. Petr. I. 17. Supra VI. 8. Eccli. xxxv. cap. 16.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

V. 11. *Et erit Dominus vobiſcum in bonis*, Vetera manuſcripta, etiam Epanorthotæ, legunt, *Et erit Dominus cum bonis*, Hebræo, & Græco conſentanee.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. PACIFICE. Hebr. & LXX. *In pace*, id eſt incolumis, ſeu proſpere.

V. 6. HOMINIS; quaſi dicat, Non ſolum ut vicarii hominis, ſed etiam Dei. ET QUODCUMQUE, &c. Hebr. *Et vobiſcum in negotio iudicii*, ſcilicet Deus adeſt, videns quid agatis.

V. 7. NON EST; id eſt, non placet.

V. 10. VENERIT, ſcilicet per appellationem ab aliis iudicibus. COGNATIONEM ET COGNATIONEM, id eſt inter fratres, ſcilicet inter Iudæos. Hebr. & LXX. *Sanguinem & ſanguinem*, id eſt de cæde, ſcilicet factane voluntate, an caſu. CAEREMONIIS. Hebr. *ſtatutis*. LXX. *iuſtificationibus*. IUSTIFICATIONIBUS. Hebr. & LXX. *iudiciis*.

V. 11. MAGISTROS, ſcilicet qui doceant legem, vel iudices cauſarum leviorum. VOBISCUM IN BONIS. Complut. *cum bonis*. Hebr. & LXX. *cum bono*, id eſt benefaciens.

ESTII.

Verſ. 2. IMPIO PRAEBES AUXILIUM, ET HIS QUI ODERUNT DOMINUM, AMICITIA IUNGERIS. Poſterior pars complementum eſt, & explicatio prioris. Nam multis caſibus licitum eſt impiis benefacere; immo tenemur omnes diligere, etiam impios, modo eis in malo non ſociemur, aut ullo modo confœderemur. Monet ergo hic locus, ne Principes Chriſtiani, & catholici contrahant amicitas, aut ineant fœdera cum hæreticis, aut Turcis, aut aliis infidelibus. Nam & capite ſequenti Ioſaphat a Deo punitur contritione navium ſuarum, quod fœdus iniiſſet cum impio Ochozia.

V. 8. IN IERUSALEM QUOQUE CONSTITUIT IOSAPHAT LEVITAS, ET SACERDOTES. Videri hinc poſſet quod tempore veteris Teſtamenti ſacerdotium ſubiectum fuiſſet regiæ poteſtati. Sed contrarium ſatis apparet ex verbis Ioſaphat ſubiectis (verſ. 11.) quibus ait: *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent*. Senſus igitur eſt: *Conſtituit*, id eſt curavit conſtitui, nempe per ſummum Sacerdotem Amariam. Item præcepit, id eſt cum auctoritate dixit, quia verbum principis habet pondus & auctoritatem, etiamſi proprie non præcipiat.

MARIANAE.

Verſ. 1. PACIFICE. Hebr. & Sept. *In pace*; id eſt, incolumis reverſus eſt poſt bellum Ioſaphat.

V. 3. BONA OPERA INVENTA SUNT IN TE. Verba Iehu ad Ioſaphat. Sept. *Boni ſermones*. Hebr. *Bona verba*. Sed *verba* pro *operibus*. EO QUOD ABSTULERIS LUCOS. Sic Sept. alii, *Excideris lucos*. ET PRAEPARAVERIS. Sept. *Direxiſti te*. UT REQUIRERES DOMINUM DEUM PATRUM TUORUM. Hebr. *Ut requireres Deum*: ſic Gotth. Sept. *Ut requireres Dominum*.

V. 4. EGRESSUS EST AD POPULUM DE BERSABEE Ioſaphat, ut ſcilicet inviſeret eam regni partem, & mores populi componeret.

V. 5. CONSTITUITQUE IUDICES TERRAE. Hebr. *in terra*. IN CUNCTIS CIVITATIBUS IUDA MUNITIS: ſcilicet ne cives munitione confiſi, impune nocerent aliis. Præterea ut iudices præſidii viribus muniti coercerent ſontes. PER SINGULA LOCA Sept. *In civitate & civitate*. Hebr. *Ad urbem & urbem*, id eſt per ſingulas urbes. Quod referri poteſt & ad urbes munitas, de quibus dixit, & ad alias urbes, in quibus voluit iudices eſſe ad coercendam pravitatem. Dat præcepta iudicibus.

V. 6. NON ENIM HOMINIS EXERCETIS IUDICIUM, SED DOMINI, Sept. *Non enim homini iudicatis, ſed Domino*: ſic Hebr. quaſi dicat: Non quaſi homini rationem reddituri iudicate, ſed Domino. Et ne putetis eum fallere poſſe, addit: *Et vobiſcum* (eſt) *in verbo iudicii*: ſic

ſic Hebr. ubi Hieronymus: ET QUODCUMQUE IUDICAVERITIS, IN VOS REDUNDABIT. Sept. *Et vobiſcum verba iudicii*.

V. 7. ET CUM DILIGENTIA CUNCTA FACITE. Hebr. *Cuſtodite, & facite*; id eſt, non temere, ſed cum iudicio facite quæ facitis. NEC CUPIDO MUNERUM. *Acceptio munerum*; id eſt, hæc non placent Deo.

V. 8. EX ISRAEL, pro *Iſraelis*, in genitivo. Conſtituit in Ieruſalem principes familiarum ex Iſrael, id eſt Iſraelis. Hebr. *Iſraeli*. Sed & *Lamed* poteſt eſſe nota genitivi, ut Hieronymus accepit, & Sept. etiam. UT IUDICIUM ET CAUSAM DOMINI IUDICARENT. Hebr. *Ad iudicium Domini, & litem*, ſcilicet Domini. Porro *iudicium Domini* vocat, quod eius nomine exerceretur. Hebræus ait, *miſpath*, pro qua voce Noſter poſuit *iudicium*, ſignificare *cauſas civiles*; *rib*, pro qua poſuit *cauſam*, ſignificare *cauſas criminales*, neſcio quam vere. HABITATORIBUS EIUS, ſcilicet Ieruſalem. Sept. *Habitantes Ieruſalem*, ſcilicet iudices conſtituit. Hebr. *Et reverſi ſunt Ieruſalem*, id eſt Rex, *& qui cum eo erant*; quaſi dicat: His conſtitutis quæ ſunt dicta, Ieruſalem, unde diſceſſerant, reverſi ſunt. Addit præcepta iudicibus, quos in Ieruſalem conſtituit.

V. 10. CAUSAM QUAE VENERIT AD VOS, ſcilicet per appellationem. Illi erant ſupremi iudices in urbe Regia conſtituti. INTER COGNATIONEM ET COGNATIONEM. Sept. *Inter ſanguinem & ſanguinem*: ſic Hebr. id eſt, inter cædem ex malitia, & ex ignorantia factam: ſic Hebræus. Hieronymus per *ſanguinem*, *cognationem* intellexit, cum ſcilicet lis eſt, & dubitatur de qua tribu, & familia quis ſit. UBICUMQUE QUAESTIO EST DE LEGE. Hebr. *Inter legem & præceptum* (inter) *ſtatuta & iudicium*; id eſt, ubi inciderit controverſia, ad quam legis partem factum aliquod ſpectet; id eſt, vobis id peccatum imputetur. OSTENDITE EIS, UT NON PECCENT, ſcilicet ob ignorantiam legis. ET NE VENIAT IRA DEI SUPER VOS. Hebr. *Et veniat ira ſuper vos*. Sed negatio quæ proxime præceſſit, recte hic ſubintelligitur.

V. 11. IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *Ad omne verbum Domini*, id eſt cauſam eccleſiaſticam, erit Amaſias Pontifex. Porro Iſmael SUPER EA OPERA ERIT QUAE AD REGIS OFFICIUM PERTINENT. Hebr. *ad omne verbum Regis*, id eſt cauſam quæ ad regium tribunal pertinet, ſcilicet alias inter homines lites. AGITE DILIGENTER; Hebr. *Facite*, id eſt fungimini officio veſtro. ET ERIT DOMINUS VOBISCUM IN BONIS. Hebr. & Sept. *Et erit Dominus cum bono*, id eſt cum bonis: iis aderit qui bene agent: ſic Vulg. Regia: *Et erit Dominus cum bonis*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PACIFICE. Hebr. *In pace*; id eſt ſalvus & incolumis, e prælio ad Ramothas Ghilhad geſto. Innuit mirabilem Dei opem, qua e maximo periculo ereptus fuit, ſupra cap. XVIII. verſ. 31.

V. 2. FILIUS HANANI. Hebr. *Chanani*: de quo ſupra cap. XVI. verſ. 7. IMPIO PRAEBES AUXILLIUM, ET HIS QUI ODERUNT DOMINUM, AMICITIA IUNGERIS? Hebr. *An improbo ad auxiliari, & oſoribus Iehovæh diliges?* Quidam: *Num impio auxiliari, & oſoribus Iehovæ diliges*? Notant eſſe traiectionem: *Num diliges auxiliari impio, & inimicis Iehovæ?* Alii: *An impio decuit te ferre opem, & oſores Iehovæ diligere*? Nonnulli: *Licetne tibi ferre opem impio, & an eos qui Dominum odio habent, debuiſti diligere*? Aliqui: *Tune impio auxilium ferre, & diligere eos voluiſti qui Dominum oderunt*? Alii: *An improbo auxiliari, & oſores Iehovæ diligere te*? Impium vocat Achabum, & oſores Dei Iſraelitas, quod a vero Dei cultu deſciviſſent. Hoc dicit propter allatum eis ab Ieſoſaphato auxilium in bello Ramotharum, capite ſuperiore.

V. 3. EO QUOD ABSTULERIS LUCOS. Vide ſupra cap. XVII. verſ. 4. & 6.

V. 4. HABITAVIT ERGO IOSAPHAT IN IERUSALEM. Exponunt: Id eſt, tantiſper manſit. Alii: *Deinde reſedit Iehoſchaphat Ieruſchalaimis*; id eſt, quievit, habenis regni Ioramo filio commiſſis, & eccleſiaſtico, ac politico ordine conſtitutis, ut ſequitur. RURSUMQUE EGRESSUS EST. Hebr. *Et reverſus fuit, & exivit*; pro, iterum, rurſus, exivit: hanc enim eſſe

esse vim interdum verbi שׁוב *sub*, sequente alio verbo, nimis est pervagatum. Alii: *Et reversus est*, vel *& conversus est*; id est: resipuit, egit pœnitentiam ad Prophetæ monitum. EGRESSUS EST AD POPULUM. Hebr. *Et exivit in populo*. Quidam: *Et egressus est per populum*. Fortasse per populum quem offenderat malo exemplo, vel per populum suæ ditionis; quasi dicat: Peragravit totum regnum. Alii: *Obivit per populum*. Iosephus: *Universam suam ditionem perlustravit, populum leges divinas per Moysen traditas, & cultum pietatis docendo*. Quidam partem priorem huius versus ita convertunt: *Deinde resedit Iehoschaphat Ieruschalaimis, postquam conversus obivisset per populum*. Ego non dubitem hanc phrasim, *Et reversus fuit, & exivit in populo*, esse vel eamdem, vel affinem ei, *Intrare, & exire coram populo*; hoc est, domi, & foris, pace, & bello rempublicam administrabat. Vide Numer. XXVII. 17. DE BERSABEE USQUE AD MONTEM EPHRAIM, id est ab una regni extremitate ad alteram: nam regnum Iehudæ protendebatur ad montana Ephraimi, inde a temporibus Asæ, supra cap. XV. vers. 8. Beer-Sebah erat extremitas australis; mons Ephraim aquilonaris.

V. 6. NON ENIM HOMINIS EXERCETIS IUDICIUM, SED DOMINI. Hebr. *Quia non homini iudicatis, sed ipsi Iehovæh*. Quidam: *Non enim pro homine iudicaturi estis, sed pro Iehova*. Exponunt: Id est, non tam mei, aut ullius hominis, quam Dei vices in iudicando geritis; quasi dicat: Attendite, in iudicando vos esse ministros, & vicarios, non tam hominum, quam ipsius Dei. Aliter: Quia iudicii, & administrationis vestræ ratio exigenda & reddenda est non homini, qui falli potest, sed Deo, qui iustissime omnia iudicat. ET QUODCUMQUE IUDICAVERITIS, IN VOS REDUNDABIT. Hebr. *Et vobiscum in verbo iudicii*. Quidam: *Et erit Iehova vobiscum in negotio iudicii*, seu *iudiciali*, id est in caussis quas iudicatis; quasi dicat: Ne existimetis Deum latere posse vestra iudicia: ipse enim adest præsens cuncta videns. Tametsi enim præsens adsit rebus omnibus, singulariter tamen præsens est actionibus iudicum, quod ipsi tunc personam & vices Dei agant. Aliqui: *Qui vobiscum futurus est in rebus iudiciariis*; id est, sua ope vobis aderit, cum ex iusto & recto iudicia exercueritis.

V. 7. ET CUM DILIGENTIA CUNCTA FACITE. Hebr. *Observate, & facite*. Quidam: *Custodite vos* a subiectis iniuriarum speciebus: *& facite* quod iustum est. Alii: *Observate legem & iustitiam, & facite iudicium*; id est, secundum leges, & iuste iudicate. Nonnulli: *Cauti ergo sitis, & satagite*. Sed notum est, quando verbum שמר *schamar* construitur cum verbo עשה *ghasah*, ut hic, curam, studium, sollicitudinem importare; quasi dicat: Curate omni studio, recte, ac fideliter munus vestrum administrare. PERSONARUM ACCEPTIO. Hebr. *Elevatio facierum*; id est honoratio, elevatio, acceptio, discrimen, delectus, respectus personarum: nam qui conscius est se peccasse, pudore suffunditur, & faciem demittit; qui eiusmodi suspicit, & reveretur, perinde facit ac si faciem eius demissam attolleret. Ergo *elevatio facierum* est respectus personæ, quo huic magis favemus quam illi, non ob ipsius rei, vel caussæ, sed personæ discrimen, ac rationem.

V. 8. UT IUDICIUM, ET CAUSAM DOMINI IUDICARENT. Hebr. *Iudicio Iehovæh, & liti*; vel *ad iudicium Iehovæh, & ad litem*. Apposite, & vere exponunt, ad iudicia Iehovæ, id est ad caussas sacras & ecclesiasticas, quarum cognitio proprie ad sacerdotes, & Levitas pertinebat, Deuteronom. XVII. 18. & sequentibus: *& ad lites*, civiles & seculares. ריב *rib* proprie est *lis, controversia, contentio, causa iudicialis*. Observa, sacerdotes, & Levitas constitutos fuisse iudices civilium etiam caussarum. Vide I. Paralipom. XXIII. 4. & cap. XXVI. vers. 29. 30. & 32. Hic Hebræa addunt: *Et reversi fuerunt Ierusalaim*: quod difficilem habet intelligentiam. Quidam exponunt: Nempe Levitæ, & sacerdotes, & principes familiarum, ex locis in quibus habitabant, venerunt in Ierusalem, ut ibi præsiderent iudiciis, seu iuri dicundo. Vel reversi sunt ex urbibus regni in quas amandati fuerant in generali illa regni visitatione, ut iudicia, & caussas exercerent, supra vers. 4. & 5. Aut istud referendum ad Regem, eiusque comitatum, postquam egressi fuerant ad perlustrandum & invisendum regnum, supra vers. 4. Aliqui exponunt: *Cum reverterentur illi*

Ieru-

Ierufchalaima; id eft, cum alii iudices propter obfcuritatem aut difficultatem caufarum vos confulturi venient, aut partes inter fe diffidentes ad vos remittent, ex lege Deuteronom. XVII. 8. & fequentibus: ut hæc pericope cohæreat cum fine verfus præcedentis. Quem fenfum firmat Iofephus: *Quod fi graviores controverfiæ deferrentur ad eos, ex aliis cognatis, urbibus de horum negotiis maiori etiam diligentia decerni voluit*.

V. 10. INTER COGNATIONEM ET COGNATIONEM. Hebr. *Inter fanguinem & fanguinem*. Nofter *fanguinem* pro cognatione, feu confanguinitate accepit; ut etiam Latinis fumitur. Virgilius II. AEneidos:

...... *quo fanguine cretus*.

Et VI.

Proiice tela manu fanguis meus.

Quafi dicat, Lis, feu caufa iudicialis de iure cognationis. Alii pro effufione fanguinis, feu cæde capiunt. Vide Deuteronom. XVII. 8. OSTENDITE EIS. Hebr. *Et refulgere, lucere, fplendere facietis, illuftrabitis, elucidabitis ea*, fcilicet eas lites, & controverfias. Alii: *Et admonebitis, commonefacietis, eos*, nimirum de rebus agendis, & de vera iuftitia. Alii: Ut quantum poffint, abftineant a litibus. Nonnulli: *Et folicitate ne peccent*. UT NON PECCENT IN DOMINUM. Futuro יאשמו *iefchemu* hæc omnia fubfunt: *Et non afflabiles*, vel *afflati erunt*: *& non piaculares erunt*: *& non rei erunt*: *& non delinquent, ipfi Iehovæh*. Sic in fine verfus.

V. 11. IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT. Hebr. *Ad omne verbum Iehovæh*. Quidam, *In omni re Iehovæ*. Alii, *In omni negotio Iehovæh*, id eft in caufis facris & ecclefiafticis, ad Deum, & ad religionem pertinentibus; ut fupra verf. 8. IN DOMO IUDA. Explicant, Id eft in regno Iehudæ. SUPER EA OPERA ERIT, QUAE AD REGIS OFFICIUM PERTINENT. Hebr. *Ad omne verbum Regis*. Quidam, *In omni negotio Regis*, id eft regni, five politico. Forte hic erat vicarius generalis Regis in adminiftratione politica, quafi prorex, feu præfectus prætorio. CORAM VOBIS. Quidam reddunt: *Expofiti funt vobis*: ut Genef. XIII. 9. id eft, femper erunt præfto, ut confulentibus de iure refpondeant: adderunt femper iuri dicundo. CONFORTAMINI, ET AGITE DILIGENTER. Hebr. *Obtinete, & facite*. Quidam: *Confirmate vos, & facite*: 2. *Invalefcite, & facite*: 3. *fortes igitur eftote, & fatagite*; quafi dicat: Generofo ac forti animo fungimini officio veftro. ET ERIT DOMINUS VOBISCUM IN BONIS. Hebr. *Et fuit*, vel *ut fit*, *Iehovah cum bono*: fingulare pro plurali. Exponunt: Id eft, aderit, & favebit Dominus bonis & iuftis iudicibus. Alii: *Et erit Iehovah cum bono*. Nonnulli: *Eritque Dominus cum eo qui bene egerit*: vel *aderit ei qui fecerit bonum*, id eft iuftitiam. Nonnulli: *Et Iehova aderit æquo*, id eft rebus, & perfonis æquitate coniunctis. Senfus Noftri eft optimus; quafi dicat: Si vos officio veftro recte defungamini, aderit vobis Dominus cum multis bonis, & profperitatibus; cumulabit vos multis bonis; beabit vos;

MENOCHII.

Verf. 2. VIDENS, Propheta. IRAM DOMINI MEREBARIS, id eft pœnam ex iufta Domini ira profectam.

V. 3. PRAEPARAVERIS COR TUUM. Septuag. *Direxifti cor tuum*.

V. 4. RURSUMQUE EGRESSUS EST AD POPULUM. Qui paulo ante egreffus fuerat Ierofolymis ad invifendum Achabum, nunc rurfum ex urbe Regia egreffus eft ad invifendum populum fuum. USQUE AD MONTEM EPHRAIM. In tribu enim Ephraim Iudæ Reges, & nominatim Afa Iofaphati pater, multas urbes acquifierat, quas vifere illi animus erat. Vide fupra cap. XV. num. 8. REVOCAVIT EOS AD DOMINUM, profcripta idololatria, quam ex vicino Ifraelis regno hauferant.

V. 5. IN CUNCTIS CIVITATIBUS IUDA, totius regni Iuda, quod etiam Beniamin, & civitates illas in tribu Ephraim complectebatur.

V. 6. NON HOMINIS IUDICIUM, &c. quafi diceret: Locum Dei ipfius in iudicando tenetis. QUODCUMQUE IUDICAVERITIS, IN VOS REDUNDABIT; id eft, quales vos exhibueritis in iudicandis populis, talem erga vos experiemini iudicem Deum.

V. 8. IUDICIUM, ET CAUSAM DO-

MINI, &c. Alii ex Hebræo legunt, *Ad judicium Domini*, *& ad litem*; ut scilicet tam rerum sacrarum quam civilium causas iudicarent, quæ Ierosolymis tamquam in suprema curia decidebantur.

V. 10. COGNATIONEM ET COGNATIONEM, id est inter fratres, Iudæos scilicet. Hebr. & Septuag. *Sanguinem & sanguinem*, id est de cæde, factane voluntate esset, an casu. DE LEGE, DE MANDATO, &c. de legibus quas servari mandavit Dominus, sive morales essent, sive cæremoniales, sive iudiciales. OSTENDITE EIS: docete eos quid divina lex præscribat.

V. 11. QUI EST DUX IN DOMO IUDA, princeps videlicet in tribu regia. SUPER EA QUAE AD REGIS OFFICIUM PERTINENT: nimirum regium agens procuratorem in politicis negotiis. IN BONIS. Septuag. *Cum bono*, id est benefaciens.

TIRINI.

Vers. 2. & 3. IMPIO Achabo PRAEBES AUXILIUM, ET HIS QUI ODERUNT DOMINUM, AMICITIA IUNGERIS, & affinitate, a cuius conversatione decebat te, quantum fieri posset, alienum esse. Cum hostibus enim Dei nimis familiariter agere citra necessitatem, aut publicam utilitatem, valde displicet Deo, ut colligitur ex Psal. CXXXVIII. & CXXXIX. & patet ex hic adiunctis. IDCIRCO IRAM QUIDEM DOMINI MEREBARIS; id est, dignus eras quem Deus iratus graviter puniret: SED BONA OPERA INVENTA SUNT IN TE, quorum intuitu peccatum hoc omne, & pœnæ peccati omnes tibi a Deo condonantur. Quod nota pro merito bonorum operum adversus hæreticos.

V. 4. EGRESSUS EST, lustraturus ditionem suam, AD POPULUM DE BERSABEE, id est ab una regni extremitate, USQUE AD MONTEM EPHRAIM, alteram regni extremitatem.

V. 6. NON ENIM HOMINIS EXERCETIS IUDCIIUM, SED DEI. Quia iudices sunt vicarii Dei, & Deo rationem sunt reddituri. Quod si divinum officium est ius dicere, & Deus a nobis id exigit, cur negant Anabatistæ, pio & christiano homini id licere bona conscientia?

V. 7. NON EST APUD DEUM INIQUITAS, seu iniustitia, NEC PERSONARUM ACCEPTIO, NEC CUPIDO MUNERUM; quasi dicat: Ergo nec apud vos, qui Dei vicarii estis, quidquam istiusmodi residere potest. Digna sententia, quæ omnium curiarum parietibus, vel potius omnium iudicum cordibus inscribatur.

V. 11. AMARIAS AUTEM SACERDOS summus, IN HIS QUAE AD DEUM PERTINENT PRAESIDEBIT; id est, in ecclesiasticis negotiis, & causis. PORRO ZABADIAS .... SUPER EA OPERA .... QUAE AD REGIS OFFICIUM, id est causas, & negotia politica curabit. Ubi nota distinctionem fori seu magistratus ecclesiastici, & civilis, contra Anglocalvinistas & nostros Arminianos.

GORDONI.

Vers. 4. AD MONTEM EPHRAIM: Asa pater Iosaphat sibi acquisivit multas in Ephraim civitates, quas nunc lustrat Rex Iosaphat, & aufert idololatriam. De his cap. XV. vers. 8.

V. 8. CAUSAM DOMINI. Constituit hos iudices rerum sacrarum & civilium.

V. 10. Suprema iudicandi potestas constituta in Ierusalem.

V. 11. DUX, princeps in tribu regia.

CA-

CAPUT XX.

Ammonitis, Moabitis, ac Syris contra Iosaphat insurgentibus, ipse prædicato ieiunio una cum populo suo supplex ad Deum confugit, sicque ab eis se mutuo cædentibus liberatus, spolia colligit: verum ob fœdus cum impio Ochozia a Propheta corripitur.

1. POst hæc congregati sunt filii Moab, & filii Ammon, & cum
eis de Ammonitis, ad Iosaphat ut pugnarent contra eum.
2. Veneruntque nuntii, & indicaverunt Iosaphat, dicentes:
Venit contra te multitudo magna, de his locis quæ trans
mare sunt, & de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar,
quæ est Engaddi. 3. Iosaphat autem timore perterritus, to-
tum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit ie-
iunium universo Iuda. 4. Congregatusque est Iudas ad deprecandum Dominum:
sed & omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. 5 Cumque stetis-
set Iosaphat in medio cœtu Iuda, & Ierusalem, in domo Domini ante atrium
novum, 6. ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & do-
minaris cunctis regnis Gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, nec quis-
quam tibi potest resistere. 7. Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores
terræ huius coram populo tuo Israel, & dedisti eam semini Abraham amici tui
in sempiternum? 8. Habitaveruntque in ea, & extruxerunt in illa sanctuarium
nomini tuo, dicentes: 9. Si irruerint super nos mala, gladius iudicii, pestilentia,
& fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est
nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, sal-
vosque facies. 10. Nunc igitur ecce filii Ammon, & Moab, & mons Seir, (a)
per quos non concessisti Israel ut transirent quando egrediebantur de AEgypto,
sed declinaverunt ab eis, & non interfecerunt illos: 11. e contrario agunt, & ni-
tuntur eiicere nos de possessione, quam tradidisti nobis. 12. Deus noster, ergo
non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic
multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debea-
mus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. 13. Omnis
vero Iuda stabat coram Domino, cum parvulis, & uxoribus, & liberis suis.
14. Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filii Banaiæ, filii Iehiel, filii Matha-
niæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio
turbæ, 15. & ait: Attendite omnis Iuda, * & qui habitatis Ierusalem, & tu
Rex Iosaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc
multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. 16. * Cras descendetis con-
tra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, & invenietis illos in sum-
mitate torrentis, qui est contra solitudinem Ieruel. 17. Non eritis vos qui di-
micabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini su-
per vos, o Iuda, & Ierusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini
contra eos, & Dominus erit vobiscum. 18. Iosaphat ergo, & Iuda, & omnes
habitatores Ierusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorave-
runt

runt eum. 19. Porro Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core. laudabant Dominum Deum Israel voce magna, in excelsum. 20. Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue: profectisque eis, stans Iosaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta evenient prospera. 21. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: (b) Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. 22. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Iudam, & percussi sunt. 23. Namque filii Ammon, & Moab consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent & delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus. 24. * Porro Iuda cum venisset ad speculam quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere. 25. Venit ergo Iosaphat, & omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inveneruntque inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque, & vasa pretiosissima, & diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine. 26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum Vallis benedictionis usque in præsentem diem. 27. Reversusque est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem, & Iosaphat ante eos, in Ierusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. 28. Ingressique sunt in Ierusalem cum psalteriis, & citharis, & tubis, in domum Domini. 29. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. 30. Quievitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum. 31. Regnavit igitur Iosaphat super Iudam, & erat trigintaquinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem & quinque annis regnavit in Ierusalem, & nomen matris eius Azuba filia Selahi. 32. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. 33. Verumtamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat cor suum ad Dominum Deum patrum suorum. 34. Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filii Hanani, quæ digessit in Libros Regum Israel. 35. Post hæc iniit amicitias Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima. 36. * Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber. 37. Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

(*) Deut. II. 2. (b) Psal. cxxxv. 1.

BRU.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 15. *Et qui habitatis Ierusalem*. Non addas præpositionem *in* ante *Ierusalem*.

V. 16. *Cras descendetis contra eos*. Retinendum est *descendetis*, deorsum inquam; non supponendum *ascendetis* sursum.

V. 24. *Porro Iuda cum venisset ad speculam*. Pro *speculam*, quod significat locum unde licebat speculari, alii inepte correxerunt *speluncam*, quod est cavernam.

V. 36. *Et particeps fuit ut facerent naves*. Non mutes plurale cum singulari *faceret*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. AMMONITIS. Quidam putant istos fuisse Amalecitas, aut Idumæos revera, habitu solo Ammonitas. LXX. *Ammanitis*.

V. 2. MARE, scilicet mortuum.

V. 5. IN DOMO; pro, ante domum, id est templum.

V. 9. GLADIUS, id est bellum. IUDICII, id est ultionis, scilicet divinæ; quasi dicat, Puniens. LXX. *Iudicium*.

V. 10. MONS SEIR, id est Idumæi. Forte isti sunt qui supra vocati *Ammonitæ*.

V. 12. IUDICABIS, scilicet puniendo.

V. 16. SUMMITATE, id est extremitate, seu fine.

V. 19. IN EXCELSUM, id est altissime.

V. 20. SECURI ERITIS. LXX. *Fideles eritis*. Alii, *Roboramini*, vel *fideles estote*. PROPHETIS, scilicet Iahaziel, de quo supra.

V. 21. EUM IN TURMIS SUIS. Hebr. *In decore sanctitatis*. LXX. *Dominum sanctum*.

V. 22. PERCUSSI SUNT. Hebr. *Percusserunt se*.

V. 24. RESPICIT SOLITUDINEM. Hebr. *In solitudine*.

V. 25. ITA UT OMNIA, &c. Hebr. & LXX. solum dicunt, tantam fuisse rerum copiam, & pondus, ut per tres dies morati sint auferendo: itaque in nostra Editione illa, *Non*, & *nec*, pro *vix* accipienda sunt.

V. 33. DIREXERAT, scilicet perfecte.

V. 35. CUIUS OPERA, &c. Hebr. & LXX. indicant Iosaphat in eo impie egisse, quod se iunxisset Regi Israel.

V. 37. PERCUSSIT. LXX. *Dissipavit*, seu *recidit*. Alii, *Interrupit*, seu *destruxit*: est autem præteritum pro futuro.

ESTII.

Verſ. 20. CREDITE IN DOMINO DEO VESTRO, ET SECURI ERITIS. Inferet aliquis: Igitur fides securum facit? Respondeo: Facit fides securum de eo cuius est fides, id est de eo quod divinitus revelatum est. Erat autem nunc populo revelatum per Prophetam, quod victoriam reportaturi essent ab hostibus. Hoc igitur credere debebant, & de eo securi esse. Sic mulier peccatrix, & paralyticus, quibus revelatum fuit peccata ipsorum esse dimissa, ipso Christo hoc eis affirmante, credere id debuerunt: quibus autem hoc revelatum non est, id credere firma fide non debent, sed cum timore & tremore salutem suam operari, & dicere cum Apostolo I. Corinth. IV. (si forte confidant se eo pervenisse) *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Interim & cum alio Apostolo dicentes: *Si cor nostrum non arguat nos, fiduciam habemus apud Deum*: I. Ioan. III.

V. 33. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Idem supra cap. XVII. dicitur excelsa, & lucos de Iuda abstulisse. Sed vide Annotat. cap. XIV. ubi de Asa Rege similis quædam antilogia, & in speciem contradictio tollitur: videlicet quod abstulit excelsa constituta falsis diis, reliquerit autem adhuc excelsa constituta vero Deo. Alii etiam sic intelligunt, quod initio regni excelsa abstulit; sed cum iterum plebe abeunte in superstitionem erecta essent, connivente Rege manserint.

Et

Et huic sensui favere videtur quod Ecclesiastici XLIX. inter pios Reges & cultus divini perpetuos observatores, non connumeretur.

MARIANAE.

Vers. I. AD IOSAPHAT. Hebr. *Super Iosaphat*; id est, contra eum congregati sunt hostes. ET CUM EIS DE AMMONITIS. Hebræus Amalecitas intelligit, quia confines Ammonitis, eadem lingua, & vestitu utebantur.

V. 2. VENIT CONTRA TE MULTITUDO MAGNA, DE HIS LOCIS QUAE TRANS MARE SUNT. Mare mortuum intellige. ENGADDI. Urbs, de qua Cant. I. in tribu Iuda prope mare mortuum.

V. 3. IOSAPHAT ITERUM SE CONTULIT AD ROGANDUM DOMINUM. Sept. *Ut quæreret Dominum*: sic Hebr. sed *quærere* & *consulere* significat, & *orare*. ET PRAEDICAVIT. Hebr. *Et vocavit*, pro edixit ieiunium.

V. 4. EUM. Hebr. *Deum*: sic Gotth. Sept. *Ad quærendum Dominum venerunt omnes*.

V. 6. NEC QUISQUAM TIBI POTEST RESISTERE. Hebr. *Et non tecum ad standum*; id est, nihil est quod possit contra te stare in cunctis regnis. Verba Iosaphat ad Deum.

V. 7. INTERFECISTI. Hebr. *Expulisti habitatores terræ huius*.

V. 9. SI IRRUERINT. Hebr. *Si venerit*. SUPER NOS MALA. Hebr. *malum*. GLADIUS IUDICII; id est, ex iudicio divino, & vindicta venerit bellum. Sept. *Gladius, iudicium*, id est vindicta. Hebraica vox utroque modo reddi potest, quæ non est in infinitivo, sed nomen ea forma *Sephot*: sic Hebræus. IN QUA INVOCATUM EST NOMEN TUUM. Hebr. *Quoniam nomen tuum in domo hac*: scilicet vocatur domus Dei. Sept. *Quoniam nomen tuum invocatum est in loco isto*. IN TRIBULATIONIBUS. Hebr. *De angustia*. Sept. *A tribulatione clamabimus ad te*.

V. 10. MONS SEIR. Idumæi Esau posteri insurgunt in nos.

V. 12. IUDICABIS EOS, id est punies. SED CUM IGNOREMUS QUID AGERE DEBEAMUS. Hebr. *Non novimus quid faciamus, quoniam ad te*, vel *in te, oculi nostri*. Sic Sept. *Quoniam*, pro *sed*, aut pro *nisi*.

V. 15. NON EST ENIM VESTRA PUGNA, SED DEI. Hebr. *Non enim est vobis bellum, sed Deo*: sic Sept. Verba Iahaziel Prophetæ ad populum, & Regem.

V. 16. PER CLIVUM NOMINE SIS. Sept. *Per ascensum Asis*. Hebr. *Per ascensum Sis*. IN SUMMITATE TORRENTIS invenietis Idumæos: sic Sept. Hebr. *In fine torrentis*. CONTRA SOLITUDINEM. Hebr. *Ante desertum*. Sept. *Iuxta solitudinem*.

V. 17. TANTUMMODO CONFIDENTER STATE. Hebr. *Consistite, state*. Vox *tantummodo* est addita, & vox *confidenter*. ET VIDEBITIS AUXILIUM DOMINI SUPER VOS. Hebr. *Et videte salutem Domini vobiscum*.

V. 19. IN EXCELSUM; id est, vehementer laudabunt Deum Levitæ.

V. 20. PER DESERTUM THECUE. Hinc Thecuites mulier illa prudens, quæ Davidi persuasit ut filium reduceret. PROFECTISQUE EIS. Hebr. *Et in egressu eorum, cum egrederentur*. DIXIT Iosaphat. VIRI IUDA. Hebr. *Audite me, Iuda*: sic Sept. & Gotth. Ita vox *viri* redundat. ET SECURI ERITIS. Hebr. *Et estote fideles*, id est filii veritatis. Sept. *Et eritis fideles*. ET CUNCTA EVENIENT PROSPERA. Hebr. *Et prosperamini*: imperativum pro futuro; id est, victores eritis.

V. 21. DEDITQUE CONSILIUM POPULO; quasi dicat: Cum consilium dedisset populo, id est hortatus eum esset verbis superioribus, simul cantores statuit. UT LAUDARENT EUM IN TURMIS SUIS, scilicet Deum. Hebr. *Et laudantes decorem sanctitatis*, aut *ob decorem sanctitatis*. Sept. *Dominum sanctum*. VOCE CONSONA. Non est hoc Hebr. Non tubis, & tympanis accendit pugnam, sed cantu, & laude Dei: sic Lacedæmones tibiis, & fistulis. CONFITEMINI DOMINO. Ex Psal. CXXXV. hoc est sumptum, qui profecto fuit celeberrimus, quando in plerisque solemnitatibus canebatur, certe in templi dedicatione.

V. 22. VERTIT DOMINUS. Hebr. *Dedit*: sic Sept. SCILICET AMMON, ET MOAB, ET MONTIS SEIR. Hebr. *Contra filios Ammon, Moab, & montis Seir*:

Seir : ſic Sept. Dedit contra eos inſidias (id eſt excidium) ut ſe mutuo conciderent. ET PERCUSSI SUNT ; id eſt , ſe invicem percuſſerunt. Sept. *Et converſi ſunt*, ſcilicet in ſe ipſos.

*V.*23. ETIAM IN SEMETIPSOS VERSI MUTUIS CONCIDERE VULNERIBUS. Sept. *Surrexerunt ad invicem, & apprehendit vir proximum ſuum in corruptionem.* Hebr. *Auxiliati ſunt* (pro irruerunt) *vir in ſocium ſuum ad excidium* , ſcilicet mutuum.

V. 24. AD SPECULAM QUAE RESPICIT SOLITUDINEM, cum Iuda veniſſet. Sept. *In ſpeculam in ſolitudinem* . Hebr. *In ſpeculam ad ſolitudinem* , ſeu *deſertum* , id eſt quæ in deſerto eſt. VIDIT PROCUL OMNEM LATE REGIONEM. Hebr. *Et reſpexerunt ad turbam* , ſcilicet hoſtium . PLENAM CADAVERIBUS . Hebr. *Et ecce ipſa cadavera iacentia in terra.* NEC SUPERESSE QUEMQUAM. Hebr. *Et non evaſio*, id eſt qui evaderet . Diripuerunt ſpolia milites Ioſaphat,

V. 25. ITA UT OMNIA PORTARE NON POSSENT, quæ ſcilicet invenerunt. Hebr. *ad non onus*; id eſt , ut portare non poſſent . NEC PER TRES DIES SPOLIA AUFERRE. Hebr. *Et fuerunt tribus diebus diripientes prædam* , *quia multa ipſa* . Reverſi ſunt cum lætitia , eo quod dediſſet Deus

V. 27. GAUDIUM DE INIMICIS SUIS ; id eſt , quia victoriam dediſſet , ideo lætabantur .

V. 28. CUM PSALTERIIS. Nabla vocat *pſalteria*.

V. 33. ADHUC POPULUS NON DIREXERAT COR SUUM AD DOMINUM DEUM. *Deum* Hebr. non eſt , ſed Sept. id poſuerunt.

V. 34. QUAE DIGESSIT . Hebr. *Ecce ſcripta ſunt* (reliqua Ioſaphat) *in verbis Iehu*, *quæ aſcendere fecit in Librum* Regum *Iſrael*. Sept. *In ſermonibus quos ſcripſit Iehu Hanani in Libro Regum Iſrael*. Itaque Sept. & Hieronymus volunt ipſum Iehu eum Librum compoſuiſſe : neque Hebraica diſcrepant . *Aſcendere* , pro conferre , componere, ſumi poteſt. Porro Reges ſolent eam laudem ſcribendi hiſtorias affectare . Porro in Vulgata ſuſpicor *Libros* , pro *Libro* poni: ubi ait, *Digeſſit in Libros*, Vulgata Regia *in Libro* habet.

V. 35. INIIT AMICITIAS IOSAPHAT. Hebr. *Societatem iniit*. Quæ ſocietas eſſet, mox explicatur.

V. 36. ET PARTICEPS FUIT. Hebr. *Et ſociavit eum*, ſcilicet Ochoziam ſecum ad faciendum naves. IN ASIONGABER, id eſt in portu maris rubri. Hinc collige, Tharſis non eſſe aliquam ex urbibus maris mediterranei. Qui enim eo irent? ſed ad mare oceanum. De quo cap. IX. huius Lib. verſ. 21.

V. 37. AD IOSAPHAT dixit Propheta. Hebr. *Super* (id eſt contra) *Ioſaphat*. Sept. ἐπὶ Ἰωσαφάτ , *ſuper Ioſaphat* . FOEDUS. Hebr. *Societatem iniſti*. Cum impiis in nulla re participandum. PERCUSSIT. Sept. *Diſſipavit* . Hebr. *Rupit* , id eſt impedivit , diſturbavit opera tua quæ facere volebas, & confractæ ſunt naves.

MALVENDAE.

Verſ. I. ET CUM EIS DE AMMONITIS. Exponunt, *Et cum eis* de Idumæis , infra verſ. 10. qui non ſuo, ſed Ammonitarum ſub nomine venerant: nam Iudææ tunc ſubiecta erat Idumæa, nec rebellaverat, I. Reg. XXII. 48. ſed, ut fieri ſolet , multi Idumæorum iniuſſu magiſtratuum , vel conducti , vel ſponte , huic magno exercitui ſub Hammonitarum nomine ſe ſe miſcuerant. Hebræi explicant, *Et cum eis* de Hamalekitis, qui habitu, & lingua mentiti ſunt ſe Hammonitas. Alii audacius reddunt , *Et cum aliis* , qui trans Hammonitas habitabant, id eſt Syris, de quibus verſu ſequente, & Idumæis, verſ. 10.

*V.*2. DE HIS LOCIS QUAE TRANS MARE SUNT . Hebr. *De trans mare* . Quidam : *E tranſmarina regione* . Omnes intelligunt mare ſalis, ſive mortuum, quod *lacus Aſphaltites* etiam dicitur : nam in eam partem nationes iſtæ convenerant ad invadendum Iehudam , ut apparet ex loco ubi convenerunt , nempe Henghedi , ut ſtatim ſubditur . IN ASASONTHAMAR, QUAE EST ENGADDI. Hebr. *In Chatzetzon-Thamar*, *ipſa Hen-Ghedi*. De qua urbe vide Comm. in Geneſ. XIV. verſ. 7. & Ioſue XV. verſ. 62. Ioſephus: *Et ad Engaddam urbem Aſphaltiti lacui vicinam caſtrametantur*, *trecentis ſtadiis a Ieroſolymis* diſ-

dissitam: cuius ager egregia palmeta fert & balsamum.

V. 3. TOTUM SE CONTULIT AD ROGANDUM DOMINUM. Hebr. *Et dedit Iosaphat faciem suam ad quærendum ipsi Iehovæh*; id est, convertit sese ut consuleret Deum, & eius opem imploraret. Quidam: *Et proposuit quærere Iehovam*. Alii: *Et composuit Iehosaphat faciem suam ad quærendum Iehovam*, id est institit, appulit animum. ET PRAEDICAVIT IEIUNIUM. Hebr. *Et vocavit*, seu *clamavit*, *ieiunium*; id est, voce præconis indixit publicum ieiunium. UNIVERSO IUDA, id est toti regno suo, incluso Biniamine, &c.

V. 5. ANTE ATRIUM NOVUM. Plerique nescire se fatentur quodnam fuerit istud *atrium novum*. Fortasse fuit appendix aliqua recens templo adiuncta ab ipso Iehosaphato pio ac religioso principe, quo capacior esset locus. Alii verisimilius existimant fuisse ipsum atrium magnum populi, ab ipso Iehosaphato instauratum, quando instauravit altare. Vide supra cap. XV. vers. 8.

V. 6. NEC QUISQUAM TIBI POTEST RESISTERE. Hebr. *Et non tecum adstare se facere?* Varie alii. I. *Et non est contra te sistendo se*. II. *Nec est qui se contra te statuat*. III. *Ac nemo tibi possit obsistere*. IV. *Et non tecum ad sistendum se*, vel *ad consistendum*; id est, nemo tecum consistere potest.

V.7. ET DEDISTI EAM. Hebr. *Et dabis eam*. Non sine causa usus est futuro: nam vel respexit ad tempus illud quo antiqui habitatores exterminabantur; vel ad præsens, quo Iehosaphat ista dicebat, ut recognoscat Rex summum Dei beneficium, quasi nunc denuo sit daturus terram ereptam e manibus istius ingruentis exercitus, quam iam occupasse videretur: seu oret ut deinceps in sæculum continuet Deus beneficium terræ possessæ.

V. 9. SI IRRUERINT SUPER NOS MALA, &c. Summa orationis habitæ a Selomone, supra cap. VI. quam hic imitatur Iehosaphat. GLADIUS IUDICII, id est iusto Dei iudicio in vindictam & supplicium immissus propter scelera populi, nempe bellum, ut sit metonymia synecdochica. Alii distinguunt, *Gladius*, *iudicium*. שפוט *schephot* est nomen infinitum, hoc est pœna, plaga, supplicium, vindicta.

V. 10. ET MONS SEIR, vel montana Sehir: metonymia, id est incolæ montis Sehir: de quo vide Genes. XIV. 6. Eum montem Idumæi incolebant, Genes. XXXVI. 8. & Deuteron. II. 22. PER QUOS NON CONCESSISTI ISRAEL UT TRANSIRENT, &c. Vide Deut. II. vers. 3. 8. & 18.

V. 11. E CONTRARIO AGUNT. Hebr. *Et ecce ipsi rependent nobis*; id est, compensant nostrum beneficium hoc maleficio.

V. 12. NON IUDICABIS EOS? id est, nonne iudicia tua exercebis in eos? IN NOBIS QUIDEM NON EST TANTA FORTITUDO, &c. Hebr. maiori emphasi: *Quia nulla in nobis virtus ante multitudinem magnam istam*. Quidam: *Nam non est nobis vis obsistendi multitudini magnæ isti*. Alii: *In nobis quidem non est robur contra tam ingentem multitudinem hanc*. Insignis pientissimi Regis animi dimissio erga Deum: nam cum conscripta in militiam habuerit undecies centies & sexaginta millia fortissimorum virorum ex Iehudah, & Biniamine, præter præsidia urbium munitarum, ut vidimus supra cap. XVII. vers. 14. & seqq. tamen ut totus a Deo pendeat, & in solidum ei omnia debeat, fatetur sibi nullas esse vires.

V. 13. OMNIS VERO IUDA STABAT. Exponunt, Id est ex singulis familiis omnes: sic Ionæ III. 5. Mirum quod eos atrium capere potuerit. Sed proculdubio fuerit hyperbole de ingenti & inusitato numero, vel loquitur de solis Ierosolymitanis.

V. 16. PER CLIVUM NOMINE SIS. Hebr. *In ascensu Tzitz*. Ex circumstantia locorum, quæ hoc versu, & infra 20. describuntur, videtur *clivus Tzitz* fuisse inter desertum Thekohæ & desertum Ieruelis. *Tzitz* sonat *florem*, vel *floridum*, quod locus floribus abundaret.

V. 20. CREDITE IN DOMINO DEO VESTRO, ET SECARI ERITIS. Quidam reddunt: *Firme credite Iehovæ Deo vestro, & confirmabimini*. ותאמנו *vetheamenu*, & *crediti*, *fideles*, *fuistis*; vel *stabiliti*, *firmi fuistis*. Utitur præterito, ad significandam certissimam & præsentissimam vim opis divinæ his qui vero corde credunt ac fidunt in Deo; quasi dicat: Quam primum fir-

firme creditis Deo, extemplo eritis ſtabiliti ac firmati eius præſidio. Sed locum varie alii ex Hebr. elucidant. I. *Credite in Iehovam Deum veſtrum, & verificabimini*; id eſt, non fallemini, non illudetur vobis, non eveniet aliter quam creditis. II. *Et fideles eritis*: vel, *Et eſtote fideles*. III. *Et ſtabiliemini*, ſeu *corroborabimini*. IV. *Et fides ſervabitur vobis*; id eſt, ſtabit Deus ſuis promiſſis. V. *Et tuti eritis*. VI. *Et curabimini*; id eſt, eritis ſub fide & tutela eius: *ſuffulciemini*, *ſuſtentabimini*. Eo ſignificato ſumitur id verbum Iſaiæ XLIX. 23. Indicat fidem in Deum firmiſſimam eſſe anchoram, qua Deum apprehendimus, ipſi nitimur, & nos ipſos firmamus ac ſtabilimus. Confer hunc locum cum Iſaiæ VII. 9. nam eſt idem. ET CUNCTA EVENIENT PROSPERA. Hebr. in imperativo, *Et perrumpite*, vel *ſuccedite*; id eſt, irrumpite in hoſtes, ſuccedite pugnæ. Sed in *proſperandi* ſignificatione capiunt omnes, & imperativo pro futuro ex uſu linguæ: *Et proſperabimini*, *ſecundabimini*, *proſpere cedet vobis*, *fortunabimini*, *felices ſucceſſus habebitis*.

V. 21. UT LAUDARENT EUM IN TURMIS SUIS. Hebr. *Et laudantes decori ſanctitatis*. De voce הדרה *hadarah* diximus in I. Paralipom. XVI. 27. Varie hic reddunt. I. *Et laudantes in decore ſanctuarii*; id eſt, eodem decore, & ornatu, qui ſervabatur in templo: ut ſic populus devoto animo expectaret divinum auxilium. II. *In decore ſanctitatis*; id eſt, laudantes Deum, qui eſt in cælo ſanctiſſima & elegantiſſima ſede ſua. III. *Et laudarent magnificentiam ſanctitatis*. IV. *Et laudantes decorum ſanctitatis*: periphraſis Dei, id eſt Deum. V. *In ornatu ſanctitatis*, id eſt ſacris veſtibus induti, vel in ſacra pompa. Vide I. Paralipom. XVI. 29. DICERENT: CONFITEMINI DOMINO QUONIAM, &c. id eſt, canerent Pſalm. CXXXV. cuius initium eſt, *Confitemini Domino*, &c. Vide ſupra cap. V. verſ. 13. & cap. VII. verſ. 3. & 6.

V. 22. VERTIT DOMINUS INSIDIAS EORUM IN SEMETIPSOS, FILIORUM SCILICET AMMON, &c. *Dedit*, vel *poſuit*, *Iehovah inſidiantes*, ſeu *inſidiatores*, aut *inſidioſos*, vel *inſidias*, *ſuper filios Hammon*, &c. Obſcurum, quinam ii inſidiatores, vel inſidiæ fuerint. Quidam ſeditionem militarem ſubito exortam ex aliqua occaſione, ut ſequentia indicant: alii immiſſos dæmones, ſeu angelos turbatores, intelligunt. Nonnulli exponunt: *Dedit Iehovah inſidias*, id eſt excidium, & late ſtragem, quod ſtatim explicat.

V. 23. ETIAM IN SEMETIPSOS VERSI, MUTUIS CONCIDERE VULNERIBUS. Hebr. *Adiuverunt quiſque in proximo ſuo, perditori*, vel *in perditorem*. Varie alii reddunt. I. *Adiuverunt unuſquiſque in ſocio ſuo ad deſtructionem*. II. *Adiuverunt quiſque proximum ſuum ad internecionem*. III. *Adiuverunt quiſque contra proximum ſuum ad perditionem*. IV. *Auxiliati ſunt unuſquiſque proximo ſuo ad interfectionem*, ſeu *vaſtationem*. V. *Iuvit quiſque proximum ſuum ad mutuum interitum*; id eſt, confoderunt ſe mutuis vulneribus. VI. *Iuverunt vir in proximum ſuum, ut eſſet perditor*; vel *iuverunt inter ſe ut alter eſſet alteri perditor*. משחית *maſchchith* eſt participium Hiphil, *perdens*, *perditor*, *corruptor*, *vaſtator*; ſed quod plerumque ſumatur abſtracte, pro *perditione*, *internecione*, vide II. Reg. XXIII. verſ. 13. Ioſephus Lib. IX. Antiq. cap. 1. *Deus vero terrorem & conſternationem immiſit Ammonitis & eorum ſociis, ita ut alii in alios ruentes hoſtiliter in ſe invicem debaccharentur, tanto furore, ut ne unus quidem ex tot millibus reliquus fieret*.

V. 24. VENISSET AD SPECULAM. Hebr. *Venit ad Mitzpheh*: nomenque loci proprium eſſe volunt: forſitan fuit Mitzpheh Biniaminica, quæ non procul his locis aberat, de qua Ioſue XVIII. 26. Sed rectius alii pro appellativo accipiunt, *Venit ſuper ſpeculam*. Exponunt, quæ erat in ſummo colle Titz, de quo ſupra verſ. 16. QUAE RESPICIT SOLITUDINEM. Hebr. *in deſertum*. Quidam, *verſus deſertum illud* Ieruelis, de quo ſupra verſ. 16. NEC SUPERESSE QUEMQUAM, QUI NECEM POTUISSET EVADERE. Heb. *Et non evaſio*. Quidam, *Nec ullus evaſerat*. Aliqui, *Nec erat vir liberationis*, vel *Nec erat ſuperſtes*.

V. 25. INVENERUNTQUE INTER CADAVERA VARIAM SUPELLECTILEM, &c. *Et invenerunt in eis in multitudine, & ſubſtantiam, & cadavera, & vaſa deſideriorum*, ſeu *concupiſcentiam*. Quidam: *Et invenerunt in eis multum divitiarum, & cadavera onuſta ſupellectili concupiſci-*

piscibili. Alii: *Inveneruntque inter eos copiose cum facultates cum cadaveribus, tum instrumenta desiderabilia*. ITA UT OMNIA PORTARE NON POSSENT. Hebr. *Ad non levatio*. Quidam, *Absque pondere*; id est, adeo magnam vim ac copiam ut nullum esset certum pondus aut numerus; quasi dicat, Immenso pondere, ac numero. Alii, *Ad non esse deportationem*; id est, adeo ut non essent ferendo.

V. 26. IN VALLE BENEDICTIONIS: quæ nomen nacta inde fuit, quod ibi Iehudæi de parta victoria gratias ingentes Deo retulerunt, ipsumque omnimodis laudibus celebrarunt, ut hic dicitur. Hanc sacri topographi collocant inter desertum Thekohæ & solitudinem Ieruelis, non longe a Gabaa Iehudæ, Iosue XV. 57. versus mare salis.

V. 29. IRRUIT AUTEM PAVOR DOMINI, &c. Vide de hac locutione supra cap. XVII. vers. 10.

V. 31. REGNAVIT IGITUR IEHOSAPHAT, &c. Vide de hoc versu, & sequente, I. Reg. XXII. vers. 41. & 42. & 43.

V. 33. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. Hebr. *Tantummodo excelsa non recesserunt*, *non fuerunt amota*. Quidam *Non abstulerunt*. Vide de hoc versu, I. Reg. XXII. 44. Curavit quidem Iehosaphat pro virili sua omnia excelsā tam deorum, quam veri Dei extra templum abolere, ut dicitur supra cap. XVII. vers. 6. sed superstitio populi adeo invaluerat, ut vel veterum quam plurima retenta fuerint, vel nova invecta, contra pientissimi Regis voluntatem: adeo leges invalidæ adversus populum superstitione captum. ET ADHUC POPULUS NON DIREXERAT COR SUUM AD DOMINUM DEUM, &c. Quidam reddunt: *Nam adhuc populus non comparaverat animum suum erga Deum maiorum suorum*; id est, quamvis Iehosaphat sedulo eos revocasset, supra cap. XIX. vers. 4.

V. 34. PRIORUM ET NOVISSIMORUM. Vide de hac locutione cap. XVI. vers. 11. IN VERBIS, id est in rebus gestis, seu libris, annalibus, historiis. IEHU FILII HANANI, seu *Chanani*, de quo supra cap. XIX. vers. 2. QUAE DIGESSIT IN LIBROS REGUM ISRAEL, &c. *Qui ascensus fuit*, seu *elevatus fuit*, vel *ascendere factus fuit*, *super librum Regum Israelis*. Exponunt: Qui Iehosaphat descriptus, prædicatus, celebratus fuit nedum in libro Regum Iehudæ, sed etiam in libro Regum Israelis: quod ad singularem Iehosaphati laudem pertinet. Alii: *Qui ascendere factus fuit super librum*, &c. id est, qui scriptus est in libro; de *quo fit mentio in libro*, &c. nempe de quo Iehu filio Chanani fit mentio in libro Regum Israelis, videlicet I. Reg. XVI. vers. 1. & 7. Nonnulli: *Qui transtulit ea in librum Regum Israelis*. Aliqui: *Quæ transtulit in librum*, &c. Nec desunt qui exponant: *Qui iussus est referre in librum Regum Israelis*. Explicant: Id est, qui auctoritate Dei, & ecclesiæ, iussus est in acta referre, &c. Ita ipse quoque Iehu fuit unus ex scriptoribus historiæ Regum. *In librum Regum Israelis*; id est, tam Iehudæ quam Israelis, ut habetur a I. Reg. XVI. usque ad finem libri, & in principio secundi: ut eius partis historiæ Iehu etiam conscriptor extiterit.

V. 35. POST HAEC INIIT AMICITIAS, &c. De hoc versu, & duobus sequentibus, vide I. Reg. XXII. vers. 49. & 50. & Comm. ibidem. CUIUS OPERA FUERUNT IMPIISSIMA. Hebr. *Ipse improbe*, vel *seditiose*, *impie*, *turbulente*, *egit*, *faciendo*; id est, impietati studuit. Quidam: *Qui improbus erat ad faciendum*. Putant Paulum hanc phrasim imitatum ad Titum cap. I. vers. 16. cum ait: *Et ad omne opus bonum reprobi*. Alii: *Is autem improbe egit, faciendo*; sive *improbissime agebat*; sive *impiissime se gerebat*: nam geminatio verbi vim magnam improbitatis operum demonstrat. Loquitur de Achaziahu.

V. 37. PERCUSSIT. Hebr. *Disrupit*. Præteritum ob certitudinem prophetiæ, pro futuro disrumpet; quasi dicat, Factum puta: nam Propheta vaticinatus fuit ante factum. Alii in præsenti, *Disrumpit*, ut hic prophetia post factum, intelligatur denuntiatio, seu declaratio divini iudicii, ob initam societatem cum impio Rege.

MENOCHII.

Vers. 1. CUM EIS DE AMMONITIS. Iam Ammonitæ numerati fuerant, cum dictum est, *Et filii Am-*

Ammon: itaque (licet alii aliter ſentiant) communis ſententia intelligit hoc loco Idumæos, ut etiam in pleriſque Latinis libris prius legebatur, quam etiam interpretationem ſecutus eſt divus Hieronymus in Tradit. Hebr. qui *Ammonitas* vult appellari, quod habitu proprio mutato, Ammonitarum habitum aſſumpſiſſent, ut nimirum Regem Iuda, cuius erant ſubditi, latere poſſent. Confirmatur hæc explicatio ex num. 10. 22. & 23. ubi pro Moabitis ſtetiſſe habitatores montis Seir cognoſcimus, qui alii non ſunt, quam Idumæi.

V. 2. TRANS MARE. Intelligitur mare mortuum, qui etiam *lacus Aſphaltites* dicitur. DE SYRIA: non de Syria Damaſci, ſed de Moabitarum, & Ammonitarum regionibus, quæ etiam *Syria* dicuntur late ſumpto vocabulo. ASASONTHAMAR, que urbs erat, ut ſcribit D. Hieronymus in Tradit. Hebraicis, in qua Amorrhæi quondam Abrahami temporibus habitaverant, quos interfecit Chodorlahomor iuxta eremum Cades. Dicta eſt *Aſaſonthamar*, id eſt *civitas palmarum*, eo quod palmis eius ager abundet; poſtea vero dicta eſt *Engaddi*. Ioſephus Lib. IX. cap. 1. urbem hanc trecentis ſtadiis Ieroſolymis diſtare ait.

V. 4. AD OBSECRANDUM EUM. Hebr. *Ut quærerent a Domino*, veniam ſcilicet, & pacem, & in neceſſitate qua premebantur, auxilium.

V. 5. ANTE ATRIUM NOVUM. Multi auctores apud Salianum anno mundi 3143. num. 11. exiſtimant atrium hoc novum fuiſſe atrium feminarum, *novum* dictum, non quod aliud eſſet ab atrio Iſraelis, ſed quod nova ſeparatio adiecta eſſet, ad viros a mulieribus ſeiungendos.

V. 7. HABITATORES TERRAE HUIUS, Chananæos.

V. 9. GLADIUS IUDICII: gladius hoſtilis divino iudicio immiſſus ad peccata vindicanda.

V. 10. MONS SEIR: eius ſcilicet montis incolæ Idumæi. PER QUOS NON CONCESSISTI, &c. Vide Deuteron. cap. 11. 9. & 19.

V. 12. IUDICABIS EOS, eos nimirum cohibendo, & puniendo.

V. 14. SPIRITUS DOMINI, propheticus ſpiritus.

V. 16. PER CLIVUM montis SIS, voce Hebræis ſignificante *eminentiam*, inquit Ioſephus. Septuag. vocant *Aſſis*. In Hebræo eſt ציץ *ziz*, quam vocem Arias *florem*, *germen*, aut *cincinnum*, aut *aſpectum* interpretatur; additque, Syriace idem eſſe quod alam, vel pennam. SOLITUDINEM IERUEL. Hæc ſolitudo a timore divinitus Moabitis, & Ammonitis hoc tempore immiſſo nomen accepit, ut vult D. Hieron. & ſignificat *timorem Dei*.

V. 19. IN EXCELSUM. In Hebræo eſt למעלה *lemagela*: eſt autem מעלה *magala*, *aſcenſio*, vel *gradus*. Crediderim ſenſum eſſe, ceciniſſe cantores vocem partim elevando (quod Vulgatus dixit *in excelſum*) partim deprimendo, iuxta præſcriptum muſicæ diſciplinæ.

V. 20. DESERTUM THECUE; quod adiacet oppido Thecue, & duobus milliaribus diſtat a Bethlehem orientem verſus, quod eſt rectum iter ad ſolitudinem Ieruel apud Adrichomium.

V. 22. VERTIT INSIDIAS EORUM IN SEMETIPSOS. Id quomodo factum ſit, Scriptura non explicat. Videntur Moabitæ adventantibus Iudæis poſuiſſe inſidias, iuxta quas turmæ aliquæ Moabitici exercitus tranſierint, quæ cum pro hoſtilibus habitæ, & latentium armis fuiſſent petitæ, aliis ſubinde ex utraque parte ſupervenientibus initium pugnæ factum eſt, quo ſe mutuis vulneribus confecerunt. PERCUSSI SUNT. Hebr. *Percuſſerunt ſe*.

V. 24. AD SPECULAM QUAE RESPICIT SOLITUDINEM: ad locum editum, ex quo ſubiectam planitiem contemplari licet.

V. 26. IN VALLE BENEDICTIONIS: de qua Adrichomius in Iuda num. 51.

V. 29. UNIVERSA REGNA TERRARUM. Vel eſt hyperbole, vel de circumiectis regnis Iudæ finitimis intelligit.

V. 33. EXCELSA NON ABSTULIT. Credendum eſt, pium Regem idololatriam tollere, & excelſa voluiſſe, & aggreſſum eſſe, & ex parte etiam feciſſe; bene tamen cœpta, propterea quod multi repugnabant, & res ad ſeditionem vergebat, perficere non potuiſſe. DIREXERAT COR SUUM, perfecte ſcilicet.

V. 34. IN VERBIS IEHU : qui Liber non extat.

V. 35. POST HAEC INIIT AMICITIAS , &c. Quæ hic habentur usque ad finem capitis, explicavimus III. Reg. XXII. num. 49. & 50.

TIRINI.

Vers. I. FILII AMMON, ET CUM EIS DE AMMONITIS. Hi habitabant in montanis Seir, ut patet ex seq. versu 10. & versu 23. erantque mixti ex Idumæis posteris Esau, & Ammonitis, unde nunc hoc, nunc illo nomine vocitantur.

V. 2. DE HIS LOCIS QUAE SUNT TRANS MARE, puta mortuum: iamque traiecto illo mari, seu lacu Asphaltite, castrametantur in Engaddi, in finibus regni Iuda.

V. 5. ATRIUM NOVUM, seu innovatum, & ad usus populi undique accurrentis de novo adaptatum. Ita Lyranus. Cum enim atrium in loco templi multiplex esset a Salomone constructum, & unumquodque maximæ capacitatis, utpote tot hominum myriadibus undique ex omnibus tribubus ter in anno simul Ierosolymam accurrentium; cum sub Roboamo facto schismate desinerent decem tribus eo accurrere, superfluum erat tantum spatii: unde videntur partes quædam atriorum tum temporis vel occlusæ, vel desertæ, vel aliis usibus applicatæ. Verum cum tempore Iosaphati, ut videmus cap. XVII. ex pluribus tribubus plurimi recurrerent in Ierusalem, debuerunt laxari rursum spatia, & partes atrii unius alteriusve, quæ alio conversæ fuerant, usibus populi nimis ingenti numero confluentis restitui. Unde *novum* dicitur hic *atrium*, quia de novo ad usus populi reclusum & adaptatum.

V. 13. OMNIS IUDA STABAT CORAM DOMINO CUM PARVULIS, ET UXORIBUS, ET grandioribus LIBERIS SUIS. Solemne enim erat tam Hebræis, quam Gentibus, cum gravis immineret calamitas, ad preces publicas adhibere etiam vagitus infantium, quo facilius placarent offensum numen. Sic Iudith IV. 9. *Infantes prostraverunt contra faciem templi*. Et suadet cap. II. vers. 16. *Coadunate senes, congregate parvulos & sugentes ubera*. Idem fecere Ninivitæ *a*, & alii, teste S. Basilio, & Ambrosio.

V. 33. POPULUS NON DIREXERAT COR SUUM AD DOMINUM, scilicet perfecte. Nam divelli non poterat ab excelsis, quominus ibi quoque sacrificaret Deo, licet præceptum *b* esset, ut in solo templo Ierosolymitano (quia is locus erat quem Deus ad id delegerat) sacrificia offerrentur.

V. 34. QUAE IEHU DIGESSIT IN LIBROS REGUM ISRAEL. Hebraice, *in librum*; Græce, *in libro*. Hinc patet Iehu Prophetam auctorem esse saltem partis alicuius libri toties citati, seu *factorum* Regum Israel: & hunc librum esse prorsus alium a libris his Paralip. cum ab his ad illum remittamur.

V. 35. INIIT AMICITIAS. Hebraice, *societatem*. Qualis hæc fuerit, sequitur.

V. 36. ET PARTICEPS FUIT UT FACERENT NAVES IN ASIONGABER, QUAE IRENT IN THARSIS. Ex his constat, *Tharsis*, cuius hic mentio, non esse aliquam ex urbibus aut portubus maris mediterranei (nam *Asiongaber* portus est maris rubri) sed oceano adiacere, de quo pluribus supra capite IX. 21.

(*a*) Ionæ III. vers. 5. S. Basil. homil. VIII. in avaros. S. Ambr. Serm. XL. de Ninivitis.
(*b*) Levit. XVII. vers. 3. Deut. XII. vers. 6.

GORDONI.

Vers. I. FILII AMMON, ET CUM EIS DE AMMONITIS. Ne sit rei repetitio, Hieronymus in tradit. Hebr. per *de Ammonitis*, intelligit Idumæos ex vers. 22. qui hic Ammonitæ vocantur, quod mutata, & sumpta veste Ammonitarum pugnarent hic pro Ammonitis, ne agnoscerentur: erant enim subditi Regi Iuda.

V. 2. TRANS MARE, mortuum. DE SYRIA. Non est hæc Syria Damasci, sed Moabitana, sic dicta improprie Syria, extensione nominis. ASASONTHAMAR, id est civitas palmarum, a palmis. Postea dicta est *Engaddi*. Ioseph. Lib. IX. cap. I.

V. 5. ATRIUM NOVUM: forte ob novum usum, quod facta separatione a reliquo atrio esset destinatum mulieribus.

V. 10. MONS SEIR, Idumæi montis in-

incolæ. De hoc inhibito transitu, vide Deuter. 11. vers. 9. & 19.

V. 16. IERUEL, יְרוּאֵל, *timor Domini*, nomen impositum illi loco a timore quem Deus tunc incussit Madianitis.

V. 19. IN EXCELSUM, sublimi loco. Hebr. *in excellentiam*.

V. 20. THECUE, oppidum quod una leuca abest a Bethlehem.

V. 29. STRUIT AUTEM PAVOR DOMINI SUPER UNIVERSA REGNA TERRARUM. Hyperbole.

V. 34. Non extat liber.

V. 35. De his vide III. Reg. XII. 49.

C A P U T XXI.

Impius Ioram filius Iosaphat occidit fratres suos, & quosdam principes Iuda, cui Elias per litteras pessimam ægritudinem ac mortem, & domus suæ ac regni direptionem prædicit, quæ tandem subsecuta sunt.

1. DOrmivit (*a*) autem Iosaphat cum patribus suis, & sepultus
est cum eis in civitate David, regnavitque Ioram filius eius
pro eo. 2. Qui habuit fratres, filios Iosaphat, Azariam,
& Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michael, & Sa-
phariam: omnes hi, filii Iosaphat, Regis Iuda. 3. Deditque
eis pater suus* multa munera argenti, & auri, & pensitatio-
nes, cum civitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem
tradidit Ioram, eo quod esset primogenitus. 4. * Surrexit ergo Ioram super re-
gnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, &
quosdam de principibus Israel. 5. Trigintaduorum annorum erat Ioram, cum
regnare cœpisset: & octo annis regnavit in Ierusalem. 6. Ambulavitque in viis Re-
gum Israel: sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor eius, &
fecit malum in conspectu Domini. 7. Noluit autem Dominus disperdere domum
David, propter pactum quod inierat cum eo: & quia promiserat ut daret ei
lucernam, & filiis eius omni tempore. 8. In diebus illis rebellavit Edom, ne
esset subditus Iudæ, & constituit sibi Regem. 9. Cumque transisset Ioram cum
principibus suis, & cuncto equitatu qui erat secum, surrexit nocte, & percussit
Edom qui se circumdederat, & omnes duces equitatus eius. 10. Attamen rebel-
lavit Edom, ne esset sub ditione Iuda, usque ad hanc diem: eo tempore & Lob-
na recessit ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum pa-
trum suorum: 11. insuper & excelsa fabricatus est in urbibus Iuda, & fornicari
fecit habitatores Ierusalem, & prævaricari Iudam. 12. Allatæ sunt autem ei litteræ
ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David
patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa
Regis Iuda, 13. sed incessisti per iter Regum Israel, & fornicari fecisti Iudam,
& habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres
tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti; 14. ecce Dominus percutiet te
plaga magna, cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, universaque substantia
tua: 15. tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia
tua paulatim per singulos dies. 16. Suscitavit ergo Dominus contra Ioram spiri-
tum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt AEthiopibus: 17. & ascen-
de-

derunt in terram Iuda, & vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo Regis, insuper & filios eius, & uxores: nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat. 18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. 19. Cumque diei succederet dies, & temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius. 20. Trigintaduorum annorum fuit, cum regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Ierusalem. Ambulavitque non recte, & sepelierunt eum in civitate David: verumtamen non in sepulcro Regum.

(a) III. Reg. xii. 31.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Multa munera argenti, & auri, & pensitationes*. Alii detracta una syllaba scribunt *pensationes*, significatur id quod, detracta & altera syllaba, vulgo dicitur *pensiones*.

V. 4. *Surrexit ergo Ioram*. Non mutes *ergo* cum *autem*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 3. PENSITATIONES. Hebraice *rerum pretiosarum*. LXX. *arma*.

V. 7. LUCERNAM, id est regiam dignitatem.

V. 11. FORNICARI, id est idola colere.

V. 12. AB ELIA, qui tempore Iosaphat sublatus. Vide IV. Reg. 11.

V. 14. CUM POPULO, &c. pro, & populum, &c.

V. 15. UTERI. Hebr. *intestinorum*. VITALIA TUA PAULATIM. Hebr. & LXX. *intestina præ morbo*.

V. 17. IOACHAZ, qui & *Ochozias*, & *Azarias*. Vide cap. seq.

V. 18. ALVI. Hebr. *intestinorum*.

V. 19. LANGUORE PARITER ET VITA CARUIT. Hæc addita ab Interprete. COMBUSTIONIS, scilicet odoramentorum.

V. 20. OCTO, scilicet solus: nam eo vivente, per viginti annos filius regnum administravit. AMBULAVITQUE NON RECTE. Hebr. *Ambulavit*, seu *abiit*, *absque desiderio*; id est, misere, seu sine honore vixit, seu obiit. LXX. *Mortuus esset sine laude*.

E S T I I.

Vers. 6. FILIA QUIPPE ACHAB ERAT UXOR EIUS. Fuit hæc pessima mulier Athalia. Sed dubitationem habet, quomodo hic dicatur *filia Achab*, cum capite sequenti vocetur *filia Amri*, qui fuit pater Achab? Respondent quidam, fuisse illam filiam Achab, non natura, sed educatione, quia eam apud se Achab educasset ut filiam, quæ revera erat soror. Sed magis consonum est Scripturæ sacræ, ut dicatur fuisse genita ex ipso Achab & Iezabele. Nam alioqui non fuisset ex sanguine Iezabelis: quod tamen divus Hieronymus præsupponit in 1. cap. Matthæi cum ait: *Quia Ioram generi se miscuerat impiissimæ Iezabelis, idcirco usque ad tertiam generationem eius memoria tollitur*. Dicitur autem capite sequenti *filia Amri*, quia filii eius fuit. Qui modus loquendi in Scriptura est usitatissimus. Et eodem illo capite scilicet proxime sequenti,

ti, idem dicitur de Ochozia nepote Iosaphat interfecto: *Et sepelierunt eum, eo quod esset filius Iosaphat*; cum tamen non esset nisi eius nepos ex filio.

V. 12. ALLATAE SUNT EI LITTERAE AB ELIA PROPHETA. Omnino apparet has litteras sciptas esse post mortem Iosaphat, regnante iam eius filio Ioram, ad quem ut Regem destinantur. Hebræi dicunt eas scriptas esse spiritu prophetico ab Elia antequam transferretur, & concreditas Eliseo, ut suo tempore eas Ioram Regi traderet. Sed cum constet Eliam translatum esse vivente adhuc Iosaphat, & Ioram nondum Rege existente; verisimilius est, eas litteras scriptas esse post raptum, ex eo loco in quem angelico ministerio translatus est Elias. Atque hinc etiam ostenditur, sanctos ex hominum conservatione sublatos, adhuc curare res nostras.

MARIANAE.

Vers. 2. FILIOS IOSAPHAT AZARIAM. Primo, & quarto loco ponitur hoc nomen: nimirum duos filios habuit Iosaphat eadem appellatione. Sept. credentes id errore librarii factum, ex quarto loco abstulerunt; Gotth. ex primo. REGIS IUDA. Sic Sept. & Pagn. Hebr. *Regis Israel*. Sed *Iuda* sic vocatur latiori significatione eius vocis *Israel*.

V. 3. ET PENSITATIONES dedit Iosaphat minoribus filiis. Alii *pretiosa* dicunt, alii *voluptaria*, Sept. *arma*. Quid *migdanoth* vox Hebr. significet proprie, ignotum esse Interpretum varietas satis indicat. REGNUM AUTEM TRADIDIT IORAM, EO QUOD ESSET PRIMOGENITUS. Multa incommoda ex hereditario principatu proveniunt, sed quæ bonis aliis compensantur.

V. 4. OCCIDIT OMNES FRATRES SUOS. Metuat tyrannus necesse est ipsa præsidia, & ex metu in sævitiam vertatur. ET QUOSDAM DE PRINCIPIBUS. Hebr. & Sept. *Et etiam de principibus*, id est partem, quosdam eorum, fortassis qui fratres eius sequebantur.

V. 6. FILIA QUIPPE ACHAB. Hæc fuit Athalia. Hieronymus in Tradit. ait, quod fuit filia Amri, sed imitatione erat filia Achab. Muliebri pravitate facile viri corrumpuntur. In uxorum delectu magnum momentum principibus.

V. 7. LUCERNAM; id est, principatum promisit Deus daturum filiis David, quem luci comparat ob splendorem.

V. 9. ET CUNCTO EQUITATU. Heb. *& omni curru*. DUCES EQUITATUS EIUS. Hebr. *Duces currus*, pro curruum Idumæorum, percussit Ioram.

V. 10. LOBNA RECESSIT. Hæc civitas quæ fuerit, dicitur IV. Reg. VIII. 22. DERELIQUERAT ENIM, scilicet Ioram Rex. Hebr. *Quia reliquit legem*, scilicet hæc mala evenerunt. Edom rebellavit, Lobna defecit.

V. 11. FORNICARI FECIT. Impios cultus vocat *fornicationem*. ET PRAEVARICARI IUDAM. Sept. *Seduxit Iudam*. Hebr. *Impulit Iudam*, scilicet corda eorum, ne sequerentur Dominum.

V. 12. LITTERAE AB ELIA PROPHETA. Has litteras cælitus missas contendunt Hebræi: sic Seder Holam, & Lyran. quoniam Iosaphat Rege Elias translatus fuit, IV. Reg. II. & III. Verum cum Propheta esset futuri præscius, eas relinquere potuit. Ioseph. Lib. IX. cap. II. solum ait eius nomine redditas Ioramo.

V. 14. CUM POPULO TUO. Hebr. *Percutiet te Deus in populo tuo, & in filiis tuis, & in uxoribus tuis*: sic Sept. Mala quæ inferantur subditis, in Regem redundant, in illis ipse punitur. Tu ægrotabis

V. 15. PESSIMO LANGUORE UTERI TUI. Hebr. *Et tu in doloribus multis* (eris) *in dolore viscerum tuorum*. VITALIA TUA PAULATIM. Hebr. *Viscera tua præ dolore egredientur*. PER SINGULOS DIES. Hebr. *diebus super dies*, id est in dies, sive quotidie. Eliæ epistolæ hæc omnia. Sequitur bellum contra Ioram Philisthinorum, & Arabum.

V. 16. QUI CONFINES SUNT AETHIOPIBUS, scilicet Arabes. Hebr. *Qui iuxta manum*, id est locum, *AEthiopum*, id est illis vicini. Porro AEthiopes in Asia sunt etiam, Arabiæ vicini, de quibus agit hoc loco, non de Africanis, qui procul sunt. Illi ascenderunt in Iudam,

V. 17. ET VASTAVERUNT EAM. Sic Sept. Hebr. *Sciderunt eam*, scilicet Iudam; vel *irruperunt in eam*. DIRIPUERUNTQUE. Hebr. *Captivaruntque*. Vides impletum quod Elias erat minatus. Non reman-

sit Ioram e filiis, nisi IOACHAZ: cap. proximo vocatur *Ochozias*.

V. 18. ALVI LANGUORE. Hebr. *In visceribus dolore insanabili* percussit Ioram Deus.

V. 19. CUMQUE DIEI SUCCEDERET DIES. Totus hic locus Hebr. sic est: *Et fuit ad dies ex diebus* (id est post multos dies) *&* *in tempore egressus* (id est quo venit) *finis* (præfixus ab Elia) *dierum biennii egressa sunt viscera cum dolore eius* (scilicet præ dolore) *&* *mortuus est in morbis malis*. Illud, PARITER ET VITA CARUIT, additum ab Interprete. Sequitur Hebr. *Et non fecit ei populus eius combustionem* (id est rogum) *iuxta combustionem patrum eius*. Vides solitos Iudæos Regum corpora comburere, sed cum odoribus, cap. XVI. vers. 14.

V. 20. AMBULAVITQUE NON RECTE. Sept. *Et mortuus est in non laude*. Hebr. *Et ambulavit absque desiderio*, id est infeliciter, non ut ipse cuperet: sic Hebræus. Vel *absque desiderio*, scilicet aliorum, non ut alii cuperent, id est *non recte*, ut Hieronymus dixit.

MALVENDAE.

Vers. 1. DORMIVIT AUTEM IOSAPHAT, &c. Hunc versum descriptum quoque habes I. Regum XXII. 51.

V. 2. IOSAPHAT REGIS IUDA. Hebr. *Regis Israelis*. Exponunt, Id est Regis Iehudæ cum adiunctis Israelitis: vel regni Iehudæ cum adhærentibus Israelitis. Synecdoche: nam multa ceperant ex regno Israel Reges Iehudæ: vide supra cap. XIII. vers. 19. & cap. XV. vers. 8. Ad hæc multi ex aliis tribubus se se regno Iehudæ aggregaverant, supra cap. XV. vers. 9. Deinde notant, hanc laudem suis virtutibus, & rebus præclare gestis promeruisse Iehosaphatum, ut Rex etiam Israelis diceretur. Vide supra cap. XX. vers. 34.

V. 3. DEDITQUE EIS PATER SUUS MULTA MUNERA, &c. cum civitatibus munitissimis. Vide simile factum Rechabhami supra cap. XI. vers. 23.

V. 4. DE PRINCIPIBUS ISRAEL, nempe Iehudæ, & Israelis. Synecdoche, ut supra vers. 2.

V. 5. TRIGINTA DUORUM ANNORUM ERAT IORAM, &c. Hunc versum & quinque sequentes, confer cum II. Reg. VIII. a vers. 17. usque ad 22. inclusive, nam omnia sunt eadem.

V. 6. FILIA QUIPPE ACHAB ERAT UXOR EIUS, scilicet Hataliah, de qua infra cap. XXII. vers. 2. & 3. item 10. & sequentibus, & cap. XXIII.

V. 10. USQUE AD HANC DIEM: Intelligunt deportationis, seu exilii Babylonici. Vide I. Paralip. IV. 41.

V. 11. ET FORNICARI FECIT HABITATORES IERUSALEM. Quidam reddunt: *Effecitque ut scortarentur habitatores Ieruschalaimorum*; id est, in ipso loco ubi Deus sacrarium suum habebat, idololatriam statuit, & invitis etiam obtrusit. ET PRAEVARICARI IUDAM. Heb. *Et impulit Iehudam*. Exponunt: Ut scilicet caderet, labens iam alioqui, & nutans: metaphora ab eo qui iam iam lapsurus est, & impellitur; quasi dicat: Impulit Iehudæos ad idololatriam: alioqui iam pronos, & lapsantes in cultum idolorum. Quidam reddunt: *Immo impulit cum Iehudah*; id est, æque Ierosolymitanos ac Iehudæos reliquos detrusit in idololatriam. Vide infra vers. 13.

V. 12. ALLATAE SUNT AUTEM EI LITTERAE AB ELIA PROPHETA. Hebr. *Et venit ad eum scriptum ab Eliiah Propheta*. Satis perspicuum est, Eliam, regnante adhuc Iehosaphato patre istius Iehorami, raptum in curru igneo, quando iam assumpto Elia clarescere incipiebat Eliseus II. Reg. II. iam existit difficultas, quomodo Elias post raptum suum scripserit litteras ad Iehoram. Varie nodum solvunt. I. Eliam hunc non esse celebrem illum Eliam Thisbitem iam raptum; sed alium eiusdem nominis Prophetam, qui tunc inter homines vivebat. II. Eliseum hic vocari Eliam, quod spiritu Eliam referret, & magistro discipulus in eodem munere successisset. III. Exponunt: *Quamobrem pervenit ad eum scriptum ab Elia Propheta*; id est, quod Elias, antequam assumeretur, scripserat de fatis Iehorami futuris: ut de futuro regno Cyri, Isaias cap. XLIV. & XLV. & Achiia de regno Iosiæ, I. Reg. XIII. 2. Sic oportuit impium Regem ab absentibus reprehendi qui præsentes non fuisset passurus: nam Eliiam temporibus Iehosaphati raptum fuisse, ante regnum huius Iehorami, docetur II. Reg. III.

III. Hanc interpretationem nonnulli recentiorum amplectuntur. IV. Multo verosimilius est, quod multi Hebræorum, & nostrorum existimant, Eliam ex loco, ubi repositus a Deo erat, nempe ex ipso horto Heden, eas litteras seu epistolam ad Ieboramum conscripsisse, ac misisse ministerio ignoti alicuius hominis, vel Angeli, idque volente ac iubente Deo, quo maior terror impio Regi iniiceretur. Tractavimus uberius hunc locum Lib. X. de Antichristo, cap. II. in excursu.

V. 13. IMITATUS FORNICATIONEM DOMUS ACHAB. Hebr. *Secundum fornicari facere domum Achab*, scilicet Israelem. Quidam: *Sicut effecit domus Achabi, ut scortaretur Israel.*

V. 14. TU AUTEM AEGROTABIS PESSIMO LANGUORE UTERI TUI, &c. Hebr. *Et tu in ægritudinibus multis*; subaudi, eris, vel vexaberis: *in ægritudine intestinorum tuorum, donec exeant intestina tua præ ægritudine, diebus super dies.* Quidam: *Porro te percutiet doloribus magnis, id est morbo viscerum tuorum, donec effluant viscera tua præ dolore, qui in dies crescet.* Alii: *Tu quoque agitaberis morbis magnis, morbo intestinorum tuorum, anno super annum*, sive *per duos annos continuos, donec exeant intestina tua præ morbo illo.* Recentiores nostri Medici existimant hunc Ieborami morbum fuisse diarrhœam, seu alvi profluvium diuturnum & malignum, quo partes ipsæ corporis, ac in primis ipsum hepar ac lien in saniem dissolutæ, ac liquatæ egeruntur, cum maximis doloribus ac torminibus: qui morbus diuturnus esse solet, nisi cum coniungitur cum febre continua: atque ita duravit huic integrum biennium. PER SINGULOS DIES. Heb. *Diebus super dies.* Quidam, *Diebus post dies*, id est in dies, sive quotidie. Aliqui hic vocem *dies* pluralem, pro *anno* accipiunt, ut infra vers. 19. *anno super annum*, id est *per duos annos continuos.* Vide Genes. XXIV. vers. 55. & infra vers. 19.

V. 19. ET ARABUM, QUI CONFINES SUNT AEthiopibus. Hebr. *Et Arabum, qui super manum AEthiopum.* Intelligunt Arabes ex Arabia petræa ac felice, quæ vergunt ad AEthiopiam: sive Arabes qui orientalem manum, seu littus Arabici sinus incolunt, cum occidentale obversum AEthiopes teneant. Hos Arabes Strabo Lib. XVI. pag. 768. Minæos, Sabæos, Catabanos appellat.

V. 17. INSUPER ET FILIOS EIUS, quos occiderunt, infra cap. XXII. vers. 1. IOACHAZ. Hebr. *Iehoachaz*, qui *Achaziahu* passim sequentibus capitibus appellatur: & infra cap. XXII. vers. 6. *Hazariahu*. Trinomius fuisse videtur.

V. 19. CUMQUE DIEI SUCCEDERET DIES, ET TEMPORUM SPATIA VOLVERENTUR, DUORUM ANNORUM EXPLETUS EST CIRCULUS: ET SIC LONGA CONSUMPTUS TABE, ITA UT EGERERET ETIAM VISCERA SUA, LANGUORE PARITER ET VITA CARUIT. Nos hanc partem, vi, & ordine verborum servato, ex Hebr. convertimus (*Et fuit diebus de diebus, & secundum tempus exire extremitatem diebus duobus, exiverunt viscera eius cum ægritudine eius.*) Alii diversimode. I. *Et fuit ad dies ex diebus, in tempore quo egressus est finis dierum annorum duorum, egressa sunt intestina eius cum infirmitate eius.* II. *Et fuit in diebus a diebus, & secundum tempus egrediendi finis annorum duorum, egressa sunt*, &c. id est, factum est post aliquot dies, & maxime postquam advenit finis duorum annorum a morbo, &c. III. *Factum autem est post multos dies, cum tempus esset exactum post finem duorum annorum, effluxerunt viscera eius in ipso morbo eius.* IV. *Perrexit enim de anno in annum, adeo ut quo tempore exibat terminus ille*, quem præstituerat Eliias, supra vers. 15. *completis annis duobus exirent intestina eius cum morbo eius.* Notabis, Hebr. hic nullam expresse fieri mentionem annorum, sed tantum לימים שנים *leiamim schenaniim*, id est *diebus duobus*, vel *in dies duos*; sed plurale *dies* accipiunt pro anno, ut alibi sæpe in Scriptura. Vide supra vers. 15. ET NON FECIT EI POPULUS SECUNDUM MOREM COMBUSTIONIS EXEQUIAS, SICUT FECERAT MAIORIBUS EIUS. Hebr. *Et non fecerunt ei populus eius combustionem secundum combustionem patrum eius.* Quidam: *Nec fecerunt ei bustum, rogum, quemadmodum busta, rogos, fecerant patribus eius.* Apparet hinc morem cremandi corpora fuisse Regibus Iehudæ. Vide supra cap. XVI. vers. 14. Alii tamen reddunt: *Neque fecerunt ei populus eius ustionem odorum, similem ustioni maiorum suorum.* Vi-

de de hac interpretatione eodem loco.

V. 20. TRIGINTA DUORUM ANNORUM FUIT CUM REGNARE COEPISSET, ET OCTO ANNIS REGNAVIT IN IERUSALEM. Iam iſtud dictum fuerat ſupra verſ. 5. & hic iterum dicitur: quæ repetitio forſan indicat, ut perpendamus, nec regnum, nec vitam regni impio futura diuturna: ſic in Iuliano Apoſtata, & aliis. AMBULAVITQUE NON RECTE. Varie ex Hebræo transfundunt. I. *Et ibit in abſque deſiderio*; id eſt, vixit vita non deſiderabili, duxit vitam ærumnoſam, triſtem, infelicem. II. *Quos annos tranſegit ſine voluptate*; id eſt, in perpetuis calamitatibus, & lethali morbo. III. *Ambulavitque abſque ullo deſiderio*; id eſt, vixit inglorius, ſine ullo honore: impium, Deo, & hominibus inviſum caput. IV. *Et vixit illaudate*. V. *Et ivit in non deſiderio*; id eſt, obiit nullo ſui deſiderio relicto, ut Latini loquuntur. Hiſpanicus Interpres: *Y fueſſe ſin dexar de ſi deſſeo*; id eſt, *Murio ſinque a nadie le peſaſſe deſu muerte*. NON IN SEPULCRO REGUM. Indignus ob impietatem qui cum piis Regibus ſepeliretur. Vide II. Reg. VIII. 24.

MENOCHII.

Verſ. 2. AZARIAM. Duo fuerunt Azariæ filii Ioſaphat, quorum tamen nomina aliquantulum differunt in Hebræo: nam primus ſcribitur עזריה *Azaria*, ſecundus vero, addito in fine Vau, עזריהו *Azariau*.

V. 3. PENSITATIONES. Pagninus, & Vatablus vertunt *dona rerum pretioſarum*. Noſter vulgatus videtur intelligere annuos aliquos redditus, quibus alerentur. CUM CIVITATIBUS MUNITISSIMIS, in quibus degerent, & vectigalia earum perciperent, non tamen pleno iure regnarent.

V. 4. CUMQUE SE CONFIRMASSET, devinctis ſibi aut muneribus, aut promiſſionibus, iis qui ſibi poterant negotium faceſſere. OCCIDIT FRATRES SUOS, a quibus ſibi timebat ne novi aliquid moliretur, exiſtimanſque ſe hoc ſcelere regnum ſuum ſtabilius redditurum.

V. 5. TRIGINTA DUORUM ANNORUM, &c. Hæc uſque ad num. 12. repetita ſunt ex IV. Reg. VIII. num. 17. & deinceps. Vide ibi dicta.

V. 12. ALLATAE SUNT EI LITTERAE AB ELIA PROPHETA. Elias ante aliquot annos ab hominibus abductus fuerat. Videntur ſcriptæ litteræ antequam tolleretur in cælum, ſed multo poſt ad Regem allatæ: potuit enim ſpiritu prophetico prævidiſſe quæ facturus erat Ioram, & quæ paſſurus, ſicque hanc epiſtolam ſcripſiſſe, quæ ipſi opera Eliſei hoc tempore redderetur. Non eſt' tamen improbabile litteras in paradiſo ab Elia ſcriptas, & Angelorum miniſterio delatas, ut aliqui graves auctores ſenſerunt.

V. 13. FORNICARI, idola colere.

V. 14. PLAGA MAGNA, quæ recenſetur hoc capite num. 16. & deinceps.

V. 15. LANGUORE UTERI TUI, diarrhœa, ſeu alvi profluvio. EGREDIANTUR VISCERA TUA. Hunc locum explicans Valeſius in ſacra Philoſophia cap. XL. ita ſcribit: *Evenit nonnumquam nihil manere integrum* (loquitur de ſuccis qui ſunt in corpore) *ſed ipſum etiam partium rorem maligne putreſcere, & cum aliis egeri ſuccis, & fieri deiectiones colliquativas, ipſaſque partes primum deſtitutas ab alimento tabeſcere, deinde & computreſcere cum ipſis ſuccis, & in ſaniem ſolutas egeri, eas præcipue quæ velut ex concreto ſanguine ſubſtantiam habent, ut lienem, & hepar*. Plura vide apud eumdem Valeſium.

V. 16. ARABUM QUI CONFINES SUNT AETHIOPIBUS. Duplex eſt AEthiopia: altera in Africa ultra AEgyptum, meridiem verſus ſita; altera in Aſia, iuxta Madianitas, & Arabes, unde originem traxit uxor Moſis, quæ propterea AEthiopiſſa dicta eſt. De hac autem AEthiopia hic ſermo eſt.

V. 18. ALVI LANGUORE, de quo dictum eſt num. 15.

V. 19. INFIRMITATE PESSIMA, graviſſima, & moleſtiſſima. SECUNDUM MOREM COMBUSTIONIS: vel enim cadavera ipſa comburebantur, ut factum eſt cum Saul, I. Reg. XXXI. 12. & Sedechia, Ierem. XXXIV. 5. vel ſaltem aromata cadaveribus impoſita cremabantur. Vide dicta ſupra cap. XVI. num. 14.

T I-

TIRINI.

Verſ. 4. OCCIDIT OMNES FRATRES SUOS GLADIO. Forſan opponebant illi ſe Ioramo, ne a paterna & avita religione ad Achabi ſoceri ſui idololatriam deflecteret. Et eadem potuit fuiſſe cauſa necis principum, quos etiam hic occidiſſe perhibetur. Sed en mox vindicem Dei manum, & horrendas plagas! Quarum prima.

V. 8. REBELLAVIT EDOM, ſeu *Idumæa*, ne amplius eſſet ſub Regibus Iuda: cumque ad id uſque tempus paruiſſet viceregibus a Iudæa ſubmiſſis (ut alibi *a* dixi) iam facta rebellis, proprium SIBI, neque amplius Iudææ ſubiectum, REGEM CONSTITUIT, pudebat enim Idumæos tam fœdo monſtro, & in ſuos tam crudeli ſubeſſe: & licet mox *Seira*, id eſt terra Seir, ſeu Idumæa, movente adverſus ipſam Ioramo, ſuccubuerit in prælio, ut habes IV. Reg. VIII. 21. coactique ſinguli refugerint in propria tabernacula; Ioram tamen vel conſcientia ſcelerum animos adimente, non eſt auſus uti victoria, & fugitivos ad tributa rurſus pendenda cogere: vel novis Philiſthinorum, Arabum, & AEthiopum bellis impetitus, ut hic dicitur verſu 16. non potuit perſequi fugientes Idumæos, atque ita continuavit rebellionem ſuam Idumæa, *uſque ad hanc diem*, id eſt perpetuo exinceps, uſque dum hæc a ſacro Scriptore litteris mandarentur. Tunc impleta eſt Iſaaci Patriarchæ prophetia Geneſ. XXVII. 40. de iugo Iudaico ab humeris Idumæorum excutiendo, ut ibidem expoſui.

V. 10. Sequitur ſecunda plaga. EODEM TEMPORE ET LOBNA RECESSIT. *Lobna* civitas erat ex regiis Chanaanitidis una, Ioſue XII. 15. quæ in funiculo *tribus Iuda* aſſignata fuit Levitis: non ergo ſoli vectigales defecerunt a Ioramo, ſed & ex domeſticis, & contribulibus non pauci.

Tertia plaga continetur litteris Eliæ Prophetæ, iam a novennio ex hominibus abrepti curru igneo, ſed e paradiſo ad Regem Ioram, Angelo, vel homine quopiam internuncio, tranſmiſſis. Ita Hebræi *b*, Lyranus, Bellarminus, & alii. Vide quæ dixi IV. Reg. II. 11. Litteras ipſas habes hic verſ. 12. quibus exprobrat Elias Regi fœdam idololatriam, & fratricidia, prædicitque ei cladem publicam, bonorumque ſuorum rapinam, ut & uxorum, & filiorum, quam mox (ut ſubditur verſ. 16.) intulerunt Arabes, AEthiopes, & Philiſthini.

Iiſdem litteris continetur & quarta plaga, nempe mors probroſiſſima per lentam viſcerum egeſtionem poſt tabem duorum annorum, verſ. 18.

Quinta plaga, denegatus illi honor ſepulturæ regalis, verſ. 19. hic, & IV. Reg. VIII. 21. *Sepelierunt eum in civitate David, verumtamen non in ſepulcro Regum: neque fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis, exequias, ſicut fecerat maioribus eius*. Non quod moris eſſet apud Hebræos ipſa cadavera comburere; ſed in cadaverum exequiis comburebant varia aromata, ut fuſe probat Sanctius hic, & I. Reg. ultimo.

De lucerna domus David hic verſ. 7. Vide Pſal. CXXXI. verſ. 17.

(*a*) In fine Lib. IV. Reg. & initio Lib. IV. item cap. III. verſ. ,.
(*b*) Hebr. in Sed.r-Olam cap. XVII.

GORDONI.

Verſ. 6. FILIA ACHAB Athalia eſt; tamen Hieronymus in Traditionibus narrat eſſe Amri filiam natura, ſed imitatione eſſe Achabi filiam.

V. 12. ALLATAE SUNT AUTEM LITTERAE AB ELIA. Elias translatus eſt regnante Ioſaphat, IV. Reg. II. & 3. Ergo nunc vel nomine Eliæ traditæ Ioramo, ex Ioſeph. Lib. IX. cap. II. vel ſcriptæ ab Elia dum viveret (ut erat præſcius futurorum ex revelatione) ut ſuo tempore darentur Ioramo. Vide citatum locum IV. Reg.

V. 16. ARABUM, QUI CONFINES SUNT AETHIOPIBUS. Plane notum hinc eſt (quod alibi dixi) eſſe AEthiopes Aſiaticos. Diverſi ſunt ab Africanis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Duo filii Ioſaphat vocantur eodem nomine Azaria, niſi quod in Hebræo alterius nomini addatur Vau finale.

V. 19. COMBUSTIONIS. Regum corpora vel cremabantur, ex Ierem. XXXIV. 5. vel aromata appoſita incendebantur iuxta cadavera.

C A-

CAPUT XXII.

Impium Ochoziam filium Ioram occidit Iehu, simul & Ioram Regem Israel: occidente autem Athalia filios Regis, servavit Iosabeth Ioas natu minimum.

1. COnstituerunt (a) autem habitatores Ierusalem Ochoziam fi-
lium eius minimum, Regem pro eo: omnes enim maiores
natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum,
qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Ioram
Regis Iuda. 2. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias
cum regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Ierusalem,
& nomen matris eius Athalia filia Amri. 3. Sed & ipse in-
gressus est per vias domus Achab: mater enim eius impulit eum ut impie age-
ret. 4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim
fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum eius. 5. Ambulavitque
in consiliis eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab Rege Israel, in bellum
contra Hazael Regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraveruntque Syri Ioram.
6. Qui reversus est ut curaretur in Iezrahel: multas enim plagas acceperat in su-
pradicto certamine. Igitur Ochozias filius Ioram Rex Iuda, descendit ut invise-
ret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotantem. 7. Voluntatis quippe fuit Dei
adversus Ochoziam, ut veniret ad Ioram: † & cum venisset, & egrederetur cum
eo adversum Iehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab.
8. Cum ergo everteret Iehu domum Achab, invenit principes Iuda, & filios
fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, & interfecit illos. 9. Ipsum quoque per-
quirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se,
occidit, & sepelierunt eum: eo quod esset filius Iosaphat, qui quæsierat Domi-
num in toto corde suo: nec erat ultra spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret
Ochoziæ. 10. (b) siquidem Athalia mater eius, videns quod mortuus esset fi-
lius suus, surrexit, & interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram. 11. Por-
ro Iosabeth filia Regis tulit Ioas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio
filiorum Regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cu-
biculo lectulorum: Iosabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia Regis Io-
ram, uxor Ioiadæ Pontificis, soror Ochoziæ, & idcirco Athalia non interfecit
eum. 12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regna-
vit Athalia super terram.

(a) IV. Reg. VIII. 24. (b) IV. Reg. XI. 1.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

V. 7. *Et cum venisset, & egrederetur*, Clarius quidam libri omittunt posterius &.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. MAIORES, ſcilicet fratres eius. LATRONES. Heb. *turma*, ſeu *exercitus*. LXX. ut noſter Interpres.

V. 2. REGNARE, ſcilicet patre mortuo, nam cum patre viginti annis regnavit, qui ſolus octo regnaverat. Vide ſup. cap. XXI.

V. 6. MULTAS ENIM. Hebr. & LXX. *quia*.

V. 9. OCCIDIT. Percuſſus fugit in Mageddo, ut dicitur IV. Reg. IX. ibique mortuus filius, id eſt nepos.

V. 10. IORAM. Hebr. LXX. & Complut. *Iuda*.

V. 11. LECTULORUM, ſcilicet ubi dormiebant ſacerdotes, & Levitæ, dum miniſtrabant. PONTIFICIS, ſcilicet ſummi.

V. 12. DOMO DEI, ſcilicet appendicibus, quæ circa atrium.

ESTII.

Verſ. 2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS CUM REGNARE COEPISSET. IV. Reg. VIII. ſic legitur: *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet*. Sic & hoc loco habent quidam codices ſeptuaginta Interpretum. Verum quia omnia Latina conſentiunt in numerum quadraginta duorum annorum, atque etiam Hebræa; dicendum videtur, in numero illo quadraginta duorum annorum computari etiam annos quibus cum patre Ioram regnavit. Vide etiam IV. Reg. VIII. ATHALIA FILIA AMRI. Quomodo eadem dicatur *filia Achab* cap. præced. vide ibi explicatum.

MARIANÆ.

Verſ. 1. INTERFECERANT LATRONES. Hebr. *Interfecit agmen*, ſcilicet militum, *alios Ioram filios:* ſolus Ochozias manſit, qui patri ſucceſſit. QUI IRRUERANT IN CASTRA, ſcilicet Iudæorum. Hebr. *Veniens in Arabibus* (pro, cum Arabibus) *in caſtra*, ſcilicet quibus Arabes obſederunt Ieruſalem. Ergo non ſolum captivarunt filios Regis, ut ſuperiori cap. dictum eſt, ſed etiam eos peremerunt.

V. 2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM. Ergo patre maior, quando Ioram erat, cum regnum accepit, annorum triginta duorum, & regnavit octo annis. IV. Reg. VIII. 26. dicitur natus annos viginti duos, cum regnare cœpit. Ut hæc duo loco concilient, multa tum Seder Holam, tum Genebrardus in Chronicis, tum Vatablus hoc loco adferunt; quæ an ſatisfaciant, alius viderit. Quid ſi in Paral. notas olim numerorum vitiatas dicamus inde in alias linguas manaſſe? & pro כב *caph beth*, id eſt *viginti duo*, poſitum מב *mem beth*, id eſt *quadraginta duo*, quæ notæ abſimiles non ſunt. Si quis melius invenerit, id ſequatur. ATHALIA FILIA AMRI. Neptis vocatur *filia*, nam Achab fuit filia. Hinc Hieronymus in Tradit. ſenſit fuiſſe filiam Amri. Sequitur bellum contra Hazael, in quo Ioram Rex Iſrael vulneratus ivit in Iezrahel, ut curaretur.

V. 6. MULTA ENIM PLAGA. Hebr. *Quoniam plagæ* (ſcilicet multæ erant) *quibus percuſſerunt eum in Rama, cum pugnaret cum Azael*. IGITUR OCHOZIAS: ſic Sept. Hebr. *Azarias*. Sic Ioachaz, Ochozias, & Azarias eſt vocatus. DESCENDIT UT INVISERAT IORAM. Erant hi duo Reges amitini.

V. 7. VOLUNTATIS QUIPPE FUIT DEI .... UT VENIRET. Hebr. *Et a Deo fuit* (*tebuſath*) *conculcatio*, ſeu *contemptus*, ſeu *vilitas* (id ea vox ſignificat.) ADVERSUS OCHOZIAM. Hebr. *Ochoziæ*, & regitur a voce *contemptus*, ſeu *vilitas*. Quod ſeipſum abiecit; ut Ioram inviſeret, a Deo factum eſt, ut per eam occaſionem eum Deus perimeret. UT VENIRET AD IORAM; id eſt, ex occaſione adventus ad Ioram fuit malum. Hinc enim eſt factum ut egrederetur contra Iehu.

V. 8. CUM ERGO EVERTERET. Hebr. *Iudicaret*: ſed *iudicium* ſæpe pro *vindi-*

dicta. Ita Sept. Cum ulcisceretur Iehu domum Achab,

V. 9. OCHOZIAM COMPREHENDIT LATITANTEM IN SAMARIA, IV. Reg. IX. 27. quod fugit in Mageddo, & mortuus est ibi. Prius in Samaria latuit Ochozias, deinde fugit in Mageddo. NEC ERAT ULTRA SPES ALIQUA. Hebr. *Et non erat in domo Ochoziæ ad obtinendum potentia regnum*. Constructio inversa. Nimirum filii eius ob ætatem regno idonei non erant, eosque Athalia occidit mater Ochoziæ.

V. 10. OMNEM STIRPEM REGIAM DOMUS IORAM. Hebr. *Omnem semen regni domus Iuda*: sic Vulgata Regia. Sept. *Omne semen regni in domo Iuda Athalia interfecit*.

V. 11. IN CUBICULO LECTULORUM, scilicet ubi dormiebant sacerdotes, & Levitæ, qui per vices ministrabant habitantes tempore ministerii in exedris templo coniunctis. Ibi Ioas puer delituit, quem Iosabeth a cæde subtraxit.

V. 12. IN DOMO DEI. Appendices templi, *domus Dei* vocantur. SEX ANNIS fuit absconditus. QUIBUS REGNAVIT ATHALIA. Hebr. *Et regnavit Athalia*. Porro Ioram, & Ochozias uno tempore a Iehu sunt occisi, uterque anno 95. præcise, ex quo post mortem Salomonis regnum Iuda in Roboam, & regnum Israel in Ieroboam fundata sunt. Nam in Iuda regnarunt, Roboam annis 17. Abia, 3. Asa, 41. Iosaphat, 25. Ioram, 8. Ochozias, 1. In Israel Ieroboam, 22. Nadab, 2. Baasa, 24. Ela, 2. Mox interregnum annorum quatuor qui aliquando adscribuntur Amri, qui post regnavit annis 7. Achab, 22. Ioram, 12. subducta ratione utriusque regni parem annorum numerum invenias, ut necesse est, nempe 95. Ex quo perspicitur errare, qui Baasa tribuunt annos 34. quoniam cap. XVI. vers. 1. dicitur pugnasse contra Asa anno regni Asa 36. de quo eo loco dictum est. Errare præterea, qui dicunt Ioram regnasse annis 28. viginti cum filio, octo sine consorte: quod ideo affirmant, quoniam cum in Lib. IV. Reg. dicatur, Ochoziam, cum regnare cœpisset, fuisse annorum 22. in hoc cap. vers. 2. post mortem patris Ioram dantur ei anni 42. Etenim utroque modo turbatur par numerus annorum utriusque regni, qui ratione inita prodire debet, quo tempore Ioram Rex Israel, & Ochozias Rex Iuda sunt occisi.

MALVENDAE.

Vers. 1. INTERFECERANT LATRONES ARABUM, QUI IRRUERANT IN CASTRA. Hebr. *Interfecit turma veniens cum Arabibus ad castra*. Quidam: *Occiderunt grassatores, qui venerant bellandi causa*. Alii: *Interfecerat turma quædam, quæ venerat cum Arabibus in castra*. Vide supra cap. XXI. vers. 17.

V. 2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS CUM REGNARE COEPISSET, &c. Cap. XXI. vers. 5. & 20. bis dicitur, Iehoramum patrem huius Achaziæ regnare cœpisse ætatis suæ anno 32. & octo annis regnum obtinuisse: ergo mortuus fuit quadraginta natus annos: at si statim eo mortuo, ut hic dicitur, filius eius Achazias regnare incipit annos quadraginta duos natus; perspicue sequitur, quod is natus sit duobus annis ante patrem suum, quod est impossibile, ac ridiculum. Ad hæc II. Reg. VIII. vers. 26. conspicue dicitur: *Natus viginti & duos annos erat Achaziah cum regnare inciperet*; at hic clare scribitur: *Natus quadraginta duos annos erat Achaziah cum regnare inciperet*, quæ est manifesta pugnantia. Perplexam, intricatam, ac plane insolubilem hanc difficultatem esse, fere omnes fatentur. Uberrimus campus Explanatoribus, & sacris Chronologis varias ac multiplices conciliationes, & interpretationes excogitandi. I. Achaziam vivente patre natum fuisse annos viginti duos, ut II. Reg. VIII. vers. 26. dicitur: at quando extincto patre regnum solus auspicatus est, fuisse quadraginta duos annos natum, ut hic dicitur; Iehoramum autem 28. annos regnasse, octo solum, viginti cum filio Achazia: ac proinde id tempus vixisse inglorium, & sine honore, ut supra cap. XXI. vers. 20. dicitur; eique non tribui nisi octo regni annos. II. Codices Hebræos, Græcos, Chaldæos, & Latinos hoc loco esse depravatos, & pro *quadraginta duobus annis*, rescribendum *viginti duos annos*. Sed hoc nullo pacto ferendum: & mirum, viros prudentes potuisse tam absur-

furdo paradoxo teneri. III. Hebræi, & plerique noftrorum rectius exiftimant, hic non numerari annos vitæ Achaziæ, fed regni Ifraelitici, ex quo in familiam Hamri, ex cuius fanguine erat Achazia, nempe pronepos eius ex nepote Hathalia, translatum fuerat: quos ita fupputant. Poft trigefimum primum annum Afæ regnavit Amri annis fex in univerfum Ifraelem, I. Reg. XVI. 23. Achab filius eius viginti duos annos, I. Reg. XVI. 29. Achaziah filius Achabi annos duos, I. Reg. XXII. 52. Iehorami huius filii anno duodecimo regnare cœpit ifte Achaziah Rex Iehudæ, II. Reg. VIII. 15. qui omnes anni fimul collecti efficiunt quadraginta duos, quibus regnare incipit Ierofolymis Achaziah ifte. Tremellius, & Iunius ita hunc verfum reddunt, ac exponunt.

1. *Cuius matri nomen Hathalia, nata* 3. *Homri*; (a) *agentis* 4. *quadragefimum fecundum annum cum* (b) *Achazia regnaret, qui anno uno regnavit Ierufchalaimis*.

2. *In Hebræo textu traiectio eft obfcurior, cuiufmodi eft I. Schemuel. XX. 16. & Hezræ X. 17. & Nechemiæ XII. 22. qua non obfervata, hic locus fuit variis quæftionibus & interpretationibus involutus*.

3. *Nam filia erat Achabi filii Homri: cujus nomen hic ad totam familiam pertinet, in qua ipfe primus regnavit, I. Reg. XXVI. 25.*

4. (a) *Filii quadraginta duorum annorum. Sic I. Schemuel. XIII. 1.*

5. (b) *Nam tot anni numerantur, ex quo Homri plene adivit regnum ufque ad regnum Achaziæ: Homri enim regnavit octo annis folus: Achab cum Achazia filio viginti duobus: & Ioram a Iehu fublatus duodecim.*

6. *Hebr. Achazia cum regnaret ipfe.* Hactenus illi.

NOMEN MATRIS EIUS ATHALIA FILIA AMRI. Ab his verbis ufque ad verf. 6. inclufive, confer cum II. Reg. VIII. a verf. 26. ufque ad finem capitis: inde petendi Comm.

V. 4. IN INTERITU EIUS. Hebr. *Perditori*, vel *in perditionem, ei*. Quidam, *Ut effet perditor ei*; id eft, adeo ut perdiderint eum. Alii, *Ad corruptionem ei*; id eft, adeo ut corruperint ac depravaverint eum.

V. 6. MULTAS ENIM PLAGAS ACCEPERAT. Hebr. *Quia percuffiones, quibus percufferunt eum*. Quidam: *Quia plagæ erant ei, quibus percufferant eum*. Alii: *Quia plagæ affligebant illum, quibus percufferant eum*, vel *de plagis, quibus percufferant eum*. Aliqui: *Quoniam vulnera habuit, quæ inflixerant ei* Syri. Nonnulli: *Quia afficiebant eum plagæ, quibus percufferant eum*. IN SUPRADICTO CERTAMINE. Hebr. *In Ramah*, vel *apud Ramah*, id eft apud Ramothas Ghilhadis: fingulare pro plurali per enallagem. Vide de hoc verfu II. Reg. IX. 15. IGITUR OCHOZIAS FILIUS IORAM. Hebr. *Et Hazariahu filius*, &c. Ipfemet eft, qui alio nomine fæpius vocatur *Achaziahu*. Vide cap. XXI. verf. 27.

V. 7. VOLUNTATIS QUIPPE FUIT DEI ADVERSUS OCHOZIAM. Hebr. *Et a Deo fuit conculcatio Achaziæ*. Quidam: *Et ab Elohim fuit intricatio Achaziahu*, &c. quafi dicat: Divino iudicio factum eft ut Achaziah involveretur confilio veniendi ad invifendum Regem Ifraelis, ut fic periret. Alii: *Sed a Deo fuit proculcatio Achaziæ*: five, *Erat autem hoc a Deo ut conculcaretur Achazia*; id eft, Deus hac occafione effecit ut quafi pedibus Iehu, ipfe quoque Achazia teneretur; hoc eft, cum reliqua familia Homri perderetur. Aliqui: *Et a Deo fuit contemptus Achaziæ*. ET EGREDERETUR CUM EO ADVERSUM IEHU. Vide II. Reg. IX. verf. 15. & 21.

V. 8. CUM ERGO EVERTERET IEHU DOMUM ACHAB. Hebr. *Et fuit in iudicari Iehu cum domo Achabi*. Notant verbum שפט *fchaphat* in Niphal, ut hic ponitur, proprie effe *litigare, iudicio contendere, iudicio fifti, in ius vocari, in iudicio caufam dicere*: & Paulum Apoftolum hanc fecutum phrafim, ita fcribere I. Corinthior. VI. 1. *Suftinet aliquis veftrum, negotium habens cum altero iudicari fub iniuftis, & non magis fub fanctis*. *Iudicari* dixit, pro *litigare coram iudice*. Et paulo poft verf. 6. *Frater cum fratre iudicatur*, id eft *iudicio contendit*. Et Actor. XXVI. 6. *Sto iudicio fubiectus*, id eft in ius vocatus, caufam in iudicio dicens. Quidam hic reddunt: *Cumque iudicium faceret Iehu cum domo Achab*. Alii: *Et fuit cum iudicaret fe*, id eft vindicaret, ulcifceretur, *Iehu de domo Achabi*. Nonnulli: *Fuit enim cum iudicia exerceret Iehu contra domum Achabi*; id eft, cum exequeretur divina iudicia in familiam Achabi. ET FILIOS FRATRUM OCHOZIAE, QUI MI-

MINISTRABANT EI, ET INTERFECIT ILLOS. Vide hanc historiam latius enarratam II. Reg. x. verf. 13. & 14.

V.9. LATITANTEM IN SAMARIA. Difcrepantiam, quæ de morte Achaziæ effe videtur inter hunc locum & alterum II. Reg. IX. 27. ibi in Comm. conciliavimus: quidam tamen hic, *in Samaria*, exponunt, id eft in regno Ifraelis, a metropoli fynecdochice denominato: ut in Meghiddo urbe regni Samariæ delituerit, ibique comprehenfus a Iehu, & interfectus fuerit, ut eo loco Regum refertur. ET SEPELIERUNT EUM. Explicant: Id eft, eum fepeliendum tradiderunt Iehudæis, patris rationem habentes: nam a fervis eius Ierofolymam deportatum, & fepulcro fuo reliquias illatas, fcribitur II. Reg. IX. 28. NEC ERAT ULTRA SPES ALIQUA, UT DE STIRPE QUIS REGNARET OCHOZIAE. Noftra Tranflatio vim Hebraicorum verborum expreffit (*Et non domui Achaziahu ad prævalere virtute, regno.*) Alii diverfimode. I. *Et non domui Achaziahu vis ad retinendum regnum.* II. *Et non erat potentia domui Achaziahu ad obtinendum regnum.* III. *Non erat autem domui Achaziahu, ut retinere poffet potentiam ad occupandum regnum.* IV. *Nec erat domui Achaziæ robur, ut retineret regnum.* V. *Ita non erat domui Achaziæ, qui obtineret vires ad regnandum*, nimirum interfectis Achaziæ nepotibus, feu agnatis, fupra verf. 8. & Hathalia in femen regium debacchante, ut ftatim dicitur.

V. 10. SIQUIDEM ATHALIA MATER EIUS, &c. Hunc, & duos fequentes verfus confer cum II. Reg. XI. verf. 1.2. & 3. nam funt iidem. ET INTERFECIT, &c. Forfterus hæc annotat: *Et quidem falluntur, cum fecundo Paralipom.* XXII. 10. *pro confirmanda fua opinione, quod verbum* דבר *dabar in Piel interdum fignificet interimere, adducunt verbum* ותדבר *vattedabber. Et interemit omne femen regium: cum tamen non videant, II. Reg.* XI. 1. *legi* ותאבד *vatteabbed, Et fuftulit omne femen regium: & vocem illam effe infcitia fcribarum corruptam, vocum fimilitudine deceptorum: nec cogitent maiorem fidem habere apud omnes doctos, libros Regum, quam Paralipomenon, cum quod ad grammaticam, tum etiam quod ad numerandi rationem fpectat.* Hæc plane funt futilia, & palam abfurda, & merito prorfus explodenda: nam utrorumque librorum divina, & par auctoritas, ac fides, cum utrique confcripti fint a Spiritu fancto; nec Hebraice, aut Latine ulla inter eos revera difcrepantia. Quidam hic ותדבר *vattedabber*, a דבר *deber*, *pefte*, deducunt, quod non fit alienum a *pefte* verbum effingi, quod *peftis more perdere*, feu *interimere*, & *abolere* fignificet; quafi dicat: *Et peftiferavit, peftilentiavit, mortificavit, in modum peftis abfumpfit omne femen regium.* Alii: *Et in ordinem redegit*, ut Pfalm. XVII. 48. *totum femen regium*, id eft interfecit: ut Virgilius II. Æneidos:

> .... *fi omnes uno ordine habetis Achivos.*

Conamur nos exponere: *Et loqui fecit omne femen regium*; id eft, impie trucidavit fanguinem innoxium, qui loquitur, & inclamat vindictam: eleganti Hebraifmo, quo utitur Paulus Hebræor. XI. 4. *Defunctus adhuc loquitur.*

V. 12. FUIT ERGO CUM EIS, vel *cum eis* quos curæ eius admoverant Iehoiadah, & Iehofaphatha; vel cum nutrice, & paucis fidiffimis: nam II. Reg. XI. 3. fcribitur: *Et fuit cum ea*, fcilicet nutrice.

MENOCHII.

Verf. 1. LATRONES ARABUM: de quibus dictum eft fuperiori cap. num. 16.

V. 2. QUADRAGINTA DUORUM ANNORUM, &c. Quæ hic habentur ufque ad verf. 7. explicavimus IV. Reg. VIII. a num. 25. ufque ad finem capitis.

V. 7. VOLUNTATISQUIPPE FUIT DEI, &c. Quæ hic dicuntur de Ochoziæ cæde, explicavimus IV. Reg. IX. 27.

V. 10. SIQUIDEM ATHALIA, &c. Quæ ab hoc verficulo ufque ad finem capitis hic habentur, explicata funt IV. Reg. cap. 1. 2. & 3.

TIRINI.

Verf. 1. OCHOZIAS. Hic minimus natu filiorum Ioram, cap. præced. verf. 17. *Ioachaz* vocatur.

V. 2. QUADRAGINTA DUORUM AN-

ANNORUM ERAT Ochozias,&c. Quomodo, cum pater eius, dum moreretur, non fuerit nisi quadraginta annorum? ut dicitur in fine cap. praeced. Respondeo, mendose hic legi *quadraginta duorum annorum*: legendum *viginti duorum annorum*, ut legitur IV. Reg. VIII. vers. 26. Unde vero mendum irrepserit, dixi in Chronico cap. XXIX. in Ochozia. Porro mater Ochoziæ Athalia vocatur hic *filia Amri*, phrasi Hebræa, id est *neptis*. Nam erat filia Achab filii Amri, ut patet ex capite præcedenti, vers. 6. & IV. Regum VIII. 18.

V. 10. SIQUIDEM ATHALIA INTERFECIT OMNEM STIRPEM REGIAM: nempe filios omnes Ochoziæ, quos ex variis uxoribus, & concubinis (ut ferebat illius temporis consuetudo) plures susceperat: neque aliam illos occidendi causam habuit, quam ut sublatis omnibus nepotibus, ad quos hæreditario iure regnum pertinebat, avia sola regnaret, & suo arbitratu omnia administraret.

V. 11. PORRO IOSABETH, vel *Iosaba* FILIA REGIS IORAM, SOROR OCHOZIAE (sed ex alia matre quam ex Athalia) UXOR *a* IOIADAE summi PONTIFICIS, *tollens* IOAS FILIUM OCHOZIAE, unius anni puerum, quem *inter cæsorum cadavera* fratrum, inquit Iosephus, opinione omnium mortuum, *nutricis opera* deprehendit, *ablatum furtim domi suæ abdidit*, *& solo marito conscio*; *sex annis abscondit* in templo, IN CUBICULO LECTULORUM, id est in uno *triclinio*, seu *pastophorio*, qualia plurima erant circa ædem sacram, in quibus degebant qui excubiarum, vel custodiæ, vel alterius ministerii causa templo adesse debebant.

Cetera huius cap. vide IV. Reg. IX.

(*a*) IV. Reg. XI. vers. II. Ioseph. Lib. IX. Antiq. cap. VII.

GORDONI.

Vers. II. IN CUBICULO LECTULORUM. Loca sunt templi, ubi dormiebant Levitæ qui per vices ministrabant. Erant hæ exedræ templo coniunctæ. De horum Regum chronologia dictum est suo loco.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Vide IV. Reg. cap. VIII. vers. 2. & deinceps.

V. 7. VOLUNTATIS QUIPPE] FUIT DEI, &c. Vide IV. Reg. IX. 27.

V. 12. ATHALIA. Vide IV. Reg. XI. 1. 2. 3.

CAPUT XXIII.

Ioiada Pontifex unxit Ioas in Regem Iuda, curavitque ut Athalia occideretur, & cultus Dei restitueretur; populus autem destruit domum, altaria, ac simulacra Baal.

1. ANno (*a*) autem septimo confortatus Ioiada, assumpsit centuriones, Azariam videlicet filium Ieroham, & Ismahel filium Iohanan, Azariam quoque filium Obed, & Maasiam filium Adaiæ, & Elisaphat filium Zechri: & iniit cum eis fœdus.
2. Qui circumeuntes Iudam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Iuda, & principes familiarum Israel, veneruntque in Ierusalem.
3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege: dixitque ad eos Ioiada: Ecce filius Regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David.
4. Iste est ergo sermo quem facietis:
5. Tertia pars vestrum qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, & Levitarum, & ianitorum, erit in portis: tertia vero pars ad domum Regis:

& tertia ad portam quæ appellatur Fundamenti : omne vero reliquum vulgus
sit in atriis domus Domini . 6. Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini,
nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia
sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet custodias Domini. 7. Levitæ
autem circumdent Regem, habentes singuli arma sua (& si quis alius ingressus
fuerit templum, interficiatur) sintque cum Rege & intrante & egrediente. 8. Fe-
cerunt ergo Levitæ, & universus Iuda, iuxta omnia quæ præceperat Ioiada Pon-
tifex : & assumpserunt singuli viros qui sub se erant, & veniebant per ordinem
sabbati, * cum his qui impleverant sabbatum, & egressuri erant : siquidem Io-
iada Pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas suc-
cedere consueverant. 9. Deditque Ioiada Sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque
& peltas Regis David, quas consecraverat in domo Domini. 10. Constituitque
omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextera usque ad partem
templi sinistram, coram altari, & templo, per circuitum Regis. 11. Et eduxe-
runt filium Regis, * & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque
in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem: unxit quoque illum
Ioiada Pontifex, & filii eius: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat Rex.
12. Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium
Regem, ingressa est ad populum in templum Domini. 13. Cumque vidisset Re-
gem stantem super gradum in introitu, & principes, turmasque circa eum, o-
mnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, & diversi generis
organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, & ait: Insi-
diæ, insidiæ. 14. Egressus autem Ioiada Pontifex ad centuriones, & principes
exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gla-
dio. Præcepitque Sacerdos ne occideretur in domo Domini. 15. Et imposuerunt
cervicibus eius manus: cumque intrasset portam equorum domus Regis, interfece-
runt eam ibi. 16. Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, universumque populum,
& Regem, ut esset populus Domini. 17. Itaque ingressus est omnis populus do-
mum Baal, & destruxerunt eam : & altaria ac simulacra illius confregerunt :
Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras. 18. Constituit autem
Ioiada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum, & Levitarum,
quos distribuit David in domo Domini: ut offerrent holocausta Domino, * sic-
ut scriptum est in lege Moysi, in gaudio & canticis, iuxta dispositionem Da-
vid. 19. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, ut non ingrede-
retur eam immundus in omni re. 20. Assumpsitque centuriones, & fortissimos
viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt descendere Regem
de domo Domini, & introire per medium portæ superioris in domum Regis,
& collocaverunt eum in solio regali. 21. Lætatusque est omnis populus terræ,
& urbs quievit: porro Athalia interfecta est gladio.

(a) IV. Reg. xi. 4.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Cum his qui impleverant sabbatum, & egressuri erant*. Non est mutandum participium futurum *egressuri*, in participum præteritum *egressi*.

V. 11. *Et imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem*. Tametsi multi Latinorum codicum omittant illud *& testimonium*, quidam vero eius loco omittunt id quod sequitur, *Dederuntque in manu eius tenendam legem*: neutrum tamen omittendum censuerunt Correctores, ut unum alterius, id est posterius prioris, expositionem.

V. 18. *Sicut scriptum est in lege Moysi*. Non est scribendum *libro* pro *lege*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. SEPTIMO, scilicet a morte Ochoziæ. CONFORTATUS; quasi dicat, sumpto animo.

V. 2. LEVITAS, in quibus etiam sacerdotes. ISRAEL, scilicet Iudæorum.

V. 3. DIXITQUE; pro, dixerat autem ante.

V. 4. SERMO, id est res.

V. 5. AD SABBATUM; id est, ut sua hebdomada ministrent. ERIT, scilicet antequam sua hebdomada ministret, vel quasi dicat: Hoc munere fungetur sua hebdomada. PORTIS, pro porta, scilicet meridionali atrii. AD DOMUM REGIS, scilicet ducentem ad portam. Erat hæc septemtrionalis. FUNDAMENTI. Erat hæc orientalis. VULGUS, scilicet qui non erant Levitæ. ATRIIS, scilicet reliquis: erant enim quædam præter atrium sacerdotum.

V. 6. DOMUM DOMINI, id est atrium sacerdotum. CUSTODIAS, id est præcepta; quasi dicat, Fungatur munere suo.

V. 8. PER ORDINEM SABBATI. Heb. *ad sabbatum*. EGRESSURI, scilicet functi munere suo. NON DIMISERAT: scilicet ut multos haberet milites.

V. 10. PUGIONES; alii, *gladios*. LXX. *arma*.

V. 11. EDUXERUNT, scilicet e loco ubi latuerat. TESTIMONIUM, id est legem Dei, quam observare deberet. Quidam tamen intelligunt regias vestes in testimonium regiæ dignitatis.

V. 13. GRADUM, id est sedem regiam, vel locum editum, quem Salomon fecerat Regibus in atrio. INTROITU, scilicet templi.

V. 16. SE, scilicet qui erat loco Dei.

ESTII.

Vers. 11. ET EDUXERUNT FILIUM REGIS, ET IMPOSUERUNT EI DIADEMA, ET TESTIMONIUM, DEDERUNTQUE IN MANU EIUS TENENDAM LEGEM. Verba illa postrema, *Dederuntque in manu eius tenendam legem*, neque sunt in Hebr. neque in plerisque mss. Latinis: & omnino verisimile est, illa addita esse ad explicandum vocabulum præcedens, *Testimonium*: Illud enim vocabulum varie explicatur. Quidam simpliciter intelligunt ornamentum regium, id est vestes regias, quibus Ioiada testaretur universo populo hunc esse Regem: iunguntur enim hæc duo, *Diadema, & testimonium*. Sed quia nusquam legimus habitum regium vocari *testimonium*, omnino videtur plus aliquid significari. Unde Auctor Tradit. Hebraic. per *testimonium* intelligit phylacteria, in quibus decem verba legis erant descripta. At denique rectius, ut apparet, ipsam legem, seu legis volumen Regi in sua inauguratione in manus traditum intelligimus, prout in textu ipso adiectum est.

V. 16. PEPIGIT AUTEM IOIADA FOEDUS INTER SE, UNIVERSUMQUE POPULUM, ET REGEM, UT ESSET POPULUS DEI. Duplex hic fœdus indicatur. Unum inter Deum & totum regnum (nam Sacerdos erat loco Dei) & alterum inter Regem & populum; ut Rex iuste, & secundum legem Dei, populo præesset, populusque vicissim ei obediret. Et talis debet esse omnis respublica, quæ destinatur ad cælestem.

MA-

MARIANAE.

Verf. 1. ANNO AUTEM SEPTIMO, ex quo Ochozias occifus eft.

V. 2. PRINCIPES FAMILIARUM ISRAEL congregaverunt. Hic *Ifrael* pro tribu Iuda accipitur.

V. 3. INIIT ERGO OMNIS MULTITUDO PACTUM. Sept. *Ecclefia*. Hebr. *Cœtus*, fcilicet eorum qui advocati venerant. DIXITQUE AD EOS IOIADA; pro, dixerat ante. Hebr. & Græce non eft *Ioiada*, bene tamen fuppletur.

V. 5. QUI VENIUNT AD SABBATUM. Diebus fabbati mutabantur miniftri, novæque ex ordine turmæ Levitarum ad templum accedebant: fic factum ut minus notaretur adventus eorum. Tertia pars erit ad portas templi, tertia AD DOMUM REGIS. Vel domui Regis cuftodiæ funt impofitæ, vel portæ templi, quæ ad regiam ducebat. TERTIA AD PORTAM QUAE APPELLATUR FUNDAMENTI. Hebr. *In porta Fundamenti*. Hæc erat præcipua porta ad plagam orientalem refpiciens. Sept. *In porta media*; id eft, quæ in fronte erat. VULGUS. Qui non erant Levitæ, fint in atriis.

V. 6. ET QUI MINISTRANT DE LEVITIS. Hebr. *Et miniftrantes Levitæ*. ללוים *Laleviim*: nam Lamed eo loco ponitur pro He demonftrativo, ut IV. Reg. VII. 2. illis verbis, *Super cuius manum Rex incumbebat*. Hebr. למלך *Lemelech* pro המלך *Hamelech*. OBSERVET CUSTODIAS DOMINI; id eft, fungatur quifque officio fuo, cuncta ut aliis diebus procedant, nil infolens aut novum fiat.

V. 8. PER ORDINEM SABBATI. Heb. *Venientes fabbato*. CUM HIS QUI IMPLEVERANT SABBATUM. Hebr. *Cum egredientibus fabbato*: & regitur hæc pars a verbo *affumpferunt*; quafi dicat: Utrofque acceperunt, qui denuo venturi erant ad minifterium, & qui illud iam expleverant. SIQUIDEM IOIADA PONTIFEX. Heb. *Quia non dimifit Ioiada facerdos* (Pontifex) *divifiones*, id eft eos qui functi iam erant fuo minifterio.

V. 9. QUAS CONSECRAVERAT IN DOMO DOMINI. Hebr. *Quæ domo* (pro in domo) *Dei*, fcilicet erant, lanceas, & clypeos dedit Ioiada.

V. 10. CORAM ALTARI, ET TEMPLO. Omnes extra fanctuarium in atrio erant, & altare in atrio Salomon erexerat, quod Iofaphat inftauravit; & de hoc altari loquitur, coram eo populum ftetiffe. Eduxerunt e latebris Regem, &

V. 11. IMPOSUERUNT EI DIADEMA, ET TESTIMONIUM. Sic Sept. Heb. *Et ornamentum*, fcilicet regiam veftem, & infignia Ioas impofuerunt: fed vox *beduth* aliquando etiam *teftimonium* fignificat. In Gotth. neutrum eft, nec *teftimonium*, nec *ornamentum*. DEDERUNTQUE IN MANU EIUS TENENDAM LEGEM. Hoc Hebr. & Græc. non eft, neque in Vulgata Regia, neque IV. Reg. XI. 12. ubi hoc idem narratur; fed videtur ex ritu conftituendi Reges in hunc locum traductum: Deuter. XVII. verf. 18. Aut vero per vocem *beduth* legem intellexerunt. Hebr. fic habent: *Et dederunt fuper eum diadema, & beduth*, id eft *teftimonium*, aut *ornamentum*.

V. 13. CUMQUE VIDISSET REGEM Athalia STANTEM SUPER GRADUM IN INTROITU. Hebr. *fuper* (id eft iuxta) *columnam fuam in introitu*, fcilicet templi, ubi fedes regia erat. VOCEMQUE LAUDANTIUM. Hebr. *Et fcientes laudare*, vel *docentes laudare*, id eft magiftros, qui cantoribus præerant. AIT: INSIDIAE, INSIDIAE. Hebr. *Coniuratio, coniuratio*, id eft rebellio: fic dixit Athalia.

V. 14. EGRESSUS AUTEM IOIADA. Sic Sept. Hebr. *Et educens Ioiada centuriones*. EDUCITE ILLAM EXTRA SEPTA TEMPLI: fic plerique vertunt vocem *hafederoth*. Hebræus locum fignificare ait, ubi principes habitare folebant: forte eo fe recipiebat Athalia. ET INTERFICIATUR FORIS GLADIO. Hebr. *Et veniens poft eam* (fcilicet ut illi faveat) *moriatur gladio*. Sept. *Et ite poft eam, & moriatur gladio*.

V. 15. ET IMPOSUERUNT CERVICIBUS EIUS MANUS. Hebr. *Et pofuerunt ei manus*: de quo loco III. Reg. XI. 16. plura. Sed Hebræi profecto explicant fignificari datas ei manus, id eft loca, ut fugeret. CUMQUE INTRASSET PORTAM EQUORUM. Ea regiæ porta averfa erat, ubi equorum ftabula.

V. 16. PEPIGIT AUTEM IOIADA FOEDUS INTER SE UNIVERSUMQUE PO-

POPULUM. Pontifex erat loco Dei in eo fœdere. Pepigit ergo fœdus inter se & populum.

V. 18. CONSTITUIT AUTEM IOIADA PRAEPOSITOS. Hebr. *Posuit Ioiada præfecturam domus Domini in manu sacerdotum Levitarum*. In ea temporum labe Reges præfectos templo dederant ex alio genere, quod Ioiada sacerdotibus, & Levitis restituit. IUXTA DISPOSITIONEM DAVID. Hebr. *per manus David*. Sept. *per manum David*; id est, ut ipse sanxit.

V. 19. IMMUNDUS IN OMNI RE; id est, quacumque de causa non intraret in templum. Id statuit.

V. 20. ET FECERUNT DESCENDERE REGEM. Nimirum templum in editiori loco erat. PER MEDIUM PORTAE SUPERIORIS, id est per portam superiorem, quæ scilicet præcipua erat: & fortassis *superior* non ad locum, sed dignitatem referri debet.

V. 21. LAETATUSQUE EST OMNIS POPULUS .... PORRO ATHALIA INTERFECTA EST GLADIO. Hebr. *Et Athaliam interfecerunt gladio*: sic Sept. & pro *quia*. Illa enim turbabat omnia. Ideo populus lætatur.

MALVENDAE.

Vers. 1. ANNO AUTEM SEPTIMO CONFORTATUS IOIADA, &c. Totum hoc caput conferendum cum II. Reg. XI. a vers. 4. usque ad finem capitis: nam est eiusdem argumenti: illinc accipiendi Comm.

V. 2. CONGREGAVERUNT LEVITAS, & sacerdotes etiam. Synecdoche. FAMILIARUM ISRAEL, id est regni Iehudæ, cum adhærentibus ei Israelitis. Synecdoche.

V. 3. SICUT LOCUTUS EST DOMINUS SUPER FILIOS DAVID. Aliqui reddunt: *Quemadmodum promisit Iehova posteris Davidis*, II. Samuel. VII. 13.

V. 5. SACERDOTUM, ET LEVITARUM, ET IANITORUM, ERIT IN PORTIS. Hebr. in dativis, *Sacerdotibus*, & *Levitis*, *ianitoribus*, *liminibus*. Plerique exponunt: *Ex sacerdotibus*, & *Levitis* sunt *in ianitores liminum*. AD PORTAM, QUAE APPELLATUR FUNDAMENTI. Hebr. *In porta Fundamenti*. Quidam *In porta præcipua*, id est maxima, & ima atrii, unde *fundamenti porta* appellatur: nam atrium magnum in declivi erat. Hæc II. Reg. XI. 6. *porta Sur* vocatur: de qua vide Comm. ibi: quid si eo loci סוד *sud* legendum, proclivi lapsu Daleth in Resch, ob maximam similitudinem; ut utrobique idem sit nomen, sed ibi decurtatum: & alioqui iam alibi nobis observatum hasce litteras invicem substitui, ut *Dodanim*, *Rodanim*; *Dumah*, *Rumah*; *Diphath*, *Riphath*.

V. 6. ET OMNE RELIQUUM VULGUS OBSERVET CUSTODIAS DOMINI. Hebr. *Et omnis populus observabunt observantiam Iehovæh*; id est, in illo magno atrio observabunt ne qua vis inferatur templo Iehovæh.

V. 8. SIQUIDEM IOIADA PONTIFEX NON DIMISERAT ABIRE TURMAS, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant. Hebr. *Quia non dimisit Iehoiadah sacerdos distributiones*. Exibat una classis ministrantium sacerdotum, & Levitarum singulis hebdomadis, & altera intrabat: utramque retinuit Iehoiadah, maioris præsidii causa. Quidam: *Non enim exemerat Iehoiadah sacerdos ullas distributiones*; id est, iusserat omnes eo die se sistere, quo producturus erat Regem: sine ulla excusatione perfuncti muneris.

V. 10. TENENTIUM PUGIONES. Heb. *Vir*, *missile eius in manu eius*. שלח *schelach* aiunt esse *missile*, *iaculum*, *telum*, *gladium*, *pilum*, *mucronem oblongiorem*, & *protensiorem*.

V. 11. ET FILII EIUS. Haud dubie inter eos præcipuus Zechariah: quod adiecisse videtur divinus Auctor ad sugillandam ingratitudinem eius, qui eum qui se in Regem inunxerat, interfecerit, infra cap. XXIV. vers. 21.

V. 13. CONCINENTEM, VOCEMQUE LAUDANTIUM. Hebr. *Et notificantes ad laudare*. Quidam, *Et scientes laudare*; id est, qui erant periti concinendi laudes divinas. Alii: *Qui notum faciebant ad laudandum*; id est, qui exemplo præibant ad favendum Regi.

V. 18. CONSTITUIT AUTEM IOIADA PRAEPOSITOS IN DOMO DOMINI, SUB MANIBUS SACERDOTUM, ET LEVITARUM. Hebr. *Et posuit*

fuit Iehoiadah visitationes in domo Iehovæh in manu saterdotum Levitarum, id est sacerdotum Levitici generis. De his visitationibus vide II. Reg. xi. verf. 18. Quidam: *Et reposuit Iehoiadah præfecturas in domo Iehovæ commissas sacerdotibus Levitis*. Indicat hic versus, regnante Hathalia universum sacrorum ordinem, & cultum divinum a Deo institutum iacuisse; quem Iehoiadah summus Sacerdos restituerit.

V. 20. PORTAE SUPERIORIS. De hac porta vide Comm. in II. Reg. xi. 6. & in cap. xv. verf. 35. Alii tamen hanc portam non templi, sed regiæ accipiunt: unde reddunt: *Ingressique sunt per portam summam, domum Regis*. Exponunt: *Per portam summam*, sive cursorum, id est maximam portam regiæ, quam cursores, & satellites Regis solebant observare. De qua vide II. Reg. xi. 19.

MENOCHII.

Verf. 1. ANNO AUTEM SEPTIMO, &c. Totum hoc caput explicatum est IV. Reg. cap. xi.

V. 2. CIRCUMEUNTES IUDAM, &c. Salianus Tom. IV. anno mundi 3157. num. 3. putat Ioiadam tempus paschale congregandis Levitis elegisse, ne frequens illorum concursus in Ierusalem suspicionem Athaliæ faceret. PRINCIPES FAMILIARUM ISRAEL, regni Iuda, ut vult Vatablus: neque enim credibile est ad regnum Israelis rem fuisse delatam. Vere dicuntur *principes familiarum Israel*, quia Iudæi etiam Israelis genus erant. Vide cap. seq. num. 16.

V. 3. PACTUM CUM REGE, ei fidem sancte spondentes.

V. 5. PORTAM FUNDAMENTI, quæ etiam dicitur *porta scutariorum* IV. Reg. xi. 6. & *porta superior* hoc cap. num. 21. Vocatur *superior*, quoniam a Regio palatio in inferiori situ constituto per hanc portam in templum ascendebatur. Dicitur *fundamenti*, quia cum templum respectu regiæ editius esset, necessario hæc porta in ipsis templi fundamentis aperienda fuit. Dicitur *scutariorum*, quia iuxta illam Levitæ scutarii custodes templi habitaculum suum habebant. Vide hæc latius disputata apud Villalp. in Ezech. Tom. II. cap. xxxii. ubi agit de numero portarum templi.

V. 6. QUIA SANCTIFICATI SUNT: & ipsis tantum ingressus permittitur in atrium Sacerdotum, sive Leviticum. Vide Riberam de templo Lib. I. cap. xvi, Barrad. in concordia Tom. II. Lib. III. cap. xxxi.

V. 18. PRAEPOSITOS IN DOMO DOMINI, iuxta Davidis distributionem, quam habemus I. Paralip. cap. xxiv. quæ ministeriorum divisio longo tempore neglecta fuerat.

V. 19. IMMUNDUS IN OMNI RE, id est qualibet legali immunditia.

TIRINI.

Verf. 5. QUI VENIUNT AD SABBATUM, scilicet ordine vicis suæ ad ministrandum quaque hebdomada in templo, ut patet I. Paralipom. cap. xxiii. & xxiv. PORTA FUNDAMENTI hic vocatur præcipua porta quæ plagam respiciebat orientalem: de qua vide Villalpandum.

V. 6. RELIQUUM VULGUS, nempe tum Levitarum, tum aliorum, OBSERVET CUSTODIAS DOMINI, id est præcepta divina; quasi dicat: Fungatur quisque solito officio suo: cuncta ut aliis diebus procedant: nil insolens aut novum fiat.

V. 10. CORAM ALTARI, scilicet holocaustorum æneo, quod erat in atrio sacerdotum ante frontem templi. Populus tamen hic cum armis non intrabat hoc atrium; sed ante illud stabat in alio communi atrio Israelitarum.

V. 13. REGEM STANTEM SUPER GRADUM IN INTROITU, id est super basim æneam, seu in theatro regio, quod alibi *Musach* a *sabbati* vocatur.

Reliqua huius capitis exposui IV. Reg. xi.

(a) IV. Reg. xvi. 18. & cap. xxiii. verf. 3.

GORDONI.

Verf. 1. & 5. ACta sunt hæc anno septimo a morte Ochoziæ. Solebant diebus sabbati mutari Levitarum ordines, & vices, inductis aliis.

Por.

Porta Fundamenti erat præcipua porta, & quæ orientem respiciebat. Septuaginta vocant *portam mediam*, ἐν τῇ πύλῃ τῇ μέσῃ. Per *vulgus* intellige populum, qui non sunt Levitæ; stabantque in atriis.

V. 15. PORTAM EQUORUM erat regiæ porta aversa, ubi putantur fuisse stabula.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

De huius Capitis argumento agitur IV. Reg. cap. XI.

V. 18. CONSTITUIT AUTEM IOIADA PRAEPOSITOS, &c. iuxta divisionem quam fecit David I. Paralip. cap. XXIV.

V. 19. IMMUNDUS IN OMNI RE, id est in ulla re.



CAPUT XXIV.

Ioas vivente Ioiada bonus ac pius, iussit ad sartatecta templi congregari pecuniam: deinde factus impius, iubet occidi Zachariam filium Ioiadæ: Iuda, & Ierusalem a Syris diripiuntur, & Ioas a servis suis occiditur.



1. SEptem (*a*) annorum erat Ioas cum regnare cœpisset: & qua-
draginta annis regnavit in Ierusalem, nomen matris eius Se-
bia de Bersabee. 2. Fecitque quod bonum est coram Domi-
no cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis. 3. Accepit autem ei Io-
iada uxores duas, e quibus genuit filios, & filias. 4. Post
quæ placuit Ioas ut instauraret domum Domini. 5. Congre-
gavitque Sacerdotes, & Levitas, & dixit eis: Egredimini
ad civitates Iuda, & colligite de universo Israel pecuniam *
ad sartatecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite. Por-
ro Levitæ egere negligentius. 6. Vocavitque Rex Ioiadam principem, & dixit
ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Iuda, & de Ierusalem
pecuniam, quæ constituta est a Moyse servo Domini, ut inferret eam omnis
multitudo Israel in tabernaculum testimonii? 7. Athalia enim impiissima, & filii
eius destruxerunt domum Dei; & de universis quæ sanctificata fuerant in tem-
plo Domini, ornaverunt fanum Baalim. 8. Præcepit ergo Rex, & fecerunt ar-
cam: posueruntque eam * iuxta portam domus Domini forinsecus. 9. Et præ-
dicatum est in Iuda, & Ierusalem, ut deferrent singuli pretium Domino, (*b*)
quod constituit Moyses servus Dei super omnem Israel in deserto. 10. Lætatique
sunt cuncti principes, & omnis populus: & ingressi contulerunt in arcam Do-
mini, atque miserunt ita ut impleretur. 11. Cumque tempus esset ut deferrent
arcam coram Rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam)
ingrediebatur scriba Regis, & quem primus Sacerdos constituerat: effundebantque
pecuniam quæ erat in arca: porro arcam reportabant ad locum suum: sicque
faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia. 12. Quam dede-
runt Rex, & Ioiada his qui præerant operibus domus Domini: at illi conduce-
bant ex ea cæsores lapidum, & artifices operum singulorum, ut instaurarent
domum Domini: fabros quoque ferri & æris, ut quod cadere cœperat, fulcire-

tur. 13. Egeruntque hi qui operabantur industrie, & obducebatur parietum ci-
catrix per manus eorum, ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum,
& firmiter eam stare fecerunt. 14. Cumque complessent omnia opera, detulerunt
coram Rege, & Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa tem-
pli in ministerium, * & ad holocausta, phialæ quoque, & cetera vasa aurea,
& argentea: & offerebantur holocausta in domo Domini iugiter cunctis diebus
Ioiadæ. 15. Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cum esset cen-
tum triginta annorum: 16. sepelieruntque eum in civitate David cum Regibus,
eo quod fecisset bonum cum Israel, & cum domo eius. 17. Postquam autem
obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adoraverunt Regem; qui delinitus
obsequiis eorum, acquievit eis. 18. Et dereliquerunt templum Domini Dei pa-
trum suorum, servieruntque lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam,
& Ierusalem propter hoc peccatum. 19. Mittebatque eis Prophetas ut reverteren-
tur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. 20. Spiritus itaque Dei
induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, &
dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini,
quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? 21.
Qui congregati adversus eum, miserunt lapides iuxta Regis imperium in atrio
domus Domini. 22. Et non est recordatus Ioas Rex misericordiæ quam fecerat
Ioiada pater illius secum, (c) sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur,
ait: Videat Dominus, & requirat. 23. Cumque evolutus esset annus, ascendit
contra eum exercitus Syriæ: venitque in Iudam, & Ierusalem, & interfecit cun-
ctos principes populi, atque universam prædam * miserunt Regi in Damascum.
24. Et certe cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in
manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum
patrum suorum: in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia. 25. Et abeuntes
dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui,
in ultionem sanguinis filii Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo,
& mortuus est: sepelieruntque eum in civitate David, sed non in sepulcris
Regum. 26. Insidiati vero sunt ei, Zabad filius Semmaath Ammanitidis, & Io-
zabad filius Semarith Moabitidis. 27. Porro filii eius, ac summa pecuniæ quæ
adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei, scripta sunt diligentius in Li-
bro Regum: regnavit autem Amasias filius eius pro eo.

(a) IV. Reg. XI. 21. cap. XII. 1. (b) Exod. XXX. 12. (c) Matth. XXIII. 35.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 5. *Ad sartatecta templi Dei vestri*. Non est mutandum pronomen secundæ personæ in primæ *nostri*.

V. 8. *Iuxta portam domus Domini*. Non oportet omittere nomen *domus*.

V. 14. *Et ad holocausta*. Non auferas coniunctionem *&* præpositam.

V. 23. *Miserunt Regi in Damascum*. Alii *Darmascum*, ut supra cap. XVI. vers. 2. & ubique in his Paralipomenon libris.

COM-

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 5. SARTATECTA. Hebr.&LXX. *roborationem*, ſeu *inſtaurationem*.

V. 6. CONSTITUTA: ſcilicet dimidium ſicli ab unoquoque dandum erat. Vide Exod. xxx.

V. 11. CORAM REGE. Hebr.&LXX. *ad præfectos Regis*. INFINITA. Hebr.& LXX. *multa*.

V. 16. ET CUM DOMO EIUS. Heb. & LXX. *Et cum Deo, & domo eius*, id eſt templo.

V. 19. PROTESTANTES, ſcilicet Prophetas, qui Dei voluntatem teſtabantur.

V. 20. SACERDOTEM. LXX. *ſacerdotis*.

V. 22. VIDEAT DOMINUS, ET REQUIRAT; pro, videbit, & requiret: ſcilicet prophetia eſt.

V. 24. INFINITAM MULTITUDINEM. Hebr.&LXX. *maximum exercitum*. IUDICIA, id eſt ſupplicia.

V. 27. DILIGENTIUS IN LIBRO. LXX. *in ſcriptura Libri*. REGUM. Alius eſt Liber is ab iis quos habemus Regum: citatur autem ſæpe etiam in Libris Regum. AMASIAS. Dicitur hic fuiſſe frater Amos patris Iſaiæ.

E S T I I.

Verſ. 17. POSTQUAM AUTEM OBIIT IOIADA, INGRESSI SUNT PRINCIPES IUDA, ET ADORAVERUNT REGEM; QUI DELINITUS OBSEQUIIS EORUM ACQUIEVIT EIS. Tradunt Hebræi, principes dixiſſe eum dignum divino honore, quod ſex annis enutritus fuiſſet in templo Domini, illeque aſſentationes paſſus ſit, ut poſtea Herodes, acclamante ei populo Act. XII. *Voces Dei, & non hominis*. Poteſt nihilominus de ſimplici honore intelligi, ſed copioſo, quo delinitus ſit Regis animus, ut eum principes ad cultum idolorum pertraxerint. Nam immediate ſubditur: *Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus*.

V. 22. QUI CUM MORERETUR AIT: VIDEAT DOMINUS, ET REQUIRAT. Ex Hebræo verti poteſt per futurum: *Videbit Dominus, & requiret*: Hebræi enim carentes tertia perſona imperativi, eam exprimunt per futurum indicativi. Proinde poſſent etiam hæc verba accipi tamquam pronuntiativa: nam paulo ante dicitur de eodem Zacharia: *Spiritus Domini induit Zachariam*. Si autem accipiantur ut ſint imprecatoria (quod veriſimilius eſt) intelligenda ſunt, ut iuſtam vindictam ſuis interfectoribus imprecetur, non quidem ex privato appetitu vindictæ, ſed zelo & amore iuſtitiæ divinæ. Sic & Apoſtolus de Alexandro ærario: *Reddat illi Dominus*: II. Timoth. cap. IV.

M A R I A N Æ.

Verſ. 5. COLLIGITE ... PECUNIAM AD SARTATECTA. Hebr. *argentum ad fortificandum*. Sept. *argentum ad inſtaurandum*. PER SINGULOS ANNOS. Hebr. *ex anno in annum*, id eſt annuatim, ſcilicet colligite. Levitæ agunt negligenter. Rex id reprehendit.

V. 6. PECUNIAM. Sept. *aſſumptionem*. Hebr. *onus*, nempe vectigal, quare non colligitis? QUAE CONSTITUTA EST A MOYSE SERVO DOMINI. Exod. xxx. 13. præcepit, ut quoties populus numeraretur, offerrent per capita templo ſicli ſemiſſem. Id fieri volebat Ioas, Levitæ recuſabant id onus populo imponere. UT INFERRET EAM OMNIS MULTITUDO ISRAEL. Vox Hebr. *kahal* ſignificat *eccleſiam*, *cœtum*, & ſic locus reddi poteſt: *Tributum Moyſis ſervi Dei, & eccleſiæ Iſrael*: ſcilicet quod & Moyſes, & ſeniores (quos Eccleſiam vocat) ſanxerunt. Aut ſic: *Moyſis ſervi Dei, & eccleſiam ad Iſrael*; pro, ab eccleſia, a multitudine Iſrael, ſcilicet exigeretur. Hoc Hieronymus ſequitur.

V. 7. ATHALIA ..... ET FILII EIUS, DESTRUXERUNT DOMUM DEI. Hieronymus in Tradit. ait, ſacerdotes idolorum vocari *filios Athaliæ*. ORNAVERUNT

RUNT FANUM BAALIM. Sept. *Fecerunt Baalim*; id eſt, idola ex iis templi donis conflatis formarunt. Hebr. *Fecerunt ipſi* (in dativo) *Baalim*, ſcilicet ornamenta, vaſa.

V. 9. ET PRAEDICATUM EST. Heb. *Et dederunt vocem*; id eſt, denuntiaverunt voce præconis, aut concionatoris, aut per edictum. PRETIUM DOMINO. Hebr. *Onus, tributum Moyſis ſervi Dei, ſuper Iſrael in deſerto*; id eſt, quod conſtituit Moyſes in deſerto.

V. 10. IN ARCAM DOMINI. Vox *Domini* Hebr. non eſt, neque in Sept. neque in Vulg. Regia. Ergo contulerunt pecuniam in arcam ad id paratam.

V. 11. CUMQUE TEMPUS ESSET UT DEFERRENT. Hebr. *Et fuit in tempore* (ſcilicet ſuo) *detulit* (pro detulerunt) *arcam*. CORAM REGE. Hebr. *ad viſitationem Regis*, id eſt ad eum. (VIDEBANT ENIM MULTAM PECUNIAM.) Hebr. *Et cum viderent quod multum argentum* (eſſet) *id*: ſcilicet erat tempus deferendi arcam ad Regem. SCRIBA REGIS, ET QUEM PRIMUS SACERDOS CONSTITUERAT. Hebr. *Et præpoſitus ſacerdotis primi*, id eſt eius vicarius. Sept. *Et præſes magni ſacerdotis*. EFFUNDEBANTQUE PECUNIAM QUAE ERAT IN ARCA. Hebr. *Effundebantque arcam*, *& tollebant eam*, ſcilicet pecuniam, aut arcam. INFINITA. Hebr. *multa*: ſic verſ. 24. Multa pecunia congregata eſt, & dabatur fabris.

V. 12. UT QUOD CADERE COEPERAT, FULCIRETUR. Hebr. *ad roborandum domum Domini*.

V. 13. EGERUNTQUE HI QUI OPERABANTUR INDUSTRIE. Hebr. *Et fecerunt facientes opus*. ET OBDUCEBATUR PARIETUM CICATRIX. Hebr. *Et aſcendit ſanitas ad opus*, (μεταφορικῶς, a ſanitate hominis, in quo cutis vulneris aſcendit) *ad inſtaurationem templi*. Similis loquendi forma Ierem. VIII. 28. tum Nehemiæ IV. 7. IN STATUM PRISTINUM. Hebr. *ad diſpoſitionem*, ſive *rectitudinem ſuam*. Sept. *in ſtatum ſuum*. ET FIRMITER EAM STARE FECERUNT, quæ ſunt ipſa Hieronymi verba: nam Hebr. pro his ultimis verbis eſt, *Et roboraverunt eam*, ſcilicet domum, templum.

V. 14. ET AD HOLOCAUSTA: ſic Sept. Vox Hebr. עלות *baloth*, ſi cum *Holem* in prima ſyllaba ſcribitur, ſignificat *holocauſta*: id Hieronymus ſecutus eſt; ſicum *Sceva patach*, ut modo eſt, ſignificat aut *mortaria*, aut *tabellam*, in qua coctæ carnes minutatim ſecabantur: quæ cum aliis vaſis ex ea pecunia fecerunt. Moritur Ioiada, ſepelitur cum Regibus,

V. 16. EO QUOD FECISSET BONUM CUM ISRAEL, ET CUM DOMO EIUS. *Cum* ſecundo loco, neque Hebr. eſt, neque Græc. neque in Gotth. Porro Hebraica ſic habent: *Quia fecit bonum* (Ioiada) *cum Iſrael*, *& cum Deo*, *& domo eius*, nimirum templo, quod inſtauravit: ſic etiam Sept. Sed poſt Ioiadæ mortem degeneravit Rex,

V. 17. DELINITUS OBSEQUIIS EORUM, ſcilicet principum. Additum ab Interprete. Servierunt ergo lucis

V. 18. ET SCULPTILIBUS. Hebr. *& doloribus*: ſed idola *dolores* vocat, ob eos quos cultoribus faciunt. Sept. *Servierunt Aſtartæ*, *& idolis*. *Aſtartem* poſuerunt pro *aſerim*, quæ vox *lucos* potius ſignificat, ut Hieronymus poſuit.

V. 20. SPIRITUS ..... INDUIT ZACHARIAM FILIUM IOIADAE SACERDOTEM, id eſt Pontificem. Sept. *Sacerdotis*, ut iungatur cum *Ioiadæ*. ET STETIT IN CONSPECTU POPULI. Hebr. *deſuper ad populum*, id eſt e loco eminentiori, unde a cunctis audiretur. QUARE TRANSGREDIMINI PRAECEPTUM DOMINI, QUOD VOBIS NON PRODERIT. Hebr. *Et non proſperabimini*.

V. 21. QUI CONGREGATI. Hebr. *Et conſpirarunt*. De hac Zachariæ morte Matth. XXIII. 33.

V. 22. VIDEAT DOMINUS, ET REQUIRAT; pro, videbit, & requiret. Verba Zachariæ cum occideretur. Venit Syrorum exercitus, & occidit

V. 23. CUNCTOS PRINCIPES POPULI. In Hebr. & Sept. *Occiderunt cunctos principes populi de populo*, ſcilicet Syri.

V. 24. IN IOAS QUOQUE IGNOMINIOSA EXERCUERE IUDICIA. Heb. *Et cum Ioas fecere iudicia*; id eſt, male illum Syri mulctarunt.

V. 25. DIMISERUNT EUM. Hebr *Et cum abirent ab eo*, *quia* (pro certe) *dimiſerunt eum in doloribus multis*. SURREXERUNT AUTEM. Hebr. *Conſpira-*

verunt contra eum; quasi dicat: Ideo servi eius ausi sunt conspirare, quia viderunt eum malis oppressum. Moventur homines ad fortunæ motum. IN ULTIONEM SANGUINIS FILII IOIADAE. Hebr. *filiorum*: neque enim Zachariam solum occidit, sed & fratres illius. Sept. *In sanguine filiorum Ioiadæ*, id est propter sanguinem, quod Hieronymus dixit *in ultionem*: quæ ultio & ad Deum potest referri, & ad coniuratos ipsos, qui sic voluerunt cædem vindicare.

V. 27. INSIDIATI VERO SUNT EI. Hebr. *Conspirarunt contra eum* Zabad, & Iozabad.

V. 27. PORRO FILII EIUS, AC SUMMA PECUNIAE. Hebr. *Et filii eius*, *&* *multiplicavit* (pro, & quod multiplicavit) *onus*, id est prophetia contra eum. Sept. *Et plures assumptiones contra eum*. Hieronymus per *onus*, tributum intellexit, quod initio capitis ea vox significat. ET INSTAURATIO DOMUS DEI. Hebr. *& fundamentum*: sed per fundamentum instaurationem certe intelligit. Hæc omnia SCRIPTA SUNT DILIGENTIUS. Hebr. *Ecce ipsa scripta* (sunt) *in Midras libro Regum*. Quare hic liber dicatur *Midras*, superius cap. XIII. 22. est dictum. Sed & hic liber Regum non est qui extat inter canonicos, sed alter copiosior, qui iniuria temporis periit, & sæpe citatur etiam in Libris Regum. De quo plura Sixtus Senensis Lib. II. in verbo *Regum Liber*. Itaque Hieronymus pro *Midras* posuit *diligentius*. Sept. *scripturam*: nam dixere: *Scripta sunt in scriptura libri Regum*.

MALVENDAE.

Vers. I. SEPTEM ANNORUM ERAT IOAS, &c. Totum hoc caput conferendum cum II. Reg. cap. XII. nam idem est argumentum, nisi quod hic uberius tractatur, & multa adduntur.

V. 5. COLLIGITE DE UNIVERSO ISRAEL PECUNIAM AD SARTATECTA TEMPLI DEI VESTRI PER SINGULOS ANNOS. Aliqui illud, *per singulos annos*, non coniungunt cum verbo *colligite*; sed cum *ad sartatecta*, sive *ad reficiendum domum Dei*: non enim singulis annis colligenda erat pecunia; sed ex pecunia pro præsenti necessitate collecta, curanda erat domus singulis annis. Vide Comm. in Exod. XXX. vers. 12. & 13.

V. 6. IOIADAM PRINCIPEM. Hebr. *Iehoiadah caput*, id est summum Sacerdotem: integram locutionem habes infra vers. 11. *Sacerdotis capitis*, id est summi. PECUNIAM, QUAE CONSTITUTA EST A MOYSE SERVO DOMINI. Hebr. *levandam Mosis servi Iehovæh*. Quidam *munus*, *donum*, *oblationem*, aut *vectigal constitutum a Mose*, &c. Alii *onus*, id est censum, indictionem, Mosis. Nonnulli *collectam Mosis servi Iehovæ*; id est, quali est usus Moseh: sic *peccata Menasis*, II. Reg. XXIV. vers. 3. & *iniquitas patrum*, Exod. XXXIV. vers. 7. & *signum Ionæ*, Matth. XII. vers. 39. & *contradictio Koreh*, & *error Bilham* in Epistola Iudæ: aliaque plurima tropicôs quasi eadem essent, eodem modo appellantur. De collecta Mosis vide Exodi XXX. vers. 12. & seqq. UT INFERRET EAM OMNIS MULTITUDO ISRAEL IN TABERNACULUM TESTIMONII? Hebr. *Et congregationis Israelis in tentorium testimonii*? Quidam, *Ad tentorium conventus*? Exponunt quasi dicat: Quemadmodum ille extra ordinem collegit pecuniam ad ea conficienda quæ ad structuram tabernaculi requirebantur; ita nunc quæ ad templi instaurationem opus sunt, a nobis procurari, & a populo conferri convenit. Vide infra vers. 9.

V. 7. DEXTRUXERUNT DOMUM DEI. Hebr. *Diruperunt domum Dei*: alii, *Perruperunt in domum Dei*. ORNAVERUNT BAALIM. Hebr. *Fecerunt Babalimis*. Quidam, *Impenderunt in idola*; quasi dicat: Omnibus iis quæ dicata Deo erant, abusi sunt in cultum idolorum. Alii, *Aptaverant Babalimis*, id est dedicaverant. De Bahalimis vide Iudic. XXI. vers. II.

V. 9. ET PRAEDICATUM EST IN IUDA, ET IERUSALEM. Hebr. *Et dederunt vocem in Iehudah*, &c. Quidam: *Et promulgaverunt*, &c. Alii: *Et evulgaverunt voce præconis in Iehudah*, &c. UT DEFERRENT SINGULI PRETIUM DOMINO QUOD CONSTITUIT MOYSES SERVUS DEI SUPER OMNEM ISRAEL IN DESERTO. Hebr. *Ut afferent levandam*, *onus*, *censum*, *collectam*, *Mosis servi Dei imperatam Israeli in deserto*.

Ex-

Explicant, *Collectam Mosis*, &c. id est, qualis fuit collecta Mosis, ut supra vers. 6. nam diversam fuisse, vel ex eo apparet quod illic capitatio viritim, & certa summa imperatur; hic vero libera cuiusque oblatio in arcam coniicitur: atque ideo magis comparanda esset cum illa Mosis, de qua Exod. xxv. Haud imus inficias hæc probabiliter dici. Ceterum plures existimant, censum illum capitationis a Mose præscriptum Exodi xxx. vers. 12. & sequentibus ordinarium fuisse: & hunc a Ioaso imperatum, eumdem fuisse; forsan tyrannide Hathaliæ intermissum, ab ipso revocatum. Vide Comm. in Exod. xxx. 12.

V. 10. Ita ut impleretur. Hebr. *Usque ad consummare*. Varie accipiunt. I. *Usque quo absolverent coniicere*. II. *Donec complerent arcam:* usquequo arca impleretur ex coniecta pecunia. III. *Donec absolvissent* instaurare, seu curare ruinas templi.

V. 11. Cumque tempus esset ut deferrent arcam coram Rege per manus Levitarum. Hebræa varie alii convertunt. I. *Fuit autem tempore, quo afferebant arcam ad ordinationem Regis in manu Levitarum*, id est, ad locum ordinatum a Rege, ubi erat aperienda theca. II. *Ad præfectum, præfecturam, officia, magistratum, Regis*. III. *Eratque, quo tempore exportaturus erat arcam*, Levita cui hoc committebatur, *ad delegatos Regis, per Levitas*. Ingrediebatur scriba Regis, et quem primus sacerdos constituerat. Hebr. *Et veniet scriba Regis, & visitator sacerdotis primarii*. Quidam: *Tunc veniebat scriba Regis, & præfectus sacerdotis primi*. Alii, *Et præpositus sacerdotis summi*. Nonnulli: *Cum veniret scriba Regis cum delegato sacerdotis primarii*. Nam his ambobus commissa erat a Rege, & summo sacerdote quæstura istius ærarii.

V. 13. Et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum. Plurifariam reddunt. I. *Et ascendit medicina, sanitas, operi*, vel *super opus*, seu *ad opus per manum eorum*. II. *Et sanatum est opus manibus eorum*. III. *Et impositum est longum operi, manuum ipsorum*; seu *malagma, emplastrum*, id est cæmentatio, & curatio: nam est nomen translatitium a chirurgis sumptum, qui ex arte sua emplastra sic vocant; quasi dicat: Apposita sunt operi manibus ipsorum emplastra curantia. IV. *Et ascendit prolongatio, productio, porogatio, diuturnitas, incolumitas, longitudo vitæ, qua vita producitur, & diuturnat operi, per manum eorum*. V. *Ascenditque operis dispositio per illorum manus*. VI. *Et ascendit sanitas isti operi manu eorum*; id est, instauratum, curatum est opus manu illorum: metaphora, ut I. Paralipomen. xi. vers. 8. & Nehem. iv. vers. 7. VII. *Et assurrexit in iustam constitutionem opus illud per manum eorum*. Ex verbo reddidimus: *Et ascendit longum operi in manu eorum*; id est, effecerunt ut in longum tempus opus illud perennaret; id est, solide in longum tempus fabricam instauraverunt, & firmaverunt. Vox ארוכה *aruchah*, quam *longum* vertimus, omnia ista complectitur. Ac suscitaverunt domum Domini in statum pristinum. Varie alii reddunt. I. *Et restituerunt domum Dei in dispositionem suam*. II. *Et constituerunt domum Dei super mensura sua*; id est, dimensione, seu dispositione sua. III. *Et statuerunt domum Dei secundum*, vel *super rectitudinem suam*, ut recta esset, vel *super locum*, seu *basim suam*. IV. *Et collocaverunt domum Dei iuxta præparationem suam*. V. *Ita ut restituerent domum Dei in formam suam*. Aiunt, מתכונת *mathconeth* esse *dispositionem artificiosam habentem suos numeros & pondera mensura certa, aptationem, ordinationem, demensum*.

V. 14. Ad holocausta. Legit והעולות *vehagholoth*, cum nunc scribatur והעלות *vehaghaloth*: ratio punctorum exigit ut sit infinitivus: *Et ad ascendere facere*, seu *offerre*: unde quidam reddunt *vasa*, seu *instrumenta ministrandi, & offerendi*. Plerique alii pro sensu potius existimant nomen plurale esse עלות *ghaloth*, certi cuiusdam generis *vasorum*, seu *instrumentorum*: quod varie elucidant. Hebræi aiunt fuisse *vasa parva*, *quibus vinum excipiebatur* ad libandum in sacrificiis. Alii *mortaria*, seu *pistilla* esse volunt, e consimili voce Proverb. xxvii. 22. sic ab extollendo dicta. Nonnulli *phialas, crateras*, quibus in sacrificiis vinum offerebatur. Nec desunt qui hariolentur fuisse tabulas quasdam super quas carnes sacrificandæ elevabantur, ut eas inciderent: sive asse-

res,

res, super quos carnes dissecabantur. Nos *ascensoria* ex verbo diximus : forte vasa, quibus carnes sacrificandæ ad altare afferebantur. He in *haghaloth* quidam formativum nominis, alii notificativum esse volunt. ET OFFEREBANTUR HOLOCAUSTA IN DOMO DOMINI IUGITER, &c. Hebr. *Sic fuerunt offerentes holocausta*, &c. id est, cultum Dei in domo eius restituerunt, & exercuerunt : synecdoche.

V. 16. EO QUOD FECISSET BONUM CUM ISRAEL, ET CUM DOMO EIUS. Hebr. *Quia fecit bonum in Israele, & cum Deo, & domo eius*. Exponunt : Id est, quod multis beneficiis affecisset Israelem ; fuissetque pius in Deum, & templum eius, instaurando cultum Dei, & domum Dei curando, & reficiendo. Quidam reddunt : *Eo quod exercuisset bonum in Israele cum erga Deum, tum erga domum illius*. Intelligunt *domum illius*, id est familiam Davidis, recuperando, seu restituendo illi regnum.

V. 17. ET ADORAVERUNT REGEM; QUI DELINITUS OBSEQUIIS EORUM, ACQUIEVIT EIS. Prudenti paraphrasi reddidit sensum. Hebr. *Et incurvaverunt se Regi : tunc audivit Rex ad eos*. Quidam : *Et incurvaverunt se honorem habentes Regi : tunc auscultavit*, seu *obtemperavit, Rex eis* ; id est, blanditiis ita eum demulserunt, ut animum illius, divini cultus alioqui studiosum, frangerent, & regiæ auctoritatis specie, omnia pro libidine administrarent, etiam in causis religionis. Tanto damno & reipublicæ, & Regibus ipsis stat, sese causis Ecclebæ, nisi tuendi ergo, immiscere; ut sequentia demonstrat ! & tanto bono reipublicæ fuit optimi Pontificis administratio, & curatio Regis, regnique !

V. 20. ET STETIT IN CONSPECTU POPULI. Hebr. *Et stetit desuper ad populum*; id est, constitit in loco qui erat supra populum, sive in loco editiore quam populus; quasi dicat: Ascendit suggestum, & ex editiore loco orationem habuit ad populum, qua declamavit in populi, principum, ac Regis defectionem a Deo.

V. 21. IN ATRIO DOMUS DOMINI. Intelligo in atrio magno populi, ubi concionabantur. S. Hieronymus in Matth. XXIII. 35. *Simpliciores fratres inter ruinas templi, & altaris, sive in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudæorum, & fidei pietate descendit*. At, sanctissime Vir, si error est, eo magis condemnandus, quod sub specie pietatis obtruditur: non enim indiget Deus nostro mendacio ; & nihil perniciosius quam superstitionem nomine pietatis ac religionis prætexere. In pervetusto itineratio a Burdegala Ierosolymam, a Petro Pithæo edito, hæc habentur : *In marmore ante aram sanguinem Zachariæ ibi dicas hodie fusum, etiam parent vestigia clavorum militum, qui eum occiderunt, in totam aream, ut putes in cera fixum esse*.

V. 22. VIDEAT DOMINUS, ET REQUIRAT. Hebr. *Videbit Iehovah, & requisivit*. Præterito usus est, ut prophetice celeritatem vindictæ, quæ statim non toto vertente anno subsecuta est, indicaret. Alii : *Videbit Iehova, & requiret* ; subaudi, cædem meam de manu vestra ; quasi dicat : Sumet de vobis supplicium propter cædem meam. Verissimum vaticinium, quod mox impletum fuit.

V. 23. IN DAMASCUM. Hebr. *Darmesek*. Vide supra cap. XVI. vers. 2.

V. 24. IN IOAS QUOQUE IGNOMINIOSA EXERCUERE IUDICIA. Hebr. magna emphasi : *Et ipsum Ioas fecerunt iudicia* ; quasi dicat: Nedum in eo exercuere iudicia, sed ipsum totum fecerunt iudicia. Quidam : *Cum Ioas quoque fecerunt iudicia*; id est, affecerunt illum variis suppliciis & pœnis. Alii : *Ita in Ioasum exercuerunt iudicia*, Dei, de quibus II. Reg. XII. vers. 19. & infra 27. quasi dicat : Male illum Syri multarunt, aspere ac dure tractarunt.

V. 25. ET ABEUNTES DIMISERUNT EUM IN LANGUORIBUS MAGNIS. Alii : *Cum autem discessissent ab eo*, puta copiæ illæ militares Syrorum : *nam reliquerant eum in morbis gravissimis* versantem, seu conflictantem. IN ULTIONEM SANGUINIS FILII IOIADAE SACERDOTIS. Hebr. *In sanguinibus filiorum Iehoiadæ sacerdotis*. Quidam, *Propter cædes filiorum Iehoiadæ*, &c. id est filii, plurale pro singulari indefinite dictum, ut Genes. XXI. 7. & Genes. XLVI. 7. Nisi quis forte alios præterea eiusdem Iehoiadahi filios morti fuisse traditos eadem tyrannide existimet.

V. 27.

V. 27. AC SUMMA PECUNIAE, QUAE ADUNATA FUERAT SUB EO. Varie hunc locum convertunt. I. *Et multitudo oneris super eum*. II. *Et multitudo donorum super eum*. III. *Et quomodo multiplicatum fuerit munus apud eum*; id est, quomodo multiplicatum fuerit vectigal illud Mosis propter eum, sive eo auctore: de quo supra vers. 6. & 9. IV. *Et magnitudo oneris super eum*, id est impositi illi; hoc est, & magnitudo gravium & minacium prophetiarum, quas imposuerunt illi Prophetæ. V. *Et magnitudo oneris impositi ei*, id est magnitudo tributi impositi illi a Chazaele Rege Syriæ, II. Reg. XII. vers. 18. Hebr. est hic duplex lectio: in textu ורב *verab*, & *multum*, *multitudo*; in margine ירב *iireb*, *multiplicabitur*. ET INSTAURATIO DOMUS DEI. Hebr. *Et fundamentum*, seu *fundatio domus Dei*: ut intelligamus Ioasum in instauratione domus Dei non solum circa parietes & tecta, sed etiam circa fundamenta, multa curasse; vel tantam fuisse instaurationem domus Dei, ut eam a fundamentis erexisse videri potuerit. IN LIBRO REGUM. Heb. *In repertorio*, *commentario*, *libri Regum*. Vide de eo supra. Plerique putant hunc commentarium iniuria temporum intercidisse: alii intelligi volunt Librum ipsum secundum Regum, in quo cap. XII. hæc omnia prædicta scripta extant.

MENOCHII.

Vers. 1. SEPTEM ANNORUM, &c. Caput hoc fere totum explicatum est IV. Reg. XII. itaque ea tantum explicabimus quæ ibi non habentur.

V. 3. ACCEPIT ILLI IOIADA UXORES. Erat enim Ioiada amore, & meritis quasi parens Regis, cum quo affinitate coniunctus erat, habebat enim coniugem Iezabet Regis amitam. Salianus anno mundi 3166. num. 1. putat non simul utramque uxorem duxisse Ioas, sed alteram alteri seu vivæ, seu demortuæ successisse. Harum altera appellata est *Ioada de Ierusalem*, ut habemus capite sequenti num. 1. ex qua natus Amasias regni successor.

V. 6. QUAE CONSTITUTA EST A MOYSE, Exodi XXX. 12. Vide dicta IV. Reg. XII. num. 4.

V. 7. QUAE SANCTIFICATA FUERANT, &c. oblata, & dedicata in ornatum, & ministerium sacrum.

V. 11. PRIMUS SACERDOS, summus Sacerdos, Pontifex. SIC FACIEBANT PER SINGULOS DIES, cum scilicet tempus esset ut deferretur arca, quod iam pecuniis referta esset, ut hoc eodem versiculo habetur.

V. 16. CUM REGIBUS. Id Ioiadæ meritis datum est honoris causa. CUM ISRAEL, id est cum Iuda: nihil enim illi cum Israelitis idololatris commercii fuit. ET CUM DOMO EIUS, scilicet Davidis, in cuius civitate sepultus est, scilicet in arce Sion.

V. 17. INGRESSI SUNT PRINCIPES IUDA, &c. studiosi Baalis, facultatem postulantes ut illius cultum revocare liceret.

V. 19. QUOS PROTESTANTES, Prophetas scilicet *testificantes*, ut est in Hebræo.

V. 20. INDUIT ZACHARIAM: implevit spiritu prophetico. QUARE TRANSGREDIMINI? &c. Hæc summa erat concionis Prophetæ, quem plura magno animi ardore dixisse pars est credere, cum illum Domini spiritus impleret. QUOD VOBIS NON PRODERIT: est miosis, minus enim dicitur quam significatur: sententia enim est: Quod vobis maxime nocebit.

V. 21. IN ATRIO DOMUS DOMINI, inter templum & altare, holocaustorum scilicet, ut dicitur Matth. XXIII. 35.

V. 22. MISERICORDIAE, &c. id est beneficiorum acceptorum, cum scilicet furente Athalia servatus est, & ad regnum admotus.

V. 26. IGNOMINIOSA EXERCUERE IUDICIA, ignominiose scilicet illum tractantes, & corpus illius vexantes: quare statim additur: ABEUNTES DIMISERUNT EUM IN LANGUORIBUS MAGNIS, nimirum ex illa vexatione relictis.

V. 27. IN LIBRO REGUM. Alius est liber hic ab iis quos habemus.

TIRINI.

Vers. 6. PECUNIA, QUAE CONSTITUTA EST A MOYSE, nempe Exodi XXX. Sed de his fuse egi IV. Reg. XII.

V. 23. ASCENDIT CONTRA Ioas EXERCITUS SYRIAE. IV. Reg. XII. verſ. 17. dicitur, *Aſcendit Hazael Rex Syriæ*, utique flagellum Dei ad punienda ſcelera Regis Ioas, & populi Iudaici. Nam a morte Ioiadæ Pontificis, qui quamdiu vixit Regem in officio continebat, perditis conſiliariorum ſuorum ſuaſionibus in tranſverſum actus Rex Ioas, primo ad idola deflexit, coluitque quæ ante deſtruxerat; ſecundo Zachariam filium Ioiadæ avunculi ſui, cui poſt Deum debebat & regnum, & vitam, cum ob tam fœdum idololatriæ ſcelus tam Regem, quam principes (uti ſummum decebat Pontificem) acriter reprehenderet, in ipſo ſacerdotali atrio templi iuſſit lapidibus obrui: ſed en mox divinam vindictam! vix annus ab occiſo Zacharia Pontifice lapſus erat, cum adeſt Hazael Syriæ Rex, qui exiguis copiis infinitam pæne Iudæorum multitudinem concidit & proſternit, omninoque theſauros tum templi, tum regii palatii in Syriam abripit, & in *Ioas ignominioſa exercet iudicia*, ut poſt in Sedeciam Nabuchodonoſor IV. Reg. XXV. nempe acriter & probroſe increpando de ingratitudine, de perfidia, de animi vilitate. Nempe ibi ſtat malum: Rex acerbiſſimo mox corporis dolore cruciatur, lecto affigitur, in Regem inſurgunt & coniurant ſervi, decumbentem in lecto trucidant *in domo Mello*: vicina hæc erat palatio, conſtructa a Salomone pro filia Pharaonis, & iam forte regio palatio adiuncta: vide III. Reg. IX. verſ. 24. & cap. XI. verſ. 27. Ioſephus *a* hos coniuratos dicit amicos fuiſſe Zachariæ, quod probabile facit illud hic verſ. 15. quo qui in Regem inſurrexerunt, dicuntur inſurrexiſſe in *ultionem ſanguinis* Zachariæ, *filii Ioiadæ*. Sanctus Hieronymus putat hunc Zachariam illum eſſe de quo Chriſtus Matthæi XXIII. dicit, occiſum fuiſſe a Iudæis *inter templum & altare*. Sanctum Hieronymum ſequuntur divus Thomas, Albertus, Maior, Abulenſis, Gagnæus, Ianſenius, Salmeron, Maldonat. Barradius, & quidam alii. Sed non minus probabile eſt, Chriſtum alluſiſſe ad alterum Zachariam, qui in minorum Prophetarum catalogo undecimus numeratur, ut ibidem probabo.

(*a*) Ioſeph. Lib. IX. Antiq. cap. 12.

GORDONI.

Verſ. 7. ATHALIA .... ET FILII EIUS. Septuag. idem. Sed auctor eſt Hieronymus in Traditionib. per hos filios Athaliæ intelligi ſacerdotes idolorum.

V. 20. De hoc Zacharia dixi IV. Reg. XII. Eius fit mentio Matth. XXIII. 35. ut multi ſentiunt.

V. 27. DILIGENTIUS. Hebr. על מדרש *bhalmidraſ*, *in Midras*, *Libro Regum*: Septuag. *In ſcriptura Libri Regum*. Sed de Libro Midras vide Sixtum Senenſem Lib. II. in verbo *Regum Liber*. Porro ſupra hic cap. XIII. verſ. 22. vocatur Addo Propheta. Hebr. *Midras Addo*: vocatur vero *Midras* a quærendo, quia in eo diligenter inquirebatur ab auctore de actis Regum. Hic Liber copioſior erat, & nunc non extat.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vide explicationem huius capitis IV. Reg. XII.

V. 7. SANCTIFICATA, oblata, dedicata.

V. 11. PRIMUS SACERDOS, Pontifex.

V. 17. Hi propenſi ad idololatriam, Regi, regnoque obſuerunt.

V. 21. IN ATRIO DOMUS, inter templum & altare holocauſtorum, Matth. XXVII.

V. 24. Ioas ab hoſtibus ignominioſe tractatus eſt.

CAPUT XXV.

Amasias patri Ioas succedens, interfecit eos qui patrem occiderant; & post habitam de Idumæis victoriam, adoravit deos illorum, & ob id capitur a Ioas Rege Israel, quem ad prælium provocaverat, ac Ierusalem diripitur, tandemque Ioas in Lachis fugiens occiditur.

1. Vigintiquinque (*a*) annorum erat Amasias cum regnare cœ-
pisset, & vigintinovem annis regnavit in Ierusalem, *nomen
matris eius Ioadan de Ierusalem. 2. Fecitque bonum in con-
spectu Domini: verumtamen non in corde perfecto. 3. Cum-
que roboratum sibi videret imperium, iugulavit servos qui
occiderant Regem patrem suum, 4. sed filios eorum non
interfecit, sicut scriptum est in Libro legis Moysi, ubi præ-
cepit Dominus, dicens: (*b*) Non occidentur patres pro fi-
liis, neque filii pro patribus suis, sed unusquisque in suo peccato morietur. 5.
Congregavit igitur Amasias Iudam, & constituit eos per familias, tribunosque &
centuriones in universo Iuda, & Beniamin: & recensuit a viginti annis supra, *
invenitque trecenta millia iuvenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent
hastam & clypeum. 6. Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robu-
storum, centum talentis argenti. 7. Venit autem homo Dei ad illum, & ait:
O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel,
& cunctis filiis Ephraim: 8. quod si putas in robore exercitus bella consistere,
superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuvare, & in fugam con-
vertere. 9. Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talen-
tis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus un-
de tibi dare possit multo his plura, 10. Separavit itaque Amasias exercitum,
qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum: at illi contra Iudam
vehementer irati, reversi sunt in regionem suam. 11. Porro Amasias confidenter
eduxit populum suum, & abiit in Vallem salinarum, percussitque filios Seir de-
cem millia. 12. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Iuda, & adduxerunt
ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps,
qui universi crepuerunt. 13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias ne secum
iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Iuda, a Samaria usque ad Bethoron,
& interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam. 14. Amasias vero post cæ-
dem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, & adora-
bat eos, & illis adolebat incensum. 15. Quam ob rem iratus Dominus contra
Amasiam, misit ad illum Prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non
liberaverunt populum suum de manu tua? 16. Cumque hæc ille loqueretur, re-
spondit ei: Num consiliarius Regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque
Propheta, Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc ma-
lum, & insuper non acquievisti consilio meo. 17. Igitur Amasias Rex Iuda,
inito pessimo consilio, misit ad Ioas filium Ioachaz filii Iehu, Regem Israel,
di-

dicens: Veni, videamus nos mutuo. 18. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: & ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, & conculcaverunt carduum. 19. Dixisti: Percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur malum adversum te provocas, ut cadas & tu, & Iuda tecum? 20. Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas, ut traderetur in manus hostium propter deos Edom. 21. Ascendit igitur Ioas Rex Israel, & mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem Rex Iuda erat in Bethsames Iuda: 22. corruitque Iuda coram Israel, & fugit in tabernacula sua. 23. Porro Amasiam Regem Iuda, filium Ioas filii Ioachaz, cepit Ioas Rex Israel in Bethsames, & adduxit in Ierusalem: destruxitque murum eius a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 24. Omne quoque aurum, & argentum, & universa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud Obededom, in thesauris etiam domus regiæ, nec non & filios obsidum, reduxit in Samariam. 25. Vixit autem Amasias filius Ioas Rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz Rex Israel, quindecim annis. 26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum & novissimorum, scripta sunt in Libro Regum Iuda, & Israel. 27. Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Ierusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi. 28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David.

(a) IV. Reg. xiv. 2. (b) Deut. xxiv. 16. IV. Reg. xiv. 6. Ezech. xviii. 20.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 1. *Nomen matris eius Ioadan*. Pænultima littera huius nominis proprii quibusdam libris est vocalis prima *a*, quibusdam secunda *e*. Sed perperam scribunt illi libri qui medio huius nominis interserunt *i*, *Ioiadan*, aut *Ioiaden*. Non scribas ergo *Ioiadan*, addita littera *i*,

V. 5. *Invenitque trecenta millia iuvenum*. Non diminuas numerum, decades pro centuriis numerando, *triginta* pro *trecenta*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 4. In Libro legis. Hebr. *In Lege, in Libro*. In suo peccato, id est propter suum peccatum.

V. 5. Iuvenum. Heb. *electorum*. LXX. *potentium*.

V. 6. Centum talentis. Hinc apparet, talentum Iudæorum multo fuisse Attico maius, certe plus mille aureis valuisse: quis enim miles uno aureo conducitur?

V. 11. Salinarum. Hebr. *salis*.

V. 12. Virorum. Hebr. *vivorum*, seu *viventium*.

V. 15. Adorasti. Hebr. & LXX. *quæsisti*, id est consuluisti, seu adorasti.

V. 21. Conspectus, scilicet in certamine.

V. 24. Obededom, id est unum ex posteris Obededom. Filios obsidium, id est obsides. Vide IV. Reg. xiv. alii, *filios nobilium*, seu *principum*.

E S T I I.

Vers. 3. Iugulavit servos qui occiderant Regem patrem suum. Præcedenti capite dicitur, quod servi illi insurrexerint contra Ioas in ultionem sanguinis filii Ioiadæ sa-

cerdotis. Quæritur ergo, an iuste hi fuerint occisi? & respondetur quod sic: quia tametsi ultio illa iusta fuerit ex parte Ioas, qui innocentem Prophetam occidi iusserat, non tamen ex parte hominum qui necem intulerant, quia non habebant auctoritatem occidendi Regem. Verisimile etiam est, eos ex seditione magis quam ex zelo Regem occidisse. Dicuntur autem capite præcedenti surrexisse contra Regem in ultionem sanguinis filii Ioiadæ, nempe propter intentionem Dei, qui hac ratione voluit vindicare innocentem necem Prophetæ. Et eodem modo hoc dicitur, sicut Titus, & Vespasianus dicuntur evertisse Ierosolymam, ad vindicandam mortem Christi.

V. 16. SCIO QUOD COGITAVERIT DEUS OCCIDERE TE. Vixit quidem adhuc annis quindecim post mortem sui victoris, sed tamen tandem interfectus est in Lachis, ut in fine capitis dicitur.

V. 17. VENI, VIDEAMUS NOS MUTUO. Verba sunt provocantis ad prælium. Sic IV. Reg. cap. XXIII. *Abiit Rex Iosias in occursum eius, & occisus est in Mageddo, cum vidisset eum*; id est, cum acie esset congressus. Sic & infra intelligendum est quod dicitur: *Et mutuos sibi præbuere conspectus*.

V. 24. NEC NON ET FILIOS OBSIDUM REDUXIT IN SAMARIAM. IV. Reg. XIV. dicitur reduxisse obsides. Sed idem significatur: dicuntur enim phrasi Hebraica *filii obsidum* ipsi obsides, quasi genus certum hominum. Unde & utroque loco in Hebræo legitur eodem modo *filios arrhabonum*. Videntur autem hi obsides, seu arrhabones dati fuisse Regi Israel pridem a Rege Iuda, ne Rex Iuda temere bellum moveret Regi Israel.

MARIANAE.

AMasias occidit servos qui patrem eius interfecerunt, sed filios eorum non occidit.

V. 4. SICUT SCRIPTUM EST. Sic Sept. Hebr. *Quia* (pro sed) *sicut scriptum est: Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus*. SED UNUSQUISQUE IN SUO PECCATO; id est, propter suum peccatum quisque morietur, non filii pro patribus. Ideo Amasias non occidit filios eorum qui Ioas occiderunt.

V. 5. PER FAMILIAS. Omnes qui ex una familia erant, eidem centurioni, & tribuno adscripsit Amasias. Maior sic benevolentia inter milites erat. TRECENTA MILLIA IUVENUM. Vox *bahur*, *electum* etiam significat. Ita vertunt quidam *trecenta millia electorum*. Ingens numerus pro modo regni, sed certe omnes a viginti annis in rationem veniebant.

V. 6. CENTUM TALENTIS ARGENTI conduxit milites ex Israel. Exigua summa ad conducendum centum hominum millia, ut maxime talenta Moysaica essent. Sed argentum ducibus tantum dabatur; milites ex præda vivebant, aut de suo singuli afferebant alimenta. Gotth. *centum millibus talentorum viginti millia milites conduxisse*, habet vitiose, cum alii omnes codices discrepent.

V. 7. VENIT AUTEM HOMO DEI ad Amasiam, idest Propheta. Seder Holam ait, hunc fuisse Amos Isaiæ patrem: porro Amasiam Regem, & Amos fratres fuisse. Quid dixit? NE EGREDIATUR TECUM EXERCITUS ISRAEL: NON EST ENIM DOMINUS CUM ISRAEL, ET CUNCTIS FILIIS EPHRAIM. *Et* non est Hebr. neque Græce. De filiis autem Ephraim loquitur, non de aliis tribubus, tum quoniam ii inter Israelitas fortissimi habebantur, tum quia plerique conducti ex ea tribu erant, propter virtutis opinionem: sic vers. 10. ex Ephraim venisse ait exercitum.

V. 8. QUOD SI PUTAS IN ROBORE EXERCITUS BELLA CONSISTERE. Hebr. *Quod si* (scilicet non credis mihi) *vade tu, age, roborare ad bellum*. SUPERARI TE FACIET DEUS. Hebr. *Cadere te faciet Deus coram hoste*. ET IN FUGAM CONVERTERE. Hebr. *In Deo est robur ad adiuvandum, & ad cadere faciendum*.

V. 11. FILIOS SEIR. Idumæos percussit Amasias.

DECEM MILLIA VIRORUM. Hebr. *Decem millia viros*. UNIVERSI CREPUERUNT. Hebr. *rupti sunt*, scilicet de rupe præcipitati. Quid exercitus Israel? cum Amasias dimisit, & diffusus est per civitates Iuda.

V. 13. A SAMARIA, caput regni Israelis, sita Iudæam inter & Galilæam. USQUE AD BETHORON. Urbs sita in

tri-

tribu Ephraim, Iof. XVI. 3. fed memento quafdam eo tractu urbes a Regibus Iuda occupatas.

V. 14. ET ALLATOS DEOS. Hebr. *Et attulit deos*, fcilicet Idumæorum Amafias, & adoravit eos.

V. 15. CUR ADORASTI DEOS? Sept. *Cur quæfivifti?* fic Hebr. fed *quærere*, *confulere* eft. Prophetæ ad Regem verba.

V. 16. QUIESCE, NE INTERFICIAM TE. Sept. *Ut ne percutiant te*, fcilicet fatellites. Hebr. *Quare percutient te?* fcilicet o Propheta.

V. 17. INITO PESSIMO CONSILIO Amafias. Hebr. *Inito confilio mifit ad Regem Ifrael*, qui diceret: VIDEAMUS NOS MUTUO; id eft, conferamus vires, fumptis inter nos armis: pugnemus. Quid Ioas?

V. 18. CARDUUS. Se cedro Ioas comparat, Amafiam carduo, ob defpectum.

V. 19. IN SUPERBIAM. Hebr. *Ad honorem ambiendum novis*: fcilicet bellis excitatis erigeris. CUR MALUM ADVERSUM TE PROVOCAS? Hebr. *Quare rixabis mecum in malum?* Non audivit Amafias, quia Deus noluit.

V. 20. UT TRADERETUR. Hebr. *Ut traderet eos*, Deus fcilicet. PROPTER DEOS EDOM. Hebr. *Quoniam quæfierunt deos Edom*. Regis, & populi communis noxa erat.

V. 21. ASCENDIT IGITUR IOAS. Optimum in bello prævenire hoftium conatus, & in eorum finibus bellum gerere. AMASIAS AUTEM REX IUDA ERAT IN BETHSAMES IUDA. Hebr. *Se viderant ipfe & Amafias Rex Iuda in Bethfames Iuda*.

V. 23. FILII IOACHAZ. Ochozias vocatus eft etiam *Azarias*, & *Ioachaz*, cap. XXII. verf. 6. cuius Amafias fuit nepos ex filio Ioas. Abftulit Ioas Rex Ifrael aurum quod erat in templo.

V. 24. ET APUD OBEDEDOM. Hebr. *cum Obededom*. Is erat aliquis ex nepotibus Obededom, qui fuit thefauris templi præfectus, eumque honorem pofteri retinebant. FILIOS OBSIDUM, id eft obfides, ut cum dicimus, *Filius iniquitatis*, pro *iniquo*. Hebr. *Filios pignorum*, feu *arrhabonum*. Hebræus *filios principum*, intelligit quos Reges inter fe dabant, ut effent fœderis pignora: ii obfides funt, qui erant apud Amafiam; eos in Samariam reduxit Ioas.

V. 27. TETENDERUNT EI INSIDIAS IN IERUSALEM. Hebr. *Et coniuraverunt contra eum coniuratione*, fcilicet contra Amafiam. Sepelierunt eum

V. 28. IN CIVITATE DAVID. Sic Sept. Hebr. tamen *in civitate Iuda*: fic hic vocavit *civitatem David*, nempe *Ierufalem*, ubi fepelierunt Amafiam.

MALVENDAE.

Verf. 1. VIGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT AMASIAS, &c. Hunc, & tres fequentes verfus confer cum II. Reg. XIV. a verf. 1. ad 6. inclufive: nam funt eiufdem argumenti: adito illuc Comm.

V. 5. INVENITQUE TRECENTA MILLIA IUVENUM, &c. Quam longe numerus huius delectus militaris inferior illo Iehofaphati, quo nomen militiæ dederant undecies centies & fexaginta millia pugnatorum, fupra cap. XVII. verf. 14. & feqq. ut cernas, imminuta religione, omnia in peius ruere.

V. 6. CENTUM TALENTIS ARGENTI; id eft, duodecies centies mille regalibus Caftellanis, five uno millione & ducentis millibus regalium Caftellanorum. Vide II. Reg. XXIII. 33.

V. 7. NON EST ENIM DOMINUS CUM ISRAEL, ET CUNCTIS FILIIS EPHRAIM. Nos Hebraica verba repofuimus (*Quia non* IHUH *cum Ifraele*; *omnes filii Ephraim*.) Alii varie. I. *Quia Iehova non eft cum Ifraele, nempe cum omnibus filiis Ephraim*. II. *Non enim eft Iehova cum Ifraelitis, ullo Ephraimitarum*; id eft, non favet Ifraelitis, id eft ulli Ephraimitarum. Hoc dicit quia totus ille Ifraelitarum exercitus confcriptus erat ex Ephraimitis, infra verf. 10.

V. 8. SUPERARI TE FACIET DEUS. Verbo חיל *chaial* in Hiphil, hæc omnia fubfunt: *Impingere*, *illidere*, *offendere*, *corruere*, *decidere faciet te*; *fcandalum*, *offendiculum iniiciet tibi*; *debilitabit*, *labefactabit te*. Sic in fine verfus.

V. 11. PORRO AMASIAS CONFIDENTER EDUXIT, &c. Confer hunc verfum, & fequentem, cum II. Reg. XIV. 7. nam eadem hiftoria utrobique narratur; fed hic plenius.

V. 12.

V. 12. AD PRAERUPTUM CUIUSDAM PETRAE. Reddunt, *Ad fastigium Petræ*; id est, ad saxum civitatis primariæ in Arabia Petræa, quæ ab eo saxo Petra dicitur: quam occupasse in hac expeditione legitur II. Reg. XIV. 7. vide Comm. ibi.

V. 13. AT ILLE EXERCITUS. Heb. *Et filii turmæ*, id est turmarii illi milites, seu *excursores*, seu *grassatores illi*: hæc enim vis est vocis גדוד *gedud*. DIFFUSUS EST IN CIVITATIBUS IUDA. Verbum פשט *phaschat* hæc omnia præfert: *Et irruerunt*, *invaserunt*, *impetum fecerunt*, *excurrerunt ad prædam*, *grassati sunt*, *diffuderunt se palantes*, *devastaverunt*, *expoliaverunt*, *irruperunt*, &c. A SAMARIA USQUE AD BETHORON. Exponunt, Id est per totam latitudinem regionis Iehudæ, Israelitarum regno conterminam.

V. 16. QUIESCE. Hebr. *Cessa tibi*; *desine tibi*; *desiste tibi*. Notant esse pleonasmum linguæ familiarem, ut Genes. XII. 1. & Exod. XXXIV. 1. Sed ego phrasim linguæ elegantem, & emphaticam existimo: sic Hispanice, *Dexate*. NE INTERFICIANT TE. Hebr. *Ad quid percutient te?* Quidam: *Quare percuterent te?* id est, ne committas nimis loquendo, ut irruant in te satellites mei, seu ministri mei; quasi dicat: Desine, vel dabis pœnas. Similem locutionem vide I. Samuel. XIX. 17. & II. Samuel. II. 22. SCIO, INQUIT, QUOD COGITAVERIT DEUS OCCIDERE TE, &c. Vide quid simile I. Reg. XXII. 19.

V. 17. IGITUR AMASIAS REX IUDA, INITO PESSIMO CONSILIO, &c. Hunc versum, & septem sequentes confer cum II. Reg. XIV. a vers. 8. usque ad 14. inclusive: nam eamdem historiam continent: inde desumendi Comm.

V. 18. CARDUUS, QUI EST IN LIBANO. Heb. חוח *choach*, consentiente voce, non dubitem esse quem Græci, & Latini *cactum* dicunt, & forte Romani *carduum*, paululum deflexa voce: & fortasse vox *cactus*, ex Hebræa *choach*, vel *chach* deflexit. De *cacto* complura leges apud Theophrastum Lib. VI. Historiæ plantarum, cap. IV. Plinium Lib. XXI. cap. XVI. Athenæum Lib. II. cap. XXVI. Vide Appendicem Henriciani Thesauri, colum. 1122. & quamvis præfati auctores *cactum* proprie Siciliæ tribuant; at quis dubitet, sive species cardui sit, sive plantæ aliud genus spinosum, potuisse quoque in Libano provenire? Retinenda hæc vox in Pallio Tertuliani, cap. II. *Eradicato omni acconito hostilitatis, cacto & rubo subdolæ familiaritatis*. Mirari libet stuporem novissimorum Tertuliani editorum, qui, quod putarent *cactum* nihili vocem, Tertullianum interpolarunt, *exacto rubo*; vel *carecto & rubo*. Et quod peius est, admoniti a Turnebo, & Pamelio, immo & ab ipso Calepino, inscitiam suam tueri maluerunt.

V. 19. DIXISTI, id est cogitavisti, ut Exod. II. 14. PERCUSSI EDOM. Hebr. *Percussisti Edom*. Vel est enallage personæ; vel se ipsum alloquitur, ut ille dives in Evangelio: *Anima mea multa bona habes*, &c. ET IDCIRCO ERIGITUR COR TUUM IN SUPERBIAM. Hebr. *Et elevavit te cor tuum ad aggravare facere*; id est, ut te aggravet, vel ut tu aggraveris. Quidam: *Et elevavit te cor tuum in aggravare*, id est gravissime. Alii: *Tunc elevavit te cor tuum ad onorificandum te*; id est, tunc cœpisti esse elato animo, tunc sumpsisti ingentes spiritus, ut magnos honores ambires, ut te ingenti honore dignum putares. Aliqui: *Et extollit te cor tuum, ut glorietur*. Nonnulli: Ideo extulit te animus tuus, ut tibi arroges gloriam.

V. 23. USQUE AD PORTAM ANGULI. Hebr. *Usque ad portam aspicientem*, vel *aspicientis*. Sic forsan dictam, quod ex ea longus prospectus esset in omnem circumquaque regionem: seu quod conspicua & speciosa esset. Hæc II. Reg. XIV. 13. *porta pinnæ*, vel *anguli* vocatur.

V. 24. APUD OBEDEDOM. Exponunt, Id est apud posteros Hobed-Edomi, ianitores, & thesaurorum sacrorum custodes, I. Paralipom. XXVI. vers. 15. Potuit esse eo tempore aliquis eo nomine custos sacrorum thesaurorum.

V. 25. VIXIT AUTEM AMASIAS, &c. Hunc versum, & tres sequentes usque ad finem capitis, confer cum II. Reg. XIV. a vers. 17. usque ad 20. inclusive: nam sunt eiusdem argumenti.

V. 28. IN CIVITATE DAVID. Hebr. *In civitate Iehudah*, id est in Ierusalaim metropoli regni Iehudæ. Quidam notant reticeri hic nomen Davidis, propter demerita Amatziæ, qui alioqui indignus vide-

debatur ut in urbe tam sancti Regis sepeliretur. Ceterum II. Reg. XIV. 20. scribitur, *In urbe Davidis*,

MENOCHII.

Vers. 1. VIGINTI QUINQUE ANNORUM, &c. Pleraque huius capitis explicata sunt IV. Reg. XIV.

V. 6. CENTUM TALENTIS ARGENTI. Exigua sane pecunia in tot milites dispertienda: nam singulis mille militibus unum tantum obveniebat talentum, hoc est duodecim mille regales Hispanici, & unicuique militi duodecim regales. Suspicatur Salianus, de talentis auri intelligendum esse hunc locum, sed vocari talenta argenti, quia non auro, sed argenteis numismatibus solverentur. Quod si verum esset, singulis militibus duodecim nummi aurei dati fuissent. Probabile mihi videtur talenta fuisse argenti, sed hoc integrum stipendium non fuisse, sed ad breve tantum tempus, post quod aliam reliquam partem essent accepturi.

V. 7. VENIT HOMO DEI AD ILLUM. Quis fuerit hic Propheta, non habetur ex sacro textu. Hebræi putant fuisse Amos patrem Isaiæ Prophetæ. CUNCTIS FILIIS EPHRAIM. Nomine filiorum Ephraim totum Israelem intelligit, ut passim apud Prophetas: ut cum dicitur Osee cap. VI. num. 4. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* quibus verbis duo regna Israelis, & Iuda designantur. Erat enim tribus Ephraim præcipua in regno Israel, & in ea Samaria totius regni caput.

V. 10. CONTRA IUDAM VEHEMENTER IRATI. Cuius iræ mox non levia signa dederunt, ut patet ex hoc eodem capite.

V. 16. SCIO QUOD COGITAVERIT DEUS OCCIDERE TE: scio Deum in sceleris tui pœnam permissurum ut insidiis interceptus violenta morte tollaris e medio: quod quomodo acciderit, habemus hoc cap. num. 27.

V. 24. APUD OBEDEDOM IN THESAURIS; id est, apud unum de nepotibus Obededom, cui forte idem nomen erat. Vel, quod verius puto, apud posteros Obededom, qui de nomine parentis sui dicuntur, & intelliguntur, cum dicitur *Obededom*, quemadmodum etiam cum dicimus *Israel*, posteros Israelis significamus.

TIRINI.

Vers. 6. MERCEDE QUOQUE CONDUXIT DE ISRAEL CENTUM MILLIA ROBUSTORUM, CENTUM TALENTIS ARGENTI. Hinc, ni fallor, clare colligitur, talentum sub hoc tempus non minoris fuisse ponderis quam trium millium siclorum, ut fuit tempore Moysis, etsi daremus Ioanni Marianæ solis ducibus cessisse hoc argentum; milites vero ex præda victitasse. Nam quantilla merces tribuno uniter centum floreni Belgici? Neque enim pluris fuisse talentum argenti hoc tempore, contendit Mariana. Scilicet hæc esset ingens illa summa, quæ ne periret, regium animum adeo solicitum habuit, vers. 9. *Quid fiet de centum talentis* argenti, *quæ dedi militibus Israel?*

V. 7. HOMO DEI, seu Propheta, cuius hic fit mentio, in Seder-Olam dicitur fuisse Amos Isaiæ pater, frater ipsius Regis Amasiæ. FILII EPHRAIM hic vocantur omnes tribus Israeliticæ quæ sub Ieroboamo Ephraimita secesserant a tribu Iuda.

V. 17. VENI, VIDEAMUS NOS MUTUO. Simili modo dicitur IV. Reg. XIV. 8. *Veni, & videamus nos.* Provocatio est ad bellum, quo disceptetur de dominio regni Israelitici decem tribuum, quas volebat Amasias rursum coniungi sceptro Iudaico, uti coniunctæ fuerant tempore Davidis, & Salomonis proavorum ipsius, ita Iosephus, Comestor, & Abulensis.

V. 18. CARDUUS LIBANI. Quia forte fortuna prætereuntis incaute viatoris pedem læserat, atque unam, alteramve sanguinis guttam extorserat, quasi re maxima gesta insolescens, & aliis longe præcelsioribus parem se, immo fortiorem ratus, legatione *missa* ad primam & celsissimam omnium arborum *cedrum*, expetiit non rogando, sed imperando, filiam illius filio suo uxorem: & quidem primum in ea affinitate locum sibi deposcit, sicut maritus in nuptiali fœdere superior est uxore. Verum impudentia ista cardui offensæ bestiæ quæ ad umbram cedri stabulari consueverant, a carduo vero nihil umquam utilitatis vel acceperant, vel sperabant, ut cedro factam iniuriam vindicarent, spino-

sam

sam, & vilem plantam pedibus ita protriverunt, ut deinceps neque virere, neque sursum attollere se posset. Latini brevius, ut talem notent disparem congressum, dicunt, leonem ab hinnulo, equum a testudine, aquilam a scarabeo, lusciniam a pica provocari ad pugnam, ad cursum, ad volatum, ad cantum. Porro proverbium hoc Amasias magno suo damno & probro verissimum esse & sensit, & toti orbi testatum fecit.

GORDONI.

Vers. 6. CENTUM TALENTIS. Numero pretium inæquale. Hinc saltem colligunt talentum Iudaicum multo amplius valuisse quam Atticum. Aliqui Iudaicum ad mille aureos æstimant. Forte dabatur argentum solis ducibus; milites prædas agebant.

V. 24. FILIOS OBSIDUM, obsides: Hebr. *filios pignorum*. OBEDEDOM, non ille tempore Davidis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

De rebus huius capitis vide IV. Reg. cap. XIV.

V. 6. CENTUM TALENTIS. De valore talenti, supra. At quomodo tot militibus tam exiguum stipendium, dixi ad textum: nam quod aliqui intelligant de talento aureo, non recipio; cum textus clare dicat talenta argenti.

V. 16. INTERFICIAM TE. Permissionem hoc designat.

V. 24. OBEDEDOM: apud nepotes; & domum Obededonis.



CAPUT XXVI.

Oziæ filii Amasiæ pietas commendatur; qui adversus Philisthiim, Arabes, & Ammonitas triumphat, multasque extruit civitates: at postmodum ob nimiam felicitatem elatus, præsumpsit incensum adolere: quam ob rem ad diem usque mortis a Domino lepra percussus est, gubernante regnum filio Ioatham, qui successit in regnum.

1. OMnis (a) autem populus Iuda, filium eius Oziam annorum
sedecim, constituit Regem pro Amasia patre suo. 2. Ipse
ædificavit Ailath, & restituit eam ditioni Iuda, postquam
dormivit Rex cum patribus suis. 3. Sedecim annorum erat
Ozias cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis
regnavit in Ierusalem, nomen matris eius Iechelia de Ie-
rusalem. 4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini,
iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius. 5. Et exqui-
sivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum: cumque requi-
reret Dominum, direxit eum in omnibus. 6. Denique egressus est, & pugnavit
contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murumque
Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto, & in Philisthiim. 7. Et adiuvit eum
Deus contra Philisthiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, &
contra Ammonitas. 8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ: & divul-
gatum est nomen eius usque ad introitum AEgypti propter crebras vi-
ctorias. 9. AEdificavitque Ozias turres in Ierusalem super portam angu-
li, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmavitque
eas. 10. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo
quod

quod haberet multa pecora, tam in campeſtribus, quam in eremi vaſtitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus. 11. Fuit autem exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia, ſub manu Iehiel ſcribæ, Maaſiæque doctoris, & ſub manu Hananiæ, qui erat de ducibus Regis. 12. Omniſque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium ſexcentorum. 13. Et ſub eis univerſus exercitus, trecentorum & ſeptem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, & pro Rege contra adverſarios dimicabant. 14. Præparavit quoque eis Ozias, id eſt cuncto exercitui, clypeos, & haſtas, & galeas, & loricas, arcuſque & fundas ad iaciendos lapides. 15. Et fecit in Ieruſalem diverſi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent ſagittas, & ſaxa grandia: egreſſumque eſt nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroboraſſet illum. 16. Sed cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſuſque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis. 17. Statimque ingreſſus poſt eum Azarias Sacerdos: *& cum eo ſacerdotes Domini octoginta, viri fortiſſimi, 18. reſtiterunt Regi, atque dixerunt: Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. 19. Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus, in domo Domini ſuper altare thymiamatis. 20. Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinato expulerunt eum. Sed & ipſe perterritus, acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini. 21. (*b*) Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini. Porro Ioatham filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ. 22. Reliqua autem ſermonum Oziæ priorum & noviſſimorum, ſcripſit Iſaias filius Amos, Propheta. 23. Dormivitque Ozias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro regalium ſepulcrorum, eo quod eſſet leproſus: regnavitque Ioatham filius eius pro eo.

(*a*) IV. Reg. xiv. 21. (*b*) IV. Reg. xv. 5.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 17. *Et cum eo ſacerdotes Domini octoginta*. Nec hic minuas numerum denario, ſcribens *ſeptuaginta* pro *octoginta*.

COMMENTARIA

SA.

Verf. 1. **O**ZIAM, qui & *Azarias*. *Verf.* 2. AILATH. Civitas ad mare rubrum, unde dictus finus Elaniticus. REX, fcilicet pater eius.

V. 4. AMASIAS, fcilicet cum bonus fuit. Vide fup. cap. XI. & XVII.

V. 5. ET VIDENTIS DEUM. Hebr. & LXX. *in vifionibus Dei*; quafi dicat, Periti in Dei vifionibus. DIREXIT. Hebr. *Fecit profperari*.

V. 7. AMMONITAS. Hebr. *Mebunim*; fed videtur male fcriptum, pro *Hamonim*: fic enim legitur ftatim proxime. LXX. *Minæos*.

V. 8. AMMONITAE. LXX. *Minæi*.

V. 9. ET RELIQUAS IN EODEM MURI LATERE. Hebr. & LXX. *& fuper angulum*, feu *angulos*: quidam pro *fuper* vertunt *iuxta*.

V. 10. VINEAS. Hebr. & LXX. *agricolas*. CARMELO: alii, *Locis planis fertilibus*.

V. 11. DOCTORIS. Hebr. *præfecti*. LXX. *iudicis*.

V. 16. IN INTERITUM SUUM. Hebr. & LXX. *ad corrumpendum*. NEGLEXIT. Hebr. *Prævaricatus eft in*. LXX. *Inique egit in*.

V. 18. NE CONTEMPSERIS. Hebr. *Quia prævaricatus es*. LXX. *Quia receffifti a Domino*. A DOMINO, id eft apud Dominum.

V. 23. IN AGRO; non autem in ipfis fepulcris.

ESTII.

Verf. 5. **E**T EXQUISIVIT DOMINUM IN DIEBUS ZACHARIAE INTELLIGENTIS ET VIDENTIS DEUM. Quidam opinantur hunc fuiffe filium Ioiadæ facerdotis; fed manifeftum eft eos falli. Nam Zacharias ille multo ante occifus erat, ut patet ex cap. XXIV. quam Ochozias regnare cœpit. Proinde rectius alii intelligunt illius Zachariæ filium, itidem Zachariam vocatum patris nomine, five quod pofthumus natus fit, five alia de caufa. Quod autem additur, *Intelligentis & videntis*, fignificat illum peritum fuiffe in videndis, & diiudicandis vifionibus divinis. Hebr. eft: *Intelligentis in vifionibus Dei*. Apud Septuag. *Intelligentis in timore Domini*.

V. 18. NON EST TUI OFFICII OZIA, UT ADOLEAS INCENSUM DOMINO, SED SACERDOTUM. Locus merito notandus contra eos qui adulatorie permifcent officium facerdotis cum officio principis, dicentes unumquemque principem in ditione fua pro arbitrio poffe difponere de religione & cultu divino, eiufque cæremoniis. Sed hic contrarium liquet, nam aperte diftinguitur officium facerdotum, & officium Regis; & dicitur, quod offerre incenfum feu thymiama, ac proinde, nec alia quæ religionis funt curare, ad eius officium non fpectent, ac per confequens non poffit ex auctoritate fe rebus facris immifcere, fed tamquam filius Ecclefiæ, eidem, & Deo fubfervire.

V. 23. ET SEPELIERUNT EUM IN AGRO REGALIUM SEPULCRORUM, EO QUOD ESSET LEPROSUS. IV. Reg. cap. XV. legitur fepultus cum maioribus fuis in civitate David. Sed nulla eft repugnantia, quia fepultus eft, non quidem intra fepta ipfa regalium fepulcrorum, fed extra in agro, qui tamen intra civitatem David, id eft intra arcem Sion, continebatur.

MARIANAE.

Verf. 1. **O**ZIAM. In Libris Regum vocatur *Azarias*. Fuit Rex Iuda, Amafiæ filius.

V. 2. AEDIFICAVIT AILATH. Civitas eft ad mare rubrum. POSTQUAM DORMIVIT REX, fcilicet Amafias pater Oziæ: ipfe Ozias ædificavit eam urbem.

V. 5. EXQUISIVIT DOMINUM IN DIEBUS ZACHARIAE INTELLIGENTIS ET VIDENTIS DEUM. Sept. *intelligentis in vifione Dei*. Hebr. *intelligentis in videre Deum*, id eft affueti videre Deum: fic Prophetæ *Videntes* vocantur. Ergo illa peri-

periphrasi significat eum fuisse Prophetam. CUMQUE REQUIRERET DOMINUM. Hebr. *Et in diebus quærendi eum* (id est quibus quæsivit) *Dominum*. DIREXIT EUM. Hebr. *Prosperavit eum Deus*, scilicet Oziam.

V. 7. ET CONTRA AMMONITAS. Sept. *Minæos*. Hebr. *Mehunim*: fortassis qui aliis locis vocantur עמונים *Hamonim*, hic transpositis litteris vocantur מעונים *Mehunim*. Sane mox de Ammonitis ait: APPENDEBANTQUE AMMONITAE MUNERA; id est, quasi victi dedere tributum. PROPTER CREBRAS VICTORIAS. Hebr. *Quia robustus fuit sublimiter*.

V. 9. AEDIFICAVITQUE..... TURRES...... SUPER PORTAM....... ET RELIQUAS IN EODEM MURI LATERE. Hebr. *& super angulum*, pro angulos: sic Sept. ἐπὶ τῶν γωνιῶν, *super angulos*. In flexu muri solent excirari turres. FIRMAVITQUE EAS, id est munivit militibus additis.

V. 10. EFFODIT CISTERNAS. Sept. *lacus*, alii *puteos*. ברות *boroth* proprie *cisternas* significat. IN EREMI VASTITATE. Hebr. *in planitie*. VINEAS QUOQUE HABUIT. Hebr. *agricolas*. ET VINITORES, qui colebant vineas. AGRICULTURAE DEDITUS: sic Sept. Hebr. *Quia diligebat terram*: sententia eadem.

V. 11. EXERCITUS BELLATORUM EIUS. In hoc vers. sententia retenta ab Hieronymo verba multum mutantur, quæ Hebr. sic habent: *Et fuit Oziæ exercitus faciens bellum, egredientium in castra turmatim in numero numerationis eorum*; id est, quo quisque loco erat numeratus. SUB MANU IEHIEL SCRIBAE, MAASIAEQUE DOCTORIS: forte *ductoris*. Hebr. *præfecti*. Sept. *iudicis*. DE DUCIBUS REGIS. Hebr. *de principibus Regis*. Erat Hananias socius Maasiæ.

V. 13. QUI ERANT APTI AD BELLA, scilicet milites. Hebr. *Facientes bellum in virtute fortitudinis*. ET PRO REGE CONTRA ADVERSARIOS DIMICABANT. Heb. *Ad auxiliandum Regi contra hostem*.

V. 15. FECIT..... MACHINAS. Vox *hisbonoth* significat *excogitatas*, scilicet machinas ingeniosas, ut arietes, ballistas, catapultas. EO QUOD AUXILIARETUR EI DOMINUS. Hebr. *Quoniam mirificavit* (eum Deus) *ad auxiliandum* (id est pugnandum) *donec roboratus est*. Sept. *Quoniam admirationi fuit, ut adiuvaretur, quousque confortatus est*.

V. 16. ET NEGLEXIT. Hebr. *Et prævaricatus est in Dominum*, scilicet Ozias Rex. Voluit adolere incensum.

V. 17. INGRESSUS POST EUM AZARIAS SACERDOS, scilicet summus: dixitque Regi:

V. 18. NE CONTEMPSERIS. Hebr. *Egredere, quoniam prævaricatus es*. QUIA NON REPUTABITUR TIBI. Hebr. *Et non tibi in gloriam* (erit) *a Domino Deo*, id est apud Dominum Deum.

V. 19. SUPER ALTARE orta est lepra: sic Sept. Hebr. *desuper altare*. Indicat ab ipso altari percussum lepra Regem, & ab altari ortam plagam.

V. 21. IN DOMO SEPARATA habitavit Rex. Hebr. *in domo libera*, id est suburbana: sic IV. Reg. xv. 5. Hebræus *domum liberam* ait *sepulturam* vocari, quæ periculis, & curis liberat; iuxta illud Psal. LXXXVII. 6. *Inter mortuos liber*. Acuta expositio, qua significari vult, ad mortem passum eam plagam: verum non satis consentanea. Porro illud, OB QUAM (lepram) EIECTUS FUERAT DE DOMO DOMINI, Hebr. *Quoniam præcisus fuit de domo Domini*: illemet putat de mundo intelligendum, unde per mortem est præcisus.

V. 23. IN AGRO REGALIUM SEPULCRORUM est sepultus Ozias, non intra specum, ubi Reges ponebant, sed in agro coniuncto, quoniam leprosus erat. Successit Ioatham.

MALVENDAE.

Vers. 1. OMNIS AUTEM POPULUS, &c. Hunc versum, & sequentem vide II. Reg. XIV. vers. 21. & 22. nam sunt omnino iidem: consule ibi Notas.

V. 3. SEDECIM ANNORUM ERAT OZIAS, &c. Hunc, & sequentem versum habes II. Reg. XV. vers. 2. & 3.

V. 4. IUXTA OMNIA QUAE FECERAT AMASIAS PATER EIUS. Quidam reddunt: *Omnino prout fecerat Amatziah pater eius*; id est, non animo integro ut ille, supra cap. XV. vers. 2.

V. 5. ET EXQUISIVIT DOMINUM. Hebr. *Et fuit ad quærere Deum*. Quidam: *Fuit enim intentus quærendo Deo*. IN DIEBUS ZACHARIAE INTELLIGENTIS ET VIDENTIS DEUM. Hebr. *In diebus Zachariæ intelligentis in videre Dei*, vel *in visionibus Dei*: nam ראות *reoth* potest esse & infinitivum, & nomen; id est, qui erat peritus & sciens intelligere, & explicare visiones, seu prophetias divinas. Tremellius, & Iunius legunt יראות *iiroth*, a ירא *iara*, *timuit*; unde reddunt: *In diebus Zechariæ, informantis in timoribus Dei*, sive *in rebus pertinentibus ad timorem Dei: sic enim* (inquiunt) *habetur in antiquo manuscripto exemplari emendatissimo Bibliothecæ illustrissimi principis electoris Palatini: & sic legit Rabbi Schelomo antiquissimus in suis Commentariis*. Buxtorfius hæc annotat: *Notatum hic a doctis, in manuscripto antiquissimo exemplari Palatino esse* ביראת *biirath, in timore Dei, hoc est in rebus quæ ad Dei timorem pertinent. Sic quoque legit, & explicat R. Salomon Iarchi. His addo veteres Thalmudicos, apud quos hunc locum citatum, & similiter scriptum reperi Biirath, codice Sotbah, cap.* IX. *fol.* 48. *In Massora tamen hæc lectio non est annotata*. Lectio probabilis, & instituto congruens, sed vulgata proculdubio præferenda. Hebræi tradunt, hunc Zachariam fuisse alium posthumum illius Zachariæ a Ioaso interfecti, supra cap. XXIV. vers. 20. & 21. ac nepotem Iehoiadæ: certe insignem Prophetam fuisse, ex hoc loco apparet. DIREXIT EUM IN OMNIBUS. Hebr. *Perrumpere fecit eum Deus*. Varie alii. I. *Fecit prosperari eum Elohim*. II. *Prosperum ei successum dedit Deus*. III. *Fortunavit, secundavit, eum Deus*.

V. 6. MURUM GETH. Hebr. *Ghath*: de qua vide Comm. in Iosue XI. 22. ET MURUM IABNIAE. Hebr. *Iabneh*. Hanc esse *Iebneel*, sive *Iamniam*, non dubitaverim: de qua vide Comm. in Iosue XV. 11. *Iamniam* quoque hic intellexit Iosephus. MURUMQUE AZOTI. Hebr. *Asdod*: de qua vide in Iosue XI. 22.

V. 7. IN GURBAAL. Hebr. *In Ghur-Babal*. Auctor Traditionum: *Gur-Baal, ipsa est Gerara, in qua peregrinatus est Abraham*. De qua vide in Genes. cap. X. vers. 19. & cap. XX. vers. 1. Quidam reddunt, *In Ghuris planitie*, id est omnes finitimos, e quibus Pelisthæi regno Iehudæ ab occidente erant; Arabes a meridie; Hammonitæ ab oriente; Indigenæ vero ubique sparsi, de quibus Iudic. X. 12. Sic *Bagbal* capiunt pro planitie, ut Chaldæus Interpres accepit Iosue XI. 17. Notant, pleraque loca in Scriptura vocata nomine *Babal*, quod aliquid peculiare haberent, seu possiderent, quæ est genuina verbi *Bagbal* notio. Sic *Babal-Gad*, *Habens-coriandrum*, Iosue XI. 17. *Babal-Hamon*, *Habens-multitudinem*, Canticor. VIII. 11. *Babal-Tzephon*, *Habens-Aquilonem*, seu *Aquiloni exposita*, Exod. XIV. 2. Sic hic *Ghur-Babal*, *Catulos, seu Leunculos*, vel *Dracunculos*, *habens*. ET CONTRA AMMONITAS. Hebr. *Et* המעונים *Hammeghunim*, vel *Meghunim*. Noster pro transposito עמנים *Ghamonim* accepit, de quibus versu sequente. LXX. *Minæos* verterunt: populos Arabiæ ad rubrum mare, de quibus Strabo Lib. XVI. pag. 768. Diodorus Siculus Lib. III. num. 123. Plinius Lib. VI. cap. XXVIII. Ptolemæus Lib. VI. cap. VII. Stephanus de Urbibus. Ptolemæus inquit: *Minæi, gens magna*. Aliqui, *Mehunim*, intelligunt habitatores, seu incolas urbis Bahal-Mehon: de qua vide in Numer. XXXII. vers. 3. & 38. & in Iosue XIII. 17. Alii, deserti Mahon, de quo Iosue XV. 55. & I. Samuel. XXIII. 24. Nonulli pro appellativo capiunt, redduntque, *Et indigenas*, seu *habitatores*. Vide Comm. in Iudic. X. 12.

V. 8. MUNERA. *Minchah*, plerique hic pro *munere honorario* capiunt; alii pro *tributo*. Iosephus: *Ammonitis subactis, tributoque genti præfinito*.

V. 9. SUPER PORTAM ANGULI: de qua vide supra cap. XXV. vers. 23. ET SUPER PORTAM VALLIS. Brocardus: *Ab area templi contra aquilonem, quantus scilicet est iactus lapidis, est porta vallis, quæ ducit in vallem Iosaphat: & hæc etiam vocatur porta gregis, quod per eam introducebantur greges immolandi in templo*. Et post multa: *Sexta porta similiter respiciebat ad austrum, & posita erat iuxta torrentem Cedron, dicta porta gregis, quia per eam introducebantur greges immolandi in templum: eratque probatica piscina haud longe ab ea. Dicta quoque fuit porta vallis, quia per eam ducebat via in vallem Iosaphat: & porta fontis draconis, a fonte illo sic denominata*. Eadem habent

alii

alii ſacri topographi, qui ſitum eius recte deſcribunt, quamvis non recte cum porta gregis confundant. Futiliter alii contra argutantur. Vide Nehem. cap. II. verſ. 13. & ibid. cap. III. verſ. I. ET RELIQUAS IN EODEM MURI LATERE. Hebr. *Et ſuper Miktzoagh*. Plerique *angulum*, *latus*, reddunt: alii nomen proprium eſſe volunt, *Et ad Miktzobam*: aiuntque fuiſſe turrim, ſeu munitionem in editiſſimo loco civitatis Davidis, a prærupto ſitu ſuo appellatam *Miktzoah*. Vide in Nehem. III. verſ. 19. & 20. 24. & 25. FIRMAVITQUE EAS, præſidiis, & munitionibus. Hunc verſum Ioſephus ita paraprasi reddidit: *Ozias impoſterum ad curam urbis ſe contulit: quidquid enim mœnium vel vetuſtate labefactatum erat, vel ſuperiorum Regum incuria, totum inſtauravit: atque eam etiam partem quam Iſraelitarum Rex Amaſia patre huius capto diruerat, quando urbem victor ingreſſus eſt: his addidit non paucas turres centum quinquaginta cubitorum altitudinis, & arces aliquot in locis minus frequentatis ad tutelam diſpoſuit.*

V. 10. IN SOLITUDINE, ſive *in deſerto* Arabiæ, quod paſcuoſum erat. Ioſephus: *Quod regio eſſet apta paſcuis*. ET IN CARMELO. Aliqui appellative capiunt, *Et in arvis fertilibus*, locis frugibus, & arboribus conſitis. ERAT QUIPPE HOMO AGRICULTURAE DEDITUS. Hebr. *Quia amator telluris erat*. Ioſephus, Lib. IX. Antiq. cap. XI. *Cumque admodum eſſet agriculturæ ſtudioſus, terram variis arborum, ceterarumque plantarum generibus excoluit.*

V. 11. FUIT AUTEM EXERCITUS BELLATORUM, &c. Hunc verſum nos more noſtro verbatim ex Hebræo transfudimus (*Et fuit Ghuziiahu ſtrenuitas facientes cæſionis, exeuntes militiæ latrocinio, in numero viſitationis eorum, in manu Ieghuel numerantis, & Maghaſeiahu ſtatoris: ſuper manum Chananiahu de principibus Regis.*). Dilucidius alii ſic. I. *Habuit quoque Uſias copias, quæ belligerabant, & quæ turmatim in prælium egrediebantur iuxta numerum præfecturæ eorum, ſub manu Iebiel ſcribæ, & Mahaſiæ præfecti, & ſub manu Hananiæ, qui erat ex principibus Regis.* II. *Habuit autem Huzziiahu robur facientium bellum, ingredientium in exercitum per turmas in numero deſcriptionis ſuæ, in manu Iebiel ſcribæ, & Mahaſeiahu præfecti, ſub manu Chananiahu de principibus Regis.* III. *Et fuit ipſi Huzziiahu exercitus facientium bellum, egredientium in exercitum, in agmen, in numero cenſus eorum, per manum Iebiel ſcribæ, & Mahaſeiahu præfecti, ad manum Chananiahu de principibus Regis.* IV. *Et fuit ipſi Huzziiahu exercitus facientium prælium, egredientium ad pugnam, in exercitu ſecundum numerum numeri eorum, per manum Iebiel*, &c. V. *Fuit quoque ipſi Uzziiahu exercitus facientium bellum, egredientium ad pugnam in turma, iuxta numerum, quo recenſiti fuerant per manum Iebiel ſcribæ, & Maaſeiahu præfecti, de mandato Chananiahu; qui erat de principibus Regis.* VI. *Erant autem Huzziæ copiæ gerentium bellum, aptorum ad prodeundum in militiam turmatim, pro numero recenſionis eorum factæ per Iebielem ſcribam, & Mahaſeiam moderatorem, commiſſæ manui Chenaniæ ex principibus Regis.* SUB MANU IEHIEL. Hebr. *In numeratione viſitationis eorum, in manu Iebielis*, ſeu *in numero recenſionis, cenſus, deſcriptionis, inſpectionis, recognitionis, præfecturæ, adminiſtrationis, delegationis, requiſitionis, officii, piſcopatus, eorum, per manum Iebielis*; id eſt, in numero eorum quem pro ſuo munere in publico militiæ delectu excepit Iehiel ſcriba, &c. MAASIAEQUE DOCTORIS. Haud mirarer ſi noſtri aliqui codices præferrent *ductoris*, nam nec a voce Hebraica שוטר *ſchoter* abludit: de qua vide Comm. in Exodi V. 6.

V. 13. ET SUB EIS UNIVERSUS EXERCITUS, &c. Hunc verſum nos verbo tenus ex Hebr. reddidimus (*Et ſuper manum eorum ſtrenuitas militiæ trecenti mille, & ſeptem millium, & quinque centi facientes cæſionis, in virtute ſtrenuitatis, ad adiuvare Regi ſuper malevolentem.*) Clarius alii in hunc modum: *Quorum manui commiſſi copiarum militarium ter centies mille quingenti, gerentes bellum virtute militari, ad auxiliandum Regi contra hoſtem.* Nonnulli: *Et ſub manu eorum fuit exercitus militaris trecentorum millium, atque ſeptem millium quingentorum, qui belligerabant ſtrenua virtute, ut auxilio eſſent Regi contra hoſtes.* Quidam: *Et ſub imperio eorum exercitus, militiæ trecentorum & ſeptem millium, atque quingentorum pugnantium*

tium cum fortitudine roboris, ut opem ferrent Regi contra inimicum.

V. 14. PRAEPARAVIT QUOQUE EIS OZIAS, &c. Hunc versum Iosephus, ita supra paraphrastice reddidit: *Edocuitque exercitum phalangis ordinem struere in aciem: & arma singulis distribuit, gladios, clypeos, & thoraces æreos, arcus etiam, & fundas.*

V. 15. ET FECIT IN IERUSALEM DIVERSI GENERIS MACHINAS. Hebr. *Et fecit in Ierusalaim excogitata, excogitationem excogitantis*: tria vocabula eiusdem radicis. Quidam: *Et fecit in Ierusalaim machinas arte artificis*. Alii: *Et fecit in Ierusalaim ingeniose excogitata quædam tormenta*, aut *machinas*. Nonnulli: *Fecit prætorea Ieruschalaimis machinas ingeniosissime excogitatas*, &c. Iosephus ibid. *Præterea machinas fecit multas ad expugnanda oppida, quibus vel saxa, vel tela emitterentur, harpagones quoque, & alia instrumenta his similia*. EO QUOD AUXILIARETUR EI DOMINUS, ET CORROBORASSET ILLUM. Nos vim verborum expressimus (*Quia arduum fecit ad adiuvare usque ad quia obtinuit.*) Alii varie. I. *Quia fecit admirari, dum adiutus est usquequo invaluit*; id est, admirandum se exhibuit ad prævalendum; quasi dicat: Admirando modo prævaluit adiutus a Deo. II. *Quia mirificavit eum Deus auxiliando, donec roboratus est*; id est, mirifice eum iuvit Deus. III. *Eo quod arduum fecit ei auxilium*, id est magnum & excellens, *donec obfirmatus fuit*. IV. *Eo quod mirabilem sese præstitit adiuvando se ipsum, donec roboratus est*. V. *Quia mirificabat adiuvari*; id est, mirabilem sese præstitit comparando sibi undique vires, quibus inimicis resisteret: vel *eo quod mirifice sibi paravit auxilia*: sive *eo quod mirifice adiuvabatur, usquedum fortis extitit*; sive *usquedum confirmatus esset*; vel *donec fortissimus fieret*.

V. 16. IN INTERITUM SUUM. Varie alii. I. *Donec corrumperet sese*: vel *donec perderet sese*. II. *Ad corrumpendum*, subaudi sese, vel vias suas, id est mores suos. III. *Donec omnia perderet*. IV. *Usque adeo ut se corrumperet*: seu *ut perdite ageret*.

V. 17. AZARIAS SACERDOS, subaudi summus: plena locutio exprimitur infra vers. 20.

V. 18. NON EST TUI OFFICII OZIA: Hebr: *Non tibi*, vel *non tuum*, *Ozia*, &c. Vide Exod. xxx. 7. & seqq. Invictum robur sacerdotalis pectoris! Præclarum exemplum sacerdotibus, Regibus obsistendi cum se rebus Ecclesiæ immiscent.

V. 19. IRATUSQUE OZIAS. Verbo זעף *zaghaph* hæc omnia subsunt: *Et efferbuit, furuit, sæviit, frenduit*; *conturbatus, indignatus, consternatus fuit*; *commotus fuit*; *exæstuavit ira*; *attonitus*, *mæstus fuit*. Iosephus: *Tum Rex commotus, mortem illis, ni quiescerent, minatus est*. THURIBULUM. מקטרת *miktereth*. Quidam *suffitum, suffimentum* exponunt; alii vas ipsum in quo fit suffitus, seu fumigatio, aut suffitio, id est *thuribulum*, seu *suffitorium* dixeris. SUPER ALTARE THYMIAMATIS. Hebr. *De super ad altare suffitus*. Quidam, *Apud altare suffimenti*. Alii, *De super altare*, vel *ab altari suffitus*; id est, a Deo præsentiam suam in altari testante, & ex eo lepram aspectabili signo eiaculante: synecdoche. Iosephus, Lib. IX. Antiq. cap. XI. *Et ecce ibi terra vehementer concutitur, fissoque superne templo radius solis os Regis improbum ferit, quod e vestigio lepra contactum est. Accessit huic & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante urbem in loco, qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis revulsum, per quatuor stadia volutum, obiectu demum orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis*. Hunc terræ motum ex Kabbalah quoque compertum habent Hebræi. S. Hieronymus in Amos cap. I. vers. I. *Lepra percussus in fronte est, quando iram Domini non solum pœna eius, qui sacrilegus fuit, sed & terræ motus ostendit, quem Hebræi tunc accidisse commemorant*. Vide Comm. in Amos cap. I. vers. I. & in Zachariæ cap. XIV. vers. 5.

V. 20. VIDERUNT LEPRAM IN FRONTE EIUS. Erat quidem toto corpore leprosus, ut infra vers. 21. & II. Reg. XV. 5. sed in fronte fuit tunc magis conspicua, ac in tota facie. Synecdoche. ET FESTINATO EXPULERUNT EUM. Alii reddunt, I. *Et fecerunt festinare eum inde*; id est, præcipitanter eum amoliti sunt. II. *Et festinanter egredi fecerunt inde*. III. *Et deturbaverunt, extruserunt, eum ex illo loco*. IV. *Et deterruerunt eum illinc*;

id

Id eſt, ſubito terrore perculſum inde eiecerunt. Verbum בהל *babal* in Hiphil, *ſubitum impulſum*, *feſtinationem*, *præcipitantiam*, *celeritatem* denotat. V. *Et præcipitaverunt eum inde*. SED ET IPSE PERTERRITUS ACCELERAVIT EGREDI. Verbum דחף *dachaph* conferunt cum transpoſito חפד *phachad*, aiuntque ſignificare *ſubitam*, *feſtinatam*, *& pavidam compulſionem*; unde reddunt: *Et etiam ipſe feſtinanter, & pavide compulſus eſt egredi*.

V. 21. FUIT IGITUR OZIAS REX LEPROSUS, &c. Vide de hoc verſu II. Reg. xv. 5. & Comm. ibi.

V. 22. PRIORUM, ET NOVISSIMORUM. Vide de hac locutione I. Paralipom. xxix. 29. SCRIPSIT ISAIAS FILIUS AMOS. Exponunt, Cum in Libro II. Reg. tum in Libro ſuæ prophetiæ. At cum in Libro prophetiæ Iſaiæ fere nihil de rebus Huziiæ conſcriptum extet; ſeorſim alium commentarium de rebus geſtis Huziiæ, & forte aliorum Iudaicorum Regum, conditum a maximo vate plerique exiſtimant; qui tamen temporum iniuria perierit, ut alia ſacra monumenta.

V. 23. IN AGRO REGALIUM SEPULCRORUM. Hebr. *In agro ſepulturæ*; qui ager, vel quæ ſepultura *Regibus* erat. Quidam, *In agro ſepulcrali, qui erat Regum*, id eſt in eodem agro, ſed ſeorſim a cadaveribus aliorum Regum, quod in lepra mortuus fuiſſet. Veteres in agris ex hortis ſepulcra extruxiſſe, notiſſimum eſt: de quo ritu abunde Kirchmannus Lib. II. de Funeribus Romanorum cap. XXII. Certum eſt Iudæos Reges publicum ſepulcrum in arce Tziionis ſeu in civitate Davidis habuiſſe: fortaſſe privata iis erant in agro, ſeu horto aliquo vallis Iehoſaphati. De his Regum ſepulcris vide recentiores terræ ſanctæ Luſtratores, Ioannem Zuallardum Itinerarii Ieroſolymitani Lib. IV. extremo, & Ioannem Corovicum Lib. II. ſui Itinerarii, cap. XIV. pag. 304. & 305. Poſſit hic eſſe hipallage: *In agro ſepulturæ*, pro in ſepultura agri, *qui erat Regibus*; ut Huziiah, quod leproſus obierit, non ſit admiſſus in ſepulcrum Regum, quod erat in monte Tziionis; ſed ſemota ſepultura, ſingulariter in agro, ſeu horto aliquo regio ſepultus fuerit. Ioſephus ibid. *Sepultus eſt in ſuis hortis in monumento ſolitario*.

MENOCHII.

Verſ. 1. OMNIS AUTEM POPULUS, &c. Duo hi primi verſiculi repetiti ſunt ex IV. Reg. XIV. 21.

V. 3. SEDECIM ANNORUM, &c. Vide IV. Reg. cap. XV. num. 2.

V. 5. IN DIEBUS ZACHARIAE. Non eſt hic Zacharias Propheta, qui in minoribus Prophetis penultimus eſt: hic enim a Zacharia, de quo hoc loco ſermo eſt, facile trecentis annis diſtat. D. Hier. in hoc cap. ait, Zachariam hunc fuiſſe filium Zachariæ filii Ioiadæ Pontificis, & poſt mortem patris poſthumum natum fuiſſe. INTELLIGENTIS, ET VIDENTIS DEUM. Hebræi, & Græci legunt, *Intelligentis in viſionibus Dei*, Prophetæ; quaſi dicat, Periti in viſionibus Dei. DIREXIT EUM. Hebr. *Fecit eum proſperari*, Dominus ſcilicet. MURUM GETH. Geth, & Azotus primariæ fuerunt urbes Philiſthinorum, & duæ de quinque ſatrapiis eorum, reliquæ tres erant Aſcalon, Gaza, & Accaron. IABNIAE. *Iabnia*, ſive Iamnia, civitas erat maritima portu celebris, & munita, vix trium horarum itinere diſtans a Geth, iuxta tabulas Adrichomii. IN AZOTO, ET IN PHILISTHIIM. In agro Azoti, & Philiſthinorum oppida ædificavit, quæ Iudæis contra reliquos Philiſthæos præſidio eſſent, & ad eos in officio continendos valerent.

V. 7. CONTRA ARABES. Quia multiplex eſt Arabia, eos Arabas pugnaſſe Oziam ait facer textus, qui habitabant in Gurbaal. IN GURBAAL. *Ipſa eſt Gerara*, inquit D. Hier. in Quæſt. in Paral. *in qua peregrinatus eſt Abraham*. Septuaginta in Regiis Bibliis habent, *Habitantes in Petra*, Abraham, quæ Petræa dicta eſt, intelligentes. Vide Adricomium in Simeon num. 47. ubi de Gerara. CONTRA AMMONITAS. In Hebræo eſt המעונים *Ammebunim*, quaſi duo loca in Arabia, Gurbaal, & Mehunim. Septuaginta intellexerunt eo nomine populos quos ipſi Minæos vocant, quos Stephanus de Urbibus dicit fuiſſe Arabas mari rubro adiacentes, apud quos thus naſcatur, quod *Minæum* propterea Plinius appellat. Strabo collocat Mi-

næos

næos in Arabia Felici; Plin. vero Lib. VI. cap. XXVIII. ad mare mediterraneum.

V. 9. SUPER PORTAM ANGULI. Porta hæc terminabat latus occidentale muri Ierosolymitani, & inchoabat aquilonare. Vide Villalp. Tom. III. Lib. III. cap. XIII. SUPER PORTAM VALLIS. Porta hæc ducebat ad montem Calvarium. & dicta est *Porta Vallis*, a Valle cadaverum, quomodo eam etiam vocat Ieremias cap. XXXI. 40. Erat autem Vallis cadaverum iacens inter montem Calvariæ & murum Ierusalem; sic dicta quod ibi cadavera, ossa, & cineres eorum qui in Golgotha morte puniti erant, aut combusti, proiiciebantur. Hac ergo porta egressus est Christus crucem baiulans. IN EODEM MURI LATERE, quod occidentem spectabat.

V. 10. EXTRUXIT ETIAM TURRES IN SOLITUDINE, ut ab hostilibus latrunculorum incursionibus tuti essent pastores in solitudinum pascuis.

V. 11. SUB MANU IEHIEL SCRIBAE, &c. Iehiel scriba, & Mahasias censendis tantum militibus Regis nomine præfuisse videntur, Hananias vero fuisse princeps militiæ. Vel etiam dici potest, illos duos adstitisse Hananiæ, sicut olim regnante David, Abisai, & Ethai aderant Ioabo, II. Reg. XVIII. 2. Vide eo loco sacrum textum. MAASIAE DOCTORIS. Hebr. *Præfecti*. Septuag. *Iudicis*. QUI ERAT DE DUCIBUS REGIS. Septuaginta habent τῦ διαδόχου τῦ βασιλέως, *vicarii Regis*, sive *proregis*.

V. 16. ADOLERE INCENSUM, &c. quod illi non licebat, cum munus hoc esset sacerdotum, ut dicitur num 18.

V. 19. ORTA EST LEPRA IN FRONTE, quare nec abscondi potuit. Temere se sacris immiscenti pœna capitalis debebatur, Numer. III. 10. & XVIII. 7. Verum lepra instar mortis erat, quæ ab hominum consuetudine tamquam mortuos separat, & eam morti æquat Scriptura hoc loco cum ait num. *16. Et elevatum est cor eius in interitum suum*. Aliqui etiam illud Isaiæ cap. VI. num. 1. *In anno quo mortuus est Ozias*, explicant de anno quo lepra percussus est.

V. 21. FUIT IGITUR OZIAS, &c. Hæc usque ad finem capitis explicavimus IV. Reg. XV. 5. & deinceps.

T I R I N I.

Vers. 5. IN DIEBUS ZACHARIAE INTELLIGENTIS ET VIDENTIS DEUM, id est experti & periti in visionibus propheticis. Ita insinuant Hebræa, & Græca. Hunc Prophetam putant Caietanus, & Dionysius, fuisse filium alterius Zachariæ, quem impius Rex Ioas lapidibus obrui iussit in templo cap. XXIV. vers. 21. Hic dum vixit, Regique Oziæ familiaris fuit, illum in officio continuit: ubi vita excessit, etiam Ozias a recto deflexit.

V. 9. AEDIFICAVITQUE OZIAS TURRES IN IERUSALEM, &c. Crediderim, novis substructionibus implevisse illam murorum partem, quam capite præcedenti vers. 23. Ioas Rex Israel *destruxerat a porta Ephraim usque ad portam anguli*, sic dictam quod urbs ex ea parte angulum haberet. Sicut *porta Ephraim* illa vocabatur quæ sortem tribus Ephraim respiceret.

V. 10. TURRES IN SOLITUDINE sunt domus rusticæ, ubi conduntur agrorum fructus, & pecora stabulantur, & qui illis præsunt commorantur, quæ & *castella* vocari solent. Sic Christus discurrisse dicitur per *vicos & castella*, id est per rusticorum villas, & mapalia pastorum.

V. 22. RELIQUA AUTEM SERMONUM, seu rerum gestarum, OZIAE ... SCRIPSIT ISAIAS. Horum tamen nihil iam extat in prophetia Isaiæ, sed prorsus interierunt omnia. Bis tantum illius obiter meminit: semel cap. VI. vers. 1. *In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super montem excelsum*: Ubi sanctus Hieronymus, Origenes, Cyrillus, & Chrysostomus notant, ideo usque ad mortem Oziæ distulisse Deum per Prophetas agere cum populo Iudaico, quod hic contaminaretur consortio & præsentia leprosi Regis: debuissent enim illum non in urbe detinere, sed extra mænia exturbare, ut lege cautum fuerat. Iterum meminit illius Isaias cap. XIV. vers. 28. cum Philisthæos ab Ozia sæpius attrios, ut hic habes vers. 6. & 7. & iam comperta morte illius vehementer exultantes, sic minabundus alloquitur: *Ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percusso-*

cuſſoris tui Oziæ; *de radice enim colubri egredietur regulus*, nempe Ezechias pronepos Oziæ, qui tanto gravius vos affliget, quanto gravior eſt reguli quam colubri morſus. Eodem Ozia adhuc vivente accidit magnus ille terræmotus, cuius meminerunt Amos *a*, & ex quorumdam ſententia Zacharias *b* Propheta: qui tunc contigiſſe videtur, quando Rex attentavit ſceleratis manibus incenſum offerre Deo. Ita Ioſephus *c*, & alii Hebræi: neque abnuit ſanctus Hieronymus, & Cyrillus. Verba Ioſephi ſunt: *Ecce tibi terra vehementer concutitur, fiſſoque ſuperne templo, radius ſolis, os Regis improbum fecit, quod e veſtigio lepra contactum eſt. Acceſſit & aliud prodigium, quod eodem terræ motu, ad urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis revulſum, & per quatuor ſtadia volutum, obiectu tandem orientalis montis conſtitit, obſtructa via publica, & oppreſſis ruina hortis regiis*. Ut mirum non ſit, cives (quod ait Propheta Zacharias) ex urbe Ieroſolymitana profugiſſe; & Regem extemplo ab impio facinore deſtitiſſe, territumque loco ceſſiſſe, ut hic dicitur verſ. 20.

(*a*) Amos cap. I. verſ. I.
(*b*) Zach. cap. XIV. verſ. 5.
(*c*) Antiq. Lib. IX. cap. XI.

GORDONI.

Verſ. 2. & 5. OZias Rex, ſeu Azarias, ædificat urbem Ailath ad mare rubrum. VIDENTIS DEUM. Septuag. *In viſionibus*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

De rebus huius capitis, vide IV. Reg. præſertim cap. XIV.

V. 5. Zacharias iſte eſt filius Zachariæ filii Ioiadæ, ex Hieronymo.

V. 6. IABNIAE, aliter *Iamniæ*. Portus eſt celebris. Parum diſtat a Geth.

V. 7. GURBAAL. Ex loco diſtinguuntur hi Arabes ab aliis Arabibus. Aliquibus eſt Arabia Petræa.

V. 9. PORTAM ANGULI. Porta hæc eſt inter muri urbis portam occidendentalem & aquilonarem. *Porta vallis* ducebat ad Calvariam.

V. 11. DOCTORIS. Septuag. *Iudicis*: alii, *Præfecti*.

CAPUT XXVII.

Ioatham pietas commendatur, qui devicto Rege Ammon magnam ab eo mulctam accepit, cui ſuccedit impius filius Achaz.

1. 
Igintiquinque (*a*) annorum erat Ioatham cum regnare cœpiſset, & ſedecim annis regnavit in Ieruſalem: nomen matris eius Ieruſa filia Sadoc. 2. Fecitque quod rectum erat
coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ozias pater ſuus,
excepto quod non eſt ingreſsus templum Domini, & adhuc
populus delinquebat. 3. Ipſe ædificavit portam domus Domini excelſam, & in muro Ophel multa conſtruxit. 4. Urbes quoque ædificavit in montibus Iuda, & in ſaltibus caſtella & turres. 5. Ipſe pugnavit contra Regem filiorum Ammon, & vicit eos,
dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem
millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filii Ammon,
in anno ſecundo & tertio. 6. Corroboratuſque eſt Ioatham, eo quod direxiſset

vias suas coram Domino Deo suo. 7. Reliqua autem sermonum Ioatham, & omnes pugnæ eius, & opera scripta sunt in Libro Regum Israel, & Iuda. 8. Vigintiquinque annorum erat cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Ierusalem. 9. Dormivitque Ioatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate David: & regnavit Achaz filius eius pro eo.

(a) IV. Reg. xv. 32.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. PATER SUUS, scilicet cum bonus esset. NON EST INGRESSUS, &c. quasi dicat: Non est imitatus patris temeritatem. DELINQUEBAT. Hebr. *Perverse agebat*. Sept. *Corrumpebatur*; id est, erat corruptis moribus.

V. 3. EXCELSAM, scilicet orientalem, OPHEL, scilicet turris sic dictæ ab altitudine.

V. 4. CASTELLA. Alii, *Palatia*.

ESTII.

Vers. 2. EXCEPTO QUOD NON EST INGRESSUS TEMPLUM DOMINI, ET ADHUC POPULUS DELINQUEBAT, scilicet immolando in excelsis, ut expressum est Lib. IV. Reg. cap. xv. Et hæc scilicet est causa cur Ioatham, de quo nihil aliud reprehensione dignum legitur, non connumeretur Eccl. XLIX. inter Reges Iuda meliores.

V. 3. IPSE AEDIFICAVIT PORTAM DOMUS DOMINI EXCELSAM. Vide Annot. IV. Reg. xv.

MARIANAE.

Vers. 2. IUSTA OMNIA QUAE FECERAT OZIAS, fecit rectum. Conditio diminuens; quasi dicat: Bonum fecit Ioatham, sed non semper; sed ut eius pater Ozias, qui malè vixit. Sic intelligo quod de Ozia dixit cap. XXVI. vers. 4. fecisse rectum, ut Amasias eius pater. NON EST INGRESSUS ad adolendum thus, ut ille fecit. Itaque in aliis imitatus est eum, non in hoc. DELINQUEBAT. Hebr. *Adhuc populus corrumpentes*, scilicet vias suas, *corruptus erat*.

V. 3. AEDIFICAVIT PORTAM .... EXCELSAM, id est præcipuam. Hæc erat porta orientem spectans in fronte operis, & sanctuarii, seu atrii. ET IN MURO OPHEL MULTA CONSTRUXIT, Isai. XXXII. 14. ubi sunt illa verba Hebræa עפל ובחן *Hophel Vabahan*, ait Hieronymus, ex Hebræorum testimonio duas turres fuisse Ierosolymis, alteram *Hophel* dictam a caligine, quod ad nubes pertingeret; aliam *Bahan*, a probando; quod in contemplando culmine oculi fallerentur. Ergo in ea turri *Hophel*, aut prope eam, magnam muri partem ædificavit. Sept. id ipsum secuti sunt. Kimhi nomen appellativum putat, & significare locum excelsum & munitum, id est *arcem*: idem de voce *Bahan* ait. Hoc secutus Pagn. vertit Hebr. *Et in muro arcis ædificavit multum*.

V. 4. CASTELLA. Alii, *Palatia*. Sept. *Castella in montibus ædificavit*. Vicit Ammonitas, dederuntque ei tributum.

V. 5. IN TEMPORE ILLO. Hebr. *in anno hoc*. ET TERTIO; quasi dicat: Id tributum non ultra tertium annum stetit, idque fœdus non amplius cum Ammonitis ictum.

V. 7. ET OPERA reliqua scripta sunt: sic Sept. Hebr. *Et viæ eius*: sed *viæ* pro *operibus* aut *moribus*. Sepultus est Ioatham in Ierusalem: successit Achaz eius filius, qui bonus non fuit.

MALVENDAE.

Vers. 1. VIGINTIQUINQUE ANNORUM ERAT IOATHAM, &c. Conferendum hoc caput cum II. Reg. xv. a vers. 32. usque ad finem capitis: nam est idem argumentum, nisi quod hic quædam adduntur: inde petendi Comm. præter eos quos hic adiiciemus.

V. 2.

V. 2. EXCEPTO QUOD NON EST INGRESUS TEMPLUM DOMINI. Hebr. *Tantummodo*, seu *verumtamen non ingressus fuit basilicam Iehovæh*. Fere omnes intelligunt, ad suffiendum suffitum in altari suffitus, ut attentaverat pater eius; quasi dicat: Imitatus est bonos mores patris suis; sed non eius temeritatem usurpando sibi munus sacerdotale: non introivit in ipsum hechal, quo solis sacerdotibus ingredi licebat. Fortasse innuit neque in ipsum atrium ingressum, metu paterni infortunii. Alii exponunt: Id est, non sacrificavit in templo, sed in excelsis. ET ADHUC POPULUS DELINQUEBAT. Hebr. *Et adhuc populus corrumpentes*, vel *corrumpere facientes*; subaudiunt, se ipsos, vel mores suos; quasi dicat: Erant corruptis & depravatis moribus. Aliqui: *Depravate*, seu *perdite agentes*. Nonnulli: *Facientes destruere*, verum Dei cultum. Vide II. Reg. xv. 35.

V. 3. ET IN MURO OPHEL. De *Ophel* vide Comm. in II. Reg. v. 24. Hic plerique Hophel volunt locum fuisse inter arcem Tzioniis & templum, quem Nathinæi inhabitabant; quo in loco extructam arcem tamquam præsidium tenuerunt, ne vel hostibus, vel grassatoribus pateret ad arcem regiam aditus, sive irruptio. S. Hieronymus in Isaiæ XXXII. 14. *Hophel Hebræi turrim in Ierusalem fuisse arbitrantur, excelsam atque firmissimam, quæ hoc appellabatur nomine, quod interpretatur tenebræ, sive nubilum, quod usque ad nubes erigeret caput*. Ergo Hophel Ierosolymis fuisse turrem, vel arcem eminentissimam, & munitissimam, nempe munitionem, propugnaculum, fortalitium in alto & sublimi loco positum, eo nomine proprio, vel appellativo dictum, Hebræi omnes uno ore confirmant; & ex recentioribus, Reuchlinus, Sanctes, Alfonsus Zamorensis, Vatablus, Leo Iudas, Isidorus Clarius, Pomarius, Forsterus, Forerius, Mercerus, Montanus, Marinus, Avenarius, Schindlerus. Ceterum Tremellius, Iunius, Buxtorfius reddunt: *Et in muro clivi*: annotantque, *Hophel fuisse clivum, id est editiorem locum, seu partem urbis Ierusalaimorum post templum ad occidentem situm, inter Gichonem torrentem & portam piscium, ut apparet infra cap.* XXXIII. *vers.* 14. *quem inhabitarunt Nathinæi*, *Nehemiæ* III. vers. 26. & 27. & *Nehem.* XI. *vers.* 21. Hophel turrim fuisse, vel in eo turrim extructam, dilucide dicitur Michææ IV. 8. Ophlæ meminit Iosephus Libro II. Belli, cap. XVIII. & Lib. VI. cap. VII. Qui hæc contra argutantur, nihil aliud faciunt, quam suam imperitiam & futilitatem, totiusque Hebraïsmi meram inscitiam prodere. Hunc locum Iosephus, ubi supra, ita reddidisse videtur: *Et porticus refecit, mænium partem labantem restituit, & additis magnis ac firmis turribus communivit*.

V. 5. CENTUM TALENTA ARGENTI, id est unum millionem & ducenta millia regalium Castellanorum. Vide supra cap. XXV. vers. 6. DECEM MILLIA COROS TRITICI, id est trecenta millia modiorum tritici, & totidem hordei. Vide in I. Reg. IV. 22. EO QUOD DIREXISSET VIAS SUAS CORAM DOMINO. Aliqui: *Quia comparaverat vias suas coram Iehova*, hoc est consilia, studia, actiones, vitamque suam: sic versu sequente; quasi dicat: Inculpate vixit coram Deo.

V. 7. ET OMNES PUGNAE EIUS, sive omnia bella eius: intelligunt, ei illata a Retzino Rege Syriæ, & a Pekacho Rege Israelis: de quibus II. Reg. XV. 37.

MENOCHII.

Vers. 1. VIGINTI QUINQUE ANNORUM, &c. Vide dicta IV. Reg. XV. 32.

V. 3. IN MURO OPHEL MULTA CONSTRUXIT. Hebr. & Septuag. *Multum ædificavit*. Villalpandus in suo schemate Ierusalem constituit Ophel locum illum totum qui a parte orientali templi, & muro civitatis intercipitur, ex quo ea pars muri diceretur *murus Ophel*, in quo loco Ioatham ad quatuor stadiorum spatium murum ædificavit. Quidam *murum Ophel*, vertunt *murum clivi*, & ad occasum templi collocant, quibus favere videtur Scriptura infra cap. XXXIII. num. 14. Nomine etiam Ophel habitatio Nathinæorum, sive Gabaonitarum vocabatur, Esdræ II. III. num. 26.

V. 4. IN SALTIBUS CASTELLA ET TURRES, ut viatoribus, & pastoribus præsidio essent, & vim externam irrumpentium hostium a rcerent.

V. 5. CONTRA REGEM FILIORUM AMMON, iugum fortasse Iudæorum excutere conantem: nam Ozias illos bello vicerat, & tributum imperaverat. COROS. Continet corus triginta modios Romanos. Vide Cornel. a Lapide in tractatu de Mensuris ad finem Pentatheuchi, qui etiam addit esse onus quod ferre potest asinus, qui cum Hebraice חמר *chamor* dicatur, videtur nomen invenisse a חמר *chomer*, quod *corum* significat. IN ANNO SECUNDO ET TERTIO. Dubium videtur an bis tantum solverint Ammonitæ hoc tributum, an vero ter. Sed septuaginta Interpretes difficultatem tollunt; sic enim habent: *Hæc afferebat ei Rex filiorum Ammon quotannis in primo anno, & in secundo anno, & in tertio.*

TIRINI.

Verf. 2. EXCEPTO QUOD NON EST INGRESSUS TEMPLUM, scilicet ad thus Deo adolendum; quasi dicat: Filius noluit imitari temeritatem patris. ET ADHUC POPULUS DELINQUEBAT, delicto tum temporis vulgato, nempe *sacrificando in excelsis*. Neque ausus fuit Rex Ioatham populum ab illis divertere. Iosephus *a* præclarum huic Regi testimonium dat, *Nulla*, inquiens, *ei virtus defuit, erga Deum pio, iusto erga homines, & reipublicæ studioso.*

V. 3. IPSE AEDIFICAVIT, seu instauravit, & splendidiorem construxit, PORTAM DOMUS DOMINI EXCELSAM, id est orientalem, qua ingressus a fronte patebat in templum: eratque hæc omnium præcipua, maximeque *excelsa*. Hanc illam crediderim *portam* esse *novam*, cuius Ieremias *b*, & alii meminerunt. OPHEL, vertit Rabbi Kimhi, & Pagninus *arcem*. Sed S. Hieronymus *c* ex Septuaginta, & traditione antiquorum Hebræorum, ait duas fuisse præcipuæ altitudinis turres Ierosolymis, unam (והופל) *Hophel* dictam a caligine, quod ad nubes pertingeret; alteram (בחן) *Baban*, a probando, quod in contemplando culmine probaretur num oculi sat probi, & perspicaces essent. Utriusque meminit Isa. cap. XXXII. verf. 14. Et prope alteram harum dicitur hic, Ioatham Rex magnam muri partem construxisse, cum oportunis propugnaculis; & urbis ornamentis.

(*a*) Ioseph. Lib. IX. Antiq. cap. XI.
(*b*) Ierem. cap. XX. verf. 10. & XXXVI. 10.
(*c*) Hieron. in Isaiæ XXXII. verf. 14.

GORDONI.

Verf. 2. NON EST INGRESSUS TEMPLUM; id est, non temere egit ut pater, qui ingressus est templum ut thus adoleret.

V. 3. AEDIFICAVIT PORTAM. Vocat EXCELSAM. Ea erat præcipua, & orientalis, in fronte atrii. IN MURO OPHEL: vide Isa. XXXII. 14. עפל, turris erat, sic dicta a caligine, nempe quod altitudine ad nubes pertingeret.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. IN SALTIBUS CASTELLA, ET TURRES, ut essent pastores, & viatores tuti a latronibus. Hinc cap. XXVI. verf. 10. turris solitudinis.

V. 5. Corus continet triginta modios Romanos. IN ANNO SECUNDO ET TERTIO. Consule Septuaginta: ter sane in anno.

CA-

CAPUT XXVIII.

Propter scelera Achaz multipliciter affligitur Iuda, primum ab Assyriis, deinde a filiis Israel (qui ob id crudelitatis arguti a Propheta, remittunt Iudæos captivos cum præda) rursum etiam ab Idumæis, & Philisthæis: Achaz tamen post omnem plagam adhuc auget impietatem; cui pius succedit filius Ezechias.

1. Iginti (a) annorum erat Achaz cum regnare cœpisset: & sedecim annis regnavit in Ierusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater eius; 2. sed ambulavit
in viis Regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim. 3.
Ipse est, qui adolevit incensum in Vallebenennom, & lustravit filios suos in igne, iuxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel. 4. Sacrificabat
quoque, & thymiama succendebat in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso. 5. Tradiditque eum Dominus Deus eius in manu Regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio, & adduxit in Damascum: manibus quoque Regis Israel traditus est, & percussus plaga grandi. 6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores: eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum. 7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium Regis, & Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoque secundum a Rege. 8. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam. 9. Ea tempestate erat ibi * Propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas. 10. Insuper filios Iuda, & Ierusalem vultis vobis subiicere in servos, &ancillas: quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. 11. Sed audite consilium meum, & reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis. 12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, * & Amasa filius Adali, contra eos qui veniebant de prælio, 13. & dixerunt eis: Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adiicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. 14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, & universa quæ ceperant, coram principibus, & omni multitudine. 15. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, & apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant vestierunt de spoliis: cumque vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem, & adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam. 16. Tempore illo misit Rex

Achaz

Achaz ad Regem Assyriorum postulans auxilium. 17. Veneruntque Idumæi, & percusserunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam. 18. Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, & ad meridiem Iuda: ceperuntque Bethsames, & Aialon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnan, & Gamzo, cum viculis suis, & habitaverunt in eis. 19. Humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz Regem Iuda, eo quod nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum. 20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit. 21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, & domo Regum ac principum, dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 22. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz, 23. immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinæ ei, & universo Israel. 24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in universis angulis Ierusalem. 25. In omnibus quoque urbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum. 26. Reliqua autem sermonum eius, & omnium operum suorum priorum & novissimorum, scripta sunt in Libro Regum Iuda, & Israel. 27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate Ierusalem: neque enim receperunt eum in sepulcra Regum Israel. Regnavitque Ezechias filius eius pro eo.

(a) IV. Reg. xvi. 2.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Propheta Domini nomine Oded*. Et hic scribendum est *Oded* repetito *d*, non *Obed*, quemadmodum supra xv. vers. 1.

V. 12. *Et Amasa filius Adali*. Nomen *Amasa* non augeas quarta syllaba *Amasias*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 2. FUDIT. Hebr. & LXX. *Fecit*. BAALIM, id est idolis.

V. 3. LUSTRAVIT, scilicet faciendo transire per ignem.

V. 5. PRAEDAM. Hebr. & LXX. *captivitatem*.

V. 8. INFINITAM. Hebr. & LXX. *multam*.

V. 10. QUOD NEQUAQUAM, &c. Hebr. videtur sensus esse: *Nonne & vos peccatores estis coram Domino Deo vestro?* at LXX. *Nonne vobiscum sum, ut testificer peccata vestra coram Domino Deo vestro.*

V. 17. PRAEDAM MAGNAM. Hebr. & LXX. *captivitatem*.

V. 19. NUDASSET EUM, scilicet populum, inducendo ad cultum idolorum, ob quod Deus auxilium negabat iratus. Alii pro *nudasset*, verterunt *cessare fecisset*, scilicet a Dei cultu. CONTEMPTUI HABUISSET. Hebr. *Prævaricatus esset in*. LXX. *Rebellasset*; seu *defecisset a*.

V. 20. ADDUXITQUE .... REGEM. Hebr. & LXX. *Venitque* Rex. CONTRA EUM. Alii, *ad eum*, scilicet ad ferendam opem. NULLO RESISTENTE VASTAVIT. Hebr. *Non roboravit eum*; id est, non iuvit Regem Achaz.

V. 21. PROFUIT; quasi dicat: Non ei

ei opem tulit, cum ea causa venisset, & munera accepisset.

V. 23. Percussoribus, scilicet sua opinione. Ita enim putabat.

V. 24. Clausit, scilicet ne quis ad adorandum ingrederetur.

V. 25. Aras. Hebr. & LXX. *excelsa*.

V. 27. Sepulcra, scilicet quæ erant in monte Sion.

ESTII.

Vers. 15. Et apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt eos: cumque vestissent eos, et calceassent, et refecissent cibo ac potu .... adduxerunt Iericho. Hoc exemplo admonentur Christiani Principes, ne ferociter abutantur victoriis contra alios Christianos, etiamsi forte propter peccata meruerint affligi. Nec sequitur: Hic homo, aut hic populus peccavit, aut insignem plagam meruit: ergo alius homo, vel Princeps, per quem Deus peccata illa punit, bene & iuste facit. Sic enim sequeretur & diabolum iuste affligere homines: nam per illum quoque sæpe Deus homines punit.

V. 23. Et dixit: Dii Regum Syriae auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, et aderunt mihi, cum e contrario ipsi fuerint ruinae ei, et universo populo Israel. Verba sunt Achaz qui stultissime a diis Syriæ auxilium expectabat. Porro posteriorum verborum iste est sensus, non quod illi dii ruinæ fuerint Israelitico populo, adiuvando Syros, aut pugnando contra Israel (nam idolorum nulla est virtus) sed fuerunt Israeli ruinæ obiective, quatenus scilicet Achaz eos colendo meruit ruinam sui, & populi.

MARIANAE.

Vers. 1. Et statuas fudit Balim; id est, idolis fecit sculptilia.

V. 3. Et lustravit filios: sic Sept. nimirum eos per ignem traducens. Alii: *Combussit filios suos*. Memento quo ritu sacrificarent Melchom, id est Saturno, & inter eas gentes receptum, ut in magnis periculis Principes deum ultorem placarent sanguine suorum filiorum, de quo in Libris Regum est dictum, IV. Reg. III. 27. Iuxta ritum gentium: Hebr. *Iuxta abominationes gentium*, sic Sept. Porro *idolum* & *idololatria* Hebr. vocatur *abominatio*. Quas interfecit. Heb. *Expulit Dominus*. In adventu. Hebr. *a facie* (id est coram) *filiorum Israel*.

V. 4. Sub omni ligno frondoso. Sic Sept. Alii *viridi*. Ego crediderim vocem *rahanan* significare *arborem proceram*, *insignem præ ceteris*. Gentes enim occulta vi latentis numinis putabant in eam altitudinem excrevisse: ea causa sub illis arboribus mox erigendi altaria, ibique sacrificandi.

V. 5. Magnamque praedam cepit de eius imperio. Hebr. *Et captivavit ab eo captivitatem magnam*: sic vers. 17. scilicet Rex Syriæ de Achaz regno.

V. 7. Occidit Zechri ...... ex Ephraim ...... ducem domus eius: scilicet Achas: sic Sept. Hebr. *ducem*, seu *principem domus*, scilicet regiæ procuratorem. Quidam vertit *præfectum prætorio*.

V. 9. Erat ibi Propheta ...... Oded: non *Obed*, ut plerique codices vitiose habent. Is dixit Israelitis: Occidistis eos atrociter. Hebr. *In furore occidistis eos*, qui scilicet erant e tribu Iuda. Ita ut ad caelum. Heb. (qui furor) *usque ad cælos pervenit*. Vultis eos servos facere, quos cepistis.

V. 10. Quod nequaquam facto opus est. Additum ab Interprete. Peccastis enim super hoc. Hebr. *Numquid non vere vos vobiscum* (habetis) *peccata in Dominum Deum vestrum*?

V. 12. Steterunt itaque viri. Hebr. *Et surrexerunt viri contra eos* qui veniebant de prælio, & dixerunt: Non introducetis huc captivos. Quare vultis adiicere super peccata,

V. 13. Et vetera cumulare delicta? Hebr. *Et super delicta nostra*, scilicet adiicere? Grande quippe peccatum est: nimirum huc afferre captivos fratres.

V. 15. Steteruntque viri. Heb. *Surrexeruntque viri*. Quos supra memoravimus. Hebr. *Qui nuncupati sunt*

in

in nominibus, id est prædicti vers. 12. CUMQUE VESTISSENT EOS, scilicet captivos. PROPTER LABOREM, ET ADHIBUISSENT EIS CURAM. Additum ab Interprete. QUICUMQUE AMBULARE NON POTERANT. Hebr. *Et duxerunt eos asinis omnes debiles*.

V. 16. AD REGEM ASSYRIORUM misit Achaz: sic Sept. Hebr. *Ad Reges Assyriorum ad auxiliandum sibi*. Noster, POSTULANS AUXILIUM.

V. 18. THAMNAN. Hebr. additur, *Et filias eius*, scilicet vicos: sic mox, *Et Gamzo, & filias eius*, id est vicos. Hieronymus, *Cum viculis suis*, scilicet Thamnan, & Gamzo cepere Philisthæi.

V. 19. EO QUOD NUDASSET EUM AUXILIO. Hebr. *Eo quod nudasset*. Verum qua re nudarit, non est facile constituere. Hieronymus *auxilio* dixit Deum nudasse eum, scilicet Achaz. Alii, *Nudasset bonis operibus*. Alii, *Eo quod Achaz Iudam nudasset vero Dei cultu*. Hebræus *nudasset*, id est *detexisset* (sic Sept. ἀπεκάλυψεν) *mala eius opera tam Regis quam populi*. Ipse credam ad vestes referendum, quibus nudabantur idolorum cultui vacantes, ut in Bacchanalibus fiebat: sic Exod. XXXII. 25. Moyses populum vitulum colentem invenit nudatum. Perinde ergo est *nudasset*, ac si diceret, Ad impium cultum populum adegisset. ET CONTEMPTUI HABUISSET DOMINUM. Hebr. *Et prævaricando prævaricatus est in Domino*. Sept. *Rebellasset*.

V. 20. ADDUXITQUE. Hebr. *Venit*. CONTRA EUM Regem Assyriorum. Sept. *contra Achaz*: alii *ad eum*: scilicet ut auxiliaretur ei, quod petierat Achaz vers. 16. ET AFFLIXIT EUM, scilicet novis sumptibus; & direptionibus. ET NULLO RESISTENTE VASTAVIT. Sept. *Et percussit eum*. Hebr. *Et non roboravit eum*, scilicet restitutis urbibus quas Philisthiim ceperant: non iuvit illum.

V. 21. IGITUR ACHAZ, SPOLIATA DOMO DOMINI. Hebr. *Etenim Achaz divisit* (id est distribuit, aut accepit) *domum Domini* (id est thesauros eius) *& domus regiæ & principum*. ET TAMEN NIHIL EI PROFUIT. Sept. *Et non in auxilium ei*: sic Hebr. quasi dicat: Nullum a Rege Assyriorum auxilium habuit. Dedit autem thesauros, aut cum ante misit ad petendam opem, aut postquam ad eum venit, quo scilicet eas copias a finibus depelleret, nocumento magis quam ex usu allatas.

V. 22. AUXIT CONTEMPTUM. Heb. *Prævaricationem auxit Achaz*.

V. 23. IMMOLAVIT DIIS DAMASCI VICTIMAS PERCUSSORIBUS SUIS. Sic ipse putabat, eosque hostiis placare volebat.

V. 24. DIREPTIS ITAQUE ACHAZ. Hebr. *Et collegit Achaz vasa*. CLAUSIT IANUAS TEMPLI, scilicet ne quis in templo oraret.

V. 25. EXTRUXIT ARAS. Hebr. & Sept. *excelsa*. Sed *excelsa* aræ erant, uti alio loco est dictum. AD CREMANDUM THUS. Hebr. additur, *diis alienis*. Sic Sept.

V. 26. RELIQUA AUTEM SERMONUM EIUS, id est actionum. OPERUM SUORUM, Hebr. *viarum eius*: id est morum: scripta sunt in Libro Regum Iuda. Obiit, & sepelierunt eum in Ierusalem.

V. 27. NEQUE ENIM RECEPERUNT EUM. Hebr. *Non adduxerunt eum*: vel potius *non intulerunt eum* in sepulcra aliorum Regum. REGUM ISRAEL. Hic *Israel* sumitur pro *Iuda*. Sed in urbe tamen Ierusalem loco seiuncto sepelierunt.

MALVENDAE.

Vers. 1. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ, &c. De hoc versu vide II. Reg. XVI. 2. & Comm. ibi.

V. 2. ET STATUAS FUDIT BAALIM. Hebr. *Et etiam fusilia*, statuas, imagines, simulacra fusilia, *fecit Baalimis*: de quibus vide in Iudic. II. 11.

V. 3. IN VALLE BENENNOM. Heb. *In valle filii Hinom*: de qua vide in Iosue XV. 8. & cap. XVIII. vers. 16. ET LUSTRAVIT FILIOS SUOS IN IGNE. Hebr. *Et traduxit filios suos in igne*: vel indefinite *filios suos*, pro *filium suum*: nam II. Reg. XVI. 3. singulariter dicitur *filium suum*: vel revera plures filios impio ritui devovit, de quo vide Comm. in eum locum Regum. Iosephus Lib. IX. Antiq. cap. XIII. *Idolis sacrificans, quibus etiam proprium filium holocautoma obtulit ritu Chananæorum*. IUXTA RITUM GENTIUM. Hebr. *Secundum*

dum

dum abominationes gentium: de quibus Num. xviii. 21. & cap. xxi. verſ. 1.

V. 4. Sacrificabat quoque, &c. Hic verſus totidem verbis ſcriptus eſt II. Reg. xvi. 4.

V. 5. In manu Regis Syriae, Retzini: de quo II. Reg. xvi. 5. In Damascum. Hebr. *Darmeſek*. Vide ſupra cap. xxiv. verſ. 23. ſic infra verſ. 23.

V. 7. Ezricam ducem domus. Heb. *Hazrikam anteceſſorem domus*. Quidam exponunt, *Præfectum prætorio*. Ioſephus, *Prætorianorum præfectum*. Ego potius intellexerim præfectum aulæ regiæ, quem nos maiordomum vocamus. Elcanam quoque secundum a Rege. Hebr. *Et Elkanah ſecundarium Regis*; id eſt, ſecundas a Rege obtinentem; vel vicarium Regis, viceregem, proregem. Hunc quoque omnes interfectum, ut duos præcedentes, intelligunt: Ioſephus contra *Et Elcanam tribus Iehudæ copiarum ducem: vivum in poteſtatem ſuam redegit*.

V. 9. Et occidistis eos atrociter, ita ut ad caelum pertingeret vestra crudelitas. Hebr. reddunt: *Et occidiſtis in eis in furore, qui uſque ad cælum pervenit*; quaſi dicat: In furore maximo illos occidiſtis. Ea res maxima eſt, cuius extremum cælos attingit. Alii: *Et interfeciſtis ex eis cum indignatione*; id eſt, veterum ſimultatum, & bellorum inde a diviſione regni geſtorum nomine exacerbatis: *quæ ad cælos uſque pertingit*; id eſt, ſumma eſt ſævitia quam exercuiſtis, & animus infenſiſſimus: hyperbole, ut Geneſ. xi. 4. Poſſit intelligi, qui furor ad cælos uſque pertingit, inde in ſe vindictam excitans.

V. 10. Vultis. Hebr. *Vos dicentes*, id eſt cogitatis, ſtatuitis. Quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. Noſtra Translatio ordinem verborum Hebraicorum ſuo more retinuit. (*Annon tantummodo vos, vobiſcum piacula* Ihuh *Elohim veſtro?*) Varie alii convertunt. I. *Nonne tantum vos vobiſcum delictorum ad Iehovah Deum veſtrum?* ſubaudi, habetis; quaſi dicat: Non ſat vobis eſt tantum peccatorum hactenus in Deum admiſiſse, niſi hoc tantum nefas nunc adiicere velitis? II. *Nonne vere vos eſtis tales ut vobiſcum ſint delicta contra Iehovam Deum veſtrum?* quaſi dicat: Peccaverunt filii Iehudæ, & vos quoque peccaſtis: illi victi ſunt propter ſua peccata: videte ne idem vobis eveniat: nam non caretis culpa, eoque magis parcere debetis fratribus. III. *An non obnoxios culpæ vos redditis apud Dominum Deum veſtrum?* IV. *An non penes vos, vos inquam, ſunt dumtaxat reatus contra Iehovam Deum veſtrum?* quaſi dicat: Nonne conſcii vobis eſtis, vos aliis peccatis veſtris reos iam peractos eſse coram Deo, quod illa hoc novo ſcelere cumulatis? *Peccaſtis enim ſuper hoc Domino Deo veſtro*. Hebr. *An non tantum vos, vobiſcum piacula*, ſeu *reatus, ipſi Iehovæh Deo veſtro?* Abruptio iſta, & præciſio verborum magnam vim habet; quaſi dicat: An non tantumdem vos peccaviſtis? certe vobiſcum ſunt piacula in Iehovah Deum veſtrum. Vel: *An non ſane, certe, perfecto penes vos? vobiſcum, inquam, ſunt reatus in Iehovah Deum veſtrum.*

V. 13. Ne peccemus Domino. Hebr. *Quia in reatum Iehovæh erit ſuper nos*. Exponunt: *In reatum Iehovæh*, id eſt maximum & graviſſimum: ſolet enim quidquid graviſſimum eſt exprimi adiuncto aliquo nomine Dei, ut Geneſ. 1. 1. cap. xxx. verſ. 8. unde reddunt: *Quia in reatum graviſſimum cederet nobis*. Quare vultis adiicere super peccata nostra? Hebr. *Vos dicentes ad addere ſuper peccata noſtra*. Quidam: *Quod vos dicitis, ſuperaddendo peccatis noſtris*; id eſt, cogitatis de fratribus veſtris in ſervitutem trahendis.

V. 14. Viri bellatores. חלוץ *chalutz*, id eſt *expeditus quiſque, accinctus, miles armatus*: quidam, *exercitus*: proprie, *extractus* inter alios, *ſelectus*, *lumbatus*, *accinctus lumbos*, more militiæ.

V. 15. Quos supra memoravimus. Hebr. *Qui perforati, fixi fuerunt in nominibus*. Quidam: *Qui nominati ſunt*, vel *expoſiti per nomina*; quaſi dicat, Prædicti. Alii: *Qui nuncupati ſunt per nomina*. Nonnulli, *Nominibus expreſſi*: vel *qui expreſſi fuerant nominatim*; id eſt, qui nominatim delecti fuerant ad exequendum illud mandatum. Quicumque ambulare non poterant, et erant imbecillo corpore. Hebr. *Omnem impingentem, offendentem*, vel *quemcumque labantem*; id eſt, qui pede offenderat, nec in-

ingredi poterat. Alii, *Omnem infirmum*, vel *debilem*, *nutantem*, *vacillantem*. IERICHO CIVITATEM PALMARUM. Vide Deuteronom. XXXIV. 3. Iudic. I. 16. & cap. III. verf. 13.

V. 18. GAMZO. Hebr. *Ghimzo*. Huius urbis nulla mentio in catalogo urbium Iehudæ, Iosue XV. nec ullibi alibi memoratur: forsan condita post illam terræ promissæ distributionem. Videtur fuisse vicina Thimnæ, cum qua hic coniungitur, de qua Iosue XV. 57. Urbem fortis Iehudæ fuisse insignem, quæ sua municipia habuerit, satis ex hoc loco apparet.

V. 19. PROPTER ACHAZ REGEM IUDA. Hebr. *Regem Israelis*, id est regni Iehudæ cum adiunctis Israelitis: synecdoche. Vide supra cap. XXI. vers. 2. sic infra vers. 27. EO QUOD NUDASSET EUM AUXILIO; id est, eo quod Achaz spoliasset ipsum Iehudam omni auxilio divino. De vi verbi פרע *paragh* in Hiphil, disseruimus in Exod. v. 4. Hic varie reddunt. I. *Quia fecit detegere in Iehudah*; id est, quia detexit, nudavit Achaz regnum Iehudæ thesauris, quibus procuravit auxilium Regis Assyriæ: quia fisus est thesauris, & auxilio humano, non divino. II. *Quia ultionem fecerat in Iehudah*; subaudi, Iehova. III. *Quia manifestationem fecerat in Iehudah*. IV. *Quia libertatem*, *licentiam restituerat*, seu *constituerat*, *in Iehudah*; id est, quia vitiis, & idololatriæ effuderat omnes habenas: omnem peccandi licentiam populo, & sibi permiserat: populum omni disciplina, & religione privaverat. Vulgo dicimus: Dederat libertatem conscientiæ. V. *Quia cessare fecerat* cultum Dei *de Iuda*: vel *quia cessare fecerat*; id est, otiosos, & cessatores a bonis operibus reddiderat homines: *in Iudæa*. VI. *Quia abstraxerat*, *avocaverat*, *Iehudam*, *ut omnino prævaricaretur contra Iehovam*:

V. 21. IGITUR ACHAZ, SPOLIATA DOMO DOMINI, &c. Hunc versum nos verbatim ex Hebræo reddidimus (*Quia dispertivit Achaz domum* IHUH, *& domum Regis*, *& principum*: *& dedit Regi Assur*; *& non adiutorio sibi*.) Dilucidius alii: *Nam accipiens Achaz partem ex domo Iehovæ*, *& domo Regis*, *ac principum*, *dedit Regi Assyriæ*, *nec tamen fuit auxilio ei*. Vel, *Tametsi Achaz partem de æde Domini*, *deque domo Regis*, *& principum*, *dederit Regi Assyrio*, *non tamen tulit ei auxilium*; subaudi, efficax & salutare: alioqui utcumque adiuvit eum, ut scribitur II. Reg. XVI. 9.

V. 22. IPSE PER SE REX ACHAZ. Hæc sententia propter accentum *Atnach*, qui præcessit, per se stat, nec præcedentibus nectitur. Hebr. *Ipse Rex Achaz*. Quidam: *Ipse est Rex Achaz*: nimirum qui tot tantaque mala perpetravit. Aliqui totum versum ita reddunt: *Quocumque autem tempore angustia afficiebat ipsum Iehova*, *pergebat prævaricari contra Iehovam*: *idem erat Rex Achaz*; id est, semper erat sui similis in impietate, seu prospera, seu adversa inciderent.

V. 23. PERCUSSORIBUS SUIS; id est, cum a Retzino superatus esset, supra vers. 5. & II. Reg. XVI. vers. 5. & 6. CUM E CONTRARIO IPSI FUERINT RUINAE EI, ET UNIVERSO ISRAEL. Quidam reddunt: *At illi fuerunt obices*, *ad impingere faciendum eum*, id est in quos impingeret, *ipsi*, *& toti Israeli*. Alii: *Cum tamen ii ei*, *& toti Israeli offendiculo fuerint*.

V. 24. DIREPTIS ITAQUE ACHAZ. Quidam id factum volunt postquam Achaz occurrisset Regi Thiglath-Philesero, & venisset Damascum, indeque novis idololatriis imbutus, rediisset Ierusalaim, ut late describitur II. Reg. XVI. vers. 10. & sequentibus, usque ad finem capitis. Alii intelligunt, truncasse Achaz, & præsecuisse vasa, seu instrumenta domus Dei, ut ex his aurum, & argentum cogeret ad mittendum Regi Assyriorum, supra vers. 21.

V. 26. RELIQUA AUTEM SERMONUM EIUS, &c. De hoc versu, & sequenti, vide II. Reg. XVI. vers. 19. & 20. PRIORUM ET NOVISSIMORUM. Explicant: Id est, ante immissas a Deo calamitates, & post, a principio usque ad finem; ut I. Paralipom. XXIX. 29.

V. 27. IN SEPULCRA REGUM, quæ erant in arce Tziionis, sive proprie in civitate Davidis; quasi dicat: Sepeliverunt eum in urbe Ierusalem; sed non in ipsa arce Tziionis, ubi erant sepulcra Regum: quia impius fuit, & indignus sepulcro Regum piorum.

M E-

MENOCHII.

Verf. 1. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ, &c. Quæ quatuor hisce primis versibus habentur, explicata sunt IV. Reg. XVI. 2. & deinceps.

V. 5. TRADIDITQUE EUM DOMINUS IN MANUS REGIS SYRIAE. Non est hoc bellum quod Syrus simul cum Rege Israel gessisse narratur IV. Reg. XVI. num. 5. sed aliud, quod solus intulit Rex Syriæ, & Achaz captivum duxit in Damascum, ut hoc eodem versiculo diserte habemus. Nam eum simul cum Phacee Rege Israel oppugnavit Achaz, *non valuit superare eum*, ut loco indicato Lib. Reg. habemus. MANIBUS QUOQUE REGIS ISRAEL, &c. Rex etiam Israel solus bellum gessit contra Achaz, & cladem quæ hic recensetur, illi intulit.

V. 6. EO QUOD RELIQUISSENT DOMINUM, &c. qui Achaz, & Iudæorum impietatem per Israelitas plectere voluit.

V. 7. DUCEM DOMUS EIUS, *præfectum domus*, ἡγούμενον τοῦ οἴκου αὐτοῦ, ut habent Septuaginta. SECUNDUM A REGE, *vicarium Regis*, ut habent Septuaginta διάδοχον βασιλέως.

V. 10. QUOD NEQUAQUAM FACTO OPUS EST: quod non licet. Volebant enim Israelitæ captivos Iudæos habere pro mancipiis, quod vetitum erat Lev. XXV. 44.

V. 15. UNXISSENTQUE PROPTER LABOREM, &c. Olim frequens apud Hebræos usus unctionum, & lotionum, corpori salutarium. Exempla passim obvia sunt. CIVITATEM PALMARUM: sic dicta Iericho quod palmetis abundaret. Vide Adrich. in Beniamin num. 81.

V. 18. BETHSAMES celebris est urbs, Philisthæis contermina, in quam divina plaga quondam defæviit, ob curiose inspectam arcam Domini: eratque sacerdotalis, sive Levitica, Iosue XXI. 16. AIALON, civitas sacerdotalis. Vide Adrich. in tribu Dan num. 5. GADEROTH, urbs tribus Iuda, vel, ut alii volunt, tribus Dan. Vide Adrich. in Iuda num. 139. SOCHO, quæ & *Sochor* dicitur, urbs in tribu Iuda, de qua plura idem Adrich. num. 226. THAMNAN, quæ etiam dicitur *Thamnata*, vicina Philisthæis, Gethæis, & Accaronitis, celebris laceratione leonis ab inermi Samsone, Iudic. XIV. 16. GAMZO. Huius civitatis nusquam alibi meminit Scriptura; ex hoc autem loco ad meridiem Iuda sitam fuisse, & in tribu Simeonis, non temere affirmari potest.

V. 19. HUMILIAVERAT ENIM DOMINUS IUDAM, id est vilem, & contemptibilem reddiderat. EO QUOD NUDASSET EUM AUXILLIO. Achaz Iudæ regnum auxilio divino nudavit, cum impius fuit, & idololatriam induxit.

V. 20. ADDUXIT CONTRA EUM, &c. Iverat Achab in Damascum ut auxilium a Rege Assyriorum obtineret, quem etiam suo malo adduxit Achaz Ierosolymam: nam, ut hoc versiculo habemus, AFFLIXIT EUM, ET NULLO RESISTENTE VASTAVIT.

V. 21. NIHIL EI PROFUIT: nihilo enim minus illi infestus fuit.

V. 22. IPSE PER SE, &c. Videtur innuere sacer textus, ipsum Achaz deorum suorum sacerdotem agere voluisse. Vide dicta IV. Reg. XVI. 10.

V. 23. PERCUSSORIBUS SUIS, ut scilicet ipse opinabatur, vel quorum causa divinitus percutiebatur.

V. 24. DIREPTIS ITAQUE, &c. Vide dicta IV. Reg. XVI. a num. 17. & deinceps.

V. 27. NEQUE RECEPERUNT EUM IN SEPULCRA, &c. IV. Reg. XVI. 20. dicitur Achaz dormivisse cum patribus suis, & sepultus fuisse cum eis: quod intellige in eadem civitate David, sed non in eodem sepulcro regio. REGUM ISRAEL, Regum Iuda. Vide dicta supra cap. XXIV. num. 16.

TIRINI.

Verf. 4. SUB OMNI LIGNO FRONDOSO. Id est, sub quavis arbore, præcelsiore, & frondibus magis insigni, solebant Gentiles erigere altaria, ibique sacrificare: quod crederent, singularem aliquam vim numinis in talibus plantis latere, quæ illas in eam altitudinem, & egregiam formam extulisset. Ita Mariana.

V. 5. REGIS SYRIAE. Hic est Rasin, de quo IV. Reg. XVI. 5. ubi etiam vide reliqua huius cap.

V. 19. EO QUOD Achaz impius Rex

NUDASSET populum. Nihil amplius est in Hebræo, Chaldæo, & Græco; sed Hieronymus explicationis causa addidit *auxilio*, scilicet divino. Videtur alludi ad vestium denudationem, quibus spoliabantur qui idolorum cultui vacabant; verbi gratia, in Bacchanalibus: ut eo ritu demonstrarent, se omni humano naturalique præsidio destitutos, spem omnem in ope solius idoli repositam habere. Simili phrasi Exodi XXXII. 25. dicitur Moyses *populum* vitulo sacrificantem invenisse *nudatum*.

V. 20. THELGATHPHALNASAR. Alibi *Theglathphalazar*, vel *Theglath-Phul-Assar* vocatur: de quo dixi IV. Reg. XV. & XVI. Porro impius Achaz

V. 24. CLAUSIT IANUAS TEMPLI DEI, ne quis ad sacrificandum, vel adorandum eo ingredi posset. Usque eo enim urgebat Achaz cultum idolorum, ut nollet vero Deo supplicari: quod nullus ante eum vetarat Regum Iuda.

GORDONI.

Vers. 3. ET LUSTRAVIT FILIOS: transire fecit per ignem, ritu gentium. Vide IV. Reg. XXI. 6.

V. 19. NUDASSET. Quod Deus iratus negasset auxilium.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 15. UNXISSENTQUE. Ad sanitatem crebro utebantur Iudæi unctione, & lotione. CIVITATEM PALMARUM, a palmetis.

V. 18. BETHSAMES, urbs ad fines Philistinorum Levitica.

V. 21. ET TAMEN NIHIL EI PROFUIT: non propterea immunis fuit a damnis.

CAPUT XXIX.

Ezechias abolitum Dei cultum, aperto templo, restitutisque sacerdotibus, Levitis, & cantoribus, instauravit; oblatis plurimis holocaustis & sacrificiis cum ingenti lætitia.

1. IGitur (*a*) Ezechias regnare cœpit, cum vigintiquinque esset
annorum, & vigintinovem annis regnavit in Ierusalem: no-
men matris eius Abia, filia Zachariæ. 2. Fecitque quod
erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quæ fece-
rat David pater eius. 3. * Ipse anno & mense primo regni
sui, aperuit valvas domus Domini, & instauravit eas. 4.
adduxitque Sacerdotes, atque Levitas, * & congregavit eos
in plateam orientalem. 5. Dixitque ad eos: Audite me Le-
vitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & au-
ferte omnem immunditiam de sanctuario. 6. Peccaverunt patres nostri, & fecerunt
malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies
suas a tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum. 7. Clauserunt ostia, quæ
erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, & ho-
locausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. 8. Concitatus est itaque furor
Domini super Iudam & Ierusalem, tradiditque eos in commotionem, & in in-
teritum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. 9. En, corruerunt patres
nostri gladiis; filii nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captivæ ductæ sunt, pro-
pter hoc scelus. 10. Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino

Deo

Deo Israel, & avertet a nobis furorem iræ suæ. 11. Filii mei nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, & ministretis illi, colatisque eum, & cremetis ei incensum. 12. Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amasai, & Ioel filius Azariæ, de filiis Caath. Porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, & Azarias filius Ialaleel. De filiis autem Gersom, Ioah filius Zemma, & Eden filius Ioah. 13. At vero de filiis Elisaphan, Samri, & Iahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias, & Mathanias. 14. Nec non de filiis Heman, Iahiel, & Semei: sed & de filiis Idithun, Semeias, & Oziel. 15. Congregaveruntque fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt iuxta mandatum Regis & imperium Domini, ut expiarent domum Dei. 16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, & asportaverunt ad torrentem Cedron foras. 17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, & in die octavo eiusdem mensis ingressi sunt porticum templi Domini, expiaveruntque templum diebus octo, & in die sextadecima mensis eiusdem, quod cœperant impleverunt. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam Regem, & dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Domini, & altare holocausti, vasaque eius, nec non & mensam propositionis cum omnibus vasis suis, 19. cunctamque templi supellectilem, quam polluerat Rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est: & ecce exposita sunt omnia coram altare Domini. 20. Consurgensque diluculo Ezechias Rex, adunavit omnes principes civitatis, & ascendit in domum Domini: 21. obtuleruntque simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos septem pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Iuda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini. 22. Mactaverunt igitur tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem. 23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram Rege & universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos: 24. & immolaverunt illos Sacerdotes, * & asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis: pro omni quippe Israel præceperat Rex ut holocaustum fieret, & pro peccato. 25. Constituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, & psalteriis, & citharis, * secundum dispositionem David Regis, & Gad Videntis, & Nathan Prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum eius. 26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, & Sacerdotes tubas. 27. Et iussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diversis organis, * quæ David Rex Israel præparaverat, concrepare. 28. Omni autem turba adorante, cantores, & ii qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum. 29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est Rex, & omnes qui erant cum eo, & adoraverunt. 30. Præcepitque Ezechias, & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph Videntis: * qui laudaverunt eum magna lætitia, & incurvato genu adoraverunt. 31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis manus vestras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, & laudes, & holocausta, mente devota. 32. Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos. 33. Sancti-

ctifi-

ctificaveruntque Domino boves sexcentos, & oves tria millia. 34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adiuverunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes. 35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocaustorum: & completus est cultus domus Domini. 36. Lætatusque est Ezechias, & omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. De repente quippe hoc fieri placuerat.

(a) IV. Reg. xviii. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Ipse anno & mense primo regni sui*. Non mutes nominativum *ipse* in ablativum *ipso*.

V. 4. *Et congregavit eos in plateam orientalem*. Nomen *plateam* non mutes in *partem* seu *latus*.

V. 24. *Et asperserunt sanguinem eorum coram altari*. Non facile omittendum est *coram*.

V. 25. *Secundum dispositionem David Regis, & Gad Videntis*. Non transponas nomen *Regis* e suo loco in ultimum, tametsi ultimo loco legatur Hebraice.

V. 27. *Quæ David Rex Israel præparaverat*. Alii pro *præparaverat*, legunt *repererat*: nam Hebraice nihil aliud est, quam *Davidis Regis Israel*.

V. 30. *Qui laudaverunt eum*. Nec omittas pronomen *eum*, nec eius loco scribas *Deum*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 4. PLATEAM ORIENTALEM, id est ad orientem sitam.

V. 5. IMMUNDITIAM, id est omnia ad idololatriam pertinentia.

V. 8. INTERITUM. Alii *stuporem*, seu *desolationem*.

V. 13. ELISAPHAN. Iste erat ex filiis Caath. Vide I. Paralip. VI.

V. 15. FRATRES SUOS, scilicet alios Levitas.

V. 16. SANCTIFICARENT. Hebr. & LXX. *Mundarent*.

V. 17. MUNDARE. Hebr. & LXX. *Sanctificare*.

V. 18. SANCTIFICAVIMUS. Sic etiam LXX. at Hebr. *Mundavimus*.

V. 19. POLLUERAT. Sic etiam LXX. at alii, *Neglexerat*. EXPOSITA. Hebr. & LXX. *præparata, & sanctificata*.

V. 24. ASPERSERUNT. Sic etiam LXX. at Hebr. *Expiaverunt*, id est expiando sparserunt PRO PIACULO. Heb. *ad expiationem*.

V. 26. PRAECEPTUM, scilicet de modo sic Deum colendi.

V. 29. ORGANA DAVID, id est instrumenta musica a David inventa, ut paulo post vertit eadem verba Hebraica.

V. 30. INCURVATO GENU. Hebr. *incurvantes se*. LXX. *procidentes*.

V. 31. IMPLESTIS, id est consecrastis; quasi dicat, Vos, o sacerdotes, qui ad offerendum estis consecrati. *Implere* enim *manum*, est *consecrare in sacerdotem*, ut sup. diximus. ET HOLOCAUSTA, MENTE DEVOTA. Hebr. & LXX. *Et omnis voluntarius*, seu *promptus corde*, *holocausta*.

V. 33. SANCTIFICAVERUNTQUE, id est obtulerunt sacrificandos.

V. 34. SANCTIFICARENTUR, id est præparari possent, scilicet alii sacerdotes, qui adiuvarent. ANTISTITES. Hebr. & LXX. *Sacerdotes*. FACILIORI RITU SANCTIFICANTUR. LXX. *Promptius sanctificati sunt*: id quod etiam Hebr. indicat.

V. 36. MINISTERIUM DOMINI ESSET EXPLETUM. Hebr. & LXX. *Præparasset Deus populum*, scilicet ut rite cultum perageret. FIERI PLACUERAT.

Hebr.

Hebr. & LXX. *Factum fuit*; quasi dicat, Tota res subito facta.

E S T I I.

Vers. 3. IPSE ANNO ET MENSE PRIMO REGNI, APERUIT VALVAS DOMUS DOMINI, ET INSTAURAVIT EAS. Pridem legebatur sexto casu, *Ipso anno*; sed recte Biblia Sixtina restituerunt nominativum *ipse*, scilicet suppositum verborum sequentium. Et sensus est, quod ipse Ezechias mox initio sui regni animum adiecerit ad cultum Dei restituendum: cuius pietas tanto etiam magis fuit commendanda, quod cum impiissimum habuisset patrem Achaz, ipse tamen eius exemplo non fuerit depravatus. Nam, ut D. Gregorius testatur in Iob, *Non admodum laudabile est bonum inveniri inter bonos; sed hoc maximi meriti est, bonum esse inter malos*.

V. 15. ET INGRESSI SUNT IUXTA MANDATUM REGIS ET IMPERIUM DOMINI. Non hinc consequens est regiam potestatem fuisse supra sacerdotalem. Neque enim intelligitur mandatum proprie dictum (nam aliud esse officium Regis, aliud sacerdotum, manifestissime patet supra cap. XXVI.) sed mandatum hic vocatur significatio voluntatis, seu desiderii, facta ab homine habente auctoritatem; cuius potestas etiamsi ad hoc praecipiendum se non extendat, tamen declaratio voluntatis eius tanti fit, ut ei non facile contradicatur, nec contradici debeat in rebus piis & iustis. Et hoc modo etiam legimus in historiis, Imperatores, Constantinum Magnum, & Carolum Magnum, atque iussisse congregari synodos, & de reformatione Ecclesiae, vel etiam dogmatibus fidei ab Episcopis tractari: quia nimirum hoc volebant fieri, ut fieret, sua auctoritate urgebant, facile consentientibus piis Episcopis, ut hac ratione nemo rei honestae obsistere auderet.

M A R I A N AE.

Vers. 1. NOMEN MATRIS EIS ABIA, FILIA ZACHARIAE. Hieronymus in Tradit. Pontificis & Prophetae eius qui a Ioas interfectus, fuit filia mater Ezechiae.

V. 2. FECITQUE... PLACITUM IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *Rectum in oculis Domini fecit*, scilicet Ezechias.

V. 3. IPSE ANNO ET MENSE PRIMO. *Primo* ad utrumque refertur. Primo anno, & primo mense aperuit valvas templi.

V. 4. PLATEAM ORIENTALEM, id est quae spectabat orientem; vel potius quae erat ante portam templi orientalem, quae praecipua porta erat: ibi congregavit sacerdotes Ezechias.

V. 8. IN INTERITUM. Sic Sept. Alii *in desolationem*, seu *stuporem*. Vox שמה *samah* haec omnia significat. Ergo Deus Iudam afflixit ob cultum Dei neglectum.

V. 9. PROPTER HOC SCELUS. Heb. *Propter hoc*, quod commemoravit fecisse patres.

V. 11. NOLITE NEGLIGERE. Heb. *Ne erretis*, aut *ne obliviscamini*. COLATISQUE EUM. Hebr. *Ut sitis ei ministrantes*. Id moneo: sic Deus placabitur.

V. 13. DE FILIIS ELISAPHAN, ex filiis Caath creditur. De eo extat mentio I. Paralip. XV. 8. de quo ibi plura. Illi, & alii Levitae expiarunt templum.

V. 15. ET IMPERIUM DOMINI. Hebr. *Iuxta praeceptum Regis in verbis Domini*; id est, quod ex ore Domini, & eius verbis est locutus Rex, ita Levitae fecerunt.

V. 16. SACERDOTES QUOQUE INGRESSI TEMPLUM DOMINI. Hebr. *Et sacerdotes ingressi sunt in interiora domus Dei*, scilicet in sanctuarium, quo penetrare Levitis non licebat. Sept. *Et ingressi sunt sacerdotes intro in domum Domini*. UT SANCTIFICARENT. Hebr. & Sept. *mundarent*: neque hoc loco solum, sed aliis hoc capite promiscue his verbis Vulgata utitur, & *sanctificare* pro *mundare* sumit. IN VESTIBULO DOMUS DOMINI. Sept. *In vestibulum domus Domini* sordes extulerunt sacerdotes. TULERUNT LEVITAE. Hebr. *Acceperunt*, & portarunt ad torrentem Cedron.

V. 17. MENSIS PRIMI. Is est Nisan. IN DIE OCTAVO EIUSDEM MENSIS INGRESSI SUNT PORTICUM: scilicet, exedris iis diebus, & atriis sanctificatis, dies octo alios in sanctificatione templi, id est sanctuarii, posuerunt. De Pascha, an eo mense iuxta Legis praescriptum celebrarint, nihil dicitur.

V. 18.

V. 18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam. Hebr. *Et ingressi sunt interius*, scilicet in conclave, *ad Ezechiam*: sic Sept. Et dixerunt ei: Sanctificavimus. Hebr. *Mundavimus* omnem domum Dei.

V. 19. Cunctamque templi supellectilem. Hebr. *Et omnia vasa*. Quam polluerat Rex Achaz: sic Sept. Hebr. *quæ elongaverat*. Postquam praevaricatus est. Hebr. *in peccato suo*, id est cum peccavit. Ecce exposita sunt. Hebr. *Ecce ipsa direximus, & sanctificavimus*. Coram altare Domini. Hebr. *Et ecce ipsa coram altari Domini*. Pro eo offerunt sacrificia.

V. 21. Agnos septem. Sic Sept. Quidam *kebasim*, *oves* interpretantur. Hircos septem. Unus hircus pro peccato offerebatur iuxta legem, nunc hostia multiplex ob multa peccata.

V. 24. Et asperserunt sanguinem eorum. Sic Sept. Hebr. *Et expiarunt sanguinem eorum*, scilicet agnorum, & hircorum. Coram altare. Sept. *ad altare*. Hebr. *altare*. Constructio inversa; quasi dicat: Expiarunt sanguine eorum altare. Et pro peccato; id est, & hostia pro peccato: quæ hostia Hebr. *peccatum* vocatur hoc loco. Sept. *Et quæ pro peccato*, scilicet obtulerunt.

V. 25. Secundum dispositionem David Regis. Sept. *præceptum David*: sic Hebr. Et Gad Videntis. Hebr. *Videntis Regis*, seu *Regi*, ut Sept. posuerunt. Memento apud Persas fuisse qui dicerentur *Regis Aures*, *Regis Oculi*. Sed & per *Videntem*, Prophetam intelligito, qui *Regis* dicebatur, quia eo Rex utebatur ad consulendum Deum. Siquidem Domini praeceptum fuit. Hebr. *Quoniam in manu Domini præceptum, in manu Prophetarum eius*. *In manu* redundat iuxta linguæ proprietatem. Ergo, quoniam Domini (est) præceptum, & Prophetarum eius.

V. 26. Organa David; id est, instrumenta musica a Davide inventa, tenebant Levitæ.

V. 27. Coeperunt laudes canere. Hebr. *Cœpit canticum Domini*. Atque in diversis organis quae David Rex Israel praeparaverat, concrepare. Hebr. *Davidis Regis Israel*.

V. 28. Cantores. Hebr. *Cantici cantor*, id est præfectus cantoribus: sic Hebræus. Et ii qui tenebant tubas, erant in officio suo. Hebr. *tubas inflabant*.

V. 40. Ut...... sermonibus David laudarent Deum præcepit Rex. Sept. *in sermonibus David*. Goth. *de sermonibus*. Hebr. *in verbis David*; id est, ut e Psalmis eius canerent aliquid. Et Asaph Videntis. Indicat hic locus, Psalmos, qui Asaph inscribuntur; ab eo fuisse conscriptos. Qui laudaverunt, scilicet Deum Levitæ. Incurvato genu. Hebr. *incurvantes se*. Sept. *procidentes*. Ezechias addidit:

V. 31. Implestis manus vestras Domino; id est, sacrati estis. Laudes, et holocausta, mente devota offerte. Hebr. *Attulerunt cœtus hostias, & laudes, & omnis spontaneus corde holocausta*.

V. 32. Agnos ducentos. In Hebr. additur, *Ad holocausta Domino omnia hæc*: sic etiam Sept. addunt.

V. 33. Sanctificaveruntque Domino; id est, obtulerunt in templi usus. Oves tria millia. Alii pecudes, צאן *zon*.

V. 34. Donec...... sanctificarentur antistites. Hebr. *Sacerdotes*: nam videntur tunc exiguo numero fuisse sacerdotes, volebant plures sacrari; ideo Levitæ iuvabant sacerdotes. Levitae quippe faciliori ritu, &c. Sept. *Levitæ prompte sanctificati sunt magis quam sacerdotes*. Hebr. *Quoniam Levitæ recti corde ad se sanctificandum præ sacerdotibus*; id est, se offerrebant animo promptiori.

V. 35. Et completus est cultus domus Domini. Hebr. *Et præparatum est ministerium domus Domini*. Ego dicerem: *Et directum est ministerium*; quasi dicat: Ab eo initio cœpit exerceri ministerium in domo Domini, quod ante desierat.

V. 36. Eo quod ministerium Domini esset expletum. Hebr. *Eo quod præparasset* (seu *direxisset*) *Dominus populum*; id est; eam mentem illis infecisset. De repente quippe hoc fieri placuerat. Hebr. *Quoniam subito fuit verbum*, id est res. Quæ repente fiunt, non consilio humano tribuuntur, sed al-

altiori instinctu fieri videntur. Mirum repente populum ad sacra insueta confluxisse.

MALVENDAE.

Vers. 1. IGITUR EZECHIAS REGNARE COEPIT, &c. Hunc versum, & sequentem confer cum II. Reg. XVIII. vers. 2. & 3. nam sunt eiusdem argumenti: ibi inspice Comm. ABIA. Hebr. *Abiiah.* II.Reg. XVIII.2. vocatur *Abi.* Ierosolymitanam fuisse, Iosephus affirmat.

V. 3. MENSE PRIMO. Notant esse ambiguum, vel regni, vel anni currentis; sed primum est rectius. Vide infra vers. 17. APERUIT VALVAS DOMUS DOMINI, ET INSTAURAVIT EAS. Quidam: *Aperuit ostia domus Iehovæ, & roboravit illa*, id est curavit, refecit. Alii, quod דלתות *daltoth*, *fores*, sit femineum, & pronomen Hebr. sit masculeum, *eos*; reddunt: *Et aperuit fores domus Iehovæ*, id est porticus, & totius domus, quas occluserat pater, supra cap. XXVIII. vers. 24. & infra vers. 7. *& confirmavit ipsos sacerdotes*, e versu sequente. Sed nihil necesse, cum eiusmodi enallages generum non sint inusitatæ: & forte usus est masculeo, ad indicandum valide, ac integre fores restitutas & curatas.

V. 4. IN PLATEAM ORIENTALEM, quam fuisse aiunt ante præcipuam atrii, & porticus portam.

V. 5. ET AUFERTE OMNEM IMMUNDITIAM DE SANCTUARIO. Hebr. *Et educite, efferte*, omnem *remotionem, reiectamentum, reiectionem, removendam, separationem*; id est, quod separandum, removendum, & reiiciendum est *e sancto*; hoc est, quæ sunt impura, aut ad profanum cultum invecta. Quidam eo nomine intelligenda volunt idola, atque omnia quibus sacerdotes idolorum utebantur in eorum cultu.

V. 6. AVERTERUNT FACIES SUAS A TABERNACULO DOMINI, ET PRAEBUERUNT DORSUM. Notant, Achaz invexisse ritum adorandi e diametro contrarium legi divinæ: nam ex lege adorantes respiciebant occidentem, versus arcam, & propitiatorium; at Achaz iusserat, ut adorantes orientem respicerent, obverso dorso in templum Domini. Alii reddunt: *Avertentes faciem suam a tabernaculo Iehovæ opposuerunt cervicem*. Observant esse allegoricum orationis modum perelegantem, ad significandum turpem & contumacem aversationem, & repudiationem rei oblatæ: quam servavit Ierem. cap. II. vers. 27. cap. XVIII. vers. 17. & cap. XXXII. vers. 33. Vide Isaiæ I. 4.

V. 8. SICUT IPSI CERNITIS OCULIS VESTRIS: nimirum vos iam aliquot annis a Syris, Edomæis, Pelisthæis, & Assyriis opprimi, supra cap. XXVIII. vers. 5. & 6. 17. 18. 20.

V. 9. EN CORRUERUNT PATRES NOSTRI GLADIIS, &c. Vide de hoc versu, cap. XXVIII. vers. 6. & sequentibus.

V. 11. NOLITE NEGLIGERE. Verbum שלה *schalah*, quod hic in futuro Niphal ponitur, varie elucidant: 1. *Nunc non errabitis*, vel *ne erretis*, quod est ex notione Chaldaica: 2. *Ne remissi sitis*: 3. *Ne securi sitis: ne otiose agatis: ne pigrescatis*: 4. *Ne tranquille, otiose, vitam transigatis*: 5. *Ne vacantes*, id est *otiosi, efficiamini*. 6. *Ne obliviscamini*: 7. *Ne quiescatis*. Significatum errandi plerique amplectuntur; quasi dicat: Filii mei nunc ne erretis; id est, ne persistatis in errore, in quo cultum Dei, ad quem electi estis, omisistis.

V. 13. ELISAPHAN. Hebr. *Elitzaphan*. Fuit hic princeps familiæ Kehathitarum, Num. III. 30.

V. 16. EXTULERUNT OMNEM IMMUNDITIAM, QUAM INTRO REPERERANT IN VESTIBULO DOMUS DOMINI. Hebr. *Et eduxerunt omnem contaminationem, quam invenerunt in basilica Iehovæb, in atrium domus Iehovæb*; id est, ex ipso hechal, sive templo, extulerunt in atrium extra templum: inde Levitæ acceperunt, &c. QUAM TULERUNT LEVITAE, ET ASPORTAVERUNT AD TORRENTEM CEDRON FORAS. Hebr. *Et acceperunt Levitæ ad efferendum ad torrentem Kidron foras*. Quidam exponunt: *Et acceperunt*, id est acquieverunt, *Levitæ, ut offerrent*, &c. Sic sumitur verbum קבל *kibbel* Esther IV. 4. Rectius alii: *Recipiebant vero Levitæ* immunditiem *exportandam in torrentem Kidronis foras*. Nonnulli: *Quam immunditiem receperunt Levitæ, ut efferrent foras ad torrentem Kidron*.

V. 17. PRIMA DIE MENSIS PRIMI. Exponunt, Id est eodem die quo Rex constitutus est. Vide supra vers. 3.

V. 18. INGRESSI QUOQUE SUNT AD EZECHIAM. Hebr. *Et venerunt intro ad Chizkiiam*, id est in regiam.

V. 21. OBTULERUNTQUE SIMUL. Hebr. *Et adduxerunt*. Explicant, id est omnes quadrupedum species sacrificio aptas, ad consecrationem loci, & personarum, ad holocaustum pro peccato, & ad pacifica, sive eucharistica. TAUROS SEPTEM, &c. Observant, assumptum in his animantibus numerum septenarium, ad significandam universitatem, sive totum regni corpus. PRO SANCTUARIO: nimirum ut denuo ritu sacro consecraretur; sive ut semper stabile & incolumne conservaretur.

V. 22. ET FUDERUNT ILLUM SUPER ALTARE. Hebr. *Et insperserunt in ipsum altare:* ex ritu Levit. VIII. vers. 15. & sequentibus.

V. 23. IMPOSUERUNTQUE MANUS SUAS SUPER EOS. Quidam: *Qui manibus suis nixi sunt eis*: nimirum confitentes peccata sua, eaque in oblationem suam quasi deponentes ex lege. Ritus hic imponendi manus super victimam in sacrificiis, celebris in lege fuit, præsertim Levit. VIII. de quo vide Exod. XXIX. 10.

V. 24. ET ASPERSERUNT SANGUINEM EORUM CORAM ALTARI PRO PIACULO. Apte expressit sensum. Heb. *Et peccaverunt sanguinem eorum in ipsum altare*: phrasis sæpius usurpata in lege; id est, facto sacrificio pro peccato, sanguine ipso insperso, altare expiaverunt, lustraverunt, mundaverunt. Vide Exod. XXIX. 36. & Levit. VIII. 15.

V. 25. SECUNDUM DISPOSITIONEM DAVID, ET GAD, &c. Hebr. *In*, vel *ex præcepto Davidis*, *& Gadis*, &c. Vide supra cap. VIII. vers. 14. & I. Paralip. XXIII. vers. 5. & 6. & totum cap. XXV. SIQUIDEM DOMINI PRAECEPTUM FUIT PER MANUM PROPHETARUM EIUS. Hebr. *Quia in manu Iehoveh præceptum, in manu Prophetarum eius*. Quidam: *Nam a Iehova præceptum illud erat per Prophetas eius*.

V. 26. ET SACERDOTES TUBAS. Hebr. *Et sacerdotes cum tubis*, ex præcepto legis Num. X. vers. 8. & 10.

V. 27. COEPERUNT LAUDES CANERE DOMINO. Hebr. *Cœpit canticum*, seu *musica IHUH*; id est, cœperunt canere cum instrumentis musicis Psalmum CXXXV. *Confitemini Iehovæh, quia bonus*; &c. ut moris erat. Vide supra cap. V. vers. 13. & cap. VII. vers. 3. & 6. ATQUE IN DIVERSIS ORGANIS, QUAE DAVID REX ISRAEL PRAEPARAVERAT. Hebr. *Et super manus instrumentorum Davidis Regis Israelis*. Quidam: *Et per manus*, id est opera & ministerio, *instrumentorum* musicorum *a Davide* inventorum. Alii, *Idque cum manibus*, id est *cum canticis traditis*: synecdoche, ut supra cap. VI. vers. 31. I. Paralipom. *&* *instrumentis Davidis*, &c. Vide similem locutionem Ezræ III. 10.

V. 28. CANTORES, ET II QUI TENEBANT TUBAS, ERANT IN OFFICIO SUO. Hebr. *Et canticum canens*, *& buccinæ buccinantes*: *omne usque ad consummari ascensionem*. Quidam: *Dominus autem cantici*, id est cantor, *canebat*, *ac* domini *tubarum*, id est tubicines, *clangebant*: *totumque illud* perseverabat *donec*, &c. Alii, *Canebant alii cantica*, *alii clangebant tubis*: *idque totum durabat donec*, &c. Nonnulli: *Cum musici canerent*, *& tubicines tubis clangerent*: *omnia hæc usque dum absolutum esset holocaustum*.

V. 30. SERMONIBUS (seu *verbis*) DAVID, ET ASAPH VIDENTIS, id est Psalmis, sive canticis. Hinc nonnulli colligunt, Davidem non fuisse auctorem omnium Psalmorum, cum & Asaph Psalmos composuerit, qui etiam in templo canerentur. QUI LAUDAVERUNT EUM MAGNA LAETITIA. Hebr. *Et laudaverunt usque ad in lætitiam*: quidam, *usque ad lætitiam*, id est cum magna animi lætitia: alii, *donec gaudium fieret*: nonnulli, *dum agitaretur lætitia illa*.

V. 31. IMPLESTIS MANUS VESTRAS DOMINO. Quidam: *Consecrastis ministerium vestrum Iehovæ*. Vide de hac locutione Exod. XXVIII. 41. ACCEDITE, ET OFFERTE, &c. Notant esse apostrophem ad populum, seu congregationem, ut ex subiunctis apparet. ET LAUDES. תודות *todoth*, reddunt *eucharistia*, *gratiarum actiones*; תודה *todah*, proprie *confessio*: genus fuit quoddam sacrificii, de quo vide Levit. VII. 12. & sequentibus. Quidam hic universe, *Sacrificia*, seu oblationes, quibus vestram fidem & pietatem erga Deum profiteamini.

V. 33. SANCTIFICAVERUNTQUE &c.

&c. Hunc versum nos verbo tenus ex Hebr. reddidimus (*Et sanctitates boves sexcenti, & oves tres millium.*) Alii: *Sanctificationes vero fuerunt boves sexcenti, & pecudum tria millia*, id est sanctificata, seu numerus hostiarum sanctificatarum, sive Deo consecratarum & immolatarum, &c. Nonnulli: *Aliorum autem consecratorum, boum sexcentorum, & pecudum ter mille*, id est aliorum sacrificiorum tam votivorum quam voluntariorum, quæ in eucharisticis numerantur; atque etiam munerum, seu *minchah*, de quibus Levit. II. Aliqui, *Consecrata*, seu *oblata* templo, &c.

V. 34. NEC POTERANT SUFFICERE UT PELLES HOLOCAUSTORUM DETRAHERENT. Hebr. *Et non potuerunt spoliare holocausta*, id est excoriare, nudare pelle omnia illa holocausta: vide Levit. I. 6. vel præ multitudine animalium mactandorum, vel quia occupati erant in oblationibus offerendis. UNDE ET LEVITAE FRATRES EORUM ADIUVERUNT EOS. Hebr. *Quare confirmarunt eos cognati eorum Levitæ*; id est, partem muneris istorum in se receperunt, quod alioquin sacerdotum erat, Levit. I. vers. 6. LEVITAE QUIPPE FACILIORI RITU SANCTIFICANTUR, QUAM SACERDOTES. Hebr. *Quia Levitæ recti corde ad sacrificare se de sacerdotibus*. Varie accipiunt. I. *Quia Levitæ erant recti corde ad sanctificandum se præ sacerdotibus*; id est, proniores, & alacriores fuerunt ad sanctificandum se quam sacerdotes. Tecte innui causam putant eius quod paulo ante dixerat, sacerdotes paucos fuisse: nimirum quod pauci se sanctificassent, & comparassent ad ministerium; cum Levitæ promptiores fuerint ad sanctificandum se. Hispanicus Interpres: *Porque los Levitas tuvieron mayor promptitud de coraçon par sacrificar se, que los sacerdotes*. II. *Nam Levitæ rectiores fuerant animo ad sanctificandum se, sacerdotibus*: vel, *Nam Levitæ maiorem cordis integritatem habuerunt ad se sanctificandum, quam sacerdotes*. Id convenit cum eo quod paulo ante præcessit: *Donec sanctificarent se alii sacerdotes*, qui non adeo prompti fuere ad sanctificandum se. III. potest hic esse sensus: *Quia Levitæ recti corde fuerunt ad sanctificandum se pro sacerdotibus*, seu *loco sacerdotum*, vel *propter sacerdotes*; ut eis subsidio essent: nam hic est etiam usus particulæ מן *min*, ut Iudic. V. II. Psalm. CVI. 17.

V. 35. FUERUNT ERGO HOLOCAUSTA PLURIMA, ADIPES PACIFICORUM, ET LIBAMINA HOLOCAUSTORUM. Nos hanc partem verbatim ex Hebræo expressimus (*Et etiam ascensio multitudini in adipibus pacificorum, & fusionibus ascensioni.*) Alii diversimode. I. *Præterea fuit holocaustorum ingens copia, cum adipibus pacificorum, & libaminibus ad holocaustum*, id est ad singula holocausta, sive pro singulis holocaustis. II. *Nam etiam imponendum erat copiose de adipibus eucharisticorum, & de libaminibus præter illa holocausta*; id est, multa igne absumenda accendebant ad sacrificia: nam omnis adeps Iehovæ erat, Levit. III. 16. ut & suffitus ex libamine. Quasi dicat: Multa erant facienda circa sacrificia, ut opus fuerit reliquos sacerdotes sanctificari. Vocem עולה *gholah*, priori loco positam, capiunt non pro *holocausto*, sed pro *ascensione*, seu *impositione*, in altari. ET COMPLETUS EST CULTUS DOMUS DOMINI. Plurifariam Hebr. reddunt. I. *Et directum est ministerium domus Iehovæ*; id est, quamvis pauci forent sacerdotes, divina tamen officia, adiuvantibus Levitis, directione, & integritate non caruerunt. II. *Et præparatum est ministerium domus Iehovæ*. III. *Et confirmatus est cultus domus Iehovæ*, id est perfectus, absolutus est. IV. *Ita constitutus est cultus domus Iehovæ*. V. *Et stabilitum, directum, rectificatum, decretum, ordinatum fuit servitium*, seu *cultus, domus Iehovæ*.

V. 36. EO QUOD MINISTERIUM DOMINI ESSET EXPLETUM. Hebr. *Super quod apparavit Deus populo*. Diversimode exponunt. I. *Eo quod præparasset Deus populo*, subaudi cor, ut eum coleret, & faceret secundum eius voluntatem. II. *Eo quod direxisset Elohim populo*; id est, quod direxisset populum Deus in divinum cultum, quod felix, faustumque populo fuit. III. *Quod præparasset Deus populum*; id est, quod Deus gratiam dedisset populo, & ita eum comparasset, ut cito res tota perficeretur. IV. *De eo quod restituerat Deus populo*. V. הכין *hechin* quidam, præter normam, infinitum faciunt, pro הכן *hachen*, *superperficere Deum pro populo*; id est, quod tanta effecerit Deus in re-

restitutione divini cultus in gratiam populi sui. DE REPENTE QUIPPE HOC FIERI PLACUERAT. Hebr. *Quia in subito, de repente fuit verbum*. Quidam: *Quia de repente fuit res illa*; vel *nam de repente fuerat hæc res*; quasi dicat: Factum hoc insperatum lætitiam piorum auxit, uno momento ex illis tenebris quas offuderat Achaz, emergentium. Insignis Regis pietas, ipso primo die regni sui orsus restitutionem divini cultus, ingenti celeritate, ac diligentia, intra sexdecim dies, integre, & absolute totam perfecit, supra vers. 17.

MENOCHII.

Vers. 1. IGITUR EZECHIAS, &c. Vide IV. Reg. XVIII. initio.

V. 4. IN PLATEAM ORIENTALEM, in area, sive in atrio ante templi portam præcipuam, quæ ad orientem erat obversa.

V. 5. SANCTIFICAMINI. Mundate vos ab immunditiis legalibus, si quas contraxistis, & a peccatis, si idololatriæ labes aliquibus adhæserit. OMNEM IMMUNDITIAM: quidquid ad idololatriam pertinet.

V. 8. IN COMMOTIONEM. In Hebræo est vox זעוה *zeuaba*, quam D. Hieronymus Isaiæ XXVIII. 19. *vexationem* interpretatus est. Vexatio enim peccatores excitat a veterno, & commovet, ut quod facto opus est intelligant, & effectum dare studeant. *Commotionem* etiam hoc loco eiectionem interpretari bene possemus, fuerant enim multis urbibus expulsi Iudæi a Syris, Idumæis, Palæstinis: quæ interpretatio bene convenit cum Septuaginta interpretatione, qui habent εἰς ἔκστασιν, *in extasim*. IN SIBILUM: qui enim contemnuntur, & ridentur, sibilo excipiuntur.

V. 9. CAPTIVAE DUCTAE SUNT. Vide cap. XXVIII. 8.

V. 10. INEAMUS FOEDUS, &c. iureiurando obstringentes nos ad cultum Dei, & ad servandas leges Mosaicas.

V. 16. AD TORRENTEM CEDRON, in vallem Topheth immundam, per quam decurrit torrens Cedron, & in ipsum torrentem. Simile factum Iosiæ habemus IV. Reg. XXIII. 12.

V. 17. MENSIS PRIMI, mensis Nisan, qui Martio nostro respondet, quo etiam mense Ezechiam regnare cœpisse putat Salian. anno mundi 3309. num. 7. PORTICUM, vestibulum templi. IN DIE SEXTADECIMA, &c. Octo diebus primis purgarunt atria, altare holocaustorum, mare æneum, luteres, &c. reliquis octo lustrarunt, & purgarunt ipsum templum.

V. 16. EXPOSITA SUNT OMNIA: Hebr. & LXX. *Præparata & sanctificata*.

V. 21. OBTULERUNT, super sacerdotes. HIRCOS SEPTEM. Notat D. Hieron. in Tradit. Hebr. & post eum Lyranus, contra morem factum fuisse, ut septem hirci pro peccato immolarentur, cum unus tantum esset in præcepto. Sed quia multa erant peccata populi, qui deflexerat in idololatriam, septem oblati sunt: septenarius enim numerus quantamlibet multitudinem repræsentat. PRO PECCATO, PRO REGNO, &c. ad expiandum peccatum, regnum, templum, &c.

V. 22. FUDERUNT ILLUD SUPER ALTARE, iuxta ritum præscriptum Levit. cap. I. num. 5.

V. 25. APPLICUERUNT HIRCOS, &c. iuxta ritum Levit. cap. IV. ubi agitur de victima peccantis Pontificis, & de sacrificio pro peccato totius populi, & principis, & plebis peccantis per ignorantiam. Vide ibi dicta, & Riber. de Templo Lib. IV. cap. VI. IMPOSUERUNTQUE MANUS, &c. non singuli, sed aliqui tantum omnium nomine.

V. 25. SECUNDUM DISPOSITIONEM DAVID, &c. Non erat lege Mosis præceptum ut ad sacrificia cantus adhiberetur, sed David Propheta ex inspiratione, & Gad, & Nathan Prophetarum consilio, ut ita fieret mandavit.

V. 28. ORGANA DAVID: qualia scilicet David fieri iusserat.

V. 30. SERMONIBUS DAVID, &c. id est Psalmis, quorum plerique in titulo habent inscriptum Asaphi, & ab eo compositi ab aliquibus existimantur, eiusque favet hic locus, in quo æque dicuntur *sermones David*, atque *Asaph*. Sed de hoc dicemus in explicatione Psalmorum.

V. 31. IMPLESTIS, id est consecrastis; quasi dicat: Vos, o Sacerdotes, qui

ad

ad offerendum estis consecrati. *Implere* enim *manum* est consecrare in sacerdotem, ut supra non semel diximus.

V. 33. SANCTIFICAVERUNT, obtulerunt sacrificandos.

V. 34. LEVITAE ADIUVERUNT EOS. Licet enim illud munus sacerdotum esset, tamen ab eo in necessitate non arcebantur Levitæ. ANTISTITES, *Sacerdotes*, ut habent Hebr. & Septuaginta. FACILIORI RITU SANCTIFICANTUR: ideoque promptius fuit multos Levitas habere quam multos Sacerdotes.

V. 35. COMPLETUS EST CULTUS DOMUS DOMINI. Septuaginta habent: *Et directum est opus in domo Domini*, id est bene, ut rite peracta sunt in purificatione templi, & sacrificiis oblatis.

V. 36. MINISTERIUM DEI ESSET EXPLETUM. Hebr. & Septuaginta, *Præparasset Deus populum*, scilicet ut rite cultum peragerет. DE REPENTE HOC FIERI PLACUERAT. Septuaginta habent: *Nam subito factum est verbum*. Itaque Ezechias, & populus lætatus est, omnium videns alacritatem, & promptitudinem in divino cultu instaurando.

TIRINI.

Vers. I. FILIA ZACHARIAE, nempe summi Pontificis, & Prophetæ, qui cap. XXIV. vers. 21. a Rege Ioas interfectus est, fuit mater Ezechiæ, inquit sanctus Hieronymus *a*.

V. 4. PLATEAM ORIENTALEM. *Platea orientalis* erat quæ ante portam templi orientalem procurrebat.

V. 15. & 16. Per DOMUM DEI intelligitur atrium sacerdotale, quod Levitæ ad iuvandos sacerdotes intrare poterant; sed templum Domini, seu sanctuarium, intrare non poterant nisi soli sacerdotes: unde & hi soli dicuntur hic INGRESSI TEMPLUM, & *sanctificasse*, id est mundasse, ILLUD, ut habent Hebræa, & Græca: efferentes sordes e sanctuario IN VESTIBULO, Septuag. *in vestibulum*: unde dein Levitæ efferebant illas AD TORRENTEM CEDRON.

V. 17. COEPERUNT AUTEM PRIMA DIE MENSIS PRIMI, Nisan. Octo priores dies impenderunt exedris, & atriis sanctificandis, id est mundandis, & pristino nitori restituendis; posteriores alios octo dies templo, seu sanctuario purgando insumpserunt. De Pascha hic Scriptura non meminit, quia eo mense iuxta legis præscriptum celebrari non potuit, sed dilatum est in mensem secundum, ut dicitur initio capitis sequentis.

V. 24. PRO PECCATO, id est hostia, seu sacrificium pro peccato: de quo vide Levit. IV.

V. 30. SERMONIBUS, seu Psalmis; DAVID Regis, ET ASAPH VIDENTIS, id est Prophetæ. Unde colligimus, Psalmos quos iam habemus, non omnes esse unius Davidis, sed quosdam ab aliis compositos fuisse, ac nominatim duodecim illos qui Asaph inscribuntur, ipsi acceptos ferri debere.

V. 31. IMPLESTIS, id est consecrastis, MANUS VESTRAS DOMINO. Nam *implere manum* est consecrare in sacerdotem, ut alibi dixi.

V. 33. SANCTIFICAVERUNT DOMINO BOVES SEXCENTOS; id est, donarunt, & appropriarunt usibus templi, non præcise ad holocausta, ut factum præcedenti versu; sed ad quævis alia sacrificia, pacifica, pro peccato, &c.

V. 34. Per ANTISTITES intelliguntur sacerdotes, qui Levitis præerant quasi Antistites: de quorum consecratione vide Levit. VI. 8. & sequentibus.

(*a*) Hieron. in Trad. Hebr.

GORDONI.

Vers. 31. IMPLESTIS MANUS. Alibi aliud designat iste modus loquendi: hic, id est sacrati estis Deo.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. CONGREGAVIT EOS IN PLATEAM ORIENTALEM. Ibi erat porta templi præcipua.

V. 9. CAPTIVAE. Vide cap. XXVIII. vers. 8.

V. 16. CEDRON. Ibi est vallis Tophot.

V. 17. MENSIS PRIMI. Est Nisan, noster fere Martius.

V. 22. FUDERUNT. Vide Levit. cap. I. & 4.

V. 25. DISPOSITIONEM DAVID. Can-

Cantores enim non ex lege Mosis, sed ex designatione Davidis adhibiti sunt.

V. 30. SERMONIBUS, Psalmis.

V. 34. Levitæ urgente necessitate adiuverunt. ANTISTITES, sacerdotes.

CAPUT XXX.

Ezechias missis, in omnem Israel, & Iudam nuntiis, populum convocat, & sua oratione exhortatur ad immolandum Phase; quo facto, celebrarunt solemnitatem azymorum bis septem diebus cum ingenti lætitia, plurimis oblatis victimis.

1. MIsit quoque Ezechias ad omnem Israel & Iudam: scripsitque
epistolas ad Ephraim, & Manassen, ut venirent ad domum
Domini in Ierusalem, & facerent Phase Domino Deo Israel.
2. Inito ergo consilio Regis, & principum, & universi cœ-
tus Ierusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo.
3. * Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sa-
cerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, &
populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem. 4. Placuitque sermo Regi; &
omni multitudini. 5. Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel,
de Bersabee usque Dan, ut venirent, & facerent Phase Domino Deo Israel in
Ierusalem: multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est. 6. Perrexerunt-
que cursores cum epistolis ex Regis imperio, & principum eius, in universum
Israel, & Iudam, iuxta id quod Rex iusserat, prædicantes: Filii Israel revertimi-
ni ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israel: & revertetur ad reliquias,
quæ effugerunt manum Regis Assyriorum. 7. Nolite fieri sicut patres vestri, &
fratres, qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, * qui tradidit eos in in-
teritum, ut ipsi cernitis. 8. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri:
tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium eius, quod sanctificavit in æter-
num: servite Domino Deo patrum vestrorum, & avertetur a vobis ira furoris
eius. 9. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum: fratres vestri, & filii habe-
bunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, & rever-
tentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non
avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. 10. Igitur cursores per-
gebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim, & Manasse, usque
ad Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos. 11. Attamen quidam viri
ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem.
12. In Iuda vero facta est manus Domini ut daret eis cor unum, ut facerent
iuxta præceptum Regis, & principum, verbum Domini. 13. Congregatique sunt
in Ierusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum, in mense secun-
do: 14. & surgentes destruxerunt altaria, quæ erant in Ierusalem, atque univer-
sa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, proiecerunt in torrentem
cedron. 15. Immolaverunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacer-
dotes quoque, atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo
Domini: 16. steteruntque in ordine suo, iuxta dispositionem & legem Moysi
ho-

hominis Dei: Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibu Levitarum, 17. eo quod multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino. 18. Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non iuxta quod scriptum est: & oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur 19. cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. 20. Quem exaudivit Dominus, & placatus est populo. 21. Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Ierusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per singulos dies: Levitæ quoque, & sacerdotes, per organa, quæ suo officio congruebant. 22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino: & comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum suorum. 23. Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio. 24. * Ezechias enim Rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & septem millia ovium: principes vero dederant populo tauros mille, & oves decem millia: sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo. 25. Et hilaritate perfusa omnis turba Iuda, tam sacerdotum, & Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel; proselytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Iuda. 26. Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis a diebus Salomonis filii David Regis Israel in ea urbe non fuerat. 27. Surrexerunt autem sacerdotes, atque Levitæ benedicentes populo: & exaudita est vox eorum: pervenitque oratio in habitaculum sanctum cæli.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Non enim potuerant facere in tempore suo*. Non mutes *potuerant* in *occurrerant*, ut multi.

V. 7. *Qui tradidit eos*. Non est mutandum *qui* relativum, cum *&* coniunctione.

V. 24. *Ezechias enim Rex Iuda*. Coniunctio *enim* rationalis. non est mutanda in continuativa *autem*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 5. MULTI ENIM. Alii, *Multo enim tempore*. SICUT IN LEGE; quasi dicat, Debito tempore, seu ritu.

V. 6. REVERTETUR, scilicet Deus favendo.

V. 8. INDURARE, scilicet ad detrectandum iugum. MANUS, scilicet in signum fœderis, seu obedientiæ.

V. 11. ACQUIESCENTES CONSILIO. Hebr. *humiliantes se*.

V. 12. MANUS, scilicet favor, seu gratia.

V. 15. TANDEM. Hebr. *Pudore affecti*, scilicet ob negligentiam suam, cum viderent populi alacritatem.

V. 17. HIS; id est, pro his scilicet, suum ex populo quisque Pascha solebat mactare, si erat sanctificatus, id est purificatus; pro illis ergo qui purificati non erant, Levitæ Phase mactabant. OCCURRERANT. LXX. *poterant*, scilicet quam cito opus erat.

V. 20. PLACATUS EST POPULO. Hebr. & LXX. *Sanavit populum*.

V. 21. QUAE SUO OFFICIO CONGRUEBANT. Hebr. & LXX. *fortitudinis*; quasi dicat sonora.

V. 12.

V. 22. Ad cor, id est lenibus verbis. Super Domino, id est in canticis Domini; quasi dicat, Peritos cantici ecclesiastici.

E S T I I.

Vers. 2. Inito ergo consilio Regis, et principum, et universi coetus Ierusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo. Exod. xii. præcipit Dominus celebrari solemnitatem azymorum decima quinta mensis primi ad vesperam. Sed lex illa admittebat dispensationem, quæ dispensatio etiam in ipsa lege expressa est. Nam Num. iv. cum quidam immundi super anima hominis, ut Scriptura ibi loquitur, non possent cum reliqua multitudine facere Phase die, & mense constituto; Moyses pro iis consulens Dominum, respondet, eos debere differre celebrationem Phase in diem decimum quartum mensis secundi. Quod ibi ergo de paucis dicitur, hoc recte isto loco transfertur ad totam multitudinem, idque propter causas in textu allegatas, quarum ultima erat, quia populus nondum erat congregatus in Ierusalem, extra quem locum nefas erat Phase immolari.

V. 10. & 11. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem per terram Ephraim, et Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus et subsannantibus eos. Attamen quidam viri ex Aser, et Manasse, &c. Quin infra vers. 18. additur: *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse*, &c. Ubi notandum, quod Nephthalim tamen non nominetur. Nam & Tobiæ i. dicitur, qui erat ex tribu Nephthali, quod ipse solus ex ea tribu pergebat in Ierusalem ad templum Domini, reliquis omnibus euntibus ad vitulos aureos.

V. 18. Magna etiam pars populi.... quae sanctificata non fuerat, comedit Phase, non iuxta quod scriptum est: et oravit pro eis Ezechias. Hinc ostenditur, quod purgationum legalium cæremoniæ in necessitate omitti potuerunt. Erat quidem indultum Num. iv. ut qui primo mense Phase celebrare non posset, differret illud licite in mensem secundum; sed de tertio mense nihil Deus declaraverat. Orat ergo Ezechias, ut Deus non indignetur, quod quidam etsi non, ut oportebat, purgati, aut sanctificati celebrarent Phase, maxime quia, etsi forte in tertium mensem illorum Pascha reiicere voluisset, videbat id fieri non posse, nisi cum maximo incommodo eorum qui de longinquo Ierosolymam ad celebrandum Pascha venerant.

V. 27. Surrexerunt autem Sacerdotes, atque Levitae benedicentes populo, et exaudita est vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum sanctum caeli. In postremis verbis figurata est locutio; qua nihil aliud significatur, quam quod oratio Sacerdotum exaudita fuerit a Deo, qui quidem ubique est secundum divinitatis præsentiam, sed peculiariter in cælo esse, & habitare dicitur, propter gloriæ suæ repræsentationem: ibi enim beatis illis spiritibus gloriam suam exhibet. Hic etiam discimus duo, nempe ad sacerdotum officium pertinere ut populo benedicant, id est bene precentur, & Dei gratiam super illos implorent; tum etiam illud quod sic benedicentes populo, a Deo exaudiantur, idque iuxta divinam promissionem factam Num. vi. ubi de Sacerdotibus dicitur: *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis*.

M A R I A N AE.

Vers. 1. Scripsitque (Ezechias) epistolas ad Ephraim. Ephraim, & Manasse viciniores erant aliis, eoque maior cum illis usus, & familiaritas maior. Hieronymus in Tradit. aliter. Scripsit ut venirent ad celebrandum Pascha.

V. 2. Mense secundo. Iuxta legem impediti, & immundi, poterant transferre Pascha in mensem secundum: sic eo tempore fecerunt.

V. 3. Qui possent sufficere: scilicet ad offerenda tam multa sacrificia pauci sacerdotes erant. Hebr. *ad sufficientiam*. Sept. *sufficientes*. Sanctificati. Non erat satis, ut essent de genere sacerdotum; sed singuli initiari debebant iuxta legis ritum, quod erat prætermissum.

V. 5. Decreverunt ut mitte-

rent

RENT NUNTIOS. Hebr. *Ut transire facerent vocem*. Sept. *Ut transiret præconium*. Itaque voce præconis id decretum nuntiatum est Israeli, ut facerent Pascha. MULTI ENIM NON FECERANT SICUT LEGE PRAESCRIPTUM EST. Hebr. *Quoniam non ad multum fecerunt, sicut scriptum*. Constructio inversa; quasi dicat: Quoniam ad multum (tempus) non fecerant sicut scriptum est: si Hebræus. Sept. *Quoniam multitudo non fecit secundum scripturam*.

V. 6. ET REVERTETUR AD RELIQUIAS. Hebr. *ad evasionem relictam*, id est ad eos qui evaserunt ex vobis de manu Regum Assyriorum: sic Hebr. revertetur Deus, propitius erit.

V. 7. RECESSERUNT patres vestri. Heb. *Prævaricati sunt*. IN INTERITUM. Vox Hebr. *samah*, *desolationem*, seu *stuporem* significat.

V. 8. TRADITE MANUS DOMINO; id est, obedite Domino. Sept. *Date gloriam Domino*.

V. 11. QUIDAM VIRI. Sept. *Homines*: sic Hebr. ACQUIESCENTES CONSILIO. Hebr. *Humiliati sunt*. Sept. *Conversi sunt*, veneruntque Ierusalem.

V. 12. IN IUDA VERO. Hebr. *Etiam in Iuda*. Illi frequentes venerunt.

V. 13. POPULI MULTI. Hebr. *Populus multus congregatus est*. Rursus post illud, IN MENSE SECUNDO, Hebr. additur, *Cœtus multus valde*. Sept. *Ecclesia multa valde*. Quod, quoniam repetitio erat, & appositive legenda, Hieronymus omisit.

V. 14. DESTRUXERUNT ALTARIA. Sic Sept. Hebr. *Abstulerunt*. ATQUE UNIVERSA, IN QUIBUS IDOLIS ADOLEBATUR INCENSUM, scilicet altaria: nam ut in templo erat altare incensi, & altare holocaustorum; sic idolis utraque altaria extruxerant. Hebræus ait, vocem *mekateroth*, pro qua Hieronymus *in quibus adolebatur incensum*, significare locum ubi erant Sacerdotes, & Levitæ. המקטרות מקים שהיו בו כהנים ולוים: nimirum fenfit amota, demolitaque non solum altaria, sed & domicilia sacerdotum impii cultus. SUBVERTENTES. Hebr. *Abstulerunt*. Sept. *Subverterunt*.

V. 15. SACERDOTES QUOQUE, ATQUE LEVITAE TANDEM SANCTIFICATI. Hebr. *Et sacerdotes, & Levitæ pudore suffusi sunt* (scilicet ob priorem inertiam) *& sanctificaverunt se*. OBTULERUNT. Sept. *Intulerunt holocausta*: sic Hebr.

V. 16. IN ORDINE SUO. Hebr. *in statione sua*. IUXTA DISPOSITIONEM. Hebr. *iuxta iudicium suum*, id est morem, ritum. SUSCIPIEBANT EFFUNDENDUM SANGUINEM. Hebr. *Aspergebant sanguinem* (acceptum) *de manu Levitarum* Sacerdotes.

V. 17. ET IDCIRCO IMMOLARENT LEVITAE PHASE. Hebr. *Et Levitæ super immolatione Phase*. HIS, QUI NON OCCURRERANT SANCTIFICARI. Hebr. *Omni non mundo* (id est, propter omnem qui mundus non erat) *ad sanctificandum Domino*; quasi dicat: Ideo tam multis ministris opus erat, & Levitæ ad sacrificia admittebantur, quoniam multi immundi erant, quos sanctificandi cura data est Levitis.

V. 18. MAGNA ETIAM PARS POPULI DE EPHRAIM. Hebr. *Quia multitudo populi, multitudo ex Ephraim*. COMEDIT PHASE. Hebr. *Quia* (pro sed) *comedit phase*, non ut opus erat, quia immundi. ET ORAVIT PRO EIS. Hebr. *Quia* (rursum pro sed) *oravit pro eis Ezechias*. DOMINUS BONUS PROPITIABITUR cunctis. Hebr. *Dominus bonus propitiabitur pro*, scilicet pro hoc peccato quod fecerunt: sic Hebr. in voce *pro* finitur hic versus. Quædam videtur aposiopesis. Igitur propitiabitur.

V. 19. CUNCTIS, QUI IN TOTO CORDE REQUIRUNT. Hebr. *Omnis cor suum direxit ad quærendum Dominum*. Deest coniunctio causalis, *Quia omnis cor suum direxit*; quasi dicat: Hæc est propitiandi causa, quod omnes simplici corde convenerunt ad quærendum Dominum. ET NON IMPUTABIT EIS, QUOD MINUS SANCTIFICATI SUNT. Hebr. *Et non iuxta munditiam sanctuarii*, scilicet quæsierunt Deum, non opus erat, quia comederunt Pascha, non iuxta munditiam sanctuarii, id est quæ lege præcipitur.

V. 20. ET PLACATUS EST POPULO, Deus scilicet. Hebr. *Et sanavit populum*: sic Sept. scilicet illi ignoscendo. Hieronymus in Tradit. ex sententia Hebræorum ait, eos qui comederunt immundi, occisos. Sed Regis præcibus cladem cessasse,

fasse, eamque fuisse sanitatem, de qua ait: *Et sanavit populum*.

V. 21. LEVITAE QUOQUE, ET SACERDOTES, PER ORGANA, QUAE SUO OFFICIO CONGRUEBANT, celebrarunt Pascha. Sept. *in organis fortitudinis Domino*: sic Hebr. Verum quæ *organa* illa erant, quæ instrumenta? Hebræus ait tubas fuisse: scilicet quia fortiter sonant, & vehementer. Pagn. *in instrumentis sonoris* interpretatur. Quidam supplent verbum sic: *In instrumentis* (canebant) *fortitudinem Domino*, seu *Domini*.

V. 22. LOCUTUS EST EZECHIAS AD COR OMNIUM LEVITARUM; id est, laudavit eos Levitas qui in opere laborarunt. QUI HABEBANT INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO, id est peritos canendi laudes Dei.

V. 23. PLACUITQUE: adde, *inito consilio*: sic Hebr. UT CELEBRARENT. Hebr. *Ut facerent septem diebus aliis*. Quo loco vide an *facere* sit *sacrificare*: nam id ea vox sæpe significat, & mox de multiplici sacrificio agitur.

V. 24. SEPTEM MILLIA OVIUM. Sic Sept. Dicerem *pecudum*: oves ad esum non faciunt. Sic mox: OVES DECEM MILLIA. Utrobique vox צאן *zon*.

V. 25. ET HILARITATE PERFUSA OMNIS TURBA IUDA, scilicet *est*, ut in Gotthic. est additum. PROSELYTORUM turba lætata est. Hebr. *Advenæ*: sed nisi essent proselyti, id est iis sacris initiati, ad festum non venissent. Sept. *Proselyti*.

V. 26. GRANDIS CELEBRITAS. Hebr. *Lætitia*. Sed *letitia* pro *celebritate* sumitur.

V. 27. SURREXERUNT AUTEM SACERDOTES..... BENEDICENTES POPULO: ea fuit dimissio populi. ET EXAUDITA EST VOX EORUM. Sic Sept. Heb. *Et auditum est in voce eorum*. Hebræus ait sumi pro *placuisse Deo*, scilicet iuxta illud, *In auditu auris obedivit mihi*; id est, libenter obedivit: Psal. XVII. 14.

MALVENDAE.

Vers. 1. MISIT QUOQUE EZECHIAS AD OMNEM ISRAEL, ET IUDAM, &c. Id quidam factum volunt anno sexto regni Ezechiæ, asportato iam Israele in Assyrios; ac Rege carente, e II. Reg. XVIII. vers. 10. & sequentibus: atque nunc ad reliquias, & profugos Israelitarum e captivitate illa, scribere Ezechiam. Sed multo verisimilius est, contigisse istud anno primo Ezechiæ, initio statim ipsius regni. AD EPHRAIM, ET MANASSEN. Singulariter harum meminit, vel quod essent viciniores regno Iehudæ, vel quod Reges Iehudæ urbes obtinerent in montanis Ephraim, supra cap. XV. vers. 8. & Menassitæ multi transierant in partes Iehudæ, ibid. vers. 9.

V. 2. MENSE SECUNDO: quod fieri poterat impeditis, & immundis, ex lege Numer. IX. vers. 10. & sequentibus.

V. 3. IN TEMPORE SUO. Hebr. *in tempore ipso*, nempe mense primo, quo ex legis præscripto peragendum erat. Quidam, tempore eodem quo conventus fuerat habitus, & purgatio instituta, superiore capite: nam illud fuisset tempus proprium Paschatis, Exod. XII. 18. & Numer. IX. 3. QUIA SACERDOTES, QUI POSSENT SUFFICERE, SANCTIFICATI NON FUERANT, ET POPULUS NONDUM CONGREGATUS FUERAT IN IERUSALEM. Hebr. *Quia Sacerdotes non sanctificaverant se ad sufficientiam, & populus non fuerunt collecti ad Ierusalaim*. Quidam: *Cum sacerdotes non sanctificassent se ad sufficientem numerum, & populus non congregassent se Ieruschalaima*; quasi dicat: Cum sacerdotes non essent satis sufficienti numero sanctificati, ut superioris conventus sacrificia offerrent; nedum maximi huius, quo totus populus Israeliticus ad celebrandum Pascha esset conventurus, supra cap. XXIX. vers. 34.

V. 5. ET DECREVERUNT UT MITTERENT NUNTIOS IN UNIVERSUM ISRAEL. Hebr. *Et stare fecerunt verbum ad transire facere vocem in omni Israele*. Quidam: *Et constituerunt rem, ut edita voce divulgaretur per universum Israelem*; vel *ut præconis voce divulgarent per universum*, &c. Alii: *Constituerant rem hanc, ut transmitterent vocem*, seu *ut promulgarent per totum Israelem*. DE BERSABEE USQUE DAN. Vide Iudic. I. 20. MULTI ENIM NON FECERANT SICUT LEGE PRAESCRIPTUM EST. Hebr. *Quia non ad multitudinem fecerunt, sicut scriptum*. Volunt esse traiectionem: *Quia non fecerunt*

ad

ad multum temporis. Varie tamen elucidant. I. *Quia non in multitudine fecerunt sicut scriptum est*; id est, multitudo non celebraverant Pascha tempore suo, ex legis præscripto; tametsi aliqui celebrassent: & id quidem erat contra legem Exodi XII. 3. qua mandatur ut omnis multitudo congregationis Israel conficiat Pascha quartadecima die mensis primi. II. *Quia multitudo iam tempore non fecerant Pascha*, &c. III. *Quia per multum temporis*, sive *nam iamdiu non celebraverant ex præscripto*. IV. *Quia non satisfecerant iuxta præscriptum*: sic infra vers. 18.

V. 6. Ad reliquias quae effugerunt manum Regis Assyriorum. Hebr. *Ad evasionem reliquam factam vobis de manu Regum Assyriæ*; id est, ad reliquos qui evaserunt de manu, &c. Hinc quidam colligunt, gesta hæc post ultimam captivitatem Israelis in Assyriam per Salmanassarem: sed nihil necesse, cum illud, *De manu Regum Assyriæ*, recte accipi possit, De manu Phulis, II. Reg. xv. 19. & I. Chronicor. v. 26. & de manu Thiglath-Philneeseris, II. Reg. xv. 29. & I. Chronicor. v. 26.

V. 8. Tradite manus Domino. Hebr. *Date manum IHUH*. Exponunt: Id est, prostrati, Dei opem & auxilium implorate, ut vos misericordia sua erigat, ut Threnor. v. 6. Alii: *Porrecta manu date, seu præstate fidem*, vos fore subditos, & obtemperantes IHUH: subiicite vos, parete IHUH, ut I. Paralipom. XXIX. 24. Non tam recte. Alii: *Date manum*, vel in fœdus, vel ad elevandum eam ad Iehovam, in oratione, & adoratione, qui ante eas elevabatis idolis.

V. 10. Illis irridentibus et subsannantibus. Hebr. utrumque participium est ex Hiphil, quod maximam, & pudendam irrisionem, & subsannationem denotat.

V. 12. Manus Domini, id est virtus, & efficacia: metonymia: alii, favor, & gratia. Verbum Domini. Hebr. *In verbo Iehovæh*. Quidam, *Ex verbo*, vel *iuxta verbum Iehovæ*; id est, quod præceptum erat ex verbo Dei.

V. 14. Et surgentes, &c. Hebr. *Et surrexerunt*, &c. Notant, id verbum magnam alacritatem & promptitudinem indicare; quasi dicat: Arrectis animis, & manibus opus aggressi sunt, & perfecerunt.

V. 15. Tandem sanctificati. Hebr. *Pudore suffusi sunt, & sanctificaverunt se*, vel *pudefacti sunt, verecumdati sunt*, quod tamdiu distulissent sui sanctificationem: puduit eos suæ negligentiæ & cessationis, cum vidissent populum tam alacrem. Quidam: *Pudefacti sunt*, ob paucitatem; quasi dicat: Pauci numero sanctificaverunt se.

V. 16. In ordine suo. Hebr. *in statione sua*, id est in loco constituto, in stata functione sua. Vox militaris translata ad ecclesiasticam militiam, in qua omnia ex ordine, per vices, decenter fiunt. Iuxta dispositionem. Hebr. *secundum iudicium suum*. Varie exponunt: iuxta morem, ritum, constitutionem suam; vel secundum officium suum. Sanguinem, holocaustorum: de quibus versu præcedente.

V. 17. Et idcirco immolarent Levitae Phase iis qui non occurrerant sanctificari Domino. Nos Hebraica verba reddidimus (*Et Levitæ super mactatione Pesachim omni non mundo ad sanctificare* IHUH.) Alii varie. I. *Et Levitæ super iugulationem paschatum in omni immundo ad sanctificandum ipsi Iehovæh*. Notant, ex legis præscripto, nec sacerdotem, nec Levitam requiri ad iugulandum agnum paschalem; sed quemlibet patremfamilias mundum domi suæ iugulasse: Exod. XII. Verum cum magna multitudo immunda esset in cœtu illo, deerat in multis domibus iugulator mundus, ac propterea oportuit Levitas mundos id iugulandi officium subire. II. *Idcirco Levitæ erant super immolatione victimarum Pesach, pro omnibus immundis ad sanctificandum Iehovæ*; id est, qui immundi erant in cœtu illo abstinebant ab immolatione agni paschalis; & pro his immolabant Levitæ, ut sanctificarent illas victimas paschales; id est, ut pie & sancte illas offerrent Domino: nam sancta & munda, a sanctis & mundis offerenda. III. *Et Levitæ insistebant mactationi Pesachim pro omni eo qui non erat mundus, ut sanctificarent eum Domino*. IV. Hispanicus: *Y los Levitas sacrificavan la Pascua por todos los que no se avian alimpiado para santificar se a Iehova*. Reciproce accepit verbum קדש *kadasch*, in Hiphil,

cum sit transitivum in alium. V. *Ideo Levitæ incumbebant iugulationi Pascatum, pro omni immundo ad sanctificandum ea Iehovæ.* Exponunt, *Iugulationi*, quæ alioquin ad Sacerdotes pertinebat, ut observatum est Levit. I. 5. Hic ego mactationem, seu iugulationem pesachim non intellexerim, parvarum pecudum, seu agnorum paschalium, Exod. XII. nam hæc alioquin ad Sacerdotes non pertinebat; sed aliorum sacrificiorum, seu victimarum, quæ in solemnitate phesach, seu massarum iugulabantur, Numer. XXVIII. vers. 18. & 19. quæ nomine *Pesach* etiam censebantur, quod in ea solemnitate immolarentur. Vide Notas in Deuteronom. XVI. 2. & infra cap. XXXV. vers. 7.

V. 18. NON IUXTA QUOD SCRIPTUM EST. Numer. IX. 10. DOMINUS BONUS PROPITIABITUR. Hebr. IHUH *bonus expiabit in usque ad.* Varie alii: *Et expiabit eum*, vel *pro eo*, vel *propter eum.* Quidam Hebræorum, ut Noster, iungunt cum initio sequentis versus: *Iehova bonus expiabit in usque ad omnem, qui cor suum præparavit*, &c. ut *Soph-Pasuch* hic non distinguat, in cuius sinum particula עד *ghad* punctatur cum *Patach*, & non cum *Chametz*. Possis reddere: IHUH *optimus expiabit in sæculum*, vel *semper*: sic enim hæc vox I. Paralipom. XXVIII. 9. sumitur. Quidam exponunt: *Iehova optimus expiationem faciat pro eo*; id est, præstet spiritu suo, quod isti temporis importunitate prætermiserunt: sic ostendit Chizkiia, quid fuerit iuris de eis, qui sine fide mala, etiam secundo mense impurati erant.

V. 19. CUNCTIS, QUI IN TOTO CORDE, &c. Hunc versum obscurius a nobis ex Hebræo ad verbum expressum (*Omne cor eius apparavit ad quærere Elohim* IHUH, *Elohim patrum eius, & non secundum mundationem sanctitatis.*) Alii varie reddiderunt. I. *Omni qui direxit cor suum ad quærendum Elohim Iehovah, Elohim patrum suorum: & non sicut mundificatio sanctitatis*: nempe e superiore versu, *Propitiabitur omni qui direxit*, &c. id est, bonus Deus præfert integritatem cordis munditiæ legali; quasi dicat: Propitiabitur istis mundis corde, quamvis non mundis legaliter. II. *Qui totum cor suum paravit ut requirat Deum Iehovam, Deum patrum suorum, quamvis non sit purificatus iuxta purificationem sanctitatis*, quam scilicet instituit Moses; quasi dicat: Si spectes animum, erant mundi; si ritum, & cæremonias, non erant: Dominus autem respicit internam munditiem. III. *Omnem qui cor suum præparavit ad quærendum Deum, Dominum, inquam, Deum patrum suorum, etiamsi non sit mundatus iuxta purificationem sanctuarii.* IV. *Quisquis animum suum comparaverit ad quærendum Deum Iehovam, Deum patrum*, seu *maiorum suorum, quamvis non sit prout mundities sacra postulat*; quasi dicat: Modo qui accedent ad Pascha, animos suos comparaverint: cetera ne imputet Deus.

V. 20. ET PLACATUS EST POPULO. Hebr. *Et sanavit*, vel *curavit, populum*; subaudi, ab impuritate sua; id est, pro mundo & purificato habuit eum, vel virtute Spiritus sui purificavit. Externo aliquo signo factam hanc purificationem aliqui existimant: alioqui enim quomodo scivissent exauditam fuisse Ezechiæ precationem? quomodo ipsi securi Pascha immundi comedissent? quomodo tanta lætitia subsecuta fuisset?

V. 21. PER ORGANA, QUAE SUO OFFICIO CONGRUEBANT. Hebr. *In vasis*, seu *instrumentis fortitudinis ipsi* IHUH. Notant, vocari instrumenta fortitudinis ipsas tubas, quarum sonitus fortior ac vehementior erat. Alii: *In instrumentis, quæ fortiter & vehementer pulsabant.* Aliqui reddunt: *Instrumentis potentiam Domini magnificabant*, seu *canebant.* Nonnulli: *Instrumentis concinentibus robur Iehovæ*; id est, quibus canebant Psalmos robur Iehovæ prædicantes. Quidam: *Cum instrumentis sonoris*, quæ fortem, clarumque solum ederent; seu *cum instrumentis probe aptatis & concinnatis.*

V. 22. ET LOCUTUS EST EZECHIAS, &c. Quidam per plusquam perfectum: *Locutus enim fuerat Iehizkiia*, &c. Nimirum antequam hæc fierent, videns Chizkiia magnum populi numerum imparatum undequaque ad celebrandum Pascha confluere; consilium cum Sacerdotibus, & Levitis legis peritis habuerat: in quo constitutum est, ut res precibus Deo committeretur, Levitæ animos sumerent ad officium populo præstandum, & populum de re tota instituerent ex verbo Dei. ET

LOCU-

LOCUTUS EST EZECHIAS AD COR OMNIUM LEVITARUM. Exponunt, Id est verba penetrantia usque ad cor, seu quæ alte defigerentur in corde eorum, ut curam populi instruendi strenue susciperent. Alii: *Et allocutus est verbis blandis ac lenibus omnes Levitas*. Nonnulli: *Locutus enim fuerat Iechizkiia, quæ erant cordi omnibus Levitis*; id est, quæ ipsi avebant audire, quæ prompto, & volenti animo exceperunt. Vide Genes. XXXIV. 3. QUI HABEBANT INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO. Diversimode convertunt. I. *Intelligentium intellectum bonum ipsi Iehovæ*; id est, qui erant peritissimi rerum divinarum. II. *Qui industrii erant affectu bono erga Iehovam*. III. *Qui cordati erant*; qui recte sentiebant de Domino. IV. *Informantibus in intelligentia eius, quod videtur bonum Iehovæ*; id est, qui probe callebant, & alios informabant de ritibus & cæremoniis legis, & cultus divini. ET COMEDERUNT SEPTEM DIEBUS SOLEMNITATIS. Hebr. *Et comederunt stationem septem diebus*. Varie elucidant. I. *Et comederunt præparationem septem diebus*, id est panes infermentatos, iuxta legem. II. *Et comederunt sacrificia solemnitatis septem diebus*. III. *Ut ederent stata ista solemnitate septem diebus*. IV. *Ideo comederunt stato illo tempore septem diebus*. V. *Et comedebant per festivitatem septem dierum*. VI. *Et comederunt indictum septem diebus*, id est quod præscriptum lege erat. ET LAUDANTES DOMINUM. Hebr. *Et confitentes ipsi Iehovæ*, id est celebrantes, prædicantes Iehovam; vel *confitentes peccata sua ipsi* IHUH; vel *gratias agentes, gratulantes* IHUH.

V. 24. SANCTIFICATA EST ERGO SACERDOTUM PLURIMA MULTITUDO. Hebr. *Et sanctificaverunt se Sacerdotes ad multitudinem*, seu *copiose*, *quamplurimi*. Exponunt, Id est tanto numero, ut abunde Sacerdotum esset; non autem ut supra vers. 3.

V. 26. A DIEBUS SALOMONIS. Intelligunt exclusive, ut vocant; id est, iam inde a diviso regno non fuit celebrata tanta festivitas, iunctis cum Iehudah Israelitis.

V. 27. BENEDICENTES POPULO. Hebr. *Et benedixerunt populum*, ex lege Numer. VI. 23. ET EXAUDITA EST VOX EORUM. Hebr. *Et auditus fuit in voce eorum*. Quidam: *Et exauditus fuit Iehova in voce eorum*; id est, accepit vocem eorum, exoratus est in oratione eorum, favit voci eorum. Alii impersonaliter: *Et auditum fuit in voce eorum*.

MENOCHII.

Vers. 1. AD OMNEM ISRAEL, ET IUDAM, &c. Mirum videri possit, etiam Israelitas ad hoc Phase celebrandum invitatos fuisse. Sed præter ardentem Ezechiæ zelum, illud etiam afferi potest, quod Osee Rex Israel, qui fuit quidem idolorum cultor, *sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant*, ut habemus IV. Reg. XVII. 2. cum cerneret abductos esse ab Assyriis vitulos aureos qui erant in Dan, & Bethel, sustulit præsidia quæ posuerat Ieroboam filius Nabath in regni sui limitibus, ne quis Ierosolymam ascenderet ad adorandum scilicet ter in anno: quod tradit Chronicon Hebræorum, & probabile putat Salianus anno mundi 3305. num. 6.

V. 2. UT FACERENT PHASE MENSE SECUNDO: quod concedebat lex iis qui mense primo non potuissent, ut habetur Numer. IX. 10. 11.

V. 3. IN TEMPORE SUO, videlicet decimaquarta mensis primi. SACERDOTES, QUI POSSENT SUFFICERE. Vide superiori cap. num. 34.

V. 5. MITTERENT NUNTIOS, &c. Convocare enim oportebat populum, quia legitimæ solemnitates Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum abierant in desuetudinem. DE BERSABEE, USQUE DAN, qui, ut sæpe dictum est, sunt termini Regni Israelis secundum longitudinem.

V. 6. REVERTETUR AD RELIQUIAS, &c. Deus reconciliabitur, & propitius erit iis qui post cladem ab Assyriis illatam reliqui adhuc sunt.

V. 12. MANUS DOMINI, gratia & favor Domini.

V. 14. ALTARIA QUAE ERANT IN IERUSALEM. Fecerat enim Achaz altaria in universis angulis Ierusalem, ut dicitur cap. XXVIII. num. 24. UNIVERSA, vasa scilicet, & aras. IN TORRENTEM CEDRON. Vide dicta superiori capite num. 16.

V. 15. TANDEM SANCTIFICATI. Dicitur, *Tandem*, quia, ut habemus ex sa-

sacro textu superiori capite num. 34. Sacerdotes difficiliori, & diuturniori sanctificantur ritu, quam Levitæ. In Hebræo, & in versione Sept. est: *Sacerdotes autem illi, & Levitæ pudore suffusi sanctificaverunt se*. Pudebat enim illos negligentiæ suæ, cum viderent populi alacritatem.

V. 16. DE MANIBUS LEVITARUM, &c. Exodi cap. XII. ubi ritus occidendi agni paschalis præscribitur, non iubetur ut immolatio fiat per Levitas, aut Sacerdotes; sed cum fieret in privatis domibus, paterfamilias erat huius sacræ cæremoniæ minister. Verum quia plerique ex iis qui convenerant purificati non erant, & immolatio a mundis fieri debebat, ideo Levitarum, & Sacerdotum ministerio peracta est, ut hic habemus. Ita Lyranus, & Dionysius. Existimo rem ita peractam fuisse, ut populus non purificatus agnos immolandos Levitis daret, Levitæ ad Sacerdotes afferent, qui sacram illam cæremoniam immolationis usurpabant. Hoc enim significare videtur textus.

V. 17. QUI NON OCCURRERANT SANCTIFICARI DOMINO: qui non occupaverant se purificare.

V. 18. NON IUXTA QUOD SCRIPTUM EST. Phase a mundis tantum comedi poterat; sed ex dispensatione illis concessum est ut comedere ex illo possent, licet purificati non essent: quia hoc facilius poterat indulgeri, quam ut immundi agnum mactarent.

V. 21. QUAE SUO OFFICIO CONGRUEBANT. Hebr. & Septuaginta habent *fortitudinis*; quasi dicat, *sonora*.

V. 22. LOCUTUS EST AD COR, verba scilicet levia, & consolationem afferentia. QUI HABEBANT INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO, id est peritos cantus ecclesiastici, ut interpretatur Emmanuel Sa. Fortasse sensus esse possit: Qui sentiebant de Domino in bonitate, & erga divinum cultum bene erant dispositi. SEPTEM DIEBUS SOLEMNITATIS. Tot enim dies festum paschale tenebat iuxta præscriptum legis Exodi XII. 15. VICTIMAS PACIFICORUM in gratiarum actionem, & pro salute, & prosperitate offerentium. Vide Riberam de Tem. Lib. IV. cap. I. & cap. IV. Ritum hostiæ pacificæ habes Levit. cap. III.

V. 23. ETIAM ALIOS SEPTEM DIES, ad quos legis præscripto non tenebantur.

V. 24. SANCTIFICATA EST ERGO SACERDOTUM PLURIMA MULTITUDO, ut tam multis hostiis immolandis sufficere possent.

V. 25. PROSELYTORUM. Proselyti sunt qui ex alienis se adiungunt Hebræis, & illorum sacra suscipiunt.

V. 17. SACERDOTES, ATQUE LEVITAE BENEDICENTES POPULO. Formulam qua populo benedicendum erat, habemus Numer. VI. 24. & seqq. & est huiusmodi: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi panem*. ATQUE LEVITAE. Non videtur ex loco allato Numeror. VI. ius fuisse Levitis ut populo benedicerent. Dicuntur ergo benedixisse, vel quia simul cum sacerdotibus populo benedicentibus orarunt, vel quia musico cantu, ut solet chorus, aliquid cecinerunt quo & ipsi populo bene precati sunt.

TIRINI.

Vers. 2. MENSE SECUNDO debebant iuxta legem *a* celebrare Phase quicumque mense primo fuerant impediti, vel immundi. Sicut hic impediti fuerant Iudæi, quia, ut dicitur,

V. 3. SACERDOTES QUI POSSENT SUFFICERE, SANCTIFICATI NON FUERANT. Neque enim, ut Deo possent sacrificare, & fungi muniis sacerdotalibus, sat erat quod essent de genere sacerdotali; sed singuli debebant initiari, & consecrari iuxta ritus præscriptos Lev. VIII.

V. 6. *Reliquiæ* QUAE EFFUGERUNT MANUM REGIS ASSYRIORUM, vocantur quinque tribus Israeliticæ, quas, abductis in Assyriam aliis quinque tribubus quarto anno Regis Achaz, reliquerat Teglat-Phalasar in sedibus suis, e quibus tamen sexto anno Ezechiæ etiam ipsæ a Salmanasar eodem abductæ sunt, ut dixi IV. Reg. XV. & XVII.

V. 18. MAGNA PARS POPULI, QUAE SANCTIFICATA, id est mundata, NON FUERAT, COMEDIT PHASE, NON IUXTA QUOD SCRIPTUM, seu a Deo per Moysen præscriptum fuerat: nempe necdum ab immunditiis suis expiata. S. Hieronymus ex sententia Hebræorum ait,

eos

eos qui Phase comederunt immundi, magna ex parte cælitus immissa plaga occisos fuisse; sed precibus Ezechiæ, sinceram populi intentionem, vixque culpabilem ignorantiam allegantis, mox cladem cessasse, & ideo vers. 20. dici, *Deum populo placatum esse*.

V. 22. LOCUTUS EST AD COR LEVITARUM; id est, solatus est, & laudavit eos: QUI HABEBANT INTELLIGENTIAM BONAM SUPER DOMINO, id est *in canticis Domini*; quasi dicat, Peritos canere laudes Dei, & in hoc suo officio strenuos. Et hæc erat materia & occasio cur a Rege collaudarentur.

(*a*) Num. IX. vers. 10.

GORDONI.

Vers. 18. MAGNA ETIAM PARS. Hi comederunt Phase, sed non ut oportebat, nam erant immundi. Orat pro his Ezechias.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. MISIT QUOQUE EZECHIAS OMNEM ISRAEL. Quod facile erat sublatis vitulis aureis per Assyrios, & remotis præsidiis quæ posuerant Ieroboam.

V. 2. MENSE SECUNDO, ut vides permissum impeditis Num. cap. IX. vers. 10.

V. 16. & 18. Phase comedi poterat in domibus privatis; sed nec immolari, nec comedi nisi a mundis. Concurrente autem immundorum multitudine, inita est hæc ratio, ut immolatio (quod præcipuum est) fieret a sacerdotibus; liceret vero immundis vesci ex Phase, facta permissione hac vice.



CAPUT XXXI.

Populus idola lucosque in Iuda & Ephraim demolitur, Ezechias Sacerdotes & Levitas componit in ordinem ministerii; populo autem abundantissime offerente, constituuntur, factis horreis, qui servarent ac distribuerent Levitico generi quæ oblata erant.



1. Cumque hæc fuisent rite celebrata, egresus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Iuda, & fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt, non solum de universo Iuda & Beniamin, sed & de Ephraim quoque & Manase, donec penitus everterent: reversique sunt omnes filii Israel in posessiones & civitates suas. 2. Ezechias autem constituit turmas Sacerdotales & Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quam Levitarum, ad holocausta & pacifica, ut ministrarent & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini. 3. Pars autem Regis erat, ut de propria eius substantia offerretur holocaustum, mane semper & vespere. Sabbatis quoque, & calendis, & solemnitatibus ceteris, sicut scriptum est in lege Moysi. 4. Præcepit etiam populo habitantium Ierusalem, ut darent partes Sacerdotibus, & Levitis, ut posent vacare legi Domini. 5. Quod cum percrebruiset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel frumenti, vini, & olei, mellis quoque: & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt. 6. Sed & filii Israel & Iuda, qui habitabant in urbibus Iuda, obtule-

lerunt decimas boum & ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo: atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos. 7. Mense tertio cœperunt acervorum iacere fundamenta, & mense septimo compleverunt eos. 8. Cumque ingressi fuissent Ezechias, & principes eius, viderunt acervos, & benedixerunt Domino, ac populo Israel. 9. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes, & Levitas, cur ita iacerent acervi. 10. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista, quam cernis. 11. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent, 12. intulerunt tam primitias, quam decimas, & quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, & Semei frater eius, secundus, 13. post quem Iahiel, & Azarias, & Nahath, & Asael, & Ierimoth, Iozabad quoque, & Eliel, & Iesmachias, & Mahath, & Banaias, præpositi sub manibus Choneniæ, & Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ Regis, & Azariæ Pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant. 14. Core vero filius Iemna Levites & ianitor orientalis portæ, præpositus erat iis quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque & consecratis in Sancta sanctorum. 15. Et sub cura eius Eden, & Beniamin, Iesue, & Semeias, Amarias quoque, & Sechenias, in civitatibus Sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque maioribus: 16. exceptis maribus ab annis tribus & supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus iuxta divisiones suas, 17. Sacerdotibus per familias, & Levitis a vigesimo anno & supra, per ordines & turmas suas, 18. universæque multitudini, tam uxoribus, quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur. 19. Sed & filiorum Aaron per agros, & suburbana urbium singularum dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de Sacerdotibus, & Levitis. 20. Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Iuda: operatusque est bonum & rectum & verum coram Domino Deo suo, 21. & in universa cultura ministerii domus Domini, iuxta legem & cærimonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque, & prosperatus est.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. RITE CELEBRATA. Hebr. & LXX. *perfecta*.

V. 2. CASTRORUM, id est templi, ubi solebant convenire velut milites. LXX. *atriis domus*.

V. 3. PARS AUTEM, &c. quasi dicat: Pro parte sua id curabat. MOYSI, Hebr. & LXX. & Complut. *Domini*.

V. 6. SANCTORUM, pro sanctas.

V. 8. INGRESSI, scilicet templum.

V. 11. HORREA. LXX. *pastophoria*, scilicet cellas, seu cubicula.

V. 12. QUAECUMQUE VOVERANT. Hebr. *sancta*, id est Domino consecrata, seu dedicata. SECUNDUS, scilicet eius vicarius.

V. 13. MANIBUS, id est imperio, seu cura. AD QUOS OMNIA PERTINEBANT. Hæc non sunt Hebr. nec in LXX. nec in Complut.

V. 14. IN SANCTA SANCTORUM; quasi dicat, Nempe rebus Deo dicatis.

V. 16. EXCEPTIS, &c. quasi dicat, Præter pueros, quibus etiam dabatur, a tribus annis, &c. CONDUCEBAT, id est conveniebat, scilicet quid cuique debeba-

batur. IN MINISTERIO, id est pro ministerio. OBSERVATIONIBUS, id est officiis.

V. 17. VIGESIMO. Ea aetate post aedificatum templum ministrare incipiebant.

V. 21. CAEREMONIAS. Hebr. & LXX. *Praecepta*.

ESTII.

Vers. 4. PRAECEPIT ETIAM POPULO HABITANTIUM IERUSALEM, UT DARENT PARTES SACERDOTIBUS, ET LEVITIS, UT POSSENT VACARE LEGI DOMINI. Praeceptum hoc Ezechiae Regis de decimis,& primitiis, non novum praeceptum fuit, sed tantum renovatio praecepti divini: nam Dominus in lege praeceperat Sacerdotibus primitias, & Levitis decimas dari. Sed quia multo tempore propter populi aversionem a cultu Dei, id erat neglectum, ideo Rex pius suo edicto in usum revocavit. Ratio autem, & finis praecepti adiungitur his verbis: *Ut possent vacare legi Domini*; id est, ministerium suum a lege praescriptum exequi, sive docendo, sive sacrificia offerendo, sive aliis templi ministeriis vacando. Hinc etiam Genes. XLVII. legitur, quod & ipsi idololatrae sacerdotes AEgyptiorum tempore famis non fuerint compulsi vendere possessiones suas, eo quod ex publico alebantur. Ex quibus colligitur, apud Christianos quoque ius decimarum, & similium, ministris Ecclesiae competere, non ex humana constitutione, neque ex solo praecepto positivo legis divinae, verumetiam ex lege naturali, ad quam lex positiva tantum addidit certum modum, & determinationem. Nempe iustum est ex lege naturae, ut qui communitati ministrat, ab eadem sustentationem accipiat. Ministerium autem sacerdotum, & totius cleri, non propter ipsos constitutum est, sed pro salute totius populi.

V. 8. BENEDIXERUNT DOMINO, AC POPULO ISRAEL. *Benedicere Domino*, est eum laudare, & gratias agere pro acceptis beneficiis. Quod autem leguntur benedixisse populo, dupliciter intelligi potest. Vel quod populo pro liberalitate sibi exhibita gratias egerint, eamque collaudaverint; vel quod populo propter eamdem liberalitatem fuerint bene precati. Quae res, quem usum, & fructum habeat, vide cap. praeced. vers. 27.

MARIANAE.

Vers. 1. FREGERUNT SIMULACRA. Hebr. *statuas*. DONEC PENITUS EVERTERENT. Sept. *usque ad consummationem*; id est, quousque perfecerunt, absolveruntque.

V. 2. TURMAS SACERDOTALES Ezechias constituit. Hebr. *divisiones*. Sept. *vices sacerdotum*, & *Levitarum*. PER DIVISIONES SUAS, id est vices suas. Nimirum sanxit, quae familiae, in quo opere, & quo tempore ministrarent. IN OFFICIO PROPRIO. Sept. *iuxta ministerium suum*: sic Hebr. CONFITERENTUR, id est laudarent, aut gratias agerent. CANERENTQUE. Hebr. *laudarent*. IN PORTIS CASTRORUM DOMINI. Sic vocat templum, quo Iudaei conveniebant.

V. 3. PARS AUTEM REGIS ERAT; quasi dicat: Ita divisit ministeria templi, ut ipse immunis non maneret, quippe in se suscepit curam providendi de suo, unde iuge holocaustum fieret. OFFERRETUR, additum ab Interprete. Ego dicerem: De eius substantia (provideret Rex.) HOLOCAUSTUM. Hebr. *ad holocausta* & *holocausta*, id est omnia, & singula holocausta. ET CALENDIS. Hebr. *Hodes* est mensis sic dictus a *hadas*, id est *innovare*, quod luna innovetur quolibet mense. Sumitur etiam pro *calendis*: sic Sept. dixerunt *in neomeniis*, quod tantumdem Graece valet. SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE MOYSI. Hebr. & Sept. *in lege Domini*: sic etiam in Vulgata Regia. Praecepit etiam Rex populo

V. 4. UT DARENT PARTES SACERDOTIBUS. Hebr. *partem*. Reditus, & rationes templi erant impediti ob perturbationem temporum. Sic & ipse de suo contulit partem, & cives Ierusalem voluit etiam conferre. UT POSSENT VACARE LEGI DOMINI. Hebr. *Ut confortarentur in lege Domini*, id est alacrius suo munere fungerentur sacerdotes.

V. 5. QUOD CUM PERCREBUISSET. Hebr. *Et cum dissipatum esset verbum*, scilicet Regis. Vox Hebr. *paraz* & *dividere* significat, & *multiplicari*. Plerique posteriorem significationem sequuntur sic,

Cum multiplicata esset res, id est cœpissent magno fervore munera in templum inferre. Alii priorem sequentes, intelligunt: *Cum dissipatum esset verbum*, quod scilicet Rex præcepit. Hoc Hieronymus sequitur. IN AURIBUS MULTITUDINIS, additum de suo. ET OMNIUM QUAE GIGNIT HUMUS, obtulerunt primitias. Hebr. *Et omnes proventus agri*. An ex iis etiam quæ sponte proveniunt, decimas obtulere? sic in quodam Hispaniæ Concilio sancitum invenio. DECIMAS OBTULERUNT. Hebr. *Et decimas omnium ad multitudinem* (id est multas) *intulerunt*.

V. 6. DECIMASQUE SANCTORUM, QUAE VOVERANT. Hebr. *Et decimas sanctitatum sanctificatarum*. Hoc lego appositive: *Et*, pro *id est*, decimas sanctas, quæ erant sanctificatæ, id est dedicatæ Deo. Decimæ rerum omnium ex lege Deo consecratæ addictæque erant: sic Sept. *Et decimas sanctorum* (pro ἁγιῶν lege ἁγίων, quamvis codices in vitiosam lectionem conspirent) *& sanctificaverunt Domino Deo suo*. FECERUNT ACERVOS PLURIMOS. Hebr. *Dederunt in acervos & acervos*. Sept. *Posuerunt acervos & acervos*.

V. 9. CUM ITA IACERENT ACERVI. Hebr. *Rogavit Rex de acervis illis*, quod addo propter He demonstrativum, aut *super acervis*, ut vertunt Sept. Respondet Azarias Pontifex:

V. 10. EX QUO COEPERUNT OFFERRI PRIMITIAE .... COMEDIMUS. Sic Sept. Hebr. *donum*, pro dona. Sed *terumah* vere *primitias* significat. RELIQUIARUM AUTEM COPIA EST ISTA, QUAM CERNIS. Sept. *Et reliquimus adhuc multitudinem hanc*. Hebr. *Et relicta est turba hæc*, scilicet frugum, & annonæ. Hebræus sic: *Et relictum* (erit) *turbæ huic sacerdotum*, *& Levitarum*. Verum prior expositio magis placet: & quidem littera perspicua esset magis, si pro *nothar*, id est *relictum*, legamus, mutatis tantum punctis, *nivather*, id est *reliquimus*, hanc multitudinem scilicet quam vides.

V. 11. HORREA. Sept. *pastophoria*, id est cubicula, ut illæ fruges conderentur, Rex fieri iubet.

V. 12. PRIMITIAS intulerunt. Hic etiam est *terumah*. QUAECUMQUE VOVERANT. Hebr. *Et sancta*, pro *id est sancta*. SECUNDUS. Non iungitur cum *frater*, sed cum *præfectus*. Semei erat secundus præfectus, scilicet horreis.

V. 13. SUB MANIBUS. Hebr. *Ex manu*; id est, ab eo erant præpositi, & a fratre eius. PONTIFICIS. Hebr. *Ducis*: sic Sept. sed quoniam ait, *Ducis domus Domini*, recte ponitur *Pontificis*. AD QUOS OMNIA PERTINEBANT. Additum, neque Hebr. est, neque Græce, neque in Regia Vulgata.

V. 14. PRIMITIISQUE erat præfectus Core. Hebr. *Ad dandum primitias Domini, & sancta sanctorum*: sic Sept. Itaque is ianitor, iuxta hæc, non ad servandum dona erat præpositus, sed ad dandum, sane pauperibus, aut aliis sacerdotibus. *Sancta sanctorum* dona vocat Deo dicata.

V. 15. ET SUB CURA EIUS. Hebr. *Et ad manum eius*, id est sub eius potestate, eius adiutor. BENIAMIN: sic Sept. Hebr. *Miniamin*. Nomen est proprium viri, sicut *Eden*, & alia quæ subsequuntur. PARTES. Hebr. *In divisionibus*; id est, ut per familias portiones distribuerent.

V. 16. EXCEPTIS MARIBUS AB ANNIS TRIBUS. Tres versus proximi difficiles plane sunt. Sententia tamen hæc est, datas partes sacerdotibus, & Levitis. Sed qui maiores viginti annis erant, accedebat, ut filios illi haberent, curabant ut suo tempore ii describerentur, & maribus quidem qui descripti erant, a tribus annis aliqua portio dabatur, sed minor quam sacerdotibus. Porro feminis, & puerulis in cunis, modo essent descripti, sua etiam portio de communi tribuebatur. Ergo Hebr. sic habent: *Præter genealogizare ipsorum* (id est, præter eos qui erant descripti in libris genealogiarum) *quo ad mares, a filio trium annorum, & supra, omni venienti ad domum Domini* (forte a tribus annis puerulos deducebant ad templi ministeria) *rem diei in die suo* (singulis diebus dabantur alimenta pueris) *ad ministerium eorum in custodiis suis, in divisionibus suis* (id est, per familias alimenta tribuebant.) Forte varia erant triclinia per familias tributa, ubi ii pueri alebantur. CONDUCEBAT, id est conveniebat: id dabatur quod erat expediens: tametsi id verbum *conducebat* Hebr. non est. ATQUE OBSERVATIONIBUS. Hebr. *In cu-*

custodiis; pro, cuique in sua functione portio dabatur.

V. 17. SACERDOTIBUS PER FAMILIAS. Hebraica sic: *Et genealogizare sacerdotum* (id est descriptio) *per domos patrum suorum, a filio viginti annorum, & supra, in custodiis suis, in divisionibus suis* (id est per familias cuiusque.) Itaque vult, sacerdotes, quibus maior utique portio dabatur, a viginti annis describi.

V. 18. UNIVERSAEQUE MULTITUDINI, TAM UXORIBUS, &c. Hebr. *Et ad genealogizare in omni parvulo eorum, uxoribus eorum, & filiis eorum* (scilicet qui tribus annis minores erant) *& filiabus eorum ad omnem cœtum*, scilicet sacerdotum, & Levitarum: nam de iis agitur. FIDELITER CIBI, DE HIS QUAE SANCTIFICATA FUERANT, PRAEBEBANTUR. Hebr. *Nam in fide eorum sanctificabant se sanctitate*; id est, quoniam putabant eis alimenta non defutura sibi, & familiæ, ideo sacris ministeriis se addicebant.

V. 19. SED ET FILIORUM AARON. Hebr. *Et filiis Aaron sacerdotibus in agro suburbano urbium suarum*. DISPOSITI ERANT VIRI. Hebr. *Viri nominati nominibus suis*, id est superius expressi. UNIVERSO SEXUI MASCULINO. Hebr. *Omni masculo in sacerdotibus*. ET LEVITIS. Hebr. *Et ad omne genealogizare in Levitis*; id est, omnibus ex eo genere descriptis. Egerat superius de sacerdotibus, & Levitis, qui Ierosolymis erant; hic de illis qui morabantur extra urbem, quibus suæ dabantur partes. *Levitis* pro omnibus domesticis qui descripti erant; *Sacerdotibus* pro masculis tantum.

V. 21. IUXTA LEGEM ET CAEREMONIAS Rex omnia fecit. Hebr. *In lege & præcepto*. VOLENS REQUIRERE. Hebr. *ad quærendum Deum*. FECITQUE. Hebr. *Fecit, & prosperatus est*; quasi dicat: Omnia ad finem perduxit Rex.

MALVENDAE.

Vers. 1. SED ET DE EPHRAIM QUOQUE ET MANASSE. Hebr. *Et in Ephraim & Menasseh*. Quidam: *Etiam per Ephraimum & Menascben*, id est partem illam Israelitici regni quæ Regi Iehudæ parebat, sive occupata a superioribus Regibus, ut supra cap. XIII. vers. 19. & cap. XV. vers. 8. sive ipsa aliqua ex causa ad Iehudam defecisset; ut tunc Israelis regnum fluctuabat, & multis motibus agitabatur: sic infra cap. XXXIV. vers. 6. & 9. Vide supra cap. XXX. vers. 1.

V. 2. EZECHIAS AUTEM CONSTITUIT TURMAS SACERDOTALES ET LEVITICAS PER DIVISIONES SUAS. *Et statuit Iechizkiiahu distributiones sacerdotum, & Levitarum super distributiones suas*. Quidam: *Porro Ezechias constituit ordines sacerdotum, & Levitarum ad ordines suos*. Alii: *Restituit vero Iechizkiia distributiones sacerdotum, ac Levitarum per distributiones eorum*; hoc est, restituit Ezechias classes, & ordines sacerdotum, & Levitarum, ad eum prorsus modum, & in eum statum, quo eas constituerat David I. Paralipom. cap. XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. labefactatas & abolitas Achazi patris sui impietate. UNUMQUEMQUE IN OFFICIO PROPRIO. Hebr. *Virum secundum os servitii eius*. Quidam, *Quemque secundum ministerium suum*, seu *pro officio suo*. IN PORTIS CASTRORUM DOMINI; id est, in templo, quo conveniebat populus Dei, & Dei ministri quasi in castrensi militia erant collocati, omnia in stationibus suis, per vices, ordine, & decenter, suo tempore peragentes. Vide simile Exod. XXXVIII. 8. & I. Samuel. II. 22. & Num. IV. 3.

V. 3. PARS AUTEM REGIS ERAT, &c. Quidam in accusandi casu reddunt: *Portionem quoque Regis, de facultatibus eius*, &c. subaudi e præcedenti versu, *constituit*, aut restituit. OFFERRETUR HOLOCAUSTUM MANE SEMPER ET VESPERE. Hebr. *Ad holocausta, ad holocausta matutini, & vesperæ*. Bis dicitur, *ad holocausta*, id est ad omnia & singula holocausta; sive ad quæque holocausta; aut ad quotidiana holocausta. SICUT SCRIPTUM EST, sive *præscriptum*, IN LEGE MOYSI, nempe Num. XXVIII. toto capite.

V. 4. UT DARENT PARTES SACERDOTIBUS, ET LEVITIS. Hebr. *Ut darent portionem numeratam, & constitutam sacerdotibus, & Levitis*: nimirum ut describitur Numeror. XVIII. vers. 8. & sequentibus. UT POSSENT VACARE LEGI DOMINI. Hebr. *Ut obtinerent in le-*

ge Iehovæh. Quidam: *Ut confortarentur*, vel *ut fortificarent sese*, &c. id est, ut alacrius insisterent cultui & officio divino, divina lege præscripto. Alii: *Ut tenaces essent in lege Domini*. Nonnulli: *Ut confirmarent se in lege Iehovæ exequenda*; id est, illi rei summe incumberent, neque distraherentur alimenti quærendi causa. Formident Reges divina iudicia, cum in bona Ecclesiæ quovis prætextu manus iniecerint.

V. 5. QUOD CUM PERCREBUISSET IN AURIBUS MULTITUDINIS. Heb. *Et secundum rumpere*, seu *dividere*, *verbum*. Varie alii. I. *Et sicut multiplicabitur res*: vel *cumque multiplicata esset res ista*, nempe oblatio facta sacerdotibus, & Levitis a Ierosolymitanis; id est, cum abunde Ierosolymitani dedissent sacerdotibus, & Levitis portionem quæ illis lege decimarum, & primitiarum, ac sacrificiorum debebatur. II. *Et cum erupisset hoc verbum*, vel *hæc res*. III. *Et secundum exuperare rem*. IV. *Tum simul ac erupit hoc verbum*. V. *Cumque multiplicatus esset sermo iste*. VI. *Cumque hoc verbum Regis divulgatum esset*. MELLIS. דבש *debasch*, hic plerique non proprie, sed metaphorice capiunt, *& palmæ*, seu *dactylorum*, propter dulcedinem. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Ac palmæ, id est dactylorum, sive fructuum e palma, ita hoc loco vocem interpretantur Hebræi omnes uno consensu: nam primitiarum mellis nusquam in lege fit mentio: & primitiæ ac decimæ tantum imperantur ex fructibus terræ, & animantibus: denique vox ipsa Hebræa utrumque significat: ex quo factum ut Scenitæ Arabes palmam optimam appellent dabusam, quasi dicas mellitam, teste Iuba apud Plinium Lib. XIII. Naturalis Historiæ cap.* IV. Hanc interpretationem amplectuntur signate Rabbi David Kimchi, Sanctes, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius: quam verba Plinii illustrant eodem loco: *Iudæa vero inclyta est vel magis palmis*. Et post multa: *Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota, sed Iericbunte maxime: quamquam laudatæ & Archelaide, & Phaselide, atque Liviade, gentis eiusdem convallibus. Dos his præcipua succo pingui, lactentibus, quodamque vini sapore in melle prædulci*. Et paulos inferius de Dactylis: *Nam quos ex his honori deorum dicamus, Chydæos appellavit Iudæa, gens contumelia numinum insignis. Chydæos*, exponunt, vel maturos, vel vulgares, & ex copia viles; quos cum Gentiles, Iudæos dactylos vocarent, Idææ matris honori dicatos; Iudæi per contumeliam falsi eius numinis, *Chydæos*, id est viles & vulgares, appellabant. Ergo cum tantum Iudæa dactylis abundaret, nihil mirum, dactylorum decimas, & primitias, sacerdotibus, & Levitis persolvi solitas. Ceterum ipse, ut hanc explanationem non prorsus repudiaverim, ita nec penitus admiserim, cum ea vocis *Debasch* usurpatio certo alio exemplo careat. Notabisque in Plinio non *dabusam*, sed *dabulan*, vel *dablan* scribi.

V. 6. DECIMASQUE SANCTORUM QUAE VOVERANT DOMINO. Hebr. *Et decimam sanctitatum sanctificatarum ipsi Iehovæh*. Quidam, *Et decimas sacras*, id est *sacratas Iehovæ*. Aliqui hic *decimam sanctitatum sanctificatarum*, accipiunt decimam illam quam Levitæ ex decima sibi oblata, sacerdotibus reddere tenebantur, Numeror. XVIII. vers. 28. & seqq. quæ erat sancta ex sanctificatis Deo decimis, datis a populo Levitis. Haud recte: nam hic universe agitur de decimis datis a populo Levitis, & sacerdotibus.

V. 7. MENSE TERTIO, sub festum Pentecostes, quo messis incipit & collectio fructuum. ET MENSE SEPTIMO, quo collecta fructuum totius anni absolvitur: unde festum tabernaculorum, *collectionis* dicitur, Exod. XXIII. 16. Vide ibi Notas.

V. 10. AZARIAS. Hebr. *Hazariahu*. Notant, hunc *appellari Tzadokum* I. Paralipom. VI. vers. 12. EX QUO COEPERUNT OFFERRI PRIMITIAE IN DOMO DOMINI, COMEDIMUS, ET SATURATI SUMUS, ET REMANSERUNT PLURIMA. Hanc partem nos ordine verborum ex Hebræo transfudimus, quorum est in fonte ipso maior emphasis, per infinitiva (*De incipere*, *elevationem ad venire domum* IHUH, *comedere*, *& saturari*, *& super relinquere usque ad multitudini*.) Nonnulli clarius ita: *Ex quo cœptum est istam oblationem afferre in domum Iehova, comedimus, & saturati sumus, ac superest quamplurimum*. Alii: *Quando cœptum est afferri dona in domum Domini, comestum est ad satietatem usque, multumque superfuit*. RELIQUIARUM AUTEM

CO-

COPIA EST ISTA, QUAM CERNIS. Hebr. *Et reliquam factam multitudinem istam*. המון *hamon* hic quidam pro multitudine & turba populi accipiunt; id est, & benedixit reliquam hanc multitudinem populi; ut idem bis dicat: unde reddunt: *Quia Iehova benedixit populo suo, & residuæ turbæ huic*. Plerique Hebræorum, & nostrorum, pro copia scilicet opum, seu pro multitudine rerum oblatarum Levitis, & sacerdotibus, de qua supra vers. 5. 6. & 7. qua ratione hæc vox capitur Psalm. xxxvi. 16. & Ecclesiastæ v. 9. unde reddunt, I. *Et superesse fecit copiam hanc*. Non recte: nam הנותר *hannothar*, vel verbum, vel participium est Niphal, quod transitivam significationem non admittit. II. *Ut reliqua sit tanta copia*. III. *Ita ut quod superest, sit multitudo hæc*. Ex verbo: *Et superrelicta multitudo ista*. Sed prior sensus magis cum Hebræo congruit.

V. 12. ET QUAECUMQUE VOVERANT. Hebr. *Et sanctitates*, id est dona, quæ vel sponte, vel ex voto Deo obtulerant. Quidam, *Et res consecratas*; id est, quas Deo consecraverant. FIDELITER. Hebr. *cum fide*, vel *veritate*; ut nihil defraudarent, aut surriperent. Alii, *constanter*. FUIT AUTEM PRAEFECTUS EORUM. Hebr. *Et super ea*. Quidam, *Præeratque illis*; id est, summi quæstores sacri erant, sive, ut Iureconsulti vocant, *cimeliarchæ*: sed isti non intellexerunt vim vocis huius, quæ tantum de thesaurariis pretiosissimæ supellectilis dicitur; non de primitiis aut decimis frugum, aut animalium, quarum custodia, & administratio duobus istis committitur. SECUNDUS, seu *secundarius* ab eo, id est secundæ dignitatis ab eo; quasi vicarius eius.

V. 13. PRAEPOSITI. Hebr. *Visitatores*, *præfecti commissarii*, *delegati executores*. Aliqui exponunt, Id est curatores, rationes accepti, & expensi cimeliarchis reddentes. EX IMPERIO EZECHIAE. Heb. *In visitatione Ezechiæ*. Quidam, *In præfectura*. Alii, *In mandato*, *iussu*, *Iechizkiiæ*. Nonnulli, *Institutione Iechizkiiæ*. Aptius redderem, *In visitatione*, *inspectione*, *requisitione*, *Ezechiæ Regis*: ut suprema omnium ratio Ezechiæ Regi redderetur. PONTIFICIS DOMUS DEI. Hebr. *Ductoris*, *antecessoris*, *præsulis*, *antistitis*, *domus Dei*, id est summi Sacerdotis.

V. 14. PRAEPOSITUS ERAT IIS QUAE SPONTE OFFEREBANTUR DOMINO. Hebr. *super spontaneitates Dei*. נדבות *nidboth* quidam substantive sumunt, *spontaneitates*, *liberalitates*, *munificentias*, *magnificentias*. Alii adiective, *spontaneas*, *voluntarias*; id est, dona seu oblationes spontaneas & voluntarias, quæ conferuntur vel in sacrificium, vel alias in pium & sacrum usum, nulla obligatione legis, vel ex voto aliquo Deo nuncupato, sed ex mera liberalitate & munificentia animi. ET CONSECRATIS IN SANCTA SANCTORUM. Hebr. *Et sanctitates sanctitatum*. Quidam, *Et res sanctas sanctorum*, id est sanctissimas: nempe quæ Deo erant consecratæ & dedicatæ.

V. 15. ET SUB CURA EIUS. Hebr. *Et super manum eius*. Quidam, *Ad manum autem eius*, id est coniuncti ministri, ut foris extra Ierusalaim istas oblationes reciperent; vel in potestate eius, & illi subditi. IN CIVITATIBUS SACERDOTUM, UT FIDELITER DISTRIBUERENT FRATRIBUS SUIS PARTES, MINORIBUS ATQUE MAIORIBUS. Nos Hebraica ipsa verba dedimus (*In urbibus sacerdotum*, *in fide: ad dare fratribus suis*, *in partitionibus*, *sicut grandi*, *sicut parvo*.) Diversimode alii. I. *In civitatibus sacerdotum in fide*; hoc est, absque exacta supputatione: *ad dandum fratribus suis in divisionibus*, id est in partitionibus, portionibus: *sicut magno sic parvo*. II. *In civitatibus sacerdotum fideliter*; *ut darent fratribus suis secundum divisiones*, id est qui erant distributi in turmas & classes: *sicut magno sic parvo*. III. *In civitatibus sacerdotum in fide*, vel *cum fide*, hoc est homines spectatæ fidei, aut *sub fide constituti*; *ut darent fratribus suis iuxta ordines*, seu classes & vices: *ut maiori ita & minori*. IV. *Per civitates sacerdotum in stato munere*: *dando cognatis suis per distributiones*, *tam magno quam parvo*: nimirum, ex Lege Deuteronom. XVIII. 8.

V. 16. EXCEPTIS MARIBUS. Heb. *Præter genealogizare se facere eos ipsis maribus*. Varie alii: 1. *Absque genealogia eorum*, *masculis*: 2. *Præter progeniem illorum*, *masculis*: 3. *Exceptis quos recensuerant in maribus*: 4. *Præter generis ipsorum mares*: 5. *Excepta familia eorum*, *masculis*; subaudiunt e præcedenti versu, *ut darent*, seu

di-

distribuerent. Hispanicus: *Sin loque se contava para los varones*; id est, absque eo quod recensebatur pro maribus. ET QUIDQUID PER SINGULOS DIES CONDUCEBAT. Hebr. *Ipsi verbo diei in die suo*: quidam *per singulos dies*: alii *ad rem diei in die suo*, id est ad officium suum diurnum: aliqui *rem*, *ordinarium demensum*, *diei in die suo*, id est portionem quotidianam debitam ex primitiis, & decimis.

V. 17. SACERDOTIBUS. Hebr. in accusandi casu. *Et ipsum genealogizare se facere sacerdotes*, vel *sacerdotum*. Diversimode reddunt. I. *Et cum genealogia Sacerdotum*. II. *Et progeniem sacerdotum*. III. *Et recenseri sacerdotum*, sive & *recensitionem*, seu *genealogiam*, *sacerdotum*. IV. *Ut darent*, *inquam*, *progeniei sacerdotum*. V. *Et iis qui inter sacerdotes reputati erant*. VI. *Et cum recensione generis sacerdotum*. VII. *Et familiæ sacerdotum*. VIII. *Et cum genealogia sacerdotes*. Notant esse infinitum pro nomine.

V. 18. UNIVERSAEQUE MULTITUDINI. Hebr. in dativo: *Et ipsi genealogizare se facere in omnibus parvulis eorum*. Varie alii. I. *Et existentibus cum genealogia universæ familiæ eorum*. II. *Et progeniem in cunctis parvulis eorum*. III. *Et progeniei in cunctis*, &c. IV. *Deinde his qui in pube eorum censebantur*. V. *Etiam generi ipsorum in omnes parvulos eorum*. VI. *Et reliquæ familiæ in parvulis eorum*. Subaudiunt semper verbum *darent*, seu *distribuerent*, e vers. 15.

Sensum horum trium versuum, satis alioqui obscurum, ita concipiunt: Quod ante recensitam, ac discussam genealogiam sacerdotum, ac Levitarum, dabatur portio seu distributio ex decimis, & primitiis, ipsis ministris actu ministrantibus, ac eorum filiis masculis dumtaxat a tertio ætatis anno & deinceps; at excepta & discussa eorumdem genealogia, dabatur portio ipsis a vigesimo ætatis anno, quo ministrare incipiebant, I. Paralip. XXIII. vers. 24. & 27. ac etiam eorum parvulis, uxoribus, & filiabus. Alii versum 17. & 18. volunt esse exegesin versus 16. qui præcessit: ut quod ibi summatim perstringitur, duobus sequentibus versibus explicatius describatur: nempe ut Levitis, & sacerdotibus a vigesimo anno ministrare incipientibus, ministrantibus per vices & classes suas, in ministerio seu servitio suo, in observationibus seu excubiis suis, dentur suæ partes seu portiones ex decimis & primitiis collectis; tum etiam filiis eorum, uxoribus, ac filiabus.

FIDELITER CIBI, DE HIS QUAE SANCTIFICATA FUERANT, PRAEBEBANTUR. Hebr. *Quia in fide eorum sanctificabunt se sanctitate*. Varie alii. I. *Quia in fide eorum sanctificabant se sanctitate*; id est, quia fideliter ac sincere mundaverant se, seu mundi erant, ut possent edere de primitiis, ac decimis Deo sacratis: ac etiam quia non patiebantur fraudem in his committi. II. *Nam fide eorum sanctificabant se sanctitate*; id est, sancte & sincere dependebant ab illis curatoribus. III. *Quia in fide sua se sanctificabant sanctitate*, id est ipsi curatores, offerendo scilicet ea quæ sanctificabantur, & fidei eorum committebantur. IV. *Nam fidei illorum sanctificabantur sancta*; id est, fidei illorum committebantur sacræ illæ decimæ, ac primitiæ, item voluntariæ oblationes Deo dicatæ. V. *Cum in stato munere suo rerum sanctarum sanctificassent se*; id est, cum primum ad hanc functionem initiati sunt, ut continenter, de cibariis sacerdotum, & Levitarum, pro ætate, ac sexu eorum providerent. Hispanicus: *Por que per la fe de estos se repartian las offrendas*; id est, *por el ministerio fiel delos officiales nombrados*, supra vers. 12. 13. 14. & 15. Illud, *Sanctificabant se sanctitate*, accipiunt pro, distribuebantur sacræ oblationes.

V. 19. SED ET FILIORUM AARON, &c. Hunc versum nos ex verbo reddidimus (*Et filiis Aharon sacerdotibus in agris suburbii urbium eorum in omni urbe & urbe homines, qui excavati fuerunt in nominibus, ad dare partes omni masculo in sacerdotibus; & omni genealogizari se facere in Levitis*.) Alii clarius in hunc modum: *Tum posteris Aharonis sacerdotibus per agros suburbanos civitatum eorum, in unaquaque civitate præerant homines, qui expressi sunt nominibus* (supra vers. 15.) *ad dandum portiones cuique mari inter sacerdotes, similiter singulis recensitis genere inter Levitas*. Illud, *Qui expressi sunt nominibus*, vide supra cap. XXVIII. vers. 15. Aliqui tamen aliter accipiunt: *Viri qui fuerunt nominati nominibus*; id est, viri optime noti, ac bonæ famæ, distributores erant: qualis locutio est Genes. VI. 4.

V. 20.

V. 20. Et verum. אמת *emeth*, *& fidem*, *certitudinem*, *veritatem*, *stabilitatem*, *constantiam*, *fidelitatem*, *integritatem*, *sinceritatem*, *simplicitatem*. Opponitur proprie operibus hypocriticis, quæ non ex vero, integro, ac sincero corde fiunt. Quidam reddunt: *Fecitque quod bonum & rectum, statumque videtur*. Coram Domino. Hebr. *Ad facies* Ihuh; id est, Deo teste, iudice, inspectore, approbatore, auctore.

MENOCHII.

Vers. 1. Turmas sacerdotales, &c. iuxta divisiones & classes a Davide olim constitutas: de quibus vide I. Paralip. xxiv.

V. 2. In portis castrorum Domini, id est templi, quo solebant convenire quasi milites. Septuaginta habent, *In portis*, *in atriis domus Domini*.

V. 3. Pars autem Regis erat, &c. Puto sententiam esse, Ezechiam contribuisse ad sacrificiorum expensas, ut scilicet mane, & vespere regiis expensis holocausta offerrentur. Septuaginta habent: *Et portio Regis de substantia eius ad holocaustoses, matutinam, & vespertinam*. Idem fere fecerat Salomon, ut legimus II. Paralip. viii. num. 12. & 13.

V. 4. Partes, primitias scilicet, & decimas, quæ sacerdotibus, & Levitis debebantur.

V. 6. Decimas sanctorum. Iuxta Hebræos, ut refert Lyranus, hæ sunt decimæ, quas Levitæ dabant sacerdotibus ex decimis quas ipsi a populo acceperant. Vide Num. xviii. 26.

V. 7. Iacere fundamenta, id est inchoare acervos. Mense septimo compleverunt, id est a mense Maio usque ad Novembrem.

V. 9. Cur ita iacerent acervi: nec annona illa seponeretur, sed quasi negligeretur, & in custodia iaceret.

V. 11. Praepararent horrea in domo Domini: non ut de novo constituerentur, erant quippe iampridem a Salomone ædificata; sed ut mundarentur, & instaurarentur iis in locis in quibus labem essent passa.

V. 12. Secundus, id est vicarius. Vide notata supra, I. Paralip. xvi. 5. & II. Paralip. xxvi. 11. & cap. xxviii. 7.

V. 13. Ad quos omnia pertinebant. Hæc verba non sunt in textu Hebr. nec in textu septuaginta Virorum: sensus esse videtur, quorum partim iussu, partim ministerio omnia perficiebantur. In Sancta sanctorum, ad sacros usus, sacrificia, &c.

V. 16. Exceptis maribus, &c. Sententia est: Præter mares qui absoluto tertio anno ætatis, cum scilicet a matris ubere depulsi erant, incipiebant accipere alimenta ex immolatis, decimis, primitiis, &c. Qui ingrediebantur templum Domini. Sacerdotibus, & Levitis, qui in templo, & atriis Domino famulabantur. Conducebat: opus erat. Observationibus, id est officiis. Divisiones suas, classes, & ordines suos

V. 17. A vigesimo anno. Vide notata I. Paralip. xiii. num. 24. Anno vigesimo post ædificatum templum ministrare incipiebant Levitæ.

V. 19. Filiorum Aaron, qui scilicet sacerdotes erant. Itaque tam in Hebræo quam apud Septuaginta dicitur, *De filiis Aaron sacerdotibus*.

TIRINI.

Vers. 2. In portis castrorum Domini, id est in portis templi, ad quas solebant sacerdotes, & Levitæ per vices, & turmas convenire, instar militum.

V. 3. & 4. Pars autem Regis erat; id est, Rex pro parte sua curabat; quasi dicat: Ita divisit Rex ministeria templi, ut ipse non maneret immunis: nam in se suscepit curam providendi de suo unde iuge holocaustum fieret, & aliæ hostiæ; populo vero Ierosolymitano imposuit onus alendi sacerdotes, & Levitas. Cum enim redditus, & rationes templi, ob perturbationem temporum essent admodum impediti, necessum fuit aliunde prospicere necessitatibus templi, & ministrorum illius, ut possent vacare legi Domini; id est, ut expediti cura rerum temporalium, totos se impendere possent sacro templi ministerio, iuxta præscriptum legis divinæ.

V. 6. Decimas sanctorum quae vo-

VOVERANT. Hebraice, *decimas sanctitatum sanctificatarum*; id est, decimas rerum omnium ex præscripto legis *a* consecratas addictasque Deo.

V. 11. HORREA IN DOMO DOMINI. Septuag. *pastophoria*: erant cubicula, in quibus fruges condebantur.

V. 16. EXCEPTIS MARIBUS AB ANNIS TRIBUS ET SUPRA; id est, præter pueros triennes, quibus etiam, ut & aliis omnibus, usque ad annum vigesimum subministrabantur omnia necessaria; quasi dicat: Non solis sacerdotibus, & Levitis, iam vigesimum annum egressis, & in gravioribus templi ministeriis re ipsa occupatis, dabantur a præfectis templi omnia necessaria; sed etiam si quis eorum iam liberos haberet, iisdem quoque de alimentis prospiciebatur: neque maribus tantum, qui mox ab anno ætatis tertio inscripti catalogo ministrantium puellorum, intrabant cum parentibus templum, deservituri & ipsi in rebus levioribus (quo titulo pars aliqua stipendii deberi ipsis videbatur) sed & femellis, adeoque & puerulis in cunis, sua quotidie portio tribuebatur de communi. Tanta erat rerum templo oblatarum copia. Et Rex nolebat quemquam ministrorum templi distineri cura rerum necessariarum sibi suisve conquirendarum. Quod utinam imitentur omnes principes & magistratus Christiani!

(*a*) Lev. XIX. vers. 23. Num. XVIII. vers. 8. Deut. XIV. &c.

GORDONI.

Vers. 3. PARS AUTEM REGIS. Ne quidem Rex ipse immunis esse voluit a cura templi, conferens de suo etiam aliqua.

V. 16. 17. & 18. EXCEPTIS MARIBUS, &c. Hoc sic aliqui intelligunt: *Exceptis*, hoc est præter pueros: immo his etiam dabatur a tribus annis. Agitur de sacerdotibus, & Levitis. Et qui liberos habebant, debebant curare eos describi: & maribus quidem descriptis dabatur a tribus annis portio aliqua, tamen minor quam sacerdotibus: feminis etiam in cunis, si describebantur, dabatur aliquid.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. IN PORTIS CASTRORUM, templi. Septuag. *In atriis domus Domini*.

V. 4. PARTES, primitias, & decimas, iuxta legem.

V. 6. DECIMASQUE SANCTORUM. Has aliqui putant esse eas de quibus Num. XVIII. vers. 26. quos Levitæ dabant sacerdotibus.

V. 7. MENSE SEPTIMO, a Maio ad Novembrem.

V. 17. Post ædificatum templum Levitæ cœperunt ministrare anno ætatis vigesimo. Vide I. Paral. XIII. 24.



CAPUT XXXII.

Sennacherib Iudæam invadente, Ezechias populum hortatur fidere in Domino, a quo ille minis, & blaſphemiis nititur eum avertere: orantibus autem Ezechia, & Iſaia, Angelus diſſipat exercitum Sennacherib; qui fugiens, a filiis occiditur: porro Ezechias nimia felicitate elatus, Deum offendit; cui impius filius Manaſſes ſuccedit.

1. POſt (*a*) quæ, & huiuſcemodi veritatem venit Sennacherib Rex
Aſſyriorum, & ingreſſus Iudam, obſedit civitates munitas,
volens eas capere. 2. Quod cum vidiſſet Ezechias, veniſſe
ſcilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra
Ieruſalem, 3. inito cum principibus conſilio viriſque fortiſ-
ſimis, ut obturarent capita fontium, qui erant extra urbem:
& hoc omnium decernente ſententia, 4. congregavit pluri-
mam multitudinem, & obturaverunt cunctos fontes, & rivum qui fluebat in me-
dio terræ, dicentes: Ne veniant Reges Aſſyriorum, & inveniant aquarum abun-
dantiam. 5. AEdificavit quoque, agens induſtrie, omnem murum, qui fuerat
diſſipatus, & extruxit turres deſuper, & forinſecus alterum murum: inſtauravit-
que Mello in civitate David, & fecit univerſi generis armaturam & clypeos: 6.
conſtituitque principes bellatorum in exercitu: & convocavit univerſos in platea
portæ civitatis, ac locutus eſt ad cor eorum, dicens: 7. Viriliter agite & con-
fortamini: nolite timere, nec paveatis Regem Aſſyriorum, & univerſam multi-
tudinem, quæ eſt cum eo: multo enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo.
8. Cum illo enim eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus Deus noſter, qui
auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis. Confortatuſque eſt populus huiuſce-
modi verbis Ezechiæ Regis Iuda. 9. Quæ poſtquam geſta ſunt, miſit Sennache-
rib Rex Aſſyriorum ſervos ſuos in Ieruſalem (ipſe enim cum univerſo exercitu
obſidebat Lachis) ad Ezechiam Regem Iuda, & ad omnem populum, qui erat
in urbe, dicens: 10. Hæc dicit Sennacherib Rex Aſſyriorum: In quo habentes
fiduciam ſedetis obſeſſi in Ieruſalem? 11. Num Ezechias decipit vos, ut tradat
morti in fame, & ſiti, affirmans quod Dominus Deus veſter liberet vos de
manu Regis Aſſyriorum? 12. Numquid non iſte eſt Ezechias, qui deſtruxit ex-
celſa illius, & altaria, & præcepit Iuda, & Ieruſalem, dicens: Coram altari uno
adorabitis, & in ipſo comburetis incenſum? 13. An ignoratis quæ ego fecerim,
& patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dii gentium, o-
mniumque terrarum, liberare regionem ſuam de manu mea? 14. Quis eſt de uni-
verſis diis gentium quas vaſtaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum
ſuum de manu mea, ut poſſit etiam Deus veſter eruere vos de hac manu? 15.
Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana perſuaſione deludat, neque credatis
ei. Si enim nullus potuit deus* cunctarum gentium atque regnorum liberare po-
pulum ſuum de manu mea, & de manu patrum meorum, conſequenter nec
Deus veſter poterit eruere vos de manu mea. 16. Sed & alia multa locuti ſunt
ſervi eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam ſervum eius: 17. epi-

ſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſrael, & locutus eſt adverſus eum: Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum ſuum de manu ſua, ſic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta. 18. Inſuper & clamore magno, lingua Iudaica, contra populum qui ſedebat in muris Ieruſalem, perſonabat, ut terreret eos, & caperet civitatem. 19.* Locutuſque eſt contra Deum Ieruſalem, ſicut adverſum deos populorum terræ, opera manuum hominum. 20. Oraverunt igitur, Ezechias Rex, & Iſaias filius Amos Prophetes, adverſum hanc blaſphemiam, ac vociferati ſunt uſque in cælum. 21. (*b*) Et miſit Dominus Angelum, qui percuſſit omnem virum robuſtum, & bellatorem, & principem exercitus Regis Aſſyriorum: reverſuſque eſt cum ignominia in terram ſuam. Cumque ingreſſus eſſet domum dei ſui, filii qui egreſſi fuerant de utero eius, interfecerunt eum gladio. 22. Salvavitque Dominus Ezechiam, & habitatores Ieruſalem de manu Sennacherib Regis Aſſyriorum, & de manu omnium, & præſtitit eis quietem per circuitum. 23. Multi etiam deferebant hoſtias & ſacrificia Domino in Ieruſalem, & munera Ezechiæ Regi Iuda: qui exaltatus eſt poſt hæc coram cunctis gentibus. 24. (*c*) In diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem, & oravit Dominum: exaudivitque eum, & dedit ei ſignum. 25. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum eſt cor eius: & facta eſt contra eum ira, & contra Iudam, & Ieruſalem. 26. Humiliatuſque eſt poſtea, eo quod exaltatum fuiſſet cor eius, tam ipſe, quam habitatores Ieruſalem: & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ. 27. Fuit autem Ezechias dives, & inclytus valde, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti & auri & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretii. 28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium iumentorum, caulaſque pecorum, * 29. & urbes ædificavit ſibi: habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eo quod dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis. 30. Ipſe eſt Ezechias, qui obturavit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas ſubter ad occidentem Urbis David: in omnibus operibus ſuis fecit proſpere quæ voluit. 31. Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. 32. Reliqua autem ſermonum Ezechiæ, & miſericordiarum eius, ſcripta ſunt in viſione Iſaiæ filii Amos Prophetæ, & in Libro Regum Iuda, & Iſrael. 33. Dormivitque Ezechias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum ſuper ſepulcra filiorum David: & celebravit eius exequias univerſus Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem: regnavitque Manaſſes filius eius pro eo.

(*a*) IV. Reg. XVIII. 13. Iſa. XXXVI. 1. Eccli. XLVIII. 20. (*b*) Tob. I. 21. (*c*) IV. Reg. XX. 1. Iſa. XXXVIII. 1.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 15. *Cunctarum gentium atque regnorum.* Scribendum eſt *regnorum*, non *regionum*, quod eſt provinciarum.

V. 19. *Locutuſque eſt contra Deum Ieruſalem.* Non mutes nomen urbis *Ieruſalem*, cum nomine gentis *Iſrael*.

V. 29. *Et urbes ædificavit ſibi.* Non addas certum urbium numerum *ſex*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. VERITATEM, ſcilicet rerum narratarum, vel Ezechiæ integritatem vitæ.

V. 3. CAPITA. Hebr. & LXX. *aquas*. HOC OMNIUM DECERNENTE SENTENTIA. Hebr. *Adiuverunt eum*. LXX. *Confortaverunt eum*. TERRAE, ſcilicet prope Ieruſalem.

V. 5. MELLO. Dicitur fuiſſe locus concionum populi, de quo diximus aliquoties ſupra. CIVITATE DAVID, ſcilicet monte Sion. UNIVERSI GENERIS ARMATURAM. Hebr. *multos gladios*.

V. 6. AD COR, id eſt conſolans.

V. 8. QUI AUXILIATOR, &c. Heb. *Ad adiuvandum nos, & præliandum prælia noſtra*.

V. 12. EXCELSA ILLIUS. Falſum id. Vide IV. Reg. XVIII.

V. 14. DE HAC. Hebr. & LXX. *de mea*.

V. 15. CONSEQUENTER. Hebr. *quanto magis*.

V. 17. MANU ISTA. Hebr. & LXX. *manu mea*.

V. 27. ARMORUM UNIVERSI GENERIS, ET. Hebr. *clypeorum, omniumque*.

V. 29. INNUMERABILES. Hebr. & LXX. *plurimos*.

V. 30. FONTEM. Hebr. & LXX. *exitus*.

V. 31. ACCIDERAT, ſcilicet in umbra horologii retrocedente.

E S T I I.

Verſ. 7. NOLITE TIMERE, NEC PAVEATIS REGEM ASSYRIORUM ..... MULTO ENIM PLURES NOBISCUM SUNT, QUAM CUM ILLO. Hoc duobus modis intelligi poteſt. Uno modo, ut ſenſus ſit: Deus nobiſcum eſt, qui unus potentior eſt, quam omnis adverſariorum exercitus: & ita ſenſus erit, *Multo plures*, ſcilicet valore, non numero. Hunc ſenſum indicant verba ſequentia: CUM ILLO ENIM (verſ. 8.) EST BRACHIUM CARNEUM: NOBISCUM DOMINUS DEUS NOSTER. Alio modo intelligi poteſt ut de exercitu Angelorum loquatur. Pro hoc ſenſu facit quod poſtea Angelus Domini occiderit de exercitu illo centum octoginta millia. Quamvis enim totus Angelorum exercitus ad huiuſmodi miniſterium ſemper ſit paratus, unius tamen Angeli potentia ad hoc ſufficiebat. Et ſimili ſententia dictum eſt ab Eliſeo ad puerum ſuum, IV. Reg. XIX. *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*; & oſtendit ei montem plenum equorum, & curruum igneorum, per quos ſignificabatur exercitus cæleſtium ſpirituum. Quod autem hic fuerit bonus Angelus, patet, quia Iſaias cap. XXXVII. vocat eum Angelum Domini, quomodo etiam vocatur IV. Reg. XIX. & Eccli. cap. XLVIII.

V. 31. DERELIQUIT EUM DEUS UT TENTARETUR, ET NOTA FIERENT OMNIA QUAE ERANT IN CORDE EIUS. Hic locus oſtendit, Deo deſerente, id eſt gratiam non dante, hominem non poſſe ſuperare tentationem; non ait tamen ut neceſſario in illud peccatum incidat ad quod tentatur (fieri enim poteſt ut tentatio tentatione repellatur, ſicut clavus clavo pellitur) ſed ita ut ab ea ſalubriter, & ſecundum Deum, ſine Dei gratia ſe expedire non poſſit. Quod autem additur, *Et nota fierent omnia quæ erant in corde eius*, non intelligitur, ut Deo innoteſcant, qui omnia novit etiam antequam eveniant; ſed ut nota fiant ipſi homini, cui occulta cordis ſui frequenter ignota ſunt: deinde etiam aliis hominibus, quibus per experientiam innoteſcat de proximo qualis ſit. Hinc probari etiam poteſt ille commentarius verborum Dei ad Abraham Gen. XXII. *Nunc cognovi quod timeas Deum*; id eſt, cognoſcere te feci.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. POST QUAE ET HUIUSCEMODI VERITATEM: ſcilicet quæ veriſſime omnia ſunt dicta. OBSEDIT CIVITATES. Hebr. *Caſtra poſuit ſuper civitates* Sennacherib. VOLENS EAS CA-

CAPERE. Hebr. *Et dixit ut interrumperet sibi*, aut *ad se*. Contra Ezechias facit.

V. 3. UT OBTURARENT CAPITA FONTIUM. Hebr. *aquas fontium*. Ingruente hoste, annonam, & aquas corrumpere, salutare est. ET HOC OMNIUM DECERNENTE SENTENTIA. Hebr. *Auxiliati sunt ei*; id est, qui aderant in consilio, suam obtulere opem.

V. 4. RIVUM QUI FLUEBAT, obturarunt. Hebr. *Qui inundabant in medio terræ*, id est regionis.

V. 5. AGENS INDUSTRIE. Hoc additum. ET EXTRUXIT TURRES DESUPER. Hebr. *Et ascendere fecit super turres*; id est, extulit eas in maiorem sublimitatem, aut adhibuit præsidia, ut milites, ut machinas. MELLO IN CIVITATE DAVID instauravit. Vides ubi erat Mello: quid esset, in Libr. Reg. est dictum. Forsterus in radice מלא *mala*, ait fuisse voraginem inter montes Sion & Moria, quam Salomon replevit, & ei ædificia superposuit. FECIT UNIVERSI GENERIS ARMATURAM. Alii *gladios multos*. Vox *selah*, quæ hic est, *gladium* significat, certe illis verbis, *Uniuscuiusque ensis super femur suum*, Cant. III. 8. ibi enim Hebr. ea vox est,

V. 11. NUM (Sept. *Nonne*) EZECHIAS DECIPIT VOS? Sic Hebr. Id dicunt servi Sennacherib. UT TRADAT MORTI IN FAME ET SITI; quasi dicat: Non erit simplex mors, sed cruciatibus armata.

V. 12. DESTRUXIT. Hebr. *Amovit*. EXCELSA ILLIUS. Deus colebatur in excelsis, & altaribus, sed contra legem. Illa Ezechias abstulit.

V. 13. AN IGNORATIS. Hebr. *An non scitis quæ ego fecerim?*

V. 14. DE HAC MANU? Hebr. *De manu mea an poterit vos eruere Deus vester?*

V. 15. CONSEQUENTER NEC DEUS VESTER. Hebr. *Quanto magis dii vestri non liberabunt vos*, quando dii aliarum gentium suos non liberarunt.

V. 16. SED ET ALIA MULTA LOCUTI SUNT SERVI EIUS. Sept. *Et adhuc locuti sunt servi eius:* sic Hebr. Deus Ezechiæ non poterit liberare vos.

V. 16. DE MANU ISTA. Hebr. *de manu mea*: sic Sept. Adhæc clamabat,

V. 18. UT TERRERET EOS, ET CAPERET CIVITATEM: clamabant illi servi Sennacherib. Hebr. *Et turbarent eos, & caperent civitatem*: sic Sept. Metus in bello magnum momentum. Territi facile vincuntur.

V. 20. ADVERSUM HANC BLASPHEMIAM. Hebr. *Super hoc oraverunt Rex, & Isaias*, Deum scilicet.

V. 21. FILII QUI EGRESSI FUERANT DE UTERO EIUS, interfecerunt Sennacheribum. Hebr. *Egredientes (e) visceribus eius*, nimirum filii. INTERFECERUNT, Hebr. *Cadere fecerunt eum*, scilicet Sennacherib.

V. 22. ET PRAESTITIT EIS QUIETEM PER CIRCUITUM Deus. Sept. *Et quiescere fecit eos per circuitum*. Hebr. *Et deduxit eos a circuitu*: scilicet hostes a finibus arcuit.

V. 23. HOSTIAS Deo multi ferebant. Hebr. *donum*, pro dona. ET MUNERA EZECHIAE. Vox Hebr. *migdanoth pretiosa* significat, aut *voluptuaria*. Sept. pro ea voce hic posuerunt *dona*, & cap. XXI. vers. 3. posuerunt *arma*. Itaque hostias Deo, Regi dona gratulatoria attulerunt multi. Post hæc ægrotat Rex, orat Deum.

V. 24. EXAUDIVITQUE EUM, scilicet Deus Ezechiam: sic Sept. Hebr. *Et locutus est ei*, scilicet Ezechias Deo. ET DEDIT EI SIGNUM: sic Sept. Vox Hebr. *mopheth* magis significat *portentum*, nimirum solis conversionem, in Lib. Reg. IV. cap. XX. sic Hieronymus vertit eam vocem, vers. 31. cum ait, *Ut interrogarent de portento*: scilicet Babylonios venisse.

V. 25. QUIA ELEVATUM EST COR EIUS. Quo tempore legatis Babyloniis ostentavit thesauros, IV. Reg. XX. 12.

V. 27. ET THESAUROS SIBI PLURIMOS CONGREGAVIT. Hebr. *Et thesauros fecit sibi argenti, & auri*. ARMORUM UNIVERSI GENERIS. Hebr. *clypeorum*. VASORUM MAGNI PRETII. Hebr. *vasorum desiderii*, id est concupiscibilium.

V. 28. CAULASQUE PECORUM. Hebr. *greges ad caulas*. Converte verba: *Caulas ad greges* habuit Ezechias.

V. 29. HABEBAT QUIPPE. Hebr. sine causali: *Et greges pecudum, & boum multos*, scilicet habuit. Noster, INNUMERABILES, pro *multis*, dixit.

V. 30. IPSE EST EZECHIAS, QUI OB-

OBTURAVIT. Hebr. *Ipse Ezechias obturavit*. SUPERIOREM FONTEM AQUARUM GIHON. Hebr. *scaturiginem aquarum Gihon superiorem*. Reliqua Ezechiæ

V. 32. IN LIBRO REGUM IUDA, ET ISRAEL. An *Libri Regum* ii sunt qui circumferuntur? Sed auctorem eorum Isaac Harama Præfatione in Cantica facit Ieremiam. Hunc autem Librum Isaias scripsit, ut hic dicitur, aut innuitur. Et fortassis pleraque ex Lib. Regum scripsit Isaias, postrema Ieremias.

V. 33. SEPELIERUNT EUM SUPER SEPULCRA. Hebr. *In sublimitate sepulcrorum filiorum David*, id est in loco eminenti inter ea sepulcra. CELEBRAVIT EIUS EXEQUIAS UNIVERSUS IUDA. Hebr. *Honorem fecerunt ei in eius morte omnis Iuda*; pro, *funus duxerunt*, vel *exequias celebrarunt*, ut Hieronymus dixit. Successit impius Manasses.

MALVENDAE.

Vers. 1. POST QUAE, ET HUISCEMODI VERITATEM. Hebr. *Post verba, & fidem ista*. Quidam: *Post hæc, & veritatem eorum*; id est, his gestis, quæ verissima sunt. Alii: *Post res, & veritatem istas*, id est veritatem vitæ, iustitiæ, & doctrinæ Ezechiæ Regis. Aliqui: *Post verba hæc, & fidem*, seu *fidelitatem istam*, scilicet Regis, & ministrorum eius, quam in colenda pietate exercebant. Nonnulli: *Post res istas, & firmam constitutionem earum*. Nec desunt qui: *Postquam autem hæc fideliter sunt gesta*. VENIT SENNACHERIB REX ASSYRIORUM, &c. Vide II. Reg. XVIII. vers. 13. VOLENS EAS CAPERE. Hebr. varie alii convertunt. I. *Et dixit ad scindendum eas sibi*; hoc est, decrevit civitates munitas discindere ac separare a Iehuda, & sibi adiungere in regno Israelitico, cuius iam ipse Dominus effectus fuerit, nempe anno sexto Ezechiæ, capta Samaria, & abacto Israele per Salmanasarem, II. Reg. XVIII. 10. cum adventus iste Sennacheribi inciderit in decimum quartum annum Ezechiæ, II. Reg. XVIII. 13. II. *Et dixit, se perrupturum eas sibi*; id est, cogitavit, statuit illas sibi capere perruptis muris. III. *Statuitque illas abruptas sibi vendicare*. IV. *Dicens, discindere eas ad se*; sive *cogitans illas discindendo sibi adiungere*.

V. 2. ET TOTUM BELLI IMPETUM VERTI CONTRA IERUSALEM. Hebr. *Et facies eius in bellum contra Ierusalem*; id est, quod decrevisset bellum Ierosolimis inferre. Quidam: *Et faciem eius obversam esse ad oppugnandum Ieruschalaima*.

V. 4. ET RIVUM QUI FLUEBAT IN MEDIO TERRAE. Hebr. *Et torrentem inundantem in medio regionis*. Hunc intelligunt torrentem seu fontem Ghichon, qui extra civitatem derivabat aquas, de quo infra vers. 30. Possis reddere: *Et torrentem immergentem per medium regionis*; id est, qui mersus sub terram fluebat extra urbem, ut indicari videtur infra vers. 30. NE VENIANT REGES ASSYRIORUM, &c. Hebr. *Quare venient Reges Assyriæ*, &c. id est, cur committemus ut veniant Assyrii, &c. notissimus Hebraismus, de quo vide I. Samuel. XIX. vers. 17. Alii: *Cur venientes Reges Assyriæ invenirent aquas multas*?

V. 5. MURUM, QUI FUERAT DISSIPATUS. Hebr. *murum perruptum*. Exponunt: Illum nimirum qui sub Amatziia perruptus fuerat a Ioaso Rege Israelis, supra cap. XXV. vers. 23. Alii putant esse enallagen numeri: *Et instauravit omnes muros ruptos*. ET EXTRUXIT TURRES DESUPER. Hebr. *Et ascendere fecit super turres*. Quidam: *Et ascendere fecit*, subaudi medelam, *super turres*; id est, turres dirutas reparavit, instauravit. Alii: *Et excitavit munitiones super turres*. Nonnulli: *Et extruxit totum murum illum perruptum, quem perduxit usque ad turres*, portæ Ephraim, & portæ angularis, de quibus supra cap. XXV. vers. 23. quasi dicat: Totos illos quadringentos cubitos muri perrupti instauravit, qui erant a turri portæ Ephraim, usque ad turrim portæ angularis. ET FORINSECUS ALTERUM MURUM, quasi dicat: Adiecit urbi alterum murum exteriorem; quasi dicat: Urbem, quæ iam muro undique munita erat, novo alio muro adiecto cinxit: de quo vide infra cap. XXXIII. vers. 14. INSTAURAVITQUE MELLO, vel *Millo*: de quo vide II. Samuel. V. 9. & I. Reg. IX. 15. UNIVERSI GENERIS ARMATURAM. שלח *schelach*, supra dixit cap. XXIII. 10. *pugiones*. Alii hic, *missilia*, *tela*, nonnulli *gladios*.

V. 6.

V. 6. LOCUTUS EST AD COR EORUM. Hebr. *super cor eorum*. Vide de hac locutione supra cap. xxx. vers. 22.

V. 7. VIRILITER AGITE, ET CONFORTAMINI: NOLITE TIMERE, NEC PAVEATIS. Vide simile initium versus Iosue x. 25. MULTO ENIM PLURES NOBISCUM SUNT, QUAM CUM ILLO. Hebr. *Quia nobiscum multus præ cum eo*. Quidam: *Quia nobiscum multitudo maior est, quam cum illo*; quasi dicat: Trahit secum magnum exercitum; at longe maior exercitus Angelorum aderit nobis. Imitatus est locutionem Elisei II. Reg. VI. 16. Alii: *Et metu totius multitudinis, quæ est cum eo: nam nobiscum maior est, quam cum eo*, scilicet multitudo.

V. 9. QUAE POSTQUAM GESTA SUNT, MISIT SENNACHERIB, &c. Vide II. Reg. XVIII. 17.

V. 10. SEDETIS OBSESSI IN IERUSALEM? Hebr. *Et sedentes in coangustatione in Ierusalaim*? Quidam: *Et manetis in obsidione in Ierusalaim*? id est conclusi in obsessa urbe? Alii: *Qui habitatis in obsessa Ierusalaim*? Nonnulli: *Quod desidetis in munitione Ieruschalaimis*? Fortasse per paronomasiam מצור *mitzor*, & מצרים *mitzraiim*, obiectat illis, quod AEgyptiis fiderent, II. Reg. XVIII. vers. 21. 24. Vide in II. Reg. XIX. 24.

V. 12. QUI DESTRUXIT EXCELSA ILLIUS? scilicet Iehovæ. Partim iste mentitur, partim vera dicit; sed falso animo: nam revera Ezechias abstulit excelsa deorum, & excelsa veri Dei extra templum; sed iste intelligi vult, Ezechiam omnem Dei sui cultum, id est verum, sustulisse. Vide de hoc versu II. Reg. XVIII. 22.

V. 18. INSUPER ET CLAMORE MAGNO, &c. Vide II. Reg. XVIII. vers. 26. & 28. UT TERRERET EOS, ET CAPERET CIVITATEM. Hebr. *Et ad perturbandum eos, ut caperent urbem*: vel, *Et ad turbandum eos, ut caperent civitatem*. Exponunt: Id est, ut turbatis animis, rixas inter oppidanos concitarent; per quas aut deditione, aut faciliore compendio caperentur Ierusalaimæ. Sed aptius est: *Ut terrore percellerent eos*.

V. 20. ORAVERUNT IGITUR EZECHIAS REX, &c. Historiam hoc, & sequenti versu summatim perscriptam, latius explicatam & expositam habes II. Reg. toto cap. XIX.

V. 22. ET PRAESTITIT EIS QUIETEM PER CIRCUITUM. Quidam reddunt: *Deducebatque eos liberatos undequaque*; id est, agebat, & moderabatur eos: translatum ab exemplo pastoris, & gregis. Alii: *Et tutatus est eos circumquaque*. Nonnulli: *Et deduxit eos a circuitu*; quasi dicat: Sua misericordia deducendo ita servavit, ut non timerent ab his qui eis erant in circuitu. Hispanicus: *Y quiolos al rededor*. Nec desunt qui: *Et adduxit eos undequaque*; id est, undique collegit, & congregavit eos. Possit necti cum antecedentibus, & de *manu omnium* hostium, *quos abduxit de circuitu*; id est, abiecit, separavit, abstraxit, abiunxit, ne eis nocerent.

V. 24. IN DIEBUS ILLIS AEGROTAVIT EZECHIAS, &c. Historia huius versus fuse describitur II. Reg. XX. EXAUDIVITQUE EUM. Hebr. *Et dixit ei*; quidam subaudiunt, Iehovæ; id est, precatus est Ezechias Iehovam, ut daret ei signum, seu portentum. Alii: *Et dixit ei*, Ezechiæ Deus, qui alloquens eum, prodigium edidit ei; vel qui locutus ei, portentum dedit ei.

V. 27. FUIT AUTEM EZECHIAS DIVES, ET INCLYTUS VALDE, &c. Notant, his sex versibus sequentibus explicari quæ per prolepsin duobus præcedentibus dicta sunt, nempe causam, & formam elationis.

V. 28. ET PRAESEPIA. ארות *uraoth* quidam ab ארה *arah* deducunt, quod ibi carpant, seu decerpant iumenta: alii ab אור *or*, quod stabula in partibus calidioribus sint subterranea; vel potius quod superne per foramina lumen admittant. CAULASQUE PECORUM. Hebr. *Et greges stabulis*, seu *per stabula*. Quidam, *Et ordines stabulis*; id est, ordine quodam disposuit stabula illa animalium; quasi dicat: Fecerat stabula, in quibus habebat varia animalia; & ea stabula disposuerat & collocaverat certo quodam ordine. Alii, *Et septa, caulas, pro ovibus*, seu *gregibus*. עדרים *ghadarim* capiunt pro *caulis*, in quas congregantur, & includuntur greges: sic sumi volunt Isaiæ XVII. 2. אורות *aueroth* autem, plerique pro *stabulis* & *præsepibus* accipiunt, eadem significatione qua præcedens

cedens vox ארות *uraoth*: alii aiunt, generaliter pro minoribus gregibus poni, qui in ſtabulis continentur, necdum ducuntur in paſcua. Nonnulli, *Septa quoque pro omnis generis pecoribus*. Hiſpanicus: *Y maiadas para los ganados*.

V. 30. OBTURAVIT SUPERIOREM FONTEM AQUARUM GIHON. Hebr. *Obſtruxit egreſſionem aquarum Ghichon ſuperiorem*, vel *ſuperioris*. Notant, duos fuiſſe fontes Ghichon, alterum inferiorem, & alterum ſuperiorem de quo hic: quod & ſacri topographi uno ore confirmant. Quidam: *Obturavit ſcaturiginem aquarum Ghichon ſuperiorem*. Alii: *Obturaverat alveum aquæ Ghichonis ſuperiorem*. Vide ſupra verſ. 4. Ego exiſtimo obturaſſe exitum, alveum, egreſſionem extra civitatem: non ipſam ſcaturiginem, & os fontis. Brocardus: *Ieruſalem ab occidente habet montem Gion*. Et poſt alia: *Ab occidente vero rupes illa, quæ erat pars montis Gion, qui in altum contra occidentem ſurgebat, ſupereminebat urbi*. Et inferius: *Intrantibus portam vallis, ſeu gregis, ad ſiniſtram occurrit piſcina probatica: ad dexteram vero oſtenditur alia piſcina grandis, quæ dicebatur piſcina interior, facta ab Ezechia.: nam obturans ſuperiorem fontem aquarum Gion, avertit aquas eius, direxitque verſus occidentem urbis David, incidens ferro petram per vallem, quam paulo ſuperius commemoravimus* (nimirum quæ erat a parte occidentali urbis, inter urbem & montem Calvariæ) *introduxit aquas per medium civitatis, in piſcinam iſtam, ne populus in obſidione poſitus aquæ penuria laboraret*. Hæc eadem tradunt alii ſacri topographi. Vide I. Reg. I. 33. ET AVERTIT EAS SUBTER AD OCCIDENTEM URBIS DAVID. Hebr. *Et rectificavit, recta deduxit*, ſeu *deduxerat eas, ad deorſum*. למטה *lemattah, inclinationi, extenſioni, deorſum, inferne, inferius, ſubter, infime, in occidentem, ipſi urbi Davidis*. Poſſis intelligere, deduxiſſe eas ad occidentalem partem urbis Davidis, meatu ſubterraneo per aquæductum terræ immerſum: vel deduxiſſe eas ad radices, ſeu inferiores partes montis Tziionis occidentales. Vide II. Reg. XX. 20.

V. 31. ATTAMEN IN LEGATIONE PRINCIPUM BABYLONIS. Hebr. *Et ſic in interpretibus principum Babelis*. Alii: *Et ſic propter interpretes, mediatores, oratores, legatos, rhetores, advocatos, principum Babylonis*: nam omnia hæc ſubeſſe volunt voci מליצים *melitzim*. Nonnulli: *Itaque agentem cum oratoribus principum Babyloniæ*. Aliqui intelligunt miſſos interpretes, id eſt viros peritos rerum cæleſtium, ut diſquirerent de prodigio ſolis retroacti. UT INTERROGARENT DE PORTENTO, &c. Vide II. Reg. XX. verſ. 9. 10. 11. & 12. DERELIQUIT EUM DEUS. Exponunt: Id eſt, ſivit eum agere ex affectu ſuo; ſeu indulgere affectui ſuo humano. UT TENTARETUR. Hebr. *Ad tentandum eum*. ET NOTA FIERENT OMNIA, QUAE ERANT IN CORDE EIUS. Hebr. *Ad ſcire omnia in corde eius*. Quidam, *Ut ſcirent*, ſubaudi legati, vel alii, *omnia quæ erant in corde eius*; id eſt, quid haberet in animo. Alii, *Ut experiretur* ipſe Deus, *quidquid erat ei in animo*. Vide de hac locutione Deuteronom. VIII. 2.

V. 32. RELIQUA AUTEM SERMONUM, &c. Vide de hoc verſu II. Reg. XX. 20. IN VISIONE ISAIAE FILII AMOS, nimirum a cap. XXXVI. uſque ad XL.

V. 33. DORMIVITQUE EZECHIAS, &c. Vide II. Reg. XX. 21. ET SEPELIERUNT EUM SUPER SEPULCRA FILIORUM DAVID. Varie Hebr. reddunt, I. *In optimo ſepulcrorum filiorum Davidis*. Propter præclara merita Ezechiæ, præſtantius ſepulcrum ei atributum fuit. II. *In excelſo ſepulcrorum*; id eſt, in excellenti, & inſigniori ſepulcro. III. *In ſublimitate ſepulcrorum*. IV. *In ſuperiori parte ſepulcrorum poſterorum Davidis*. V. *In aſcenſu, clivo, ſepulcrorum*, &c. id eſt in loco ſingulari, quo aſcendebatur ad ſepulcra regia.

MENOCHII.

Verſ. I. HUIUSCEMODI VERITATEM. Hebr. & Septuaginta habent, *Poſt hæc veritatem eorum*, rerum ſcilicet narratarum. Vel ſenſus eſt: Cum ita integre, & ſancte ſe geſſiſſet Ezechias. Nam אמת *emeth* apud Hebræos & *veritatem*, & *probitatem*, ac *iuſtitiæ rectitudinem* ſignificat. VENIT SENNACHERIB. Belli cauſam fuiſſe putat Salian. anno mundi 3319. num. I. quod Ezechias Aſſyriis tributum pendere recuſaret.

V. 3.

V. 3. OBTURARENT CAPITA FONTIUM, ea operiendo, & aquas per occultos canales huc illuc derivando, ut commodius visum est.

V. 4. PLURIMAM MULTITUDINEM, scilicet operariorum. RIVUM QUI FLUEBAT IN MEDIO TERRAE. Intelligit torrentem Cedron, qui ab oriente fluit inter civitatem & montem Oliveti. Vide Villalpand. Tom. III. in Ezech. Part. I. Lib. II. cap. XIX.

V. 5. FORINSECUS ALTERUM MURUM, hoc est quod vocare solet alicubi Scriptura, *murum, & antemurale*, Isaiæ XXVI. I. Thren. II. 8. INSTAURAVIT MELLO. Nomine *Mello* intelligitur murus qui montem Sion cingebat ex parte aquilonari civitatis, quia is murus erat in illa valle, sive voragine, quæ *Mello*, & a Iosepho *Tyropæon* appellatur.

V. 6. LOCUTUS EST AD COR EORUM: concionem habuit qua illos consolaretur, & ad fortiter faciendum animos adderet.

V. 9. MISIT SENNACHERIB, &c. Quæ hic dicuntur, explicata habes IV. Reg. XVIII. 17. & deinceps.

V. 21. ET MISIT DOMINUS ANGELUM, &c. Hæc explicavimus IV. Reg. XIX. 35. & deinceps.

V. 24. AEGROTAVIT EZECHIAS. Vide dicta IV. Reg. XX. initio.

V. 25. ELEVATUM EST COR EIUS: postea quam scilicet periculum quod illi intentaverat Sennacherib, evasit, & ex Babylone legati gratulatum venerunt, & divitiis auctus est divino beneficio, ut narratur hoc capite.

V. 26. HUMILIATUSQUE EST POSTEA, &c. Isaiæ scilicet monitis ad saniorem mentem revocatus. Vide IV. Reg. XX. 14. In Hebræo est: *Et humiliavit se Ezechias ab elatione cordis sui, ipse, & habitatores Ierusalem.*

V. 30. FONTEM AQUARUM GIHON. Vide supra num. 3. De fonte Gihon aliquid diximus III. Reg. I. num. 33. AVERTIT EAS SUBTER, &c. id est, obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas subter antiquum aquæductum, fodiens ferro rupem ad occidentem urbis David. Eodem quidem loco quo prius effluebant, sed cum hoc discrimine: quod Salomonis aquæductus sublimior in plura urbis loca deducebat aquas; Ezechiæ vero inferior aquæductus, idemque occultissimus, in pauciores urbis partes, easque inferiores tantum aquas inferebat.

V. 31. UT INTERROGARENT DE PORTENTO, solis retrocedentis: nam Babylonii, & Chaldæi Astronomiæ dediti motum illum solis notaverant, audierantque divino miraculo factum occasione ægritudinis Ezechiæ Regis Iuda: itaque studio cognoscendi rei veritatem, legatis negotium datum est, ut rem investigarent. DERELIQUIT EUM DEUS UT TENTARETUR: permisit eum Deus mentis elatione tentari. NOTA FIERENT QUAE ERANT IN CORDE EIUS: ut scilicet appareret quam imbecillæ essent humanæ vires divino auxilio destitutæ.

V. 32. MISERICORDIARUM EIUS, pietatis, & probitatis eius: hoc enim etiam significat vox Hebr. חסד *chesed*.

V. 33. SUPER SEPULCRA FILIORUM DAVID. Et hoc notandum (ait D. Hieron. in Tradit. Hebr.) *quod excelsius sepulcrum ceteris filiis David habuit, meriti prærogativa.*

TIRINI.

Vers. I. POST HUIUSCEMODI VERITATEM, nempe rerum iam narratarum: vel post tam insignem Ezechiæ iustitiam, vitæque integritatem, subsecutæ sunt tentationes.

V. 3. CAPITA FONTIUM. Hebraice, *aquas fontium*, id est puteos, scaturigines & rivos omnes, maxime *rivum* illum maiorem.

V. 4. QUI FLUEBAT IN MEDIO TERRAE, scilicet vicinæ Ierosolymis. Hic rivus infra versu 30. vocatur *fons Gihon*, putaturque idem esse qui Siloe; & alluit rupem in qua sita est Ierosolyma: inde late per vicinam regionem quaquaversus excurrebat. Sed Ezechias, ut advenianti Assyrio subtraheret has aquas, ad fundamenta istius rupis, amplam effodit piscinam, quæ præterfluentem aquam contineret tali modo, ut ad eam accedere, & inde haurire non posset Assyrius. Deinde perfodit eamdem rupem, & per eam declivi lapsu derivavit aquam in puteos urbis, quos ad obsessorum usus intra mænia effoderat. Habes hæc omnia IV.

Reg.

Reg. xx. 20. & Ecclesf. xlviii. 19. Et *aquæductus Regis* mentio fit II. Esdræ ii. 14.

V. 5. De *Mello* vide III. Reg. ix. 24. & cap. xi. versu 27.

V. 21. Misit Dominus Angelum, &c. Ex hac historia desumpsit Herodotus *a* fabellam suam, qua fingit hunc eumdem Sennacherib in AEgypto a sacerdote Vulcani fugatum, eo quod effusa subito vis murium agrestium, pharetras, arcus, & habenas omnes Assyriorum comedisset. Ubi pro Iudæa substituit Herodotus AEgyptum, pro Rege Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro Angelo mures.

Cumque ingressus esset Sennacherib domum, seu fanum, *Nesroch* Dei sui in Ninive, filii eius, *Adramelech*, & *Sarazar*, interfecerunt eum gladio. Rationem dat Rabbi Salomon, quam non improbat Lyranus: Quod Sennacherib ad placandos tum deos suos, tum suorum animos, qui graviter ferebant filios, & amicos in Iudæa tam misere extinctos, decreverit more Gentium victimam filiorum propriorum offerre, & suo sic sanguine diis litare. Sed rem subodorati filii, præverterunt consilia parentis, ipsiusque cædem mature occupaverunt. Contigit hoc forte secundo, vel tertio mense a reditu in Niniven, ut patet ex Tobiæ cap. i. ubi dicitur reversum e Iudæa, ad ulciscendam ex parte quam ibi acceperat cladem, vexasse vehementer Hebræos nuper eo translatos, & eorum plurimos occidisse: ita ut Tobias, bonis omnibus spoliatus, cum uxore aufugere coactus sit. A qua fuga post quadraginta dies tyrannus a filiis obtruncatus fuit.

V. 31. Per portentum super terram, intelligit solem decem lineis retrogressum: de quo dixi IV. Reg. xx. 9.

(*a*) Herod. in Euterpe, ad finem.

GORDONI.

Vers. 3. & 5. De *Mello* vide II. Reg. v. Aquas, & annonam corrumpere, cum urget hostis, consuetum est stratagema.

V. 24. & 25. Dedit ei signum. Vide IV. Reg. xx.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. Capita fontium occultarunt, deductis aquis per occultos canales varios.

V. 4. Rivum. Hic rivus est torrens Cedron, qui fluit ab oriente.

V. 5. Forinsecus, quod Isai. xxvi. vers. i. vocatur *antemurale*.

V. 9. Sennacherib. Vide IV. Reg. xviii. vers. 17. & cap. xix. vers. 35.

V. 29. AEgrotavit. IV. Reg. xx. &c.

V. 25. Elevatum est cor eius; victoria contra Sennacherib, legatio e Babylonia, & affluentia divitiarum. Prosperitas periculosa est.

V. 26. Humiliatusque est: rediit ad saniorem mentem, IV. Reg. xx. vers. 14. monitus ab Isaia.

V. 30. De occultato fonte, & derivatis aquis per occultiores canales, idque ad interiores urbis partes, dixi vers. 3. Sic immutatus est Salomonis aquæductus.

V. 31. In legatione. Chaldæi isti astrorum observatores, quærunt de signo illo versiculi & retrocedente sole. Historia explicata est IV. Reg. cap. xx.

V. 33. Sepelierunt eum super sepulcra filiorum David. Excelsius ceteris sepulcrum illi datum, ut interpretatur Hieronymus.

CAPUT XXXIII.

Manaſſes ob ſuas impietates captivus in Babylonem ducitur: in qua afflictione ad Deum converſus, ſuo regno reſtituitur, & idolis abiectis Dei cultum reſtaurat: cui impius filius Amon ſuccedit: & hoc a ſuis interfecto, regnat pius eius filius Ioſias.

1. DUodecim (*a*) annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet,
& quinquagintaquinque annis regnavit in Ieruſalem. 2. Fecit
autem malum coram Domino, iuxta abominationes gentium,
quas ſubvertit Dominus coram filiis Iſrael: 3. & converſus
inſtauravit excelſa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius:
conſtruxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem
militiam cæli, & coluit eam. 4. Ædificavit quoque altaria
in domo Domini, de qua dixerat Dominus: (*b*) In Ieru-
ſalem erit nomen meum in æternum. 5. AEdificavit autem ea cuncto exercitui
cæli, in duobus atriis domus Domini. 6. Tranſireque fecit filios ſuos per ignem
in Vallebenennom: obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus in-
ſerviebat, habebat ſecum magos, & incantatores: multaque mala operatus eſt
coram Domino, ut irritaret eum. 7. Sculptile quoque & conflatile ſignum po-
ſuit in domo Dei, (*c*) de qua locutus eſt Deus ad David, & ad Salomonem
filium eius, dicens: In domo hac & in Ieruſalem, quam elegi de cunctis tribu-
bus Iſrael, ponam nomen meum in ſempiternum. 8. * Et moveri non faciam
pedem Iſrael de terra, quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat ſi cuſtodierint
facere quæ præcepi eis, cunctamque legem & cæremonias, atque iudicia per ma-
num Moyſi. 9. Igitur Manaſſes ſeduxit Iudam, & habitatores Ieruſalem, ut fa-
cerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubverterat Dominus a facie filiorum
Iſrael. 10. Locutuſque eſt Dominus ad eum, & ad populum illius, & attende-
re noluerunt. 11. Idcirco ſuperinduxit eis principes exercitus Regis Aſſyriorum:
ceperuntque Manaſſen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Baby-
lonem. 12. Qui poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum: &
egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. 13. Deprecatuſque eſt eum,
& obſecravit intente: & exaudivit orationem eius, reduxitque eum Ieruſalem in
regnum ſuum, & cognovit Manaſſes quod Dominus ipſe eſſet Deus. 14. Poſt
hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad occidentem Gihon in conval-
le, ab introitu portæ piſcium per circuitum uſque ad Ophel, & exaltavit illum
vehementer: conſtituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Iuda munitis:
15. & abſtulit deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini; aras quoque,
quas fecerat in monte domus Domini, & in Ieruſalem, & proiecit omnia extra
urbem. 16. Porro inſtauravit altare Domini, & immolavit ſuper illud victimas,
& pacifica, & laudem: præcepitque Iudæ ut ſerviret Domino Deo Iſrael. 17.
Attamen adhuc populus immolabat in excelſis Domino Deo ſuo. 18. Reliqua
autem geſtorum Manaſſe: & obſecratio eius ad Deum ſuum: verba quoque Vi-
dentium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Iſrael, continentur in
ſer-

sermonibus Regum Israel. 19. Oratio quoque eius & exauditio, & cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, & fecit lucos & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. 20. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnavitque pro eo filius eius Amon. 21. Vigintiduorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, & duobus annis regnavit in Ierusalem. 22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius: & cunctis idolis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit. 23. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater eius: & multo maiora deliquit. 24. Cumque coniurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua. 25. Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis qui Amon percusserant, constituit Regem Iosiam filium eius pro eo.

(*a*) IV. Reg. XXI. 2. (*b*) II. Reg. VII. 10. (*c*) III. Reg. VIII. 17.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 8. *Et moveri non faciam pedem Israel de terra*. Pro passivo *moveri* non supponas activum *movere*.

Ibid. *Atque iudicia per manum Moysi*. Non interponas *quæ mandavi*, sed subaudias.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 3. MILITIAM, id est astra.
Vers. 5. EXERCITUI, id est astris. DUOBUS, scilicet sacerdotum, & populi.

V. 6. VALLEBENENNOM, id est *filii Ennom*. SOMNIA. Alii *tempora*.

V. 8. CAEREMONIAS. Hebr. *statuta*.

V. 11. EGIT POENITENTIAM. Heb. & LXX. *Humiliatus est*.

V. 13. OBSECRAVIT INTENTE. Hebr. & LXX. *Exauditus est*.

V. 14. PISCIUM: sic dicta, quod per eam pisces inferentur, aut in ea venderentur. OPHEL nomen est arcis.

V. 19. CONTEMPTUS. Hebr. *prævaricatio*. LXX. *apostasiæ*. AGERET POENITENTIAM. Hebr. *Humiliaret se*. LXX. *Converteretur*.

V. 20. DOMO SUA, scilicet horto regio. Non est sepultus cum aliis Regibus, quod fuisset valde impius.

V. 23. REVERITUS. Hebr. & LXX. *Humiliatus ante*: sic & infra. MULTO MAIORA DELIQUIT. Hebr. & LXX. *Multiplicavit delictum*, id est plurimum peccavit.

ESTII.

Vers. 11. SUPERINDUXIT EIS PRINCIPES REGIS ASSYRIORUM: COEPERUNTQUE MANASSEN, ET VINCTUM CATENIS.... DUXERUNT IN BABYLONEM. Quæritur quomodo in Babylonem, cum eo tempore Rex Assyriorum non videatur Babylonem obtinuisse. Videantur historiæ. Forte dici potest per Regem Assyriorum intelligi Regem Chaldæorum, seu Babyloniorum, eo quod ipse sub idem tempus regnum Assyriorum occupaverit. Porro quod hic commemoretur Manasses in carcere pœnitentiam egisse, cuius in IV. Reg. nulla est mentio, mirum non est. Ideo enim vocantur hi Libri Paralipomenon, id est prætermissorum, quod Spiritus sanctus, sicut multa alia ibi prætermissa, ita & pœnitentiam Manassis ad consolationem peccatorum hic supplevit.

V. 17. ATTAMEN ADHUC POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS DOMINO DEO SUO. In Hebræo etiam dicitur expressius, *dumtaxat Domino Deo suo*: ne quis suspicetur Manassen post pœniten-

tentiam suam, & restitutionem in regnum, permisisse ut populus idolis sacrificaret. Nihilominus & in excelsis Deo sacrificare post ædificatum templum peccatum aliquod erat, ut explicatum est supra cap. XIV. & XX. huius Libri. Atque ideo scilicet dicitur: *Attamen adhuc populus immolabat in excelsis*, &c.

V. 18. Reliqua gestorum Manasse, et obsecratio eius continentur in sermonibus Regum Israel. Nullo modo per sermones Regum Israel intelligi possunt Libri Regum, qui hos præcedunt: nam ibi de pœnitentia Manasse, seu obsecratione eius ad Deum nulla est mentio. Intelligendus est ergo liber aliquis qui in captivitate Babylonica perierit, & postea per Esdram non est restitutus. Deinde nec oratio illa Manasse, cuius hic mentio fit, ea est (ut videtur) quæ post finem huius Libri poni solet, & nunc in calcem a Sixto Papa reiecta est: nam ea oratio non habetur Scriptura canonica, neque etiam invenitur in Hebræo. Quæ autem hic citatur, si extaret, omnino verisimile est quod in canonicam Scripturam fuisset recepta.

V. 20. Et sepelierunt eum in domo sua. IV. Reg. XXI. legitur *in horto domus suæ*. Significatur, quod populus non fuerit eum dignatus honore sepulcri Regum: quia licet pœnitentiam egisset, tamen peccato suo provocaverat iram Dei grandem super universo populo, ut habetur dicto loco IV. Reg. XXI. eamque irrevocabilem usque ad populi captivitatem. Repleverat enim, ut ibidem dicitur, Ierusalem sanguine Prophetarum usque ad os, inter quos etiam Isaiam serra medium secuit.

V. 22. Fecitque (Amon) malum in conspectu Domini ... et cunctis idolis quae Manasses fuerat fabricatus, immolavit, atque servivit. Quæstio oritur: Quomodo ergo fuerit vera pœnitentia Manasse, si idola a se facta non destruxit? Respondent nonnulli, quod destruxit quæ potuit, sed quod quædam latuerant, quæ Amon postea in publicum produxerit, & coluerit. Sed melius dici potest, quod intelligatur de cunctis diis quibus olim Manasses statuas fabricari curarat, nimirum quod Amon filius eius novas statuas iisdem rursum fabricarit, ut idola eadem proinde dicantur, non materia, aut numero, sed re signata.

V. 23. Et multo maiora deliquit, scilicet Amon, quam pater eius Manasses. Scriptura quidem IV. Reg. XXIII. & apud Ieremiam peccata Manassis magis exaggerare videtur, quam cuiusquam aliorum ex Regibus Iuda, adeo ut præcipue propterea significet populum Iuda ablatum de terra Israel; tamen & hoc de Amon verum est hoc sensu, quia non egit ipse pœnitentiam, sicut pater eius Manasses, sed sine cessatione multiplicavit sua delicta usque ad mortem. Et hunc sensum aperte significant Hebræa quæ sic habent de Amon: *Et non humiliavit se a facie Domini, sicut humiliaverat se Manasses pater eius, sed ipse Amon multiplicavit delictum suum.*

MARIANAE.

Vers. 2. Quas subvertit. Heb. *Eiecit*, scilicet gentes. Eas est imitatus Manasses Rex Iuda.

V. 3. Construxitque aras Baalim, id est idolis. Militiam caeli. Hieronymus in Trad. signa Zodiaci, tum planetas, & alia sidera coluit.

V. 5. Aedificavit autem ea. Hebr. *Et ædificavit altaria omni militiæ in duobus atriis domus Domini*, scilicet sacerdotum, & populi.

V. 6. In Vallebenennom, id est *filiorum Ennom*, quod alio loco vocatur *Gehennom*, locus Ierosolymæ vicinus, unde *Gehennæ* nomen: sic Hieronymus in Trad. Ibi traduxit filios per ignem, combussit eos. Observabat somnia: sic Septuag. Alii, *Observabat tempora*, ut solent Astrologi. Maleficis artibus. Alii *Divinationi vacabat*. Habebat secum magos. Alii *pythones*. Sept. *ventriloquos*, quod idem est. Incantatores. Alii *magos*. Coram Domino. Hebr. *in oculis Domini*; id est, ex iis quæ Deus aversatur, multa fecit, Ut irritaret. *Ut* eventum significat, non causam; quasi dicat: Quibus malis eum irritabat. At ego Deus illis bona promisi, si servarent quæ præcepi.

V. 8. Per manum Moysi, id est per

per Moysem, scilicet præcepi: inde enim regitur.

V. 9. SUBVERTERAT. Hebr. *Perdidit*. A FACIE, id est ad adventum filiorum Israel. Maiora iis gentibus mala fecerunt.

V. 11. CATENIS: Sept. *vinculis*, alii *compedibus*: vinctum duxerunt Manassem in Babylonem. ATQUE COMPEDIBUS. Sic Sept. alii *catenis duabus* vertunt, quia נחשתים *nehusthaim* est in duali.

V. 12. ET FECIT POENITENTIAM. Hebr. *Et humiliatus est*: sic Sept. & sic vers. 19.

V. 13. ET OBSECRAVIT INTENTE. Additum id ab Interprete. ET EXAUDIVIT. Hebr. *Placatus est*, *exorabilem se præbuit Deus*.

V. 14. AEDIFICAVIT MURUM ... AB INTROITU PORTAE PISCIUM: sic dicta, sive quod ad eam venderentur pisces, seu potius quia per eam inferebantur; nam erat porta occidua, qua Ioppem maris portum ibatur, ut Hieronymus ait in Tradit. PER CIRCUITUM USQUE AD OPHEL. Hebr. *Et circumdedit Ophel* sive *Ophel* significet arcem in genere, sive arcem sic dictam. De quo cap. XXVII. vers. 3. cinxit eam arcem muro. ET EXALTAVIT; id est, sublimiorem fecit, & munivit additis turribus.

V. 15. ET SIMULACRUM; pro, simulacra abstulit de domo Domini.

V. 16. ET LAUDEM immolavit, sive confessionem, sive gratiarum actionem, ut sit genus sacrificii sic dictum; sive quia tempore oblationis canebantur laudes, dicit obtulisse laudem.

V. 17. ATTAMEN ... DOMINO DEO SUO. Hebr. *Tantum Domino Deo suo*. Sept. *Sed Domino Deo suo*, populus in excelsis immolabat.

V. 18. RELIQUA AUTEM GESTORUM. Sept. *sermonum*: sic Gotth. Hebr. *verborum*; sed *verba* pro actionibus sumuntur & gestis. Ea Manassis gesta continentur in Libro Regum Israel.

V. 19. CONTEMPTUS, Hebr. *prævaricatio eius*, & alia SCRIPTA SUNT IN SERMONIBUS HOZAI, id est *visio mea*: nomen alicuius Prophetæ. Hieron. in Tradit. affert qui putent hunc fuisse Isaiam. Fragmentum orationis Manasse ad calcem Paralip. adiici solet. Sed in Gotth. non est, & in Roman. abiecta ad finem inter Apocrypha. Obiit, &c.

V. 20. SEPELIERUNT EUM IN DOMO SUA. Hebr. *in horto domus suæ*. Sive ipse eum locum delegit sepulturæ, sive sacerdotes ob impietatem indignum Regum sepulcris iudicarunt. Successor Amon

V. 23. NON EST REVERITUS. Heb. *Non est humiliatus* (Amon) *sicut humiliari* (pro, humiliatus est) *Manasse pater eius*. ET MULTO MAIORA DELIQUIT. Hebr. & Sept. *Multiplicavit delictum*, id est multum deliquit. Ergo interfecerunt eum: at populus eos occidit,

V. 25. QUI AMON PERCUSSERANT. Hebr. *Et percusserunt coniuratos contra Regem Amon*. Successit Iosias.

MALVENDAE.

Vers. 1. DUODECIM ANNORUM ERAT MANASSES, &c Hos decem priores versus confer cum decem aliis prioribus II. Reg. XXI. nam sunt omnino iidem: inde accersendi Com.

V. 7. SCULPTILE QUOQUE ET CONFLATILE SIGNUM. Hebr. *Dedolatum dedolati*, vel *dedolatum dedolatum*. Quidam, *Sculptile simulacri*, vel *simulacrum sculptile*; aut est singulare pro plurali, *simulacra sculpta*. Alii, *Sculptile*, *simulacrum*. Pro hoc II. Reg. XXI. vers. 7. dicitur *dedolatum*, seu *sculptile luci*. Vide infra vers. 15.

V. 11. CEPERUNTQUE MANASSEN, ET VINCTUM CATENIS. Hebr. *Et ceperunt Menaseh in spinis*. Exponunt, Id est inter vepres, in quibus latitabat; in spinetis delitescentem. Alii metaphorice capiunt, id est *inter rupes*, seu *dentes rupium spinis non dissimiles*, in quæ loca ut tutiora se abdiderat. Hebræi, & plerique nostrorum, *in compedibus*, seu *catenis*. Hispanicus, *Hecharon en grillos a Manaseh*. Vide I. Samuel. XIII. 6. Possis exponere: *Et ceperunt Menaseh in hamis*, id est inescatum, seu in dolo: nam dolo interceptum scribit Iosephus. DUXERUNT IN BABYLONEM, sive in regionis Babyloniæ partem, quæ tum parebat Assyrio: sive in ipsam Babylonem, cuius Reges tunc subditi essent Assyriis.

V. 14. MURUM EXTRA CIVITATEM DAVID. Heb. *murum exteriorem urbi Da-*

vi-

vidis; id est, murum illum cœptum a Iechizkiia, supra cap. XXXII. vers. 5. absolvit; aut labefactatum ab Assyriis, instauravit. AD OCCIDENTEM GIHON IN CONVALLE. Brocardus: *Extra vallem, quæ est a parte occidentis, fuit Dominus crucifixus: & post passionem eius vorago illa fuit terra repleta: ab occidente vero rupes illa, quæ erat pars montis Gion, qui in altum contra occidentem surgebat, supereminebat urbi*. AB INTROITU PORTAE PISCIUM. Hebr. *Et ad introitum in porta piscium*. Quidam, *Usque ad ingressum per portam piscium*. S. Hieronymus in Sophoniæ I. 10. *Portam piscium eam vocabant, quæ Diospolim ducit & Ioppem, & vicinior mari erat inter cunctas vias Ierusalem: per quam pisces inferebantur*. Brocardus: *Prima erat porta David, quæ erat in latere montis Syon contra occidentem: ubi erat angulus civitatis inferioris, oppositus turri David, in loco scilicet ubi duæ voragines ab una nascebantur, una ad aquilonem, & altera ad orientem vergente: ubi & testudo facta est ultra vallem unam, per quam a porta illa erat exitus & introitus. Ad dexteram huius testudinis Iudas in sycomoro quadam laqueo se suspendit. Ista quoque porta dicebatur porta piscium, quia per eam erat via ad Ioppen, & ad alia loca maritima unde pisces inferebantur. Dicebatur quoque porta negotiatorum, quia per eam erat via in Bethlehem, Hebron, Gazam, AEgyptum, & AEthiopiam. Nam ducebat ad agrum fullonis juxta montem Gion: ubi a sinistris ibatur in Hebron, a dextera vero versus Ioppen. Et hæc eadem via post modicum intervallum iterum dividebatur: nam ad sinistram ducebat in vallem Raphaim sub castro Bethsura versus Philisthiim & Gazam & inde in AEgyptum atque AEthiopiam, unde negotiatores merces varias adducebant: & ad dexteram ducebat in Emmaus, Ramatha, & Ioppen, contra occidentem ad mare mediterraneum*. Eadem habent alii omnes sacri topographi summo consensu. Cum irrisu & indignatione explodendi qui futili vanitate & ostentatione aliter de hac porta comminiscuntur. PER CIRCUITUM USQUE AD OPHEL. Hebr. *Et circumgyrabit ipsi Hophel*. Quidam: *Et circumdedit* (muro) *Hophel*. Vocem muro subaudiunt ex simili locutione supra cap. XIV. vers. 7. Alii: *Quem* (murum) *circumduxit clivo*, seu *arci*, *munitioni*. De Hophel vide supra cap. XXVII. vers. 3. ET EXALTAVIT ILLUM VEHEMENTER. *Illum*, vel ad murum, vel ad Hophel referri potest; tametsi Hebr. sit femineum. Brocardus: *Rupes autem illa, super quam ex parte occidentis erat extructus murus civitatis, erat valde eminens, præsertim in angulo, ubi occidentalis muri pars connectebatur aquilonari, ubi & turris nebulosa dicta* (nempe Hophel) *erecta erat, & propugnaculum valde firmum, cuius ruinæ adhuc visuntur: unde tota Arabia, Iordanis, mare mortuum, & alia plurima loca sereno cælo videri possunt*. De hac turri nebulosa, seu Hophel, proculdubio Iosephus Lib. VI. Belli cap. VIII. *Cum autem totus admirabilis esset tertius murus, admirabilior Psephina turris ad septemtrionem, occidentemque surgebat in angulo, qua parte Titus castra posuerat: ex ea namque per septuaginta cubitos edita, sole orto Arabia prospici poterat, & usque ad mare, itemque ad ultima finium Hebræorum. Erat autem octo angulis*.

V. 15. ET SIMULACRUM, illud de quo supra vers. 7.

V. 17. DOMINO DEO SUO: quod tamen non licebat extra templum, & locum designatum a Deo. Vide I. Samuel. IX. 12.

V. 18. IN SERMONIBUS REGUM ISRAEL. Hebr. *super verba Regum Israelis*. Quidam, *inter verba Regum Israelis*. Exponunt, Id est in II. Libro Reg. cap. XXI. Alii, *inter res gestas*; sive *in Libro de rebus Regum Israelis*; sive *in actis Regum Israelis*, id est Iehudæ cum adhærentibus Israelitis: synecdoche. Vide supra, cap. XXVIII. vers. 19. Vide etiam II. Reg. XXI. 18.

V. 19. IN SERMONIBUS HOZAI. Hebr. חוזי *chozai*, Hebræi accipiunt pro חוזים *chozim*, appellative, *in verbis prævidentium*, seu *vatum*, id est in actis, commentariis Prophetarum. Sic חורי *chorai*, pro חורים *chorim*, Isaiæ XIX. 9. Alii commentarium esse putant alicuius viri Dei dicti Chozai, qui iam non extat. Vide I. Reg. XI. 41.

V. 20. DORMIVIT ERGO MANASSES, &c. Vide de hoc versu II. Reg. XXI. 18.

V. 21. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT AMON, &c. Ab hoc versu

su usque ad finem capitis, confer cum II. Reg. xxi. a vers. 19. usque ad finem capitis: nam omnia sunt eiusdem argumenti.

MENOCHII.

Vers. 1. DUODECIM ANNORUM, &c. Quæ hic habentur usque ad versiculum 11. explicata sunt IV. Reg. xxi. a num. 1. & deinceps.

V. 5. IN DUOBUS ATRIIS DOMUS DOMINI, id est Israelis, & gentium; quamvis postea eo usque progressa est impietas, ut etiam in atrio Levitarum idola constitueret. Vide Salian. anno mundi 3340. num. 7.

V. 11. CATENIS, Vatablus ex Hebræo vertit, *catenis duabus*.

V. 14. AD OCCIDENTEM GIHON IN CONVALLE, quæ est inter civitatem & montem Calvariæ, qui locus est extra civitatem David, sive montem Sion. AB INTROITU PORTAE PISCIUM, quæ erat in angulo septemtrionali, & orientali civitatis. USQUE AD OPHEL, qui erat locus ante orientalem templi portam. De Ophel vide dicta supra, cap. xxvii. num. 3.

V. 15. ET SIMULACRUM DE DOMO DOMINI, quod IV. Reg. xxi. 7. appellatur *idolum luci*. Vide ibi dicta. IN MONTE DOMUS DOMINI, id est in monte Moria in atriis templi Domini. PROIECIT OMNIA EXTRA URBEM, in locum scilicet profanum, & immundum, verbi gratia Tophet ad torrentem Cedron, exemplo Ezechiæ patris sui.

V. 16. ET LAUDEM, id est sacrificia pacificorum, & gratiarum actionis.

V. 17. ATTAMEN ADHUC POPULUS, &c. Non enim a populo obtinere potuit Manasses ut excelsa destruerent, aut desererent.

V. 18. IN SERMONIBUS REGUM ISRAEL: qui Liber non extat.

V. 19. CONTEMPTUS. Hebraice, *prævaricatio*: Septuaginta, *apostasiæ*. IN SERMONIBUS HOZAI: qui Liber non extat.

V. 20. SEPELIERUNT EUM IN DOMO SUA. Vide dicta IV. Reg. cap. xxi. num. 18.

V. 21. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT AMON, &c. Quæ hic habentur usque ad finem capitis, repetuntur ex IV. Reg. cap. xxi. num. 19. & deinceps. Vide ibi dicta.

TIRINI.

Vers. 3. & 4. PEr *militiam cæli*, & *exercitum cæli*, intelligebant Hebræi, teste S. Hieronymo a, *signa Zodiaci*, *septem planetas*, & reliqua *omnia sidera*.

V. 6. De *Vallebenennom*, dixi IV. Reg. xxiii. 10. ubi & de lustratione filiorum per ignem.

V. 8. MOVERI NON FACIAM PEDEM ISRAEL DE TERRA; id est, non patiar eiici populum Israeliticum de Chanaanitide optima & fertilissima terra, SI CUSTODIERINT, seu diligentissime studuerint, FACERE QUAE PRAECEPI EIS.

V. 10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD EUM, scilicet per suos Prophetas, ut dixi IV. Reg. xxi. 10. ubi vide reliqua huius capitis.

V. 14. De *Gihon* dixi cap. præced. vers. 4. De *Ophel* cap. xxvii. vers. 3. PORTA PISCIUM Ierosolymis ad aquilonem erat illa per quam ex Ioppe portu maris vicino Ierosolymæ inferebantur pisces, & in vicinia vendebantur: ita S. Hieronymus *b*: & quia prope erat arx Sion, vocabatur etiam *porta David*. Hæc est porta per quam postea Chaldæi irruperunt, ut ex Sophonia colligitur.

V. 16. IMMOLAVIT PACIFICA, pacificas hostias, ET LAUDEM, id est eucharisticas hostias, in gratiarum actionem & laudem Dei. De quo genere sacrificii, vide Levit. primo, & seqq. capitibus.

V. 19. HOZAI. Quidam Hebræi, teste sancto Hieronymo, putant esse Isaiam, quem Manasses serra medium dissecuit, ut dixi IV. Reg. xxi. 10.

(*a*) Hieron. in Trad. Hebr.
(*b*) Hieron. supra Sophon. 1. vers. 10.

GORDONI.

Vers. 6. IN VALLEBENENNOM, id est filiorum Ennon: locus Ierosolymæ vicinus. Aliter vocatur Gehennon. Sic vers. 14. OPHEL est nomen arcis. Vide cap. xxvii. vers. 3.

V. 10. Quis sit HOSAI, incertum. Non defuerunt qui Isaiam esse putarunt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. IN DUOBUS ATRIIS, Gentium, & Israelis: immo postea in atrio etiam Levitarum,

V. 14.

V. 14. IN CONVALLE, inter urbem & Calvariæ montem.
V. 5. SIMULACRUM, idolum luci. Vide IV. Reg. xxi. 7. *Mons domus Domini* est Moria.
V. 19. SCRIPTA SUNT IN SERMONIBUS HOZAI. Non extant.

CAPUT XXXIV.

Iosias, idolorum cultu sublato, templum instaurat, repertoque legis libro, conterritus est, & convocato populo, lectoque libro, fœdus cum Domino percussit.



1. OCto (*a*) annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, & tri-
ginta & uno anno regnavit in Ierusalem. 2. Fecitque quod
erat rectum in conspectu Domini, & ambulavit in viis Da-
vid patris sui: non declinavit neque ad dexteram, neque ad
sinistram. 3. Octavo autem anno regni sui, cum adhuc es-
set puer, cœpit quærere Deum patris sui David: * & duo-
decimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Iudam,
& Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptili-
bus. 4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: & simulacra, quæ superposita
fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit: * &
super tumulos eorum qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit. 5.
Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Iudam,
& Ierusalem. 6. Sed & in urbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon, usque
Nephthali, cuncta subvertit. 7. Cumque altaria dissipasset, & lucos, & sculpti-
lia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa terra Is-
rael, reversus est in Ierusalem. 8. Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata
iam terra, & templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, & Maasiam princi-
pem civitatis, & Ioha filium Ioachaz a commentariis, ut instaurarent domum
Domini Dei sui. 9. Qui venerunt ad Helciam Sacerdotem magnum: acceptam-
que ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congrega-
verant Levitæ, & ianitores, de Manasse, & Ephraim, & universis reliquiis Is-
rael, ab omni quoque Iuda, & Beniamin, & habitatoribus Ierusalem, 10. tra-
diderunt in manibus eorum qui præerant operariis in domo Domini, ut instau-
rarent templum, & infirma quæque sarcirent. 11. At illi dederunt eam artifici-
bus, & cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, & ligna ad commissuras
ædificii, & ad contignationem domorum, quas destruxerant Reges Iuda. 12.
Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Iahath & Ab-
dias de filiis Merari, Zacharias & Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus:
omnes Levitæ scientes organis canere. 13. Super eos vero, qui ad diversos usus
onera portabant, erant scribæ, & magistri de Levitis ianitores. 14. Cumque ef-
ferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias Sacerdos
Librum legis Domini per manum Moysi. 15. Et ait ad Saphan scribam: Librum
legis inveni in domo Domini: Et tradidit ei. 16. At ille intulit volumen ad
Regem, & nuntiavit ei dicens: Omnia quæ dedisti in manu servorum tuorum,
ecce complentur. 17. Argentum, quod repertum est in domo Domini, confla-
ve-

verunt : datumque est præfectis artificum , & diversa opera fabricantium . 18.
Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum . Quem cum Rege præsente
recitasset, 19. audissetque ille verba legis , scidit vestimenta sua : 20. & præcepit
Helciæ, & Ahicam filio Saphan , & Abdon filio Micha , Saphan quoque scri-
bæ, & Asaæ servo Regis, dicens: 21. Ite, & orate Dominum pro me, & pro
reliquiis Israel & Iuda, super universis sermonibus Libri istius, qui repertus est:
magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres
nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine . 22.
Abiit ergo Helcias, & hi qui simul a Rege missi fuerant , ad Oldam Propheti-
dem, uxorem Sellum filii Thecuath , filii Hasra custodis vestium : quæ habita-
bat in Ierusalem in Secunda : & locuti sunt ei verba , quæ supra narravimus .
23. At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui mi-
sit vos ad me: 24. Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam mala super locum
istum , & super habitatores eius , cunctaque maledicta , quæ scripta sunt in Li-
bro hoc, quem legerunt coram Rege Iuda. 25. Quia dereliquerunt me , & sa-
crificaverunt diis alienis , ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus
manuum suarum, idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extin-
guetur. 26. Ad Regem autem Iuda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic
loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quoniam audisti verba voluminis ,
27. atque emollitum est cor tuum , & humiliatus es in conspectu Dei , super
his quæ dicta sunt contra locum hunc , & habitatores Ierusalem , reveritusque
faciem meam, scidisti vestimenta tua , & flevisti coram me : ego quoque exau-
divi te, dicit Dominus . 28. Iam enim colligam te ad patres tuos , & infereris
in sepulcrum tuum in pace : nec videbunt oculi tui omne malum , quod ego
inducturus sum super locum istum , & super habitatores eius . (b) Retulerunt
itaque Regi cuncta quæ dixerat. 29. At ille convocatis universis maioribus natu
Iuda & Ierusalem, 30 ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Iuda &
habitatores Ierusalem, Sacerdotes & Levitæ, & cunctus populus a minimo usque
ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit Rex omnia verba vo-
luminis: 31. & stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut am-
bularet post eum, & custodiret præcepta, & testimonia, & iustificationes eius ,
in toto corde suo, & in tota anima sua , faceretque quæ scripta sunt in volu-
mine illo , quod legerat . 32. Adiuravit quoque super hoc omnes qui reperti
fuerant in Ierusalem & Beniamin: & fecerunt habitatores Ierusalem iuxta pactum
Domini Dei patrum suorum . 33. Abstulit ergo Iosias abominationes de univer-
sis regionibus filiorum Israel: & fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire
Domino Deo suo . Cunctis diebus eius non recesserunt a Domino Deo patrum
suorum .

(a) IV. Reg. xxii. 1. (b) IV. Reg. xxiii. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Et duodecimo anno postquam regnare cœperat*. Non omittas infinitivum *regnare*, quem Interpres cum LXX. addidit claritatis causa.

V. 4. *Et super tumulos eorum*. Cave ne scribas *cumulos* seu acervos, pro *tumulos*, quod est sepulcra.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 3. MUNDAVIT. Hebr. & LXX. *Cœpit mundare*.

V. 4. CORAM EO, id est eo spectante. TUMULOS, id est sepulcra.

V. 5. ALTARIBUS: scilicet ut cadaverum tactu contaminarentur.

V. 11. DE LAPICIDINIS. Hebr. *excisos*. LXX. *quatuor pedum*. COMMISSURAS, id est opera quæ fiunt commissis inter se lignis.

V. 17. ARGENTUM, id est pecuniam, scilicet fundebant, ut inde facerent vasa, & alia.

V. 21. ORATE. Hebr. & LXX. *Quærite*, id est consulite.

V. 22. OLDAM. Ex quo fuerat lapidatus Zacharias filius Ioiadæ, non dabat Deus responsa more solito. VESTIUM, scilicet sacerdotalium, vel regiarum. SECUNDA. Nomen scholæ, ubi erudiebantur.

V. 24. CUNCTA, scilicet prout merentur, & convenit puniri: non enim prorsus cuncta.

V. 31. IUSTIFICATIONES. Hebr. *statuta*.

ESTII.

Vers. 5. OSSA PRAETEREA SACERDOTUM COMBUSSIT IN ALTARIBUS IDOLORUM. Non est hoc intelligendum de Sacerdotibus Levitici generis, sed de sacerdotibus excelsorum, qui in illis altaribus soliti erant sacrificare, & populum a cultu Dei ad idololatriam traducebant. Huius autem facti duplex videtur fuisse ratio. Una, quia conveniens erat, ut qui peccaverant sacrificando idolis in illis altaribus, punirentur per hoc quod in iisdem altaribus eorum ossa cremarentur: utpote per quæ quis peccat, per hæc dignus est & puniri. Altera autem ratio erat, quia propositum erat Iosiæ contaminare prorsus, & profanare altaria, ipsaque excelsa, lucos, & omnia loca, in quibus antea falsus cultus exercebatur: secundum legem enim omne id immundum reddebatur, & contaminabatur, quod cadaver attigisset. Propter hanc ergo causam, ut altaria illa idolorum contaminaret, & apud vulgus abominabilia redderet, iussit super ea cremari ossa sacerdotum qui in illis sacrificaverant.

V. 26. 27. & 28. QUONIAM AUDISTI VERBA VOLUMINIS...... REVERITUSQUE FACIEM MEAM SCIDISTI VESTIMENTA TUA: EGO QUOQUE EXAUDIVI TE. Ostendit Scriptura, non ingratum esse Deo, externo signo interiorem tristitiam per pœnitentiam, seu detestationem peccati testari. Quin verisimile est, ne summo quidem Sacerdoti fuisse prohibitum in veteri lege ob certas causas scindere vestimenta sua, velut audita blasphemia, vel in calamitate publica, sicut Iudas Machabæus legitur fecisse I. Mach. II. Nam quod in lege id videatur Sacerdoti summo prohiberi, Levit. XXI. id tantum intelligendum est, ut apparet, quo ad luctum in morte suorum propinquorum. Per quod significatum fuit, summum Sacerdotem ab omni carnali affectu debere prorsus esse alienum. Sed maiorem difficultatem habet, quomodo Deus dicat Iosiam exauditum esse, & tamen subiungat, eum cito moriturum: sic enim habetur: IAM ENIM COLLIGAM TE AD PATRES TUOS. Respondeo: Hebraice non esse illud *iam*, quo significari videretur citam mortem illi indici in pœnam; sed tantum: *Ecce ego colligam te ad patres tuos, nec videbunt oculi tui omne malum*. In hoc ergo exauditus fuit, quod promittitur ei, non superventura mala ipso vivente.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 2. NON DECLINAVIT. Heb. *Non receſſit*, ſcilicet a viis David, nempe Ioſias, de quo agit.

V. 4. ET SIMULACRA, QUAE SUPERPOSITA FUERANT. Vox Hebr. *bamanim* ſignificat *ſolis effigiem*: ſic Hebræus: nam ſol ab ardore *Hamah* Hebr. vocatur. Quid ſi hinc ortus eſt Iupiter Hammon, qui in AEgypto colebatur? Verum Hammonis ſimulacrum aries erat, quod neſcio in ſolem quomodo conveniat. Quod autem addit, QUAE SUPERPOSITA FUERANT, Hebr. *Quæ in ſublime ſuper eis*, Sept. *Et excelſa, quæ in eis*. Verum ſententia eſt: Deſtruxit aras, & idola illis impoſita. DEMOLITI SUNT. Hebraice, *Demolitus eſt*, *excidit*. SUCCIDIT. Hebr. *Confregit*. TUMULOS, id eſt ſepulcra.

V. 5. OSSA PRAETEREA SACERDOTUM, ſcilicet impiorum, qui iis diis ſerviebant. Sed eorum qui iam mortui erant, an etiam qui tunc vivebant? Sane ut ſic altaria contaminaret iis oſſibus, ea combuſſit in iis altaribus.

V. 6. IN URBIBUS MANASSE, ET EPHRAIM. Finitimæ erant eæ tribus; Simeon magis, Nephthalim remotior: & fortaſſis in eas tribus iuris aliquid Ioſias habuit, ideo iis maxime locis aras & idola ſubvertit. CUNCTA SUBVERTIT. Sept. *In locis eorum in circuitu*. Hebr. *Malleis ſuis in circuitu*, ſcilicet ſuccidit, ſeu confregit. Alii alio modo vocem Hebr. *bebarbothbehem* explicant. Hebræi tamen in iam poſitam interpretationem conſpirant.

V. 7. CUNCTAQUE DELUBRA. Heb. *bamanim*, id eſt *ſimulacra ſolis*, ſcilicet cum evertiſſet. Agit de templi inſtauratione. Quibus eam curam dedit, acceperunt pecuniam ab Helcia Pontifice.

V. 9. ET QUAM CONGREGAVERUNT LEVITAE, ET IANITORES. Heb. *Levitæ cuſtodes portæ*, ſeu *liminis*: ſic Sept. aut *vaſorum*, ut alii, qui סף *ſaph* putant *vas*, ſeu *vaſa* ſignificare. DE MANASSE .... ET HABITATORIBUS IERUSALEM. Sic Sept. Hebr. *Et reverſi ſunt Ieruſalem*; pro, nam reverſi ſunt; quaſi dicat: Poſtquam ab Iſrael congregarunt pecuniam, idem fecerunt a Iuda, & Beniamin reverſi Ieroſolymam, ſcilicet qui pecuniam exigebant Levitæ. Et dederunt eam operariis,

V. 11. UT EMERENT LAPIDES DE LAPICIDINIS. Hebr. *lapides exciſionis*, pro exciſos, politoſque. Sept. *lapides quatuor pedum*. Exiſtimo tamen in Sept. pro τετραπέδους, legendum τετραπλεύρους, id eſt *quatuor laterum*, *quadratos*, quod Heb. dicitur *exciſos*. Erant præpoſiti.

V. 12. QUI URGEBANT OPUS. Sept. *ut urgerent*. Hebræus ait eſſe idem לנצח *lenazeah*, quod ללמדם *lelamedem*, *ad docendum*, *inſtruendum eos*. Itaque ii viri erant conſtituti ut architecti, ut fabros dirigerent. OMNES LEVITAE. Hebr. *Et omnes Levitæ*, ne hoc referatur ad iam nominatos. Sed quorſum cantores, & organa? Forte ut latomi muſica deliniti diligentiam excitarent. Aut erant operi præfecti Levitæ, non omnes, ſed qui organa pulſabant.

V. 13. SUPER EOS VERO, QUI AD DIVERSOS USUS ONERA PORTABANT. Hebr. *Et ſuper baiulos*, *& magiſtros* (ſcilicet baiulorum) *ad omnem facientem opus ad miniſterium & miniſterium* (id eſt varia miniſteria) ſcilicet iam nominati, & cantores, ſeu pulſatores inſtrumentorum præfecti erant. ERANT SCRIBAE. Hebr. *Et de Levitis ſcribæ*, *& iudices*, *& ianitores*. Helcias in templo invenit Librum legis. Fertur ad Regem. Ille:

V. 21. ITE, ET ORATE DOMINUM. Sept. *Quærite*: ſic Hebr. id eſt conſulite. Mittit ut conſulant e Prophetis aliquem, quid facto ſit opus, in Libro legis reperto. FUROR DOMINI STILLAVIT SUPER NOS. Ira Dei igni comparatur, ideo *ſtillare* dicitur, ſervata metaphora. Sept. *Qui ſuccenſus eſt in nobis*, ſcilicet furor Domini: ſic verſ. 25. *Stillabit furor meus*.

V. 22. ET HI QUI SIMUL A REGE MISSI FUERANT. Hebr. *Et qui Regis*, id eſt regii ab eo miſſi. Iverunt AD OLDAM...... UXOREM...... CUSTODIS VESTIUM, ſcilicet ſacerdotalium, aut templi. QUAE HABITABAT...... IN SECUNDA. Hebræus Scholiaſtes ſic vocari ait eam urbis partem quæ erat inter duos muros. Hoc Hieronymus in Trad. quod pars urbis intra murum & antemurale vocabatur *Secunda*. Aut *ſecunda*, id

Nnn 2 eſt

est schola, quia Olda prope habitabat. Plura IV. Reg. xxii. 14. Respondet Olda: Dicit Dominus, ego inducam mala,

V. 24. CUNCTAQUE MALEDICTA: scilicet iuxta eorum merita, plurima inducam mala.

V. 26. AD REGEM..... QUI MISIT VOS PRO DOMINO DEPRECANDO: Hebr. *ad quærendum* (consulendum) *Dominum misit vos*: dicite ei: QUONIAM AUDISTI VERBA VOLUMINIS. Hebr. *Verba quæ audisti*. Quod potest iungi cum præcedentibus hac sententia: Sic dicit Dominus Deus Israel, Verba quæ audisti, id est audies. Potest cum sequentibus sic: Verbis quæ audisti, quoniam emollitum est cor tuum. Priorem modum Hebræi sequuntur, posteriorem Hieronymus: quem si amplectimur, accentus, & versuum distinctio in Hebr. mutanda erunt.

V. 27. REVERITUSQUE FACIEM MEAM. Hebr. *Et humiliatus es coram me*, o Rex, morieris in pace.

V. 31. IN TRIBUNALI SUO. Hebr. *In statione sua*: ubi Reges sedere soliti erant. Post lectum Librum legis, fecit Rex fœdus cum Deo. QUOD LEGERAT. Additio Interpretis. Hebraice: *Ad faciendum* (id est ut faceret) *verba scripta in Libro illo*. Id fuit fœdus.

V. 32. ADIURAVIT QUOQUE SUPER HOC OMNES. Hebr. *Et stare fecit omnem inventum in Ierusalem*; quasi dicat: Postquam ipse in statione iuravit, eodem ex ordine accessere alii iuratum. ET FECERUNT, supple pactum, IUXTA PACTUM DOMINI DEI PATRUM SUORUM: scilicet se id servaturos firmarunt.

V. 33. ET FECIT (Rex) OMNES, QUI RESIDUI ERANT..... SERVIRE DOMINO. Hebr. *Et servire fecit*, pro subegit, *omnem inventum in Israel*, *ad serviendum Domino*. Noster idem, verbis aliis.

MALVENDAE.

Vers. I. OCTO ANNORUM ERAT IOSIAS, &c. De hoc, & sequenti versu, vide II. Reg. xxii. vers. 1. & 2.

V. 3. OCTAVO AUTEM ANNO REGNI SUI. Exponunt, Id est quo plene regnare cœpit: videlicet simulatque ad regni gubernationem liberiorem pervenit; annos sexdecim natus; a paternis corruptionibus animum ad pietatem adiecit, & in privato illius studio sese exercuit. ET DUODECIMO ANNO POSTQUAM REGNARE COEPERAT. Intelligunt, quo merum in regni administratione imperium habuit, annos viginti natus.

V. 4. DESTRUXERUNTQUE CORAM EO, id est eo iubente, & præsente. ET SIMULACRA QUAE SUPERPOSITA FUERANT. Hebr. *Et* (חמנים) *chammanim*, *quæ ad supra desuper eis*, id est quæ erant in excelsiori loco super altaria. Quidam: *Et simulacra quæ supra ab eis*, id est simulacra facta in honorem solis, seu *subdiales statuas*, quæ impositæ erant illis altaribus. Alii: *Et apricationes quæ in sublime desuper eis*. Nonnulli למעלה *lemaghalah* ad tempus, non ad locum referunt: *Et simulacra quæ superiori ætate super illa fuerunt*. De voce *chammanim* vide in Levit. xxvi. vers. 30.

V. 5. MUNDAVITQUE IUDAM, ET IERUSALEM. Exponunt, ab externis sordibus idololatriæ; quamtumvis invitis & obnitentibus Iehudæis: quorum iniquitas & contumacia inde ab hoc anno redargui palam, & damnari cœpit.

V. 6. SED ET IN URBIBUS MANASSE, ET EPHRAIM, &c. De illis loqui notant quæ regno Iehudæ, seu bello, seu sponte accesserant ex Israelitico regno, ut supra cap. xxxi. 1. sic infra vers. 7. & 33. CUNCTA SUBVERTIT. בחרבותיהם *becharbothehem* varie elucidant. I. *In desolationibus eorum per circuitum*; id est, cuncta simulacra per circuitum desolando. II. *Malleis suis per circuitum*; id est, malleis diruit, ac destruxit. III. *Rutris ipsorum circumquaque*. Rutra sunt instrumenta ferrea ab eruendo seu diruendo, vel a radendo dicta, apud Festum, & Nonium. IV. *In desolatis locis suis*, vel *eorum*, *undequaque*; id est, ita ut manerent loca eorum omnino desolata. V. *In exsiccationibus eorum*, &c. id est, ut penitus omnia exsiccaret, exhauriret, aboleret. VI. *In gladiis eorum*, id est cultris, cellis, scalpris, ipsis scilicet sculpendi instrumentis: sic enim hæc vox capitur Exod. xx. 25. signate quidem, ut eiusdem instrumentis ea destruerent, quibus instruxerant.

V. 8. IGITUR ANNO OCTAVO DE-

CI-

CIMO REGNI SUI, MUNDATA IAM TERRA, ET TEMPLO DOMINI. Notant, hunc esse vere annum decimum octavum ex quo primum regnum inierat, ætatis eius vigesimumsextum, & sextum a cœpta purgatione, supra vers. 3. Atque sic accipiendum esse, ostendi ex permultis Ezechielis locis. Vide in Ezechiel. IV. 6. UT INSTAURARENT DOMUM DOMINI DEI SUI. Heb. *Ad confirmandum domum Iehovæh Dei sui;* id est, ad denuntiandum ex mandato Regis Sacerdoti summo Helkiæ, ut collectas colligeret, & ex iis domum Dei instauraret, versu sequente.

V. 9. QUI VENERUNT AD HELCIAM, &c. Hunc versum nos, servato Hebraicorum verborum ordine, reddidimus. (*Et venerunt ad Chilhiiahu Sacerdotem grandem, & dederunt argentum venire factum domum Elohim, quod colligerent Levitæ observantes liminis, de manu Menaseh & Ephraim, & de omni relictione Israelis; & de omni Iehudah, & Biniamin: & reversi fuerunt Ierusalaim.* Nonnulli putant esse hysterosin, seu traiectionem verborum, quam alioquin subobscuram perspicuitatis causa ita tollunt: *Qui cum venissent ad Chilkiiam Sacerdotem summum, tradiderunt pecuniam inferendam in domum Dei, quam collegerant e manu Menaschitarum, & Ephraimitarum, & a toto residuo Israelis, atque a toto Iehudah, & Biniamine, tradiderunt Levitæ custodes liminis: quando fuerant reversi Ieruschalaima.* Ceterum Levitas custodes liminum, collectores fuisse eiusmodi pecuniæ a populo, diserte dicitur II. Reg. XXII. 4.

V. 10. TRADIDERUNT IN MANIBUS EORUM, &c. Notant, hunc, & tres sequentes versus hyperbatice insertos historiæ, ad quam regressio est vers. 14. IN MANIBUS EORUM QUI PRAEERANT OPERARIIS IN DOMO DOMINI, &c. Quidam, *Manui facientium opus, præpositorum in domo Iehovæ*, id est architectorum, opificum, qui præfecti erant operi, seu fabricæ in domo Iehovæ. Alii, *In manum eorum qui faciendo operi in æde domini inspectores constituti erant*. Nonnulli, *In manum curatorum operis, qui propositi erant in domo Iehovæ*; id est, in manum illorum quatuor Levitarum quorum fit mentio infra vers. 12. Vide de hoc versu II. Reg. XII. vers. 11. & cap. XXII. vers. 5.

V. 11. AD COMMISSURAS. Quidam, *Ad catenationes*, id est ad tigna, sive transversaria, sive arrectaria, quibus catenatis inter se, vel (ut vulgus dicit) incastratis ligneæ cellæ sacerdotum, aut Levitarum cohærebant. Alii exponunt, Ad ea omnia quæ commissis, & coniunctis, seu compactis lignis fiunt; quasi dicat: ad opera lignea dederunt ligna. Nonnulli, *Ad compages*; id est, ad compingendas domos, seu tabulata. ET AD CONTIGNATIONEM DOMORUM. Hebr. *& ad contignandum*, seu *contabulandum, domos*. Quidam, *Ad axes domorum*; vel *ad assandum domos*. *Axes*, seu *asses*, seu *asseres*, sunt tabulæ sectiles, apud Festum. *Domos* hic intelligunt cellas, sive sacerdotum, quæ templo appendebant, sive Levitarum, quæ atrio. Vide de hoc versu II. Reg. XXII. vers. 6. & cap. XII. vers. 11.

V. 12. QUI URGEBANT OPUS. Heb. *Ad vincere*. Quidam, *Ad urgendum*, subaudi operas; id est, qui exigebant operas. Alii, *Ad solicitandum*, sive *qui solicitarent opus*. Nonnulli, *Dum præessent*. Alii, *Ad superandum*, scilicet voce vehementiore, & concentu musico fortiore, quo ceteros vincebant. OMNES LEVITAE SCIENTES ORGANIS CANERE. Verbatim nostra Translatio Hebræa exhibuit (*Et Levitæ omnis intelligens in vasis cantici*.) Alii diversimode. I. *Et omnes Levitæ in instrumentis cantus intelligentes*. II. *Et de Levitis omnis peritiam habens in istrumentis musicis*. III. *Sed & Levitæ omnes, qui eruditi erant in istrumentis musicis*. IV. *Quorum Levitarum quisque doctor erat in instrumentorum musicorum* tractationem; id est, quorum quatuor Levitarum prædictorum quisque primarius erat & magister, seu præcentor sui ordinis in distributionibus seu classibus musicorum, de quibus I. Paralipom. XXV.

V. 13. SUPER EOS VERO, QUI AD DIVERSOS USUS, &c. Hunc versum obscure a nobis ex Hebr. ad verbum interpretatum (*Et super baiulos, & vincentes omni facienti ministerialis, servitio: & de Levitis numerantes, & flatores, & portarii*.) Varie aliorum explanationes illustrabunt. I. *Super baiulos vero, & solicitatores omnium laborantium in quolibet opere, erant de Levitis scribæ, & præfecti, & ianitores*. II. *Erant & super baiulos, & qui*

urge-

urgebant omnem facientem opus in opere & opere, id est in quolibet opere, sive in singulis operibus; *de Levitis autem erant scribæ, & præfecti, & ianitores*. III. *Super baiulos vero, & sollicitatores omnium, qui opus faciebant, & singula ministeria, ex Levitis erant quidam & scribis, ex præfectis, & ianitoribus*. IV. *At baiulis (nam præerant Levitæ omnibus opificibus ministerio & ministerio*, seu *utrique ministerio) ex Levitis quoque, iisque ianitoribus, præerant scribæ, & moderatores*. Utrumque ministerium intelligunt, & structuram conficiendi, de quo supra versu 10. & materiam comportandi, de quo hic. Simile est Hezræ III. vers. 9. Hispanicus: *Y de los peones tenian cargo, los que solicitavan a todos los que hazian obra en todos los servicios: y de los Levitas, los Escribas, governadores y porteros*.

V. 14. PER MANUM MOYSI. Hebr. *in manu Moseh*. Quidam, *Traditum per Mosen*, id est opera & ministerio Mosis. Forsan intelligit authenticum ipsum Mosis autographum. Vide in II. Reg. XXII. 8.

V. 15. ET AIT AD SAPHAN SCRIBAM, &c. Ab hoc versu usque ad vers. 32. exclusive, confer cum II. Reg. XXII. a vers. 8. usque ad finem capitis, & cum cap. XXIII. ver. 1. 2. & 3. nam omnia sunt eiusdem argumenti.

V. 31. ET STANS IN TRIBUNALI SUO. Hebr. *Et stetit Rex super stare suum*, id est in loco ubi stare consueverat. Alii, *super stationem suam*, seu *in statione sua*. II. Reg. XXIII. vers. 3. scribitur: *Et stetit Rex super columnam*. Ibi vide.

V. 32. ADIURAVIT QUOQUE SUPER HOC, &c. Hunc versum nos pari verborum pondere ex Hebræo transfudimus more nostro (*Et stare fecit omnem inventum in Ierusalaim & Biniamin: & fecerunt habitantes Ierusalaim secundum fœdus Elohim, Elohim patrum suorum*.) Alii clarius. I. *Et stare fecit*; id est, astrinxit pacto quod pepigerat suo, & totius populi nomine: vide II. Reg. XXIII. vers. 3. *omnes qui reperti sunt in Ierusalaim, & Biniamin: feceruntque habitatores Ierusalaim iuxta pactum Dei, Dei, inquam, patrum suorum*. II. *Stiterat autem quemque, qui inventus est Ieruschalaimis, & in Biniamine, ut facerent habitatores Ieruschalaimorum secundum fœdus Dei, Dei maiorum suorum*.

V. 33. ET FECIT OMNES, QUI RESIDUI ERANT IN ISRAEL, SERVIRE DOMINO, &c. Exemplaria Hebraica hic variant: nam quædam habent ויעבד *vaiiaghabbed*: *Et servire fecit omnem inventum in Israele, ad servire Iehovæh*, &c. Quidam: *Et coegit, subiugavit, subiecit, omnes qui reperti sunt in Israele, servire Iehovæh*. Alii: *Et addixit quemque inventum in Israele ad colendum Iehovam*; id est, regia sua auctoritate obstrinxit: & quamvis propensos Iehudæorum animos compescuit, ne ipso vivo ab externo Dei cultu deficerent; tantam adhibuit severitatem disciplinæ. Alia exemplaria legunt ויעבר *vaiiaghabber*, proclivi lapsu Daleth in Resch: *Et transire fecit omnem inventum*, &c. Quidam: *Et transtulit cunctos quos repererat in Israele, ut servirent Iehovæ*: eodem pene sensu. Vide quid simile supra cap. II. vers. 18.

MENOCHII.

Vers. 1. OCTO ANNORUM, &c. Hi duo primi versiculi repetiti sunt ex IV. Reg. XXII. in initio.

V. 3. DUODECIMO ANNO, &c. cum scilicet annum iam ageret vigesimum ætatis, & regnum sibi stabilivisset.

V. 4. SUPER TUMULOS EORUM, &c. Vide dicta IV. Reg. XXIII. num. 6.

V. 5. SACERDOTUM, Baalis, & reliquorum idolorum.

V. 6. SED ET IN URBIBUS MANASSE, &c. nihil veritus Babyloniæ Regem, qui tunc Israelis possessionem occupabat, Deo fretus, & Helciæ Pontificis, Ieremiæ etiam, & Sophoniæ cohortationibus incitatus, & animatus.

V. 8. IGITUR ANNO, &c. Hæc repetuntur ex IV. Reg. cap. XXII. num 3. & deinceps. A COMMENTARIIS. Vide dicta II. Reg. cap. VIII. num. 16.

V. 11. COMMISSURAS, id est opera quæ fiunt commissis inter se lignis.

V. 13. ERANT SCRIBAE, &c. In Hebr. est: *Erant de Levitis scribæ, & præfecti, & ianitores*.

V. 14. REPERIT.... LIBRUM, &c. Vide dicta IV. Reg. XXII. 8. ubi historia hæc de Libro Deuteronomii invento explicata est.

V. 21. STILLAVIT SUPER NOS. Vide dicta supra cap. XII. num. 7.

V. 29. AT ILLE CONVOCATIS, &c.

Hæc

Hæc usque ad finem capitis explicata sunt IV. Reg. XXIII. a numero primo, & deinceps.

TIRINI.

Vers. 3. DUODECIMO ANNO . . . MUNDAVIT. Hebraice, & Græce, *mundare cœpit*. Nam sexto demum post anno perfecit mundationem, ut dicitur vers. 8.

V. 5. OSSA SACERDOTUM idololatrarum COMBUSSIT IN ALTARIBUS IDOLORUM: nempe ut contactu cadaverum altaria contaminarentur. Neque vero solorum iam olim mortuorum ossa cremabat in illis aris Iosias, sed & cadavera recens a se hoc nomine occisorum, ut dicitur IV. Reg. XXIII. 20. ubi etiam, ut & cap. XXII. vide reliqua huius capitis.

V. 12. SCIENTES ORGANIS CANERE; quasi dicat: Præerant operibus, & operariis, non otiosi homines, & qui nulli alteri rei vacarent, qui magnis conducti stipendiis, maiori subinde sunt dominis suis dispendio: sed ipsi Levitæ, qui statis temporibus canebant, serviebantque in templo, subcisivis horis per vices invigilabant operi, illudque urgebant & promovebant, magno & operis, & templi compendio.

V. 22. CUSTODIS VESTIUM, seu publicarum quarumdam, seu forte regiarum.

V. 28. INFERERIS IN SEPULCRUM TUUM IN PACE. Atqui Iosias in bello, sagitta traiectus obiit. Respondeo, non hic agi de pace privata & propria Regi Iosiæ, qui non pacifica, sed violenta morte decessit; sed de publica regni pace & prosperitate, quæ tum quoque vigebat, quando Rex Iosias extra regni sui septa profectus est cum copiis suis obviam Pharaoni Regi AEgyptio, & sagitta læsus fuit. Sed defuncto Iosia, & regia pompa sepulto, statim potentissimorum Regum armis turbari regnum cœpit, & omnes miseriæ calamitatesque, quarum hic mentio, in Iudæos irruerunt. Patet hæc expositio ex immediate sequentibus verbis, quibus pacem hanc exponit per immunitatem ab iis malis quæ inducturus erat Deus in Iudæam; quæ mala nonnisi post mortem Iosiæ, ut iam dixi, inducta fuerunt.

GORDONI.

Vers. 5. OSSA PRAETEREA SACERDOTUM, certe impiorum, & qui servierant idolis.

V. 11. DE LAPICIDINIS. Septuag. *quatuor pedum* τετραπέδοις: alii τετραπλεύροις. COMMISSURAS. Opera ipsa intellige, quæ iunctis exurgunt commissuris.

V. 22. HABITABAT.... IN SECUNDA. Vide IV. Reg. XXII. 14. Denique totum hoc caput satis ibidem fuit explicatum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 6. SED ET IN URBIBUS. Hæc fretus Deo Iosias, quamvis hæ urbes venissent in ditionem Babylonicam.

V. 13. Hæc plenius narrantur IV. Reg. cap. XXII. & XXIII.

CAPUT XXXV.

Immolato Phase maxima cum solemnitate plurimisque victimis, Iosias festum azymorum septem diebus celebravit; deinde contra Regem Ægypti pugnare tentans, graviterque vulneratus, moritur cum ingenti omnium luctu, & præsertim Ieremiæ.

1. FEcit (a) autem Iosias in Ierusalem Phase Domino, quod
immolatum est quartadecima die mensis primi: 2. & con-
stituit Sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos ut mi-
nistrarent in domo Domini. 3. Levitis quoque, ad quorum
eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus
est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Sa-
lomon filius David Rex Israel, nequaquam enim eam ultra
portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro, & populo eius Israel.
4. Et præparate vos per domos & cognationes vestras, in divisionibus singulo-
rum, sicut præcepit David Rex Israel, & descripsit Salomon filius eius. 5. Et
ministrate in sanctuario per familias turmasque Leviticas, 6. & sanctificati immo-
late Phase: fratres etiam vestros, ut possint iuxta verba quæ locutus est Domi-
nus in manu Moysi facere, præparate. 7. Dedit præterea Iosias omni populo,
qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos & hædos de gregibus, &
reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: hæc de Regis universa
substantia. 8. Duces quoque eius, * sponte quod voverant, obtulerunt, tam po-
pulo, quam Sacerdotibus, & Levitis. Porro Helcias, & Zacharias, & Iahiel,
principes domus Domini, dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phase pecora com-
mixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos. 9. Chonenias autem, & Seme-
ias, etiam Nathanael, fratres eius, nec non Hasabias, & Iehiel, & Iozabad, prin-
cipes Levitarum, dederunt ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia
pecorum, & boves quingentos. 10. Præparatumque est ministerium, & steterunt
sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis, iuxta Regis imperium. 11.
Et immolatum est Phase: asperseruntque Sacerdotes manu sua sanguinem, & Le-
vitæ detraxerunt pelles holocaustorum: 12. & separaverunt ea ut darent per do-
mos & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro
Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter. 13. Et assaverunt Phase super ignem,
iuxta quod in lege scriptum est: pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, &
cacabis, & ollis, & festinato distribuerunt universæ plebi: 14. sibi autem, &
Sacerdotibus postea paraverunt: nam in oblatione holocaustorum & adipum us-
que ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: unde Levitæ sibi, & sacerdotibus fi-
liis Aaron paraverunt novissimis. 15. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine
suo, iuxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun, * Prophetarum
Regis: Ianitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem
discederent a ministerio: quam ob rem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis
cibos. 16. Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent
Phase, & offerrent holocausta super altare Domini, iuxta præceptum Regis Io-
siæ.

fiæ. Feceruntque filii Iſrael, qui reperti fuerant ibi, Phaſe in tempore illo, & ſolemnitatem azymorum ſeptem diebus. 18. Non fuit Phaſe ſimile huic in Iſrael a diebus Samuelis Prophetæ: ſed nec quiſquam de cunctis Regibus Iſrael fecit Phaſe ſicut Ioſias, Sacerdotibus, & Levitis, & omni Iudæ, & Iſrael qui repertus fuerat, & habitantibus in Ieruſalem. 19. Octavodecimo anno regni Ioſiæ hoc Phaſe celebratum eſt. 20. (b) Poſtquam inſtauraverat Ioſias templum, aſcendit Nechao Rex AEgypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten: & proceſſit in occurſum eius Ioſias. 21. At ille, miſſis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi & tibi eſt Rex Iuda? non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit: deſine adverſum Deum facere qui mecum eſt, ne interficiat te. 22. Noluit Ioſias reverti, ſed præparavit contra eum bellum, nec acquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei: (c) verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo. 23. Ibique vulneratus a ſagittariis, dixit pueris ſuis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus ſum. 24. Qui tranſtulerunt eum de curru in alterum currum, qui ſequebatur eum more regio, & aſportaverunt eum in Ieruſalem, mortuuſque eſt, & ſepultus in mauſoleo patrum ſuorum: & univerſus Iuda & Ieruſalem luxerunt eum: 25. Ieremias maxime: cuius omnes cantores atque cantatrices, uſque in præſentem diem, lamentationes ſuper Ioſiam replicant; & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus. 26. Reliqua autem ſermonum Ioſiæ & miſericordiarum eius, quæ lege præcepta ſunt Domini; 27. opera quoque illius prima & noviſſima, ſcripta ſunt in Libro Regum Iuda & Iſrael.

(a) IV. Reg. XXIII. 21. (b) IV. Reg. XXIII. 29. (c) Zach. XII. 11.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Sponte quod voverant obtulerunt*. Quidam pro *voverant* ſcribunt *volebant*.

V. 9. *Et Semeias, etiam Nathanael*. Alii, *Et Semeias etiam & Nathanael*.

V. 15. *Prophetarum Regis*. Retinendus eſt numerus pluralis *Prophetarum*, non mutandus cum ſingulari *Prophetæ*: nec addendum *David* nomini *Regis*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. AD QUORUM ERUDITIONEM, &c. Alii ita vertunt: *Qui erudiebant Iſraelem omnem, ſanctique erant Domino*. ARCAM, ſcilicet quæ tempore Manaſſe extra templum fuerat.

V. 4. PRAECEPIT. Hebr. & LXX. *ſcripſit*.

V. 5. SANCTUARIO, id eſt templi atrio.

V. 11. ASPERSERUNTQUE, &c. LXX. *Fuderunt ſacerdotes de manu ſua ſanguinem*, ſcilicet ſuper altare.

V. 12. SEPARAVERUNT EA, ſcilicet offerenda pro quibuſque, ordine. LXX. *Præparaverunt holocauſtum*.

V. 13. PHASE, id eſt agnos paſchales.

V. 21. QUID MIHI ET TIBI EST? id eſt quid tibi mecum eſt?

V. 22. EX ORE DEI; quaſi dicat; Cum ei Dei voluntatem vere dixiſſet.

V. 24. MORTUUSQUE EST: ſcilicet in Mageddo dum portaretur, ut dicitur IV. Reg. XXIII.

V. 25. SCRIPTUM, ſcilicet quod cantabatur. LAMENTATIONIBUS, id eſt Lamentationum Libro.

V. 26. MISERICORDIARUM, id est beneficiorum in subditos.

ESTII.

Vers. 3. PONITE ARCAM IN SANCTUARIO TEMPLI, QUOD AEDIFICAVIT SALOMON, &c. Hebraice est: *Ponite arcam sanctitatis in domo, quam ædificavit Salomon*. Septuaginta habent hoc modo: *Et posuerunt arcam sanctam in domum, quam ædificaverat Salomon*. Ex quo consequitur arcam tunc fuisse extra templum Domini, & non tantum in alia parte templi, ut quidam fingunt. Quomodo autem, aut quando e templo fuerit ablata, non constat. Auctor Libri Hebraic. Quæst. dicit, quod tempore Achaz, quando Idola ab impio Rege in templo posita fuerunt, arca inde fuerit educta, & in domo cuiusdam Levitæ posita, ibique eam mansisse usque ad tempora Iosiæ. Sed id non fit verisimile. Nam si tempore Achaz id factum fuisset, Ezechias filius eius qui fuit maxime studiosus cultus divini, curasset omnino eam in locum suum reduci. Proinde probabilius est, eam exportationem arcæ e templo factam fuisse tempore Manassæ Regis, vel filii eius Amon, quorum uterque fuit maximus cultor Idolorum. Et licet Manasses pœnitentiam egerit, tamen fieri potuit ut propter brevitatem temporis quo regnavit, non omnia potuerit perficere quæ ad templi, & cultus Dei restitutionem pertinebant. Nam arca non sine maxima solemnitate transferenda erat.

V. 8. & 9. DEDERUNT SACERDOTIBUS AD FACIENDUM PHASE PECORA COMMIXTIM DUO MILLIA SEXCENTA, ET BOVES TRECENTOS. Sic & paulo post: DEDERUNT CETERIS LEVITIS AD CELEBRANDUM PHASE QUINQUE MILLIA PECORUM, ET BOVES QUINGENTOS. Sensus est: *Ad faciendum Phase*; id est, pro celebratione festivitatis paschalis. Non enim tunc tantum agni paschales immolabantur, sed per octo continuos dies etiam alia varia sacrificia, ut patet Num. XXVIII.

V. 18. NON FUIT PHASE SIMILE HUIC IN ISRAEL A DIEBUS SAMUELIS PROPHETAE: SED NEC QUISQUAM DE CUNCTIS REGIBUS FECIT PHASAE SICUT IOSIAS. Lib. IV. Reg. dicitur, *A diebus Iudicum*; sed non pugnat, nam Samuel fuit ultimus Iudicum. Quod autem addit: *Sed nec quisquam de cunctis Regibus fecit Phase sicut Iosias*: non significat Scriptura, Phase illud, quantum ad multitudinem populi, vel solemnitatem, fuisse excellentius ceteris, etiam tempore Davidis celebratis, quando decem tribus nondum erant adductæ in captivitatem; sed quod hic dicitur de eius Phase excellentia, referendum est ad Iosiæ Regis liberalitatem in Sacerdotes, Levitas, & universum populum. Cum enim Iosias opibus longe inferior esset Davide, & Salomone; tamen plura munera contulit toti populo ad celebrationem huius festi, quam David, aut Salomon fecisse legantur. Et hunc sensum omnino indicat series narrationis.

V. 21. CONTRA ALIAM PUGNO DOMUM, AD QUAM ME DEUS FESTINATO IRE PRAECEPIT: DESINE ADVERSUS DEUM FACERE. Hæc Nechao Rex AEgypti ad Iosiam. Dicitur is IV. Reg. XXIII. (alio nomine ibi vocatur Pharao) profectus contra Regem Assyriorum. Quæritur, quare ergo Iosias contra eum pugnaverit? Nec posse dici videtur, Pharaonem hoc mendaciter dixisse: nam Scriptura indicat eum vera locutum, cum subiungit: *Nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei*. Adde quod III. Esdræ I. (etsi is Liber Canonicus non sit) dicatur Iosiam non attendisse verbum Prophetæ ex ore Domini; immo & Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, Prophetam illum intelligit Ieremiam. Quomodo tamen his non obstantibus probabiliter excusari possit hoc factum Iosiæ, diximus in Annotationibus ad Lib. IV. Reg. cap. XXIII. vers. 25. Præceptum autem hoc Dei, quod Nechao se habere dixit, intelligendum videtur de occulto quodam instinctu, & notificatione a Deo ipsi facta, sive per somnium, ut factum est Pharaoni, & Nabuchodonosori; sive alio modo, sicut & capite sequenti, & I. Esdræ I. legimus Cyrum dicere: *Dominus Deus cæli præcepit mihi ut ædificarem domum*, &c.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 2. CONSTITUIT SACERDOTES IN OFFICIIS SUIS. Hebr. *ſuper custodias ſuas*. Sed *cuſtodiæ*, & *diviſiones*, quibus vocibus ſæpe utitur, ſignificant *functiones*, *miniſteria*, *vices*. HORTATUSQUE EST. Hebr. *Conſortavitque eos*, ſcilicet ſermonibus.

V. 3. LEVITIS QUOQUE, AD QUORUM ERUDITIONEM OMNIS ISRAEL SANCTIFICABATUR, id eſt mundabatur, cum ſe contaminaverat. Hebr. *Levitis erudientibus omnem Iſrael ſanctis Domino*. Sept. *Levitis potentibus in omni Iſrael, ut ſanctificarentur Domino ipſi*, ſcilicet Levitæ, ut ſcilicet purificati arcam in ſuum locum reſtituerent. PONITE ARCAM. Hieronymus in Trad. quod tempore Achaz fuit detracta de templo, ne ſimul cum idolis eſſet, & poſita in domo Sellum avunculi Ieremiæ, unde nunc a Ioſia reſtitui in templum iubeatur. IN SANCTUARIO TEMPLI. Hebr. *Arcam ſanctitatis* (id eſt ſanctam) *in domo*. NEQUAQUAM ENIM EAM ULTRA PORTABITIS. Hebr. *Non vobis onus in humero*; quaſi dicat: Quando non eſt opus ut eam portetis, ideo aliis functionibus vacate. Nolebat enim e templo amplius moveri arcam.

V. 4. PRAEPARATE; id eſt, ita vos componite, ut cum opus erit, IN DIVISIONIBUS, id eſt ſecundum vices cuiuſque, miniſtretis. SICUT PRAECEPIT DAVID. Hebr. *ſcripſit*.

V. 5. ET MINISTRATE IN SANCTUARIO. Hebr. *Et ſtate in ſanctuario*. PER FAMILIAS TURMASQUE LEVITICAS. Hebr. multa verba & involuta ſunt, ſententia non alia: *Secundum diviſiones domus patrum* (id eſt familiarum) *ad fratres veſtros filios populi*, *& diviſionem domus patris* (id eſt familiæ cuiuſque) *Levitarum*; quaſi dicat: Inter diviſiones & vices factas in tribu veſtra, & inter fratres veſtros, quiſque in diviſione, id eſt vice familiæ ſuæ, miniſtret.

V. 7. DEDIT PRAETEREA IOSIAS. Hebr. *Et elevavit Ioſias*. Sept. *Et primitias obtulit*. Memento *therumah* ſignificare *primitias*. Ait ergo primum omnium Ioſiam obtuliſſe, unde populus faceret Paſcha, agnos, & hædos triginta millia.

V. 8. DUCES .... SPONTE QUOD VOVERANT, OBTULERUNT. Hebr. *Sponte obtulerunt*. Hoc in genere dictum, per partes explicat. PORRO HELCIAS. Hebr. *Helcias*, *& Zacharias dederunt ſacerdotibus*. PECORA COMMIXTIM. Goth. *mixtim*. Sept. *oves*, *& agnos*, *& hædos*: & videtur aliquid in Hebr. textu deeſſe, ubi dicitur *dediſſe duo millia ſexcenta*; neque explicat quam rem dederit, cum mox addat *dediſſe boves trecentos*. Sed certe agnos, & hædos duo millia dederunt, quod Noſter dixit *commixtim*: nam ad faciendum Paſcha, non niſi agni, & hædi dari poterant. Hebr. *Dederunt ad Paſchata*; id eſt, unde immolarent Paſchata.

V. 9. DEDERUNT CETERIS LEVITIS (principes Levitarum) AD CELEBRANDUM PHASE. Hebr. *Obtulerunt Levitis ad Paſchata*. QUINQUE MILLIA PECORUM. Sept. *ovium quinque millia*. Hebr. *Dederunt quinque millia*: neque aliud exprimitur; ſed intellige agnos, & hædos: & ſuppletur verſu hoc, & ſuperiori ex verſ. 7. Sed quorſum boves dederunt? nempe in holocauſta, & in epulum populi.

V. 10. STETERUNT SACERDOTES IN OFFICIO SUO. Hebr. *in ſtatione ſua*; ſed *ſtatio* pro *officio*. IN TURMIS. Hebr. *in ſuis diviſionibus*, id eſt per vices ſuas.

V. 12. ET SEPARAVERUNT EA UT DARENT. Hebr. *Et removerunt holocauſtum ad dandum ea diviſionibus domui patrum* (id eſt per familias) *filiis populi ad offerendum Domino*. Conſtructio implicita, ſic ordinanda: *Removerunt holocauſtum* (pro holocauſta) *ad offerendum Domino ad dandum ea* (ſcilicet cetera pecora) *diviſionibus domibus patrum*. Nimirum detractis quæ ad holocauſta erant neceſſaria, cetera dederunt populis, unde immolarent Paſcha, & convivia celebrarent.

V. 13. ET ASSAVERUNT. Vox *baſal*, *elixare*, ſeu *coquere*, ſeu etiam *matureſcere* ſignificat ubique, hic tantum *aſſare*: ſic Sept. PACIFICAS VERO HOSTIAS. Hebr. *Sancta* (id eſt alias hoſtias conſecratas Deo) *coxerunt in ollis*. ET FESTINATO DISTRIBUERUNT. Recte expreſſit vim Hebraicorum verborum, quæ ſic habent: *Et currere fecerunt univerſis filiis populi*. Ad omnes miſerunt partes celeriter.

V. 14. SIBI AUTEM: scilicet Levitæ, de quibus agit, sibi & sacerdotibus postremo cibos pararunt.

V. 15. CANTORES .... STABANT IN ORDINE SUO, IUXTA PRAECEPTUM DAVID, ET .... PROPHETARUM REGIS. Sic Sept. Hieronymus in Trad. ait vocari *Prophetas Regis*, quod David solitus esset cum illis canere. Heb. *Videntis Regis*, & de Idithun solo dici videtur. Porro cur sic quidam vocarentur, alio loco dictum est, nimirum quia per eos Rex consulebat Deum.

V. 18. SACERDOTIBUS, ET LEVITIS fecit Iosias phase. Sept. *Iosias, & sacerdotes, & Levitæ, & omnis Iuda*: sic Hebr. Itaque Iosias, & sacerdotes fecerunt pascha.

V. 20. POSTQUAM INSTAURAVERAT IOSIAS TEMPLUM. Hebr. *Post hæc omnia (&) quod direxit Iosias domum*, scilicet Dei, ascendit Nechao. Iosias procedit contra eum.

V. 21. NON ADVERSUM TE HODIE VENIO. Hebr. *Non contra te tu hodie*; quasi dicat: Si me irritaris, id tuo malo fiet. Id Nechao ad Iosiam. Noluit Iosias reverti,

V. 22. SED PRAEPARAVIT CONTRA EUM. Hebr. *Sed ad pugnandum cum eo se mutavit*; id est, trabeam, aut paludamentum deposuit. NON ACQUIEVIT SERMONIBUS NECHAO EX ORE DEI, id est qui erant a Deo dicti. Hieronymus ait in Trad. sic monuisse Ieremiam, ne Iosias iret obviam AEgyptio, quod Nechao rescivit, & repetivit Iosiæ. MAGEDDO. De hac plura IV. Reg. XXIII. 29. Iosias letaliter vulneratus transfertur in alterum currum,

V. 24. QUI SEQUEBATUR EUM MORE REGIO, scilicet currus alter. Hebr. *Qui ei*, scilicet erat. MORTUUSQUE EST, scilicet in Mageddo, dum portaretur Ierusalem, IV. Reg. XXIII. 33. SEPULTUS IN MAUSOLEO, id est sepulcro patrum suorum. Et luxerunt eum,

V. 25. IEREMIAS MAXIME. Pars Lamentationum Ieremiæ postrema, tota de Iosiæ morte est. Plura in Præfatione Lamentationum. Id significant illa verba, *Ecce scriptum fertur in Lamentationibus*. ET QUASI LEX OBTINUIT. חוק *hok* hoc loco *morem* potius significat; quasi dicat: In morem abiit, ut verbis illius næniæ utantur, quoties adversum aliquem casum lugere volunt. Quomodo autem in pace sepultus sit, ut Holda superiori capite vaticinata est, diximus IV. Reg. XXII. 20.

V. 26. RELIQUA AUTEM SERMONUM IOSIAE, ET MISERICORDIARUM EIUS QUAE LEGE PRAECEPTA SUNT DOMINI. Hebr. *Et misericordiæ eius, sicut scriptum (est) in lege Domini*. Per *misericordias* bona opera intelligit, quæ lege præcepta sunt. Eæ sunt scriptæ in Libro Regum Iuda. Successit Ioachaz.

MALVENDAE.

Vers. 1. FECIT AUTEM IOSIAS IN IERUSALEM PHASE, &c. Vide de hoc versu II. Reg. cap. XXIII. vers. 21. & 22.

V. 3. AD QUORUM ERUDITIONEM OMNIS ISRAEL SANCTIFICABATUR DOMINO. Hebræa variam fecerunt lectionem. I. מבינים *mebinim*, *intelligere facientibus*, *erudientibus*, *docentibus*, *instituentibus*, *informantibus omni Israeli*, vel *omnem Israelem*, *sanctis ipsi Iehovæh*; id est, qui instituebant, aut instituere debebant Israelem in lege Dei, & qui consecrati seu dedicati erant Iehovæh. II. מבונים *mebunim*, ut sit participium præteritum, seu passivum Hiphil, *intelligere factis*, *eruditis*, *intelligentia præditis*, *in omni Israele*, &c. III. מכינים *mechinim*, *præparantibus*, facili prolapsu Beth in Caph ob similitudinem. Tremellius, & Iunius: *Edixit vero Levitis præparantibus pro toto Israele res sanctas Iehovæ. Sic enim legitur in emendatissimo manuscripto exemplari ex Bibliotheca Illustrissimi principis electoris Palatini: & sequentia hanc lectionem confirmant. Quod si qui tamen vulgatam lectionem retinere volent, hæc futura est interpretatio: Edixit vero Levitis docentibus Israelitas res sanctas ipsi Iehovæ*, &c. Possis reddere, *Intelligentibus in omni Israele sancta*, id est quæ sacra erant ipsi *Iehovæh*, hoc est peritis rerum sacrarum. PONIT ARCAM IN SANCTUARIO TEMPLI, QUOD AEDIFICAVIT SALOMON. Hebr. *Date arcam sanctitatis in domo, quam ædificavit Selomoh*. Futilia hic multa congerunt Explanatores: illud verisimilius, tempori-

bus

bus Menassis, & Amonis, in summa religionis perturbatione arcam ex adito deturbatam, quam nunc Iosias sacerdotibus Levitici generis iubet in suum locum restitui. Tremellius, & Iunius exponunt: *Ponite eas, scilicet res sanctas, coram arca sancta in ista domo, quam ædificavit Schelomo. Idest, ne amplius foris, aut per domos iugulate paschata: ut cum propter superiorum Regum tyrannidem templum clausum fuit, & publicus Dei cultus in ea abruptus: quo tempore Deus propter necessitatem cultum illum inter privatos parietes a piis observatum, quasi in Ægypto fuissent pii clementer indulsit*. Ita illi. Particulam את *eth*, quæ nota accusandi casus esse solet, pro *cum*, *ad*, *apud*. acceperunt: *cum arca*; *ad*, *apud*, *arcam*; *coram arca*. Hæc de sacrificiis paschalibus vera sunt: de ipso pesach non item: nam parvam pecudem paschalem in templo iugulandam, nulla lege cavetur. Vide ritum Exod. XII. NEQUAQUAM ENIM EAM ULTRA PORTABITIS. Hebr. *Non vobis elevatio in humero*. Quidam: *Non incumbit vobis onus deportandi humero*. Vide I. Paral pom. XXIII. 26. quasi dicat: Cum iam vobis Levitis non incumbat onus portandi tabernaculum; nunc oportet vos inservire cultui divino, & sacris ministeriis, carminibus laudes eius extollendo, & parando victimas pro populo, ipsumque populum docendo. Alii exponunt: Id est, quemadmodum non alibi quam ante arcam offerendum est Iehovæ; ita etiam nefas est alibi quam hic ad templum offerre. ubi perpetua arcæ sedes est constituta; ideoque necesse est non ut arcam huc illuc circumferatis, prout olim Numeror. VII. 9. usque ad Schelomonis tempora; sed ut undecumque huc oblationes conferantur, Deuteronom. XII. 5. & sequentibus.

V. 4. SICUT PRAECEPIT DAVID. Hebr. *In scripto Davidis*. Quidam, *Ex præscripto Davidis*. Vide I. Paralipom. XXV. & XXVI.

V. 5. ET MINISTRATE IN SANCTUARIO, &c. Nostra Translatio hunc versum ex verbo dedit (*Et state in sanctitate dispertitionibus domus patrum fratribus vestris, filiis populi: & partitio domus patris Levitis*.) Alii I. *Et stabitis in sanctuario ad divisionem domus patrum, fratribus vestris filiis populi, & divisionem domus patrum, Levitis*; id est, ministrabitis in sanctuario secundum classes paternarum familiarum, ministeria opportuna fratribus vestris reliquis Israelitis filiis populi: stabitis, inquam, ad ministeria secundum distributiones, seu classes paternarum familiarum vestrarum Leviticarum. II. *Ac state in sanctuario secundum classes familiarum fratrum vestrorum filiorum populi, & secundum divisionem domus patris Levitarum*. Id est, state in statione sancta vestra per classes familiarum paternarum vestrarum Leviticarum, ad eum prorsus modum quo reliqui Israelitæ censiti & distributi sunt singuli in familias suas paternas; quasi dicat: Si reliqui Israelitæ filii populi censentur singuli in familias suas paternas; tribus Levi quæ reliquas dignitate antecedit, hanc distinctionem maiore studio servare debet. III. *State in sanctitate secundum distinctionem domus patrum, iuxta fratres vestros filios populi in ordine domus patrum Levitarum*. IV. *Et assistite in sancto classibus familiarum paternarum, fratribus vestris popularibus, prout est partitio cuiusque familiæ paternæ Levitarum*; id est, in paschate singulis sacerdotibus Israelitarum convenientibus ad idem pascha comedendum ex lege Exod. XII. 4. ministrate. At observant alii in ritu agni paschalis; nullam fuisse necessariam operam Levitarum, cum quisque pater familias domui suæ iugulare, & ritum peragere posset, Exod. XII.

V. 6. FRATRES ETIAM VESTROS... PRAEPARATE. Hebr. *Et præparate fratribus vestris*, vel *fratres vestros*. Quidam: *Et præparate pro fratribus vestris*: scilicet inservite fratribus vestris sacerdotibus, in detrahendis pellibus victimarum, vel apparate victimas pro popularibus vestris. Vide infra vers. 11. & sequentibus. UT POSSINT... FACERE. Hebr. *Ad facere*, id est ut faciant, vel ut faciatis.

V. 7. IN SOLEMNITATE PHASE, AGNOS ET HAEDOS DE GREGIBUS. Hebr. *Oves, agnos, & filios caprarum, omnia ipsis pesachim*. Quidam: *Oves, agnos, & filios caprarum, omnia pro victimis pesach*. At certum est pesach non fieri nisi ex parva pecude, nempe ex agno, vel hædo, Exod. XII. quorsum hic oves? Quidam apte interpretantur, *pesachim* hic non tantum immolationem parvæ pecudis pascalis intelligi; sed etiam alia sacrificia, quæ

quæ in ea solemnitate mactabantur: nam statim hic subditur, *& boum tria millia*: sic versu sequente, & 11. Vide supra cap. XXX. vers. 17. alii reddunt: *Ex grege agnorum, & hædorum lactentium quosque in sacrificia paschalia, secundum omnia quæ præsto erant.* *Filios caprarum* accipiunt hædos teneros, lactentes, subrumos, adhuc sub cura matrum agentes; ut sæpe alias. BOUM QUOQUE TRIA MILLIA. Hebr. *Et bovem*, seu *boves ternarium milium*. Quidam, *Et armentalia ter mille*, nimirum tam in sacrificia festi azymorum, quam in holocausta, & eucharistica, seu pacifica. Vide Numer. XXVIII. vers. 18. & sequentibus.

V. 11. ET IMMOLATUM EST PHASE. Hebr. *Et mactaverunt*, seu *iugulaverunt Pesach*. Exponunt, Id est sacrificaverunt, obtulerunt. At mirum posse id tantum intelligi de parva pecude paschali, ad cuius ritum nec Levitæ, aut sacerdotes necessarii erant, nec sanguis circum aram spargendus: de aliis sacrificiis, quæ in solemnitate illa paschali immolabantur, recte accipi queat. Vide supra vers. 7. ASPERSERUNTQUE SACERDOTES MANU SUA SANGUINEM. Hebr. non est, *sanguinem*, sed facile intelligitur: tantum enim legitur: *Et sparserunt Sacerdotes de manu eorum*, scilicet sanguinem. Relativum *eorum*, sine antecedente. Quidam illud ad populum referunt *de manu eorum*, id est de victimis eorum qui mundi offerebant. Alii rectius, *de manu Levitarum*. Nonnulli reddunt: *Sacerdotes spargebant sanguinem effusum manu illorum*, Levitarum. Erat proprie hæc actio sacrificialis. ET LEVITAE DETRAXERUNT PELLES HOLOCAUSTORUM. Hebr. nulla mentio *holocaustorum*; sed tantum, *& Levitæ denudantes pelle*, vel *excoriantes*: quæ proprie quoque functio sacerdotalis erat; sed ob multitudinem sacrificiorum, quibus non sufficerent sacerdotes, adsciti sunt Levitæ in eam partem muneris. Vide simile supra cap. XXIX. vers. 34.

V. 12. ET SEPARAVERUNT EA UT DARENT, &c. Hunc versum Hebr. subobscurum nos verbatim convertimus (*Et discedere fecerunt ascensionem ad dare ea dispertitionibus domui patrum, filiis populi, ad appropinquare fecere* IHUH, *sicut scriptum in Libro Moseh: & sic bovi*.) Alii. I. *Removerunt autem de holocausto, ut darent ea secundum divisiones domus familiarum filiorum populi, ut offerrent Iehovæ, sicut scriptum est in libro Mosis: & sic de bobus*; hoc est, non omnes pecudes quas Iosias dedit populo, obtulerunt in holocausta; sed partem earum subduxerunt, vel quæ tota usui esset populo in festivales epulas, vel quam populus offerret in pacifica, seu eucharistica, quæ ipsi populo cederent, secundum paternas familias suas: idem quoque factum est de bobus. II. *Et amovebant quod absumendum erat, oblaturi Iehovæ, ut redderent illa classibus familiæ paternæ cuiusque popularibus suis, sicut perscriptum est in libro Moschis: similiter quoque de bobus*; id est, sacerdotes ex victimis amovebant partes illas quæ in sacrificio absumendæ erant, vel sacerdotibus cessuræ, ut reliqua popularibus offerentibus redderent, &c. III. *Et removerunt holocaustum in terminando ea*; id est, removerunt sacerdotes ex victimis portionem illam quæ cremabatur Deo, quam hic vocat holocaustum, donec terminata & finita esset remotio eiusmodi ab omnibus victimis: *divisionibus domui patrum, filiis populi ad offerendum Iehovah, sicut scriptum est in libro Mosis: & sic bobus*; id est, offerebant victimas populus secundum divisiones seu classes paternarum familiarum suarum ex præscripto legis Mosis, sacerdotibus removentibus portionem cremandam Deo: & hoc servatum est nedum in victimis ex ovili, & caprino genere, sed etiam ex bovino. Quod reddiderunt, *In terminando*, seu *finiendo ea*, vel Hebræa aliter legerunt: vel לתתם *lethittam*, contra omnem rationem, a תמם *thamam* deduxerunt. IV. *Et removerunt holocausta*; id est, separaverunt ex pecoribus datis a Iosia, magnam partem ad offerendum Domino in holocausta; *ad dandum ea*, id est ut darent cetera pecora, *divisionibus domui patrum, filiis populi*; hoc est, subductis pecoribus quæ ad holocausta necessaria erant, cetera dederunt popularibus, *ad offerendum Iehovæ*, &c. id est, ut ex illis offerrent pacifica, & convivia celebrarent.

V. 13. IUXTA QUOD IN LEGE SCRIPTUM EST. Hebr. *secundum iudicium*, id est iuxta morem, de more solito. Alii, *pro ritu*, qui imperatus est Exod. XII. 8. PACIFICAS VE-

VERO HOSTIAS COXERUNT, &c. Heb. *Et sanctitates elixarunt*, &c. Quidam: *Et alias victimas consecratas Deo*, &c. quasi dicat: Pesach quidem igni assarunt; sed sacras alias hostias aqua coxerunt. Idem utrobique verbum בשל *baschal*, & *assare igni*, & *coquere in aqua* significat. Alii: *Reliqua vero sacra coquebant*, &c. id est, partes eucharisticorum, seu pacificorum cedentes offerentibus. ET FESTINATO DISTRIBUERUNT UNIVERSAE PLEBI. Hebr. *Et currere fecerunt omnibus filiis populi*. Quidam: *Et porrexerunt cum celeritate omnibus plebis*. Alii: *Cum celeriter transmisissent ad omnes populares sacrificia ipsorum*, nempe Levitæ ipsi, seu sacerdotes, separatis his quæ Deo cedebant.

*V.*14. POSTEA PARAVERUNT, scilicet phesachim, & pacifica, seu victimas festivas & conviviales. NAM IN OBLATIONE HOLOCAUSTORUM ET ADIPUM USQUE AD NOCTEM SACERDOTES FUERUNT OCCUPATI. Aliqui reddunt: *Cum sacerdotes posteri Aharonis incumberent offerendo ei quod absumendum erat, & adipibus, ad noctem usque*.

*V.*15. CANTORES FILII, seu posteri) ASAPH, quorum nimirum erant vices, cum hoc Pascha celebratum est.

V. 18. NON FUIT PHASE SIMILE HUIC. Vide II. Reg. XXIII. vers. 22. & 23.

V. 20. POSTQUAM INSTAURAVERAT IOSIAS TEMPLUM. Hebr. *Post omne istud quod præparavit Iosiiahu domum*. Quidam: *Post omnia ista cum præparasset Iosiiahu domum*. Forsan loquitur de instauratione domus Dei, de qua supra cap. XXXIV. vers.10. & seqq. quasi dicat: Post celebratum a Iosia Phase, & resartam domum Dei. Alii: *Post omnia hæc, cum Iosia constituisset domum*, id est cultum Dei, qui in domo eius peragebatur: synecdoche. ASCENDIT NECHAO REX AEGYPTI. Vide II. Reg. XXIII. vers. 29. IN CHARCAMIS IUXTA EUPHRATEM. Hebr. *in Cherchemis super Pheratthem*. Mire divinant de hoc oppido: quidam volunt esse Zeugma urbem Cyrrhesticæ regionis, transitu Euphratis nobilem, de qua Strabo Lib. XI. pag. 532. & Lib. XVI. pag. 746. Plinius Lib. V. cap. XXIV. & Lib. XXXIV. cap. XV. Tacitus Annal. XII. Plutarchus in M. Crasso. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Alii *Cercusium*, colludente nomine, de quo Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. cap. XI. *Adscitis Saracenorum auxiliis, quæ animis obtulere promptissimis, tendens Imperator* (Iulianus) *agili gradu Cercusium, principio mensis Aprilis, ingressus est munimentum tutissimum, & fabre politum: cuius mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes. Quod Diocletianus exiguum antehac & suspectum muris, turribusque circumdedit celsis, cum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret*. Sextus Rufus in Breviario, cap. XXII. *Milites ei* (Gordiano) *tumulum in vicesimo milliario a Cercusio castro, quod & nunc extat, ædificaverunt*. *Ciressum* appellat Eutropius Libr. X. cap. XXVII. *Circeium* Iulius Capitolinus in Gordiano III. Zosimus Comes, & Procopius Circesion, quod ita describit Procopius Lib. II. Persicorum, cap. III. *Est enim in altera fluminis ripa Romanorum oppidum munitum, quod Circesion vocatur, præruptum ex magna parte; quod Aborras fluvius ingens, hic ostia emittens, Euphrati miscetur, angulum iuxta oppidum facit, ac murus extra castellum longus, regionem utriusque fluminis mediam complectens triangularem efficit loci formam*. Ergo *Charchemis* hariolantur esse *Cercusium*, vel *Circessum*, vel *Circeium*, aut *Circesion*: oppidum insigne fuisse videtur cum ex hoc loco, tum ex Isaiæ X. vers. 9. & Ierem. XLVI. vers. 2.

V. 21. NON ADVERSUM TE HODIE VENIO. Hebr. *Non super te tu hodie*. Quidam, *Non contra te, te ipsum hodie*; subaudi, sum dimicaturus. Alii, *Non contra te, heus tu, hac die*. Emphasim habet huiusmodi locutio. Aliqui, *Ne contra te tu hodie*; id est; *ne sis hodie contra te*; quasi dicat: Cave ne tu tibi hodie accersas malum. SED CONTRA ALIAM PUGNO DOMUM. Hebr. *Quia*, vel *quin*, *contra domum belli mei*. Aliqui, *contra familiam prælii mei*, id est mihi inimicam, contra quam bellum gero. Alii, *contra domum belligerantem adversum me*, id est contra Assyriam, e II. Reg. XXIII. vers. 29. AD QUAM ME DEUS FESTINATO IRE PRAECEPIT. Varie reddunt. I. *Et Deus dixit ad festinandum me*, sive *ut festinarem*. II. *Quo Deus dixit accelerare me*. III. *Et Deus dixit, ad stupefaciendum*,

dum, *exterrendum*, *me*, hostes, vel *ut attonitos redderem*. DESINE ADVERSUM DEUM FACERE. Hebr. *Cessa tibi a Deo*. Quidam: *Desine tibi a Deo*, vel *desiste a Deo*; quasi dicat: Vide ne velis Deo obsistere, a quo mittor contra Assyrios, quo auctore hoc bellum suscepi. Alii: *Abstine te a Deo*.

V. 22. SED PRAEPARAVIT CONTRA EUM BELLUM. Hebr. varie convertunt. I. *Sed ut pugnaret cum eo, mutavit se*, id est mutavit vestes regias: sic supra cap. XVIII. vers. 29. II. *Dissimulavit se*; id est, non curavit verba Regis AEgypti: vel dissimulato habitu regio ingressus est praelium. III. *Mutavit se* vestibus, & cultu regio, & alium vulgarem induit. IV. *Secum constituit*. IN CAMPO MAGEDDO. Vide II. Reg. XXIII. vers. 29. Hanc videtur pius Rex speciosam causam obtendisse obsistendi AEgyptio, quod suam per regionem exercitum duceret: nam Meghiddo in tribu Menaseh erat, Iosue XVII. II.

V. 24. IN MAUSOLEO. Hebr. *in sepulcris*, id est in uno sepulcrorum; vel in sepulcro aliquo sumptuosissimo, & magnificentissimo: id enim indicare videtur pluralis numerus. Vide cap. XVI. vers. 14. LUXERUNT EUM. Participium ex Hithpahel vim habet magnam, *lugere se facientes*, vel *ad luctum sese impellentes*, *super Iosia*; id est, diu, multumque, acerbissime luxerunt. Dignus plane sanctissimus Rex, qui omnibus lacrymarum fontibus deplangeretur.

V. 25. IEREMIAS MAXIME. Hebr. *Et lamentatus fuit Iirmeiahu super Iosiahu*. Quidam: *Composuit autem Ieremias lugubre carmen de Iosia*. Hispanicus Interpres significanter: *Y endecho Ieremias por Iosias*; id est, elegos, monodias, naenias, epicedia composuit de morte Iosiae. Iosephus: *Ieremias etiam epicedium ei scripsit lugubri carmine, quod nunc quoque extare videmus*. USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Innuit Hezras vel suo etiam tempore solitas vulgo decantari, vel hodieque extare: quod est plane verissimum. ET QUASI LEX OBTINUIT IN ISRAEL. Heb. *Et dederunt eas in statutum in Israele*; quasi dicat: Adeo obtinuit consuetudo eas decantandi, ut quasi in legem, & sacrum institutum, seu statam caeremoniam abierit. Quidam reddunt: *Quin & morem hunc instituerunt in Israele*, scilicet canendi eas. IN LAMENTATIONIBUS, quas Ieremias conscripsit, quaeque hodie habentur ad finem eius prophetiae, seorsim quinque capitibus comprehensae.

V. 27. PRIMA ET NOVISSIMA. Exponunt, Id est omnia a principio usque ad finem. Vide I. Paralipom. XXIX. 29.

MENOCHII.

Vers. I. FECIT PHASE. Vide dicta IV. Reg. XXIII. 21.

V. 3. AD QUORUM ERUDITIONEM OMNIS ISRAEL SANCTIFICABATUR DOMINO. In Hebraeo ad verbum est: *Dixit Levitis intelligere facientibus universum Israel sanctis Domino*. Vatablus vertit: *Qui erudiebant omnem Israelem, quique sancti erant Domino*. In Graeco autem est, *Et dixit Levitis potentibus in omni Israel, ut ipsi sanctificarentur Domino*. Potentia haec non corporearum est virium, sed est potestas spiritualis, ad res sacras tractandas, tradendasque populo in templo, & Synagogis: sententia igitur vulgatae est, Levitas cum sancti essent, sive consecrati Domino, populum quoque ad sanctitatem informasse. Nam & ipse populus prae omnibus aliis populis sanctus erat Deo suo, & studium Levitarum erat elaborare, ut viverent, & ambularent digne Deo, eiusque sanctissimis legibus. PONITE ARCAM IN SANCTUARIO, quae tempore Amonis Regis Iuda, & tempore pueritiae Iosiae extra templum fuerat. Vide Salianum anno mundi 3412. num. 27. 28. 29. & 30. NEQUAQUAM EAM ULTRA PORTABITIS. *Quasi dicat*, inquit Vatablus: *Posthac non erit vobis ferenda humeris ut antea*.

V. 4. IN DIVISIONIBUS, &c. per clases a Davide constitutas, de quibus I. Paral. XXIV.

V. 6. PRAEPARATE: purificate, sanctificate, ut suis ministeriis exercendis idonei esse possint.

V. 7. AGNOS, ET HAEDOS DE GREGIBUS. Horum singuli a singulis familiis sacrificabantur & assabantur, & cum lactucis comedebantur iuxta consuetum ritum. RELIQUI PECORIS, &c. ad alia sacrificia, holocausta scilicet, & hostias pacificas.

V. 8.

V. 8. TAM POPULO QUAM SACERDOTIBUS, &c. quæ voverant se daturos populo, ut haberet quod Domino offerret, & sacerdotibus sacrificia immolantibus. COMMIXTIM, id est partim oves, partim agnos, partim hædos. Itaque Septuaginta habent: *Dederunt ad phase oves, & agnos, & hædos.*

V. 10. MINISTERIUM, scilicet immolationis phase, ut patet ex versiculo sequenti. IN TURMIS IUXTA REGIS IMPERIUM: non enim singulæ tantum vices, ut reliquo tempore, sed simul omnes aderant, ut Rex imperaverat, qui omnibus etiam victimas copiose largitus est.

V. 11. ASPERSERUNT SACERDOTES MANU SUA SANGUINEM, hostiarum scilicet, quas ipsimet iugulaverant. DETRAXERUNT PELLES: quod urgente necessitate facere poterant. Vide supra cap. XXIX. num. 34.

V. 12. SEPARAVERUNT EA. Septuaginta habent, *Præparaverunt holocaustum.* Sensus vulgatæ videtur esse, Levitas, victimas a quibus detraxerant pelles, separasse, ne scilicet confusio induceretur, sed sciri posset, pro quo quælibet hostia offerretur.

V. 13. ASSAVERUNT PHASE, agnos scilicet paschales. COXERUNT IN LEBETIBUS. Hostiæ enim pacificæ pars incendebatur, pars cedebat in usum Sacerdotum, pars in usum offerentium. Nam ut sibi pararent otium non habebant præ multitudine sacrificiorum.

V. 15. IUXTA PRAECEPTUM DAVID: iuxta classes in quas a David fuerant tributi, ut habemus I. Paralipom. cap. XXV.

V. 18. NON FUIT PHASE, &c. idem habemus IV. Reg. XXXII. 21.

V. 20. ASCENDIT NECHAO. Hæc eadem, licet brevius, habentur eodem cap. XXI. IV. Reg. num. 29. & 30. Vide quæ ibi diximus.

V. 21. QUID MIHI, ET TIBI EST? id est, quid mecum tibi est? CONTRA ALIAM DOMUM, contra alium Regem.

V. 22. EX ORE DEI; id est, cum ei Dei voluntatem vere dixisset, licet forsitan aruspices, & vates suos idololatras AEgyptius consuluisset, qui quod futurum est, vere aliquando prædicere poterat; vel casu, vel providentia divina ita ordinante.

V. 5. LAMENTATIONES. Multi auctores, quos refert Salian. anno mundi 3425. num. 12. putant hic sermonem esse de Lamentationibus Ieremiæ, quæ etiamnum extant, quarum initium est, *Quomodo sedet sola civitas*, &c. sed verius est, eas quas hic memorat sacer textus, non extare. Vide Salian. ib. num. 13. & 14. & Cornel. a Lapide in Lament. Ieremiæ initio, ubi quærit quodnam sit Threnorum argumentum. ET QUASI LEX OBTINUIT IN ISRAEL, ut scilicet certo tempore hæc lamentatio instauretur, & Ieremiæ cantica funebria replicentur a cantatoribus, & cantatricibus. ECCE SCRIPTUM FERTUR IN LAMENTATIONIBUS. Olim videtur lamentatio qua Ieremias Iosiam luxit adiuncta fuisse aliis eiusdem lamentationibus. Sensus ergo videtur esse: Ecce carmen lugubre Ieremiæ habes cum eius Lamentationibus.

V. 26. MISERICORDIARUM EIUS. Vide dicta supra cap. XXXII. num. 32. QUAE LEGE PRAECEPTA SUNT DOMINI. Hebr. habet, *Sicut scriptum est in lege Domini*; & sensus est: Iustitia, & probitas eius legi divinæ, quam servabat consentanea.

TIRINI.

Vers. 3. PONITE ARCAM IN SANCTUARIO. Hæc enim tempore vel Manasse, vel Amon submota fuerat e templo, ne simul cum idolis esset. Traduntque Hebræi, teste sancto Hieronymo *a*, illam in domo Sellum avunculi Ieremiæ, & mariti Oldæ Prophetidis, capite præced. versu 22. tantisper depositam fuisse, sed nunc a Iosia iussam templo restitui per sacerdotes, & Levitas. Quibus perfunctis eo officio Rex ait: NEQUAQUAM EAM ULTRA PORTABITIS, seu e templo efferetis: quare liberi ab illo onere, & cura totos vos impendite ministerio sacrificiorum, & instructioni populi.

V. 11. ASPERSERUNT SACERDOTES SANGUINEM in altari, ut moris erat, ET LEVITAE DETRAXERUNT PELLES HOLOCAUSTORUM. Sicque præ-

præparabant hostias, ut a sacerdotibus tantum demembrandæ essent, & ignibus immittendæ. Et

V. 12. SEPARAVERUNT EA (holocausta) UT integre OFFERENTUR, & cremarentur DOMINO a reliquis; hostiis, quæ DANDAE erant SINGULIS offerentium, PER DOMOS ET FAMILIAS. Postquam enim secrevissent ex omni numero tot quot opus erat ad holocausta, reliqua pecora dederunt populo, ut inde immolarent phase, & convivia celebrarent.

V. 5. PROPHETAE REGIS, Hebraicæ, *Videntes Regis*, vocantur tam ii per quos Rex consueverat consulere Deum, quam ii qui coram Rege canere in templo solerent. Ita fere sanctus Hieronymus.

V. 21. CONTRA ALIAM PUGNO DOMUM, nempe *contra Regem Assyriorum*, ut dicitur IV. Regum XXIII. versu 29. AD QUAM ME DEUS FESTINATO IRE PRAECEPIT. Sanctus Hieronymus putat, Ieremiam Prophetam sic faciendum monuisse, simulque Iosiam ne resisteret AEgyptio, deterruisse. Quod cum AEgyptio innotuisset, repetit hic & inculcat Iosiæ, sed frustra. Reliqua huius capitis vide IV. Regum XXIII.

V. 25. QUASI LEX OBTINUIT IN ISRAEL. Id est, in stabilem consuetudinem, immo quasi in legem abiit, ut *omnes cantores & cantatrices*, quoties lugubri carmine volunt adversum casum aliquem lugere, utantur verbis eius næniæ, seu lamentationis, quam Ieremias in morte Iosiæ composuit. Quam si nosse vis qualis sit, ECCE SCRIPTUM FERTUR, seu scripto extat, IN LAMENTATIONIBUS IEREMIAE, quarum postrema pars tota[a] est de morte Iosiæ.

(a) Hieronym. supra.

GORDONI.

Vers. 13. DISTRIBUERUNT. Sepositis his quæ ex lege sunt destinata sacrificio, dederunt reliquum populo, unde fieret solitum convivium.

V. 22. NON ACQUIEVIT SERMONIBUS. Notat Hieronymus in traditionibus monitum fuisse Iosiam a Ieremia, ne iret contra Nechao, & hoc innotuisse Regi Nechao. MAGEDDO. Vide IV. Reg. XXIII. 30.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

V. 3. AD QUORUM ERUDITIONEM OMNIS ISRAEL SANCTIFICABATUR DOMINO. Vertit Vatablus: *Qui erudiunt omnem Israelem, quique sancti erant Domino*. Sane ut sancti erant Domino, sic ad sanctitatem erudiebant populum. PONITE ARCAM. Erat sub Ammon Rege extra templum. NEQUAQUAM... PORTABITIS. Nam manebit reclusa.

V. 4. DIVISIONIBUS, ordinibus; classibus positis a Davide.

V. 8. COMMIXTIM, partim ex una specie, partim ex alia.

V. 20. ASCENDIT. Vide IV. Reg. XXIX. & XXX.

V. 25. LAMENTATIONES. Non sunt hæ lamentationes Ieremiæ, quas nunc habemus, sed alias quæ non extant intellige.

CAPUT XXXVI.

Iosiæ succedit eius filius Ioachaz: quem Rex AEgypti transfert in AEgyptum, fratremque EliaKim, quem IoaKim nominat, substituit: quo in Babylonem ducto, regnat filius Ioachin, & hunc Rex Assyriorum una cum vasis templi in Babylonem abducit, patruumque illius impium Sedeciam substituit: qui Assyriis rebellans, templo ac Ierusalem incensis, transfertur una cum populo in Babylonem, propter Regum & populi peccata, donec per Cyrum Regem Persarum redeundi datur facultas.

1. TUlit (*a*) ergo populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & constituit Regem pro patre suo in Ierusalem. 2. Viginti trium
annorum erat Ioachaz cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Ierusalem. 3. Amovit autem eum Rex
AEgypti cum venisset in Ierusalem, & condemnavit terram centum talentis argenti, & talento auri. 4. Constituitque
pro eo Regem, (*b*) EliaKim fratrem eius, super Iudam & Ierusalem: & vertit nomen eius IoaKim: ipsum vero Ioachaz tulit secum, & abduxit in AEgyptum. 5. Vigintiquinque annorum erat IoaKim cum regnare
cœpisset, & undecim annis regnavit in Ierusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo. 6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum,
& vinctum catenis duxit in Babylonem. 7. Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo. 8. Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum eius, quas operatus est, * & quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro Regum Iuda & Israel. Regnavit autem Ioachim filius eius pro eo. 9.
Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Ierusalem fecitque malum in conspectu Domini. 10.
Cumque anni circulus volveretur, misit Nabuchodonosor Rex, * qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. (*c*) Regem vero constituit Sedeciam patruum eius super Iudam & Ierusalem. 11.
Viginti & unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Ierusalem.
12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui; nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini. 13.
A Rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiuraverat eum per Deum: & induravit cervicem suam & cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel. 14.
Sed & universi principes sacerdotum, & populus prævaricati sunt inique iuxta universas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Ierusalem. 15.
Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens: eo quod parceret populo & habitaculo suo. 16.
At illi subsannabant nuntios Dei, & parvipendebant sermones eius, illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio. 17.
Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum & interfecit iuvenes eorum gladio * in domo sanctuarii sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius. 18.
Universaque vasa domus Domini tam maiora, quam minora: &

thesauros templi, & Regis, & principum, transtulit in Babylonem. 19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ierusalem, universas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. 20. Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum. 21 Et compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. 22. (d) Anno autem primo Cyri Regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: qui iussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: 23. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa: quis ex vobis est in omni populo eius? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.

(a) IV. Reg. xxii. 30. (b) Matth. 1. 14. (c) IV. Reg. xxiv. 15. Ierem. xxxvii. 1. (d) Ierem. xxv. 12. & xxix. 11. I. Esd. 1. 1. & vi. 3.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Et quæ inventa sunt in eo*. Participium neutrum *inventa*, non est commutandum cum feminino *inventa*.

V. 10. *Qui adduxerunt eum in Babylonem*. Non interponas &: *qui & adduxerunt*.

Ibid. *Regem vero constituit Sedeciam patruum eius*. Retinendum est nomen patruum, quod est, patris fratrem: sic enim recte exposuit Interpres, quod Hebraice legitur *fratrem*.

V. 17. *In domo sanctuarii sui*. Non omittas pronomen *sui*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 3. VENISSET, scilicet post tres menses a morte Iosiæ.

V. 4. IERUSALEM, scilicet quæ sedes regni.

V. 6. DUXIT; id est, decrevit ducere, postea vero mutato consilio occidit. Vide Ierem. XXII. Vel duxit semel, sed remisit, & postea Ierosolymis interemit.

V. 8. VERBORUM, id est rerum, seu gestorum. INVENTA, scilicet stigmata quæ sibi in honorem idolorum impresserat; vel quasi dicat, Opera quæ deprehensum est fecisse. IOACHIN FILIUS. LXX. *Iechonias filius*.

V. 19. COEPISSET, scilicet cum patre, cum quo annis decem regnavit. Quidam tamen legendum putant *decem & octo*, ut dicitur IV. Reg. XXIV. REGNAVIT, scilicet solus mortuo patre.

V. 10. VOLVERETUR, scilicet a capto Ioakim. PATRUUM: sic etiam Septuaginta. At Hebr. & Complut. *fratrem*, id est cognatum.

V. 12. NEC ERUBUIT, &c. quasi dicat, Neglexit monita ad pœnitentiam hortantis. Hebr. *Nec humiliatus est a facie*, id est coram.

V. 15. DE NOCTE. Hebr. *manicando*; quasi dicat, Mature, & diligenter. PARCERET, id est parcere vellet.

V. 16. NUNTIOS; id est Prophetas. CURATIO, id est remedium.

V. 21. CELEBRARET TERRA SABBATA, id est quiesceret, seu feriaretur.

V. 22. SPIRITUM, id est cor, seu animam.

V. 23. PRAECEPIT MIHI: scilicet legerat Isaiæ cap. XLV. ostendente Esdra. QUIS EX VOBIS, scilicet qui ascendere velit Ierusalem.

ES-

ESTII.

Verſ. 5. **V**IGINTI QUINQUE ANNORUM ERAT IOAKIM: & verſu ſeq. CONTRA HUNC ASCENDIT NABUCHODONOSOR REX CALDAEORUM, ET VINCTUM CATENIS DUXIT IN BABYLONEM. IV. Reg. XXIV. dicitur de eo: *Et dormivit Ioakim cum patribus ſuis:* & rurſum Ieremias cap. XXII. ſic quoque de eo vaticinatur: *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ieruſalem.* Quæ loca ut intelligantur mutuo non contrariari, ſciendum eſt quod Nabuchodonoſor hunc Regem Ioakim ceperit captivum, & vinxerit catenis, ad hoc ut duceret eum in Babylonem; attamen poſtea, mutato conſilio, eo quod rebellaverat contra ipſum, & rupiſſet pactum cum eo initum, iuſſit eum interfici, & cadaver extra muros Ieruſalem inſepultum proiici; quemadmodum & refert Ioſephus in Antiquitatibus Iudaicis. Quod ergo habemus, *Vinctum catenis duxit in Babylonem*; alii ex Hebræo clarius vertunt: *Vinxit eum catenis duabus, ut duceret in Babylonem.* Quod vero in Lib. Reg. dicitur, *Dormivit cum patribus ſuis*, non ſepultura ſignificatur, aut locus ſepulturæ; quaſi corpus eius appoſitum fuerit in ſepulcris patrum; ſed tantum ſignificatur eum mortuum fuiſſe, ſicut patres eius mortui erant.

V. 8. RELIQUA VERBORUM IOAKIM, ET ABOMINATIONUM EIUS, QUAS OPERATUS EST, ET QUAE INVENTA SUNT IN EO, &c. In Hebræo habetur ſingulariter, (*Quod inventum eſt in eo.*) Et intelligi volunt tum Hebræi, tum etiam multi Chriſtiani expoſitores, quod inventa ſunt in corpore eius quando inſepultum abiectum fuit, ſtigmata quædam, quæ corpori ſuo imprimi curaverat in honorem idolorum quæ colebat. Nempe ſicut etiamnum hodie impoſtores quidam hominibus credulis, & ſuperſtitioſis quædam ſigna, & figuras ſeu imprimunt, ſeu tradunt, quaſi ad certos quoſdam effectus valitura, ita olim, in primis cultores idolorum, ſibi aliqua huiuſmodi ſigna imprimere ſeu incidere ſolebant. Poteſt tamen etiam intelligi ſecundum conſuetam Scripturæ phraſim hoc modo: *Et quæ inventa ſunt in eo*; id eſt, quæcumque deprehenſus eſt commiſiſſe. Sic Pſal. XVI. dicitur: *Non eſt inventa in me iniquitas*: & Dan. V. *Scientia & ſapientia inventa ſunt in eo*, &c.

V. 23. HAEC DICIT CYRUS REX PERSARUM: OMNIA REGNA TERRAE DEDIT MIHI DOMINUS DEUS CAELI, ET IPSE PRAECEPIT MIHI. Vide capite præcedenti verſu 21. ubi explicatur quomodo Deus aliquando legatur quædam indicaſſe, vel præcepiſſe gentilibus: quibus hoc adde, quod præceptum Cyro factum a Deo, intelligi etiam poſſit: ſcilicet quod ex Iſaiæ prophetia, ſibi a Iudæis exhibita, in qua Cyrus proprio nomine deſignatus erat (Vide cap. XLIV. & XLV.) intellexerit hoc Deum a ſe poſtulare.

MARIANAE.

Verſ. 3. **A**MOVIT AUTEM EUM REX AEGYPTI CUM VENISSET IN IERUSALEM. Hebr. *Et amovit eum Rex AEgypti in Ieruſalem.* Hieronymus ſupplevit illud, *Cum veniſſet.* Sept. dixerunt: *Et amovit eum Rex AEgypti, ne regnaret in Ieruſalem*, ſcilicet Ioachaz.

V. 4. IOAKIM, per Koph, & Mem in fine. Hunc AEgyptius Rex conſtituit pro fratre.

V. 5. VIGINTIQUINQUE ANNORUM. Hinc colligunt Ioakim fuiſſe maiorem natu fratre ſuo Ioachaz; nam Ioachaz erat viginti trium annorum, verſ. 2. de quo IV. Reg. XXIV. & fortaſſe id ſecutus Nechao, Regem Ioachaz amovit.

V. 6. CONTRA HUNC ſcilicet Ioakim, ASCENDIT NABUCHODONOSOR, duxit eum Babylonem, VINCTUM CATENIS. Sept. *æreis compedibus*: ſic Pagn. ſic Hieronymus ipſe vertit eamdem vocem נחשתים *nehcuſtaim*, cap. XXXIII. 11. Hebræus Scholiaſtes ait eſſe inſtrumentum, quo pedes vinciunt, & *cippum* Latini vocant, nos *cepo*. DUXIT IN BABYLONEM. Hebr. *Ad ducendum in Babylonem*; neque tamen eo pervenit, quippe in itinere extinctus: ſic Hebræus ex Seder Holam. Nimirum, quoniam Ieremias ait cap. XXII. verſ. 19. *Sepultura aſini ſepelietur*, proiectus extra portas Ieruſalem. Sed & in Sept. iuxta edi-

ticnem Rom. verſ. 8. dicitur: *Et dormivit Ioacim cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Ganozae cum patribus ſuis*: quæ neſcioquo pacto cohærere poſſint. Hic regnavit undecim annis.

V. 7. VASA DOMINI. Hebr. *domus Domini*: ſic Sept. Tranſtulit Nabuchodonoſor Babylonem. Succeſſit

V. 8. IOACHIN FILIUS EIUS. *Ioachin* ſcribitur per Caph, & Nun in fine.

V. 9. OCTO ANNORUM. IV. Reg. XXIV. 8. dicitur fuiſſe decem & octo annorum: Hebræi dicunt cum patre regnaſſe decem annis. Ita quando cum patre regnare cœpit, erat octo annorum, ut hic dicitur; quando ſolus, decem & octo, ut in Lib. Reg. ſolus tribus menſibus regnavit, quod utrobique dicitur. Hic tamen adiiciuntur decem dies TRIBUS MENSIBUS, AC DECEM DIEBUS REGNAVIT.

V. 10. CUMQUE ANNI CIRCULUS VOLVERETUR. Sept. *Et vertente anno*. Hebr. *Et ad reverſionem anni*: quod non intelligas factum fine anni, ex quo cœpit regnare Ioachin, qui & Iechonias, neque enim tamdiu regnavit; ſed verum anni initium intellige, quod erat menſe Niſan, quando ad bella, aperiente ſe vere, ſolent procedere. Tunc Nabuchodonoſor eum duxit Babylonem. RECEM VERO CONSTITUIT SEDECIAM PATRUUM EIUS. Hebr. *fratrem eius*. Sic Gotth. & Regia. At IV. Reg. XXIV. 17. *patruum eius*. Nimirum *fratris* ſignificatio Hebræis late patet. Sept. *fratrem patris eius* dixere, & vere.

V. 12. NEC ERUBUIT FACIEM IEREMIAE. *Non ſe humiliavit* (id eſt convertit) *coram Ieremia Sedecias*, præter alia mala quæ fecit.

V. 15. DE NOCTE CONSURGENS, ET QUOTIDIE COMMONENS, Deus ſcilicet per Prophetas. Hebr. *Mane ſurgendo, & mittendo*. Diligens paterfamilias. EO QUOD PARCERET, id eſt vellet parcere populo. Illi irridebant Prophetas: ſic factum, ut aſcenderet furor Domini.

V. 16. ET ESSET NULLA CURATIO, ſcilicet per pœnitentiam, nulla ſpes melioris vitæ ſupereſſet. Adduxit Nabuchodonoſor, qu

. 17. INTERFECIT IUVENES EORUM GLADIO IN DOMO SANCTUARII SUI. Hebr. *ſanctuarii ipſorum*: ſcilicet in templo interfecit eos. Templum polluerant, in templo interficiuntur *iuvenes eorum*, ſeu *electi*. Hebr. *baburim*.

V. 19. INCENDERUNT HOSTES. *Hoſtes* additum. TURRES. Sic Sept. Hebr. *Palatia eius*. QUIDQUID PRETIOSUM FUERAT, DEMOLITI SUNT. Hebr. *Et omnia vaſa deſideriorum eius* (id eſt pretioſa) *ad perdendum*, vel *ad perditionem*: ſcilicet ceperunt ea ut perderent, demolirentur. Sic factum, ut complerentur verba Ieremiæ.

V. 21. ET CELEBRARET TERRA SABBATA SUA. Hebr. *Vellet terra ſabbata ſua*, id eſt quieſceret, quoniam deſolata iacuit eo tempore. Ante deſolationem ſabbata cuſtodire is populus noluit, poſt deſolationem cogitur ea cuſtodire, quia non erat qui operaretur. USQUE DUM COMPLERENTUR SEPTUAGINTA ANNI. Hebr. *Ad implendum ſeptuaginta annos*. Sed bene Hieronymus ſententiam expreſſit, *Ad complendum*; id eſt, quouſque complerentur. Poſt hæc ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum,

V. 23. ET IPSE PRAECEPIT MIHI. Cyri verba. Hebr. *Viſitavit ſuper me*, Deus ſcilicet. Verum *viſitandi* verbum Hebr. inter multa *præcipere* ſignificat. Nimirum legerat Iſaiæ cap. XLV. 1. ubi nomen eius exprimitur, quod miraculo fuit. Porro verba, quibus clauditur hic Liber, ab iiſdem inchoat Eſdræ Liber, argumento utriuſque unum auctorem eſſe, ſcilicet Eſdram. Ab illis verbis verſ. 32. *Anno autem primo Cyri*, inchoat Eſdræ Liber.

MALVENDAE.

Verſ. 1. TULIT ERGO POPULUS TERRAE, &c. Quinque hos priores verſus confer cum II. Reg. XXIII. verſ. 30. & ſequentibus uſque ad finem capitis: nam idem argumentum continent: illuc adeundi Comm.

V. 3. AMOVIT AUTEM EUM REX AEGYPTI CUM VENISSET IN IERUSALEM. Hebr. *Et diſcedere fecit eum Rex AEgypti in Ieruſalaim*. Nihil hic de adventu Nechonis in Ieruſalaim exprimitur: & alioqui Ioſephus inquit Lib. X. cap. IX. 7. *AEgyptiorum Rex a bello* (Charche-

chemisio) *revertens accersitum ad se in urbem Syriæ Hamatham* (meus habet *Samatham*) *vinxit* . Quidam : *Et removit eum Rex AEgypti , ne regnaret in Ierusalaim* . Alii: *Quem amovit Rex AEgypti Ieruschalaimis* , captivum abducens eum Riblam II. Reg. XXIII. 33. Vide Comm. ibi.

V. 6. CONTRA HUNC ASCENDIT NABUCHODONOSOR, &c. Hunc versum , & quatuor sequentes , confer cum II. Reg. XXIV. a verf. 1. usque ad 17. inclusive: nam eamdem historiam continent , sed ibi fusius explicatam. ET VINCTUM CATENIS DUXIT IN BABYLONEM. Hebr. *Et ligavit eum cum duabus numellis æreis ad ire facere eum in Babyloniam*. Notant, vinctum quidem fuisse ut deduceretur, sed non eo usque deductum ; sed in itinere mortuum , vel interfectum in urbe, cadaverque eius extra portas Ierusalaim abiectum, & sepultura asini sepultum, ex vaticinio Ieremiæ XXII. verf. 18. & 19. Iosephus Lib. X. cap. VIII. *Nabuchodonosorus florem iuventutis Ierosolymitanæ una cum ipso Rege interfecit : quem etiam insepultum extra mœnia iussit proiici* . Alii hariolantur revera deductum in vinculis Babyloniam ; sed postea inde reductum , & interfectum Ierosolymis , & cadaver eius insepultum proiectum extra urbem . Sed sunt hæc futilia.

V. 7. ET POSUIT EA IN TEMPLO SUO. Hebr. addunt , *in Babylone* . Hunc locum mirifice illustrant verba Berosi de Nabuchodonosore apud Iosephum Lib. I. contra Appionem pag. 1044. *Ipse vero ex manubiis templum Beli, ac reliqua munificentissime excoluit*.

V. 8. ET ABOMINATIONUM EIUS. Cultum idolorum, & defectionem a vero Deo intelligit . ET QUAE INVENTA SUNT IN EO . Hebr. *Et quod inventum est super eum*. Hebræi exponunt; id est , in corpore eius, cum iam mortuus esset: nempe notas quasdam inustas , seu stigmata idolorum, quæ colebat: quod moris fuisse idolorum cultoribus , late observavimus Lib. IX. de. Antichristo, cap. XXXI. Vide Comm. in Levit. XIX. verf. 28. Alii : *Et quod deprehensum est in eo* : rebellionis crimen, II. Reg. XXIV. I.

V. 9. OCTO ANNORUM ERAT IOACHIN , &c. At II. Reg. XXIV. verf. 8. diserte scribitur: *Decem & octo annorum erat Ioachin* , &c. Conciliant . I. Hic codices Hebræos , Græcos , & Latinos culpa exscribentium depravatos , ac restituendos e II. Reg. *Decem & octo annorum erat Ioachin* , &c. sed id genus conciliandi , vile admodum & indignum iudicio iam eruditorum censetur. II. Hebræi, & plerique nostrorum aiunt, eum cum patre regnasse decem annos; & sine patre solum tres menses, & dies decem. Ergo cum regnare cœpit cum patre , erat natus octo annos, ut hic dicitur; cum vero solus mortuo patre regnare cœpit , octodecim annorum erat, ut dicitur II. Reg. III. Tremellius, & Iunius : *Natus octo annos Iehoiacin , cum ille regnare inciperet . Ille*, id est pater huius: nam ipse cum regnare cœpit, octodecim annorum erat, II. Reg. XXIV. 8. Vide similem locutionem II. Reg. XVI. 2. Sed ego vanissimam & alienissimam ab usu Scripturæ hanc conciliandi rationem esse existimo: nam quando , aut quorsum Scriptura ætatem filiorum Regum annotare solet , cum patres regnum auspicantur ? aut cum Reges regnum occipiunt , eorum ætatem describere cuius erant, cum patres ipsorum regno inaugurarentur? id enim extra rem omnino esse videtur.

V. 10. CUMQUE ANNI CIRCULUS VOLVERETUR . Hebr. *Et in reversione anni*. Quidam, *Post revolutionem autem illius anni* ; id est, evoluto anno a captivitate, seu morte Iehoiakim, supra verf. 6. Unde coniectantur aliquot mensium interregnum incidisse inter mortem Iehoiachim & inaugurationem filii eius Iehoiachin , qui tantum tribus mensibus , decemque diebus rerum potitus est . Sed nihil horum opus est si reddamus : *Itaque vertente anno misit Rex* , &c. id est , decurrente anno, seu in decursu anni illius, quo regnare cœpit Iehoiachin : nempe post tres menses , & decem dies regni illius . SEDECIAM *fratrem* EIUS , id est cognatum : nam *patruus* , seu avunculus eius erat . Vide II. Reg. XXIV. verf. 17. & I. Paralipom. III. verf. 15.

V. 11. VIGINTI ET UNIUS ANNI ERAT SEDECIAS , &c. Vide II. Reg. XXIV. 18.

V. 12. NEC ERUBUIT FACIEM IEREMIAE PROPHETAE , LOQUENTIS AD SE EX ORE DOMINI . Hebr. *Nec de-*

depressit se a facie Iirmeiahu Prophetæ, loquentis, ex ore Domini, seu *ex verbo Dei*; id est, non egit pœnitentiam adhortante & admonente eum Ieremia Propheta verbis Iehovæ.

V. 13. A REGE QUOQUE NABUCHODONOSOR RECESSIT. Hebr. *Et etiam in Regem Nabuchadnetzar rebellavit*. Vide Ieremiæ XXVII. vers. 12. & sequentibus. QUI ADIURAVERAT EUM PER DEUM; id est, qui interposito iuramento fidem subiectionis ab eo exegerat: qui eum sibi beneficiarium, & stipendiarium sacramento adegerat.

V. 15. MITTEBAT AUTEM DOMINUS, &c. Vide Ieremiæ XXV. vers. 3. & 4. DE NOCTE CONSURGENS, ET QUOTIDIE COMMONENS. Hebr. *Manicando, & mittendo*; vel *diluculo surgendo, & mittendo*. Notant esse metaphoram a diligenti patrefamilias; quasi dicat: Quotidie exhortando, & admonendo eos per Prophetas suos, quos mittebat ad eos. Quidam reddunt, *Inde a diluculo continenter*: occurrit hæc phrasis passim in Ieremia Propheta.

V. 16. AT ILLI SUBSANNABANT NUNTIOS DEI. Hebr. *Et fuerunt* מלעיבים *malghibim in legatis Dei*. Verbum לעב *laghab* non alibi extat in sacris litteris nisi hic in participio Hiphil. Varie reddunt. I. *Et fuerunt irridentes, deridentes, subsannantes nuntios Dei*: in qua significatione id verbum Syris, & Arabibus usurpatur; & ipsis etiam Chaldæis paraphrastis sacrorum Librorum. II. *Et fuerunt præcipites in nuntios Dei*; id est, præcipitanter irruebant, præcipites ferebantur in nuntios Dei, ut eos perderent. III. *Et fuerunt ludificantes, illudentes, contumelia afficientes, labem aspergentes, in nuntios Dei*. Aucupantur consonantiam vocum, ut *laghab*, sit *labem aspergere*, vel *labefactare*. IV. Cum istud verbum exemplo in Scriptura careat, tutior eorum mihi sententia videtur, qui cum transposito בלע *balagh* conferunt, quidquid alii dicant: *Et fuerunt absorbentes, deglutientes, ingurgitantes, devorantes, præcipitantes, in nuntios Dei*: ingenti sensu; quasi dicat: Tanto impetu ferebantur in nuntios Dei, ut eos viderentur absorbere, deglutire, devorare, in profundissimum barathrum præcipitare, ubi penitus haurirentur, ac demergerentur, seu perderentur, ne amplius emergerent, aut extarent. Et coniugatio Hiphil proculdubio sensum intendit; id est, immaniter præcipitabant in illos, & præcipites agebant. ET PARVIPENDEBANT SERMONES EIUS. Est hic aliud participium: *Et spernentes, contemnentes, despicientes, proculcantes animo, & alto supercilio dedignantes, verba eius*. ILLUDEBANTQUE PROPHETIS. Tertium hic participium, quod varie Hebraice legitur: מתעתעים *methaghteghbim* geminatum ex Pihel, *Et errare facientes in Prophetis eius*, vel *Prophetas eius*; id est, negantes, & persuadentes aliis, eos non esse veros Prophetas. Alii: *Et errantes in Prophetis eius*: eodem sensu: vel non obtemperantes eis. Alii codices & præstantiores habent, מתעתעים *mittaghteghbim*, ex Hithpahel, Thau coniugationis, ut fit, absorpto per *Daghes* in Thau radicali; id est, *Et errare se facientes in Prophetis eius*. Quidam: *Et semetipsos seducentes*, vel *& seducebantur, in Prophetis eius*; id est, cum Prophetas Dei haberent, qui eos sedulo admonerent; studio tamen affectabant errorem, seductionem, & obcæcationem: hæc enim est vis illius participii, ex forma quadrata, & ex coniugatione. Alii: *Et quasi impostores agentes, & sese exhibentes in Prophetis eius*; hoc est, quasi impostores & plani verba Prophetarum eludebant, & cavillabantur. Nonnulli: *Et dicebant se circumduci, & circumveniri per Prophetas eius*: querebantur sibi imponi, & se seduci a Prophetis Dei.

V. 17. NEC DECREPITI. ישש *iaschesch*, aiunt esse *antiquum, vetulum, grandævum, longævum, decrepitum*, a יש *iesch*, quasi existentem, qui diu existit, qui ducit vitam diu existentem, efficacem, vegetam: vel ab אשיש *aschisch*, quod senes sint bene fundati, & compacti, seu assati, aut coassati annis: sive quod sint fundamenta, ut axes, seu asses reipublicæ.

V. 20. ET FILIIS EIUS. Exponunt, Id est filio eius Evilmerodacho, & nepoti eius Belsatzari. Vide Ieremiæ XXVII. vers. 7. & Daniel. V. vers. 1. & 2. DONEC IMPERARET REX PERSARUM. Hebr. *Usque ad regnare regnum Pharas*. Quidam: *Donec regnavit regnum Persidis*. Alii: *Usque dum obtineret monarchias Persidis*; id est, donec everso imperio Chal-

dæo-

dæorum, Cyrus monarchiam Persarum fundaret. *Tharas* cum Samech, Persis, vel Persia dicitur: egregie Hebraicum etymon congruit, quod regio ab altero latere perpetuis montium iugis claudatur, angustiis, & pylis, rupibus abscissis, & undequaque præruptis impedita, uti late describit Q. Curtius Lib. V. Rerum Alexandri, cap. III. & IV. Diodorus Siculus Lib. XIX. num. 680. *Persia longis convallibus intercisa est*. *Regionem asperam* vocat Herodotus Lib. I. num. 71.

V. 21. SERMO DOMINI EX ORE IEREMIAE. Vide totum cap. XXV. Ieremiæ præsertim vers. 11. & 12. & cap. XXIX. 10. ET CELEBRARET TERRA SABBATA SUA. Hebr. *Donec acceptavit terra sabbata sua*. Hanc locutionem elucidatam habes in Comm. ad Levit. XXVI. vers. 34. hic tamen diversimode exponunt. I. *Usque voluit terra sabbata sua*. II. *Donec perficeret terra sabbata sua*. III. *Donec placitum esset terræ in sabbatis suis*. IV. *Donec acquievisset terra sabbatis suis*. Quæ sint *sabbata terræ*, & quid *terram* sabbatizare, seu sabbatum agere, id est cessare, & requiescere, explicavimus in Levit. XXV. 2. nempe incultam omnino manere. USQUE DUM COMPLERENTUR SEPTUAGINTA ANNI. Hebr. *Ad complendum septuaginta annos*. Aliqui, *Complendo septuaginta annos*. Ingens hic quæstio. Quidam a deportatione Iehoachinis, seu Iechoniæ, supra vers. 10. & II. Reg. XXIV. vers. 12. & sequentibus, eos ordiuntur; e Ieremiæ XXIV. vers. 5. & 6. & cap. XXIX. vers. 10. Ezechiel. XL. vers. 1. tum etiam ex Chronologia externa Regum Babyloniæ. Alii a capto Tzidkiia, & everso templo, supra vers. 19. & 20. & II. Reg. XXV. vers. 2. & sequentibus. Discrimen tantum est undecim annorum. Hanc nos sententiam magis consentaneam Scripturis, & ecclesiasticis auctoribus existimavimus Lib. II. de Antichristo, cap. XV.

V. 22. ANNO AUTEM PRIMO CYRI REGIS PERSARUM. Recentiores chronologi volunt, hunc annum fuisse vigesimum nonum currentem regni Cyri in Perside; sed dici primum in Scriptura, nimirum a restituta libertate Iudæis, & a plena Cyri monarchia per totam Asiam, devictis Bactris. Alii hæc ut futilia refutant. Adeundi Chronologi, qui innumeri suppetunt: nam sunt hic inextricabiles nodi. CYRI. Hebr. כורש *coresch*, cum Caph & Scin. Plutarchus in Artaxerxe: *Cyro a Sole aiunt inditum nomen: Cyrum enim vocare Persas Solem*. Accepit a Ctesia in Persicis excerptis, num. 48. Hebræis quidem חרס *Cheres* est *sol*; sed cum Cheth, & Samech, litteris eiusdem instrumenti, diversis tamen a *Coresch*, Cyro. Si Medico vel Persico vocabulo libeat Hebraicum etymon affingere, fortasse sic dictus fuit ab ingluvie; seu quod ventre proiecto, seu obeso fuerit, ut Vitellius imperator apud Suetonium, cap. XVII. Suidas: *Cyrus Persarum Rex ita vocatus est, quod in ludo, qui Basilinda vocatur, suorum æqualium dominatum adeptus fuisset*. Cyros enim Græcis dominatum significat. De ludo Basilinda vide Herodotum Lib. I. numero 114. & Iustinum Lib. I. Rabbini nugantur, Cyros Persice esse canem, quod Cyrus a cane sit eductus, ut Iustinus refert. Sed canem Medi, & Persæ *Spacon* vocant, eodem Herodoto, ac Iustino testibus. Scaliger VI. de Emendationibus Temporum, pag. 549. *Cyrum quidem a Sole dictum vult Plutarchus in Artaxerxe, quod a Ctesia accepit: ita enim scribit Ctesias de uxore Darii Nothi: Ex eadem etiam regnante alterum suscepit marem, & ei nomen Cyri a sole est impositum. Sed sæpe imponunt nobis Græci vel prudentes, vel imprudentes. Cyrus enim scribitur Choresch, at sol Persice est choresched. Itaque idem non est. Nam sane similitudo vocis imposuit Ctesiæ homini Græco. Parum enim differunt Choresch, & choresched: choresch vero Persice nos scimus esse cibum, alimoniam. Et omnia ad illud exemplum sunt, quæ Grammatici vocant verbalia. An inde dictus sit magnus ille Persarum Rex, equidem affirmare non audeo. Quod tamen dixi verum est*. Homo vanus, qui semper plus videri scire, quam sciat, avet. Et unde novit ipse Persicam veterem linguam eamdem esse quæ nunc est sine ulla luxatione post tot annorum centurias, & varias regnorum bellorumque mutationes. Vult nobis ostentare peritiam linguæ Persicæ, merum fumum. QUI IUSSIT PRAEDICARI IN UNIVERSO REGNO SUO. Hebr. *Et transire fecit*, seu *transmisit*, *vocem in toto regno suo*; id est, voce præconis edixit per totum regnum suum. Aliqui: *Qui edi-*

ctum

ctum promulgavit per totum, &c. ETIAM PER SCRIPTURAM. Hebr. *Et etiam in scripto*. Quidam, *Idque etiam in scripto*; quasi dicat, Edicto ipso scripto, non tantum voce præconis denuntiato.

V. 23. ET IPSE PRAECEPIT MIHI. Hebr. *Et ipse visitavit super me*. Alii reddunt: *Et ipse ordinavit*, *demandavit*, *commisit mihi*, vel *præfecit me*. Hunc locum Iosephus ita illustrat: *Deus excitato ad id Cyri animo, effecit, ut ille in hunc modum, per universam Asiam scriberet: Hæc dicit Cyrus Rex: Quoniam me Deus maximus orbis Regem constituit, hunc illum esse credo, quem Israelitarum adorat populus. Is enim nomen meum per suos Prophetas prædixit, & quod templum eius ædificaturus sim Ierosolymis in terra Iudæa: hoc autem Cyrus cognovit ex lectione libri qui Isaiæ prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipsius ætatem conscriptas. Hic enim secretum hoc Deum sibi indicasse dixit, quod vellet Cyrum, quem multarum ac magnarum gentium Regem declaraturus esset, remittere populum suum in terram Iehudæam, & templum suum ædificare denuo. Hæc Isaias prædixit centum quadraginta annis antequam templum devastatum est. Quibus lectis Rex admiratus vatis divinitatem, correptus est cupidine exequendi quæ scripta legerat*. Suspicantur aliqui, forte ab Hezra, vel nobili aliquo Iudæo, oblatum Cyro librum Isaiæ legendum. QUIS EX VOBIS EST IN OMNI POPULO EIUS. Hebr. *Quis in vobis de omni populo eius?* Subaudiunt, quem Deus incitet, vel cuius cor moveat, ut revertatur in Ierusalaim? Aliqui: *Quis inter vos de toto populo eius est ædificaturus?* ET ASCENDAT. Hebr. *Et ascendit*. Præterito usus videtur, ad certitudinem, & alacritatem redeundi in patriam significandam; quasi dicat: Iam iam, nulla interposita mora, aut impedimento, certissime ascensurus est. Alii: *Ut ascendat*, vel *& ascendet*.

Valentiæ, 8. Iunii, 1624. ætatis meæ 59.

MENOCHII.

Vers. 1. TULIT ERGO POPULUS TERRAE, &c. Quæ hic habentur duodecim primis versiculis huius capitis clara sunt ex dictis IV. Reg. cap. XXIII. a num. 33. & deinceps, & II. Paral. III. num. 15. & 16. ubi Iosiæ filiorum, qui post illum regnarunt, seriem posuimus.

V. 8. INVENTA SUNT IN EO. Vide dicta IV. Reg. cap. XXIV. num. 5.

V. 10. REGEM CONSTITUIT SEDECIAM. Vide dicta IV. Reg. cap. XXIV. num. 17.

V. 12. NEC ERUBUIT; quasi dicat: Neglexit monita ad pœnitentiam hortantis.

V. 13. QUI ADIURAVERAT EUM: qui iureiurando illum obstrinxerat. In Hebr. est: *Qui iurare fecerat eum per Deum*.

V. 14. QUAM SANCTIFICAVERAT SIBI IN IERUSALEM, quam sibi elegerat, & dedicatione solemni sibi sacrari voluerat.

V. 15. PER MANUM NUNTIORUM, Prophetas scilicet destinando. DE NOCTE CONSURGENS, Hebr. *manicando*; quasi dicat, Mature, & diligenter. PARCERET POPULO: parcere cuperet.

V. 16. NUNTIOS DEI, Prophetas scilicet. ESSET NULLA CURATIO: nullum esset remedium, illis curationem non admittentibus.

V. 20. DONEC IMPERARET REX PERSARUM, nimirum Cyrus, cuius mentio fit versiculo 22. sequenti, & I. Lib. Esdræ cap. 1. statim initio.

V. 21. SERMO DOMINI EX ORE IEREMIAE, qui post septuaginta annos reditum ex Babylonica captivitate pollicitus erat. Vide Ierem. cap. XXV. 12. & cap. XXIX. 11. CELEBRARET SABBATA SUA, inculta, & habitatoribus propemodum vacua, præsertim post occisum Godoliam.

V. 22. ANNO AUTEM PRIMO, &c. Quæ hic dicuntur usque ad finem capitis repetuntur initio Libri sequentis, primi scilicet Esdræ, ubi commodius explicabuntur.

TIRINI.

Vers. 6. NABUCHODONOSOR REX CHALDAEORUM, Ioachimum VINCTUM CATENIS DUXIT IN BABYLONEM; sed mox remisit Ierosolimam in regnum suum, ut colligitur ex IV. Reg. XXII. ubi & de infami eiusdem morte, ac sepultura: itemque de Ioa-

chini

chini filii eius successione, & in Babylonem translatione pluribus egi.

V. 9. OCTO ANNORUM ERAT CUM REGNARE COEPISSET, una cum patre suo: sed iam eo defuncto, cum solus regnare cœpit, erat octodecim annorum, ut habetur IV. Reg. XXIV. 8. Ita Hebræi. Solus autem non regnavit nisi tribus mensibus & decem diebus. Unde quod sequitur, abductum fuisse in Babylonem

V. 10. CUM ANNI CIRCULUS VOLVERETUR, intelligendum est, non ex quo regnare cœpit Ioachim (neque enim tamdiu regnavit) sed ex quo annus Iudaicus de more inchoatus fuerat, puta a mense Nisan. Ut idem sit atque sub finem eiusdem anni, cum duodecimus finiretur mensis anni, & quartus inchoaretur mensis regni Ioachin.

V. 13. Nabuchodonosor ADIURAVERAT Sedeciam PER DEUM, nempe ut fidelis esset Regi Babylonio, comminatus illi, si secus faxit iram non suam modo, sed & iusti vindicis Dei. In cuius etiam rei memoriam nomen illi novum indiderat *Sedeciæ*, quod significat *iustitiam Dei*; ut dixi IV. Reg. XXIV. 17.

V. 15. Porro DE NOCTE CONSURGENS, Hebraice *manicando*, id est mature, tempestive ac diligenter, instar soliciti patrisfamilias, commonebat suos Deus, EO QUOD PARCERET POPULO, id est parcere vellet, & extreme optaret. Sed

V. 16. NULLA ERAT CURATIO, seu remedium; quasi dicat: Frustra erat omnis cura, & labor: nec ulla remanebat spes melioris vitæ. Unde mox subsecutæ pœnæ, de quibus IV. Reg. ultimo, & abducti omnes in Babylonem, vel vita privati.

V. 21. DONEC CELEBRARET TERRA SABBATA SUA, id est quiesceret, seu feriaretur ab aratione, sulcatione, & messione. CUNCTIS ENIM DIEBUS DESOLATIONIS EGIT SABBATUM, id est quievit iam dicto modo: quia desolata, & inculta ut plurimum iacuit. Notant Hebræi, noluisse non raro Iudæos sabbatum ex præscripto legis sanctificare seu observare: atque ideo iusto Dei iudicio in pœnam eiusce rei passos esse ut terra toto captivitatis illorum tempore sabbatizaret, non reperto qui colere aut vellet, aut posset. Quando cœperint septuaginta captivitatis, & desolationis anni, & quando finierint, dixi in Chronico. Cetera huius cap. vide initio seq. Libri I. Esdræ, nam ultimi versus huius cap. quibus hic Liber clauditur, initio illius Libri ad verbum repetuntur: argumento, unum eumdemque Esdram utriusque Libri auctorem, seu collectorem esse.

GORDONI.

Vers. 6. ASCENDIT NABUCHODONOSOR. De hac captivitate Babylonica, quam ego ex hoc capite triplicem facio, dixi ex professo ad annum mundi 3374. unde eius initium pono ad annum tertium Olympiadis 37. & urbis conditæ 123.

V. 22. Ab his extremis Libri huius secundi verbis, initium accipit Liber Esdræ, ubi scilicet agitur de reditu a captivitate Babylonica, quando Cyrus Persarum Rex transtulit Chaldæorum imperium ad Persas, exactis septuaginta annis captivitatis, iuxta vaticinium Ieremiæ cap. XXV. vers. 12. De quo argumento eiusque chronologica ratione egi ex professo in opere Chronologico.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Tota hæc historia habetur IV. Reg. cap. XXXIII. & XXXIV.

V. 12. NEC ERUBUIT. Neglexit audire & sequi monita.

V. 17. Neglectis tot monitis, quid nisi excidium hoc post tot scelera expectari potuit? En captivitatem septuaginta annorum, & usque ad Darium, de quo mox.

FINIS TOMI SEPTIMI.

